

CODEX
THEODOSIANVS
IACOBI
GOTHOFREDI
TOMVS QVINTVS.



CODEX THEODOSIANVS

CVM

PERPETVIS COMMENTARIIS

IACOBI GOTHOFREDI

VIRI SENATORII ET IVRISCONSVLTI SVPERIORIS SECVLI EXIMII

PRAEMITTVNTVR

CHRONOLOGIA ACCVRATIOR

CHRONICON HISTORICVM ET PROLEGOMENA

SVBIICIVNTVR

NOTITIA DIGNITATVM, PROSOPOGRAPHIA, TOPOGRAPHIA

INDEX RERVM ET GLOSSARIVM NOMICVM

OPVS POSTHVMVM

DIV IN FORO ET SCHOLA DESIDERATVM

RECOGNITVM ET ORDINATVM AD VSVM

CODICIS IVSTINIANEI

OPERA ET STVDIO

ANTONII MARVILLII

ANTECESSORIS PRIMICERII IN VNIVERSITATE VALENTINA

EDITIO NOVA

IN VI. TOMOS DIGESTA

COLLATA CVM

CODICIBVS MSS. ANTIQVISSIMO WVRCEBVRGENSI GOTHANO ET LIBRIS EDITIS

ITERVM RECOGNITA EMENDATA

VARIORVMQVE OBSERVATIONIBVS

AVCTA

QVIBVS ADIECIT SVAS

IOAN DAN. RITTER, P.P.

TOMVS QVINTVS.





LIPSIÆ

SVMPTIBVS MAVR. GEORGII WEIDMANNI.

MDCCXLI.

IN HOC TOMO

TRES LIBRI CONTINENTVR.

LIBRO DECIMO TERTIO agitur de variis Professionibus, Negotiatoribus scilicet, Professoribus, Medicis, Artificibus, Nauiculariis, de Censu,

LIBRO DECIMO QVARTO agitur de iis quæ pertinent ad præcipuas vrbes in Orbe Romano (puta Romam, Constantinopolim, Alexandriam & alias) de Corporatis, Politia & Priuilegiis.

LIBRO DECIMO QVINTO agitur de Operibus & Ornamentis publicis, de Voluptatibus & Spectaculis, Ludisque publicis, de Pace publica tuenda,

ILLVSTRISSIMO AC
REVERENDISSIMO

DOMINO
DNO. GEORGIO

EX PRINCIPIBVS
AB

AVRIA

ARCHI-EPISCOPO CHALCEDONENSI
S. S. D. N. PAP. D. P
BENEDICTI XIV
EXTRA ORDINEM
NVNCIO APOSTOLICO



ILLVSTRISSIME AC REVEREN-DISSIME PRINCEPS

Ure mihi videor hoc in magna & præcipua felicitatis meæ parte ponere, quod mihi adhuc, in Operibus, quæ meo sumtu prodierunt, dedicandis, non diu quærendi fuerunt, quorum gratiam, hoc qualicunque honoris habendi genere, captarem, sed statim occurrerunt PRINCIPES aliique Illustres Viri, ita me, vel liberalitate sua, vel humanitate, complexi, ut Ipsis, quando fieri aliter non poterat, vel hac ratio-

ratione, animum, sive gratum, sive devotum, significandum putarem. Itaque vehementer lætabar, cum intelligerem, eadem mihi felicitate in hoc quinto Codicis Theodosiani *Volumine uti licere, TVque, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, TVA TE sponte offerres, cuius summo nomine posset ita hoc Opus a me ornari, ut simul devoti TIBI animi debitum incredibili TVAE erga me humanitati benevolentiæque monimentum in illustri loco poneretur.*

Equidem eum esse TE, ILLVSTRISSIME DORIA, & ipse scio, & omnes iudicant, ad cuius gratiam unusquisque sibi, vel propter summam generis & honorum dignitatem, divinasque virtutes, aditum dari exoptet, vel, propter incredibilem humanitatem facilitatemque, etiam huiuscemodi scriptionis genere, posse parari speret. Nam generis quidem TVI tanta, iam multis abhinc seculis, fuit nobilitas, ut eius necessitudinem Reges quoque non adspernarentur: maiorum autem tanta, vel belli, vel pacis artibus, gloria, ut nemini facile in eo genere concedant. Hæ autem res quantam vim habeant, vel ad iustam quandam hominum de TE spem atque opinionem, vel ad ipsum animum TVVM ad summam virtutem incendendum, non iam attinet dicere. Neque hoc tam errore quodam, ut nonnullis videtur, quam ipsa ratione suadente, fieri solet, ut ab iis magna speremus, qui a magnis maioribus sunt profecti. Nam si omnium magnorum virorum

exempla

exempla multum valent ad animos excitandos, ad paremque virtutem conformandos, etiam in iis, qui nullo cum iis naturae vinculo ſunt coniuncti: quanto maiorem vim habere credemus exempla eorum, quorum prope ſanguis ipſe commiſtus cum TVO viget, & ad animum felici quadam contagione permanavit?

Quamquam quid ego de genere TVO dico? cuius nobilitas, etſi ſumma eſt, tamen tantum a ſapientia TVA virtutibusque TVIS, omnium iudicio, ſuperatur, quantum ſapientia & virtus, TE non invito, generi praeferuntur. Eſt enim ita comparatum, ut, quo magis quisque virtuti ſuæ poteſt confidere, eo facilius generi, quod fortunae & neceſſitati naturæ debetur, ſapientiam & virtutem, in qua, non caſus, ſed conſilium dominatur, præferri concedat. Sed ſapientiæ TVAE virtutumque ſi nulla alia argumenta haberemus, quae ſane plurima habemus & maxima, hoc tamen uno, quantæ in TE eſſent, certiſſime iudicare poſſemus, quod, cum hoc tempore aliquis Roma eſſet in Germaniam, ad Comitia Cæſari creando, publice mittendus, TV potiſſimum, ILLVSTRISSIME DORIA, a Pontifice, non Sanctiſſimo magis quam Prudentiſſimo, iudicatus es is, qui graviſſimas huius tanti muneris partes recte ſuſtinere poſſet. In quo quantum ille viderit, & nunc, qui TE norunt, iudicant, & paullo poſt intelligent omnes, cum hanc tantam provinciam e

Summi

Summi Pontificis, Ecclesiæ Romanæ, TVAque dignitate a TE administrari videbunt, & cum summa TVA sapientia incredibilisque virtus, in hoc amplissimo totius Germaniæ atque adeo Europae theatro posita, magis indies magisque exsplendescet.

Sed in hoc novo TVO splendore cum omnes TE admirabuntur, summisque ad coelum ferent laudibus; incredibilis TVA humanitas efficiet, ut id non magis statuant iure, quam sentiant libenter se facere. Cuius rei prærogativam quandam & quasi pignus habes favorem eum, quo nuper Romae, & per omnem Italiam, decretum Summi Pontificis, de TE in Germaniam mittendo, meministi esse acceptum. Nam tanto TVO tamque festinanti honori, id quod rarissime accidit, adeo non esse invisum accepimus, ut omnes potius Summi Pontificis iudicium laudarint, & ita, uti dignum esset cum EIVS sapientia, tum rei gravitate, honorem eum positum prædicarint, TEque Roma abeuntem omnibus bonis ominibus ac votis sint prosecuti. Qua in re id, quod sæpe antea in TVI similibus, intellectum est, invidiam non tam honoribus, virtutibus & rebus bene gerendis, quam animi in rebus secundis perversitate provocari, nihilque esse ad eam reprimendam potentius humanitate, & animi in felici rerum cursu quadam æquitate. Sed hanc tantam TVAM humanitatem cum ante fama tantum, non exigua illa quidem aut obscura, sed e longinquo

tamen

tamen allata, incensi Germani suspexerint, nunc praesentem praesentes, & suis oculis credentes incipient adamare. Quod ego quidem de meo iudicare sensu possum. Nuper enim, cum Francofurti essem, & TVA mihi facilitas adeundi TVI potestatem dedisset, id quod ipsum in magna & humanitatis TVAE & fortunae meae parte ponebam, tanta erga me comitate es usus, ita omni summa humanitate tractasti, ut mihi difficile esset in comparatione ad indicandum, utrum plus ceteras TVAS virtutes admirarer, an hanc TVAM comitatem humanitatemque amarem.

Eodem vero illo tempore non obscuris intellexi signis, tantum in TE esse literarum amorem, quantum conveniat esse in eo, qui in summa sit gratia apud BENEDICTVM, quo non alius unquam Praesul Romanus vel peritior literarum bonarum vel amantior fuit. Quo minus alienum & a persona TVA, & ab officio inusitatae TVAE in me humanitati debito, putavi fore, si primum, quod ab eo tempore a me ederetur, opus ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO consecrarem. Quod si meum TIBI consilium approbavero, id quod me & rei magnitudo rogare iubet, cognita autem facilitas TVA sperare sinit; summo beneficio, non illo quidem a me merito, sed digno tamen, uti arbitror, summa TVA humanitate, me affectum putabo.

DEVS

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

DEVS TE servet, ILLLVSTRISSIME PRINCEPS, & TIBI, tum illustre iam & grave munus sustinenti, eos exitus & ea rei bene gestae praemia largiatur, quae virtutes TVAE merentur, & quae fore confido.

ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS

ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO

Lipsiae, d. 1. Julii,
MDCCXLI.

ADDICTISSIMVS

MAVRITIVS GEORG. WEIDMANN.

LECTORI BENEVOLO

SALVTEM

JOAN. DAN. RITTER.

IN ACADEM. LIPSIENS. PP.

CUM hoc ſuperioreque anno, τῶν βουλευτῶν iura per diuerſas Romani Imperii prouincias, diligentius pertractarem, videremque ampliſſimum olim fuiſſe & exſplendeſcentem præ reliquis Alexandrinæ civitatis Senatum, cuius in gratiam variæ Auguſtorum conſtitutiones ad Præfectum Prætor. Orientis datæ leguntur in fine Tituli de decurionibus: admiratio animum meum ſubiit, quare nuſpiam Juridici Alexandrini facta ſit mentio. Magis mirabar, Alexandrinæ plebis Primates Præfecto Auguſtali commendatos, quod obſervabit Lector libro decimo quarto Codicis, Juridicum autem præteritum, cuius ego non minorem, quam Præfecti Auguſtalis auctoritatem fuiſſe legeram apud Jureconſultos, credideramque eum quaſi cuſtodem quendam impoſitum Auguſtali fuiſſe, ne quid ipſe in Ægypto rerum novarum moliri poſſet. Tandem vero re penſitata accuratius mirari deſii, animadvertens magiſtratum hunc, facta Ægypto ab Auguſto Romana Provincia, ad usque Severi Imperatoris tempora, magnam quidem habuiſſe apud Alexandrinos poteſtatem, eam tamen poſtea, mutata Ægypti civitatiſque Alexandrinæ regiminis forma, paulatim deſiiſſe. Quod vt lectoribus perſuadere poſſim, proferam partim auctorum loca, partim ad Jureconſultos noſtros provocabo, & quantum quidem permittet chartæ anguſtia, ſervato temporis ordine ediſſeram.

In primis tamen id monendum venit, non confundendum eſſe Alexandrinum Juridicum, cum Juridicis qui fuerunt in Italiæ nonnullis partibus, neque cum iis, qui Gallæciam Aſturiamque Hiſpaniæ Provincias adminiſtrarunt. Succeſſerunt enim hi in locum Conſularium, fueruntque Provinciarum Præſides. Alexandrinus autem Juridicus Præfecto Auguſtali Romano Equiti, iuris dicundi tantum gratia in Alexandrina civitate fuit ab Auguſto additus, quod apertiſſime teſtatur Strabo Geographiæ libro decimo ſeptimo. qui ſcripſit Auguſti Tiberiique temporibus. Ita ille *pagin. 1147 1148 Edit. Almeloveen.* Ὁ μὲν οὖν πεμφθεὶς τὴν τοῦ βασιλέως ἔχει τάξιν· ὑπ᾽ αὐτῷ δ᾽ ἐστὶν ὁ Δικαιοδότης, ὁ τῶν πολλῶν κρίσεων κύριος, ἄλλος δ᾽ ἐστὶν ὁ προσαγορευόμενος ἴδιος λόγος, ὃς τῶν ἀδεσπότων, καὶ τῶν εἰς Καίσαρα πίπτειν ὀφειλόντων ἐξεταστής ἐστι. παρέπονται δὲ τούτοις ἀπελεύθεροι Καίσαρος καὶ οἰκονόμοι, μείζω καὶ ἐλάττω πεπιστευμένοι πράγματα. *Qui mittitur Regis loco eſt. Ei ſubeſt Dicæodotes (id eſt, iuridicendo præfectus) qui iudicia exercendi pleraque poteſtatem habet. Tum alius* ἴδιος λόγος, *nimirum qui peculiares rationes curat. Is in ea inquirit, quæ ſub alterius poteſtate non ſunt, ſed ſeorſim ad Cæſarem recidunt.* (ſunt hæc bona *vacantia* & *caduca* Ictis.) *Hos comitantur Cæſaris liberti & adminiſtratores, quibus maiora & minora negotia committuntur.* Patet ex his Præfectum Auguſtalem, qui erat Regio loco, Præſidem fuiſſe per Ægyptum, Thebaidem & Lybiam, cumque ei rerum publicarum cura incumberet, neque ſolus continendæ frequentiſſimæ incolis, turbulentæque civitati Alexan-

)(

drinæ

drinæ, quæ magiſtratu proprio carebat, ſufficeret, Δικαιοδότην fuiſſe additum: Eſt enim hoc nomen proprium magiſtratui, qui ad eos mittitur, quibus libertas legum creandique magiſtratus, qui ius diceret, ademta eſt, quod videbis apud Joſephum Antiquitat. *lib.* 18. *cap.* 1. qui refert, ad Judæos ab Auguſto miſſum Δικαιοδότην. ἴδιος λόγος autem eſt Cæſaris Procurator aut Rationalis, quod recte docuit Caſaubonus, cui aderant Officiales ex Cæſaris libertis, qui ideo hoc Codice Cæſariani appellantur lib. X. tit. 10. Eſt itaque Ægyptus ſub diſpoſitione Præſidis ſive Præfecti Auguſtalis, Juridici, Rationalis & Cæſarianis. Quod cum nemo negare poterit, facile ſibi omnes perſuaſuros eſſe, exiſtimo, Italiæ Juridicos ab Alexandrino plurimum differre. Etenim qui olim Apuliæ Picenoque præerat Juridici nomine, is omnino ſolus adminiſtrabat provinciam, nemini que erat niſi Auguſto ſubditus. Thomas Reineſius Vir magnæ eruditionis in Inſcriptionum Opere *Claſſ. II. n. 26. pag.* 270. 271. multis invehitur in Juris Commentatores, eosque aut non legiſſe aut non intellexiſſe Strabonem contendit, quando ſtatuant, Juridicum exercuiſſe tantum dicendi iuris in civitate Alexandrina officium, cum reliqua provincia pareret Præfecto Auguſtali. Utrumque enim vult Reineſius civitati impoſitum, ſed cum diverſo imperio & negotiis diverſis adminiſtrandis; alterum, ut loco Regis vel Rectoris eſſet, alterum, ut juſſu Principis ius redderet ſubditis, non in civitate tantum Alexandrina, ſed per univerſam Ægyptum. Sententium firmat lapidum ope, in quibus occurrit Juridicus per Ægyptum & Ægypti. En marmor ab eo adductum:

P. PLOTIVS. ROMANVS. CONS SOD AVG. CL.
LEG. AVG. PR. PR. PROV. ARAB. ITEM. GAL.
PRÆF. AER. STAT. LEG. AVG CENS. ACC. HISP. CIT.
IVR. PER ÆRA. LEG. CVP. VIÆ. LABIC. CVR.
PR. VRB. TRIB. PL. Q. KAL. VI. VIR. EQ. R. TVR. II.
TRIB. MIL. LEGG. I. MIN. ET. II. ADIVIT. IIII. V. V. CVR.
AEDEM. CVM. OMNI. CVLTV. CONSECRAVIT.

Alterum eſt apud Gruterum *CCCLXXIII. 4.*

L. BAEBIVS. L. F.
GAL. IVNCINVS
PRAEF. FABR PRAEF
COH. IIII. RAETORVM
TRIB MILIT. LEG XXII.
DEIOTARIANÆ
PRAEF ALAE. ASTYRVM
PRAEF. VEHICVLORVM
IVRIDICVS. AEGYPTI.

In priore lapide IVR. PER. ÆRA. bene interpretatur Vir doctus, ſed male concludit per Ægyptum omnem eum habuiſſe iuris dicundi poteſtatem, quam opinionem locis adductis refellam. Præterea in eo falſus eſt Reineſius, quod Juridicum *Romanum Judicem* apud Eutropium *lib* 7. *c.* 4. & in paraphraſi ἄρχοντα Ῥωμαίων dici contendat. Verba Eutropii hæc ſunt: *Ægyptus per Octavianum Auguſtum imperio Romano adjecta eſt, præpoſitusque ei Cn. Cornelius Gallus. Hunc primum Ægyptus Romanum Judicem habuit.* Fuit enim Cornelius Gallus Præfectus Auguſtalis docente Dione *pag.* 455. *Edit. Leonclav.* ἐκ δὲ τούτου τήν τε Αἴγυπτον ὑποτελῆ ἐποίησε, καὶ τῷ Γάλλῳ τῷ Κορνηλίῳ ἐπέτρεψε: *Ægypto autem poſtea tributariæ factæ Cornelium Gallum præfecit.* Et ſunt ἄρχοντες Præfecti apud eundem *pag* 504 ex Auguſti inſtituto; τοὺς δὲ ἔξω πάντας, ὡς καὶ ἀντ' ἐκείνων ἄρχοντας προσηγόρευσε, *qui extra* (Italiam) *imperarent, quaſi eorum locum tenentes Præfectos appellavit:* & *pag.* 633. de Vitraſio Pollione Ægypti Præfecto, κἀν τούτῳ Οὐιτρασίου Πωλλίωνος τοῦ τῆς Αἰγύπτου ἄρχοντος τελευτήσαντος, *interim Vitraſio Pollione Præfecto Ægypti vita functo:* & in Edicto Juſtiniani XIII *de Alexandr. & Ægypt. Provinc. c.* 1. βουλόμεθα δὲ αὐτὸν ἄρχοντα καθεστάναι, *volumus autem ipſum Præfectum conſtituere*, & ita ſæpius in dicto Edicto. Scio quidem apud Philonem *Legat. ad Caium pag* 1036. in Epiſtola Norbani Flacci Procos. & alibi, ἄρχοντες τῶν πόλεων, ſed præterquam quod facile omnes videant innui Decuriones, hæc appellatio fere ſingularis eſt. Neque Voluſium Mæcianum, Jureconſultum magni nominis, qui Marcum Imp. in Jurisprudentia inſtituit, & in ſeditione Caſſiana occubuit, Juridicum Alexandriæ ſed Præfectum Auguſtalem fuiſſe interpretor. Verba Vulcat. Gallican. *in Avid. Caſſio c.* 7. hæc ſunt: *& Mecianum cui erat commiſſa Alexandria, quique conſenſerat ſpe participatus Caſſio, interemit.* Etenim ipſe Reineſius falſus eſt, Præfectum Auguſtalem mox Auguſtalium & Auguſtalem Alexandriæ, mox Auguſtalem Ægypti audire apud veteres. Et eſt profecto leviſſimum argumentum, quod a lapide deſumit, probaturus Juridicum per omnem Ægyptum iudicia exercuiſſe. Nam uti Præfectus, quod Alexandriæ ſedebat, Alexandrinus audit, (quod & Vicario Urbis accidit, cui alioquin omnis

omnis Italia erat subdita) ita Juridicus Ægypti aliquando appellatus est ab Ægypti metropoli. Sed est præterea certissimum e Dione & Spartiano, Juridicum in Alexandrina tantum civitate ius dixisse. Ita Dio *lib.* 51. *pag.* 455. scribit, Augustum subacta Ægypto eius provinciæ urbibus veteres reliquisse magistratus & consuetudines, Alexandrinos autem solos sine senatu esse voluisse. Erant enim Ægyptii & propter multitudinem hominum urbiumque, & agrorum, annonæ pecuniæque copiam moribus levissimis, inter reliquos tamen Alexandrini ad tumultus propensissimi, quod cnm aliunde sit notissimum, unum addnco testem, civem Alexandrinnm Philonem, qui in *Legat. ad Cajum pag.* 1015. *Ed. Francf.* levitatem Alexandrinæ plebis multum deplorat. Verba autem Dionis hæc sunt, *ἀλλὰ τοῖς μὲν ἄλλοις ὡς ἑκάστοις, τοῖς δὲ Ἀλεξανδρεῦσιν ἄνευ βουλευτῶν πολιτεύεσθαι ἐκέλευσε, sed cæteras quidem civitates iussit sigillatim & per se* (per Senatum suum) *Alexandrinos vero absque Senatu rempublicam administrare.* Si ergo Dione gravissimo teste soli Alexandrini absque magistratu fuerunt; cum reliquæ Ægypti civitates secundum veteres consuetudines viverent, uni tantum Alexandrinæ civitati Juridicus fuit necessarius. Confirmat hoc Spartianus, *in Severo cap.* 17. *Alexandrinis Jus buleutarum dedit, qui sine publico consilio, ita ut sub regibus, ante vivebant, uno Judice contenti, quem Cæsar dedisset.* Hic unus Judex, est Juridicus Alexandrinus. Denique qui habet cognitam provinciarum apud Romanos administrationem & vetere & recentiori ævo, is facile perspiciet, & Proconsules & Pro-Prætores, & Legatos Augustales, Præsides, Rectores, Judices, juris dicundi in provinciis potestatem habuisse solos. In Ægypto certe idem obtinere oportuit, nisi Præfectus Augustalis magistratus tantum fuerit vocabulum, quo nomine appellat Tacitus romanos magistratus libertate amissa. Et quid quæso negotii fuit Augustali, administrante; Juridico omnem Jurisdictionem, & Procuratore Cæsaris cum Cæsarianis curante provinciæ reditus?

Adduco tandem legem Juliam & Titiam Augusto imperante latam, qua cautum, *ut quemadmodum in urbe a Prætore cum majore parte Tribunorum plebis, ita in Provinciis a Præsidibus pupillis tutores darentur;* qua quidem lege Juridico Alexandrino tutoris etiam datio erat concedenda, si ipse Præsidum in numero fuisset habitus, quod ius cum Augustalis solius usque ad Divi Marci tempora fuerit, ita quidem, ut ne Alexandriæ quidem Juridicus potuerit dare tutores, facile concluditur inter minores ipsum fuisse magistratus. Probat sententiam *lex* 2. *D. de Off. Jurid.* ubi Ulpianus scribit: *Juridico, qui Alexandriæ agit, datio tutoris constitutione Divi Marci concessa est.* Aucta ergo potestas Juridici imperante Marco; cumque is unus Judex in civitate Alexandrina fuerit, facile omnes iudicabunt, & contentiosam & voluntariam eum habuisse iurisdictionem. Duravit ea auctoritas imperantibus Commodo, Helvio Pertinace & Didio Juliano, quo obtruncato, cum ad Septimium Severum summa rerum rediisset, magnam subiit ea mutationem. Hic enim Princeps natione Afer, iuris non ignarus, & latinis græcisque literis eruditus, cum in peregrinatione Ægypriaca, & religione Dei Serapidis, & novitate animalium locorumque, & inspectione Memphitanæ civitatis, Memnonis, Pyramidum, labyrinthi multum esset delectatus, ut jucundam sibi quoque Alexandriæ moram fuisse testaretur, Alexandrinis multa mutavit jura, deditque Senatum. Repeto locum Spartiani in Severo c. 17. *Deinde Alexandrinis jus buleutarum dedit, qui sine publico consilio, ita, ut sub regibus ante, vivebant, uno iudice contenti, quem Cæsar dedisset. Multa præterea his iura mutavit.* Idem Dio habet loco supra citato: *βουλεύουσι δὲ δὴ καὶ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ ἐπὶ Σευήρου Αὐτοκράτορος ἀρξάμενοι, Senatores autem Alexandriæ sunt & esse cœperunt sub Severo Imperatore.* Quo major ab eo tempore Alexandrinæ civitatis curiæque dignitas, eo minor Juridici auctoritas facta est, ut omnino contentiosa eius iurisdictio tunc finem habuisse videatur, nullus certe locus neque apud auctores veteres, neque apud Jureconsultos nostros hactenus inventus est, qui aliud persuadere posset.

Et videtur mihi, si bene auguror, in controversiam quoque a nonnullis vocata fuisse eius iurisdictio voluntaria, cum quæsitum fuerit, possetne quis recte apud Juridicum adoptare. Docet id Ulpianus, qui post Severi tempora scripsit, in not. ad Sabinum *l.* 1. *D. de Off. Jurid. Adoptare quis apud Juridicum potest, quia data est ipsi legis actio.* Antoninus Caracalla Severi filius postquam omnes, qui erant in orbe Romano cives effecerat, Alexandrinos quoque in Senatum Romanum allegi passus est, docente Dione *lib.* 51. *pag.* 455. quo facto civitas Alexandria ita exsplenduit apud veteres, ut & *δευτερεῖα* habuerit post urbem Romam, & curiæ auctoritas ita crevit, ut ab eo tempore ne nomen quidem Juridici occurrat. Non est illustrior locus, qui de dignitate curiæ testimonium præbere possit, quam *leg.* 19. hoc Codice *de petitionibus,* quæ ad preces eius a Theodosio M. emissa, cujusque inscriptio hæc est. *Imppp. Valentinianus,* THEODOSIVS *& Arcadius AAA.* AD SENATORES *civitatis Alexandrinæ.* Et in hac lege nulla Juridici fit mentio, ut dubius hæream quid de magistratu hoc pronuntian-


nuntiandum fit. Arcadius etiam cum de electione Ἀρχηγερόντων & Διοικητῶν Alexandriæ agit *l.* 1. hoc Codice *de Alexandrin. pleb. primat.* ad Gennadium Præfectum Augustalem scribit, eiusque hortatur officium, electionem hanc excubiis servet sollicitis. Intueor denique Notitiam Imperii, quæ scripta est Theodosii Junioris tempore, & omnem Ægyptum Præfecto Augustali, atque Præsidibus, qui ei suberant, commendatam animadverto. *Notitia fol.* 76.

Sub dispositione VIRI SPECTABILIS PRÆFECTI AVGVSTALIS PROVINCIÆ INFRA SCRIPTÆ.

LYBIA *superior.*
LYBIA *inferior.*
THEBAIS.
ÆGYPTVS.
ARCADIA AVGVSTAMNICA.
OFFICIVM *autem habet ita.*
Principem de schola agentium in rebus, Ducenarium, qui adorata clementia principali cum insignibus exit.
Cornicularium.
Adiutorem.
Commentariensem.
Ab actis.
Numerarios.
Curam Epistolarum.
Exceptores & cæteros officiales.

Et ex hac porro Notitia patet iterum, quod supra urgebam, Juridico extra Alexandriam nihil fuisse auctoritatis, sed alterum quoque patet, ipsum inter Præfecti Augustalis officiales non fuisse. Cum vero in civitate Alexandrina recentiori etiam & Justiniani ævo fuerit, licet constituto amplissimo Senatu, lis orta est de dignitate ejus post Severi tempora, quam ego ita dirimendam statuo: Retentum nimirum Juridicum Alexandriæ ex antiqua consuetudine licet civitatis forma mutata, ipsum tamen voluntariam tantum jurisdictionem habuisse, neque ejus auctoritatem fuisse majorem, quam Defensorum plebis. Fundus sententiæ, est lex Leonis in Cod. Justin. *leg. un. de Off. Juridic. Impp. Leo & Anthemius AA. Alexandro Duci & Præfecto Augustali. Jubemus apud Alexandrinæ duntaxat clarissimæ civitatis Juridicum, licitum & concessum esse, singulis quibuscunque volentibus donationis conscriptæ solenniter instrumenta reserare, eisdemque robur adjiciat gestorum series apud eundem confecta, tanquam si apud Virum clarissimum Moderatorem Provinciæ, vel Magistratus, vel Defensores plebis habita fuisse dicerentur.* Error est enim Cujacii in *Observationibus XX.* 31. quando scribit relegare potuisse Juridicum in Gypsum vel Oasin, cum in ipsa græca constitutione, quam ex Basilicis producit, expressis legatur verbis, τὰς δὲ ἄρχοντας Ἀλεξανδρείας καὶ Θηβαΐδος κελεύει μόνως εἰς Γύψον καὶ εἰς Ὄασιν ἐκπέμπειν αὐτὰς, quibus verbis non alii, quam Augustalis, & Præses Thebaidos, sub quibus illa sunt loca, intelligi possunt. Tantum. Quid præstiterim in Editione nova hujus Tomi æquus Lector ipse iudicare poterit. Multa hic sunt emendata, multa restituta, & addita textui, quorum non pœnitebit. Vale Lector benivole, & studiis meis inposterum fave. Dabam Lipsiæ e Museo CIϽ IϽCCXXXXI. d. 18. Mart.





CODICIS THEODOSIANI

LIBER DECIMVS TERTIVS.

QVO AGITVR DE DVOBVS.

I. De variis PROFESSIONIBVS: Negotiatoribus, scilicet Medicis, Professoribus, Artificibus, Nauiculariis.

II. De CENSV.

HVIVS LIBRI TITVLI.

DE LVSTRALI CONLATIONE.

TITVLVS I.

Lib. XI. COD. IVST. Tit. I. *Edition. Cuiacian. De lustralis auri collatione.* Quo *Titulo* absunt omnes *huius Tituli* Constitutiones; vtpote sublata hâc collatione ab Anastasio, teste Euagrio *Hist. Eccles. lib.3. cap. 39.* & Zonara *Annal. lib. 14. pag. 54. Tom. II. Edit. Regiæ.* hinc in vulgat. Edit. Cod. Iustin. *tit. I. lib. XI.* ita conceptus: *de nauiculariis seu naucleris publicas species transportantibus, & de tollenda lustralis auri collatione.*

Præter *huius Tituli* leges, aliæ insuper de Lustrali Collatione plures *hoc Codice* occurrunt: puta *lex 2.3 9. sup. de Veteranis l.3. sup. de testimoniali: Lex.3. sup de immunit. concess. lex. 50.72. sup. de Decurion. l. vlt. inf. de excus. Artificum: l. 29. de susceptorib. l.8 10.14.15. inf. de Episcop.* Item obserua *Quinque leges* hoc titulo ad *Ecclesiasticam* Historiam pertinere: puta *l. 1.4.5.11.16.*

PARATITLON.

Lustralis Conlatio, *Rubr.* seu lustralis auri collatio, *l.* 20. 21. *h. t.* lustralis pensionis collatio, *l.* 18 *h. t.* lustralis auri depensio, *l.* 11. 17. *h. t.* functio Auraria, *l.* 11. 13 18. 19. *h. t.* & Valent. *Nouella inter Theodos.* 27. pensio Auraria, *l.* 3. *sup. de testimoniali ex Tribun. & protector. l.* 36. *inf. de Episcop.* Aurariasimpliciter *lege* 29. *supr. de suscept.* auri atque argenti indictio, *l.* 6. *h. t.* & *l.* 72. *sup. de Decurion.* inlatio *l.* 15. *h. t.* oblatio, *l.* 7. 8. *h. t.* pensitatio, *l.* 9. *h. t.* præbitio, *l.* 1. *h. t.* reditus, *l.* 9. *sup. de Veteranis*: & simpliciter conlationis obsequium, *l.* 1. *h. t.* necessitas, *l.* 7. 17. *h. t.* functio, *l.* 20. 21. *h. t.* pensitatio, *l.* 5. *h. t.* præstatio, *l.* 10. 13. *h. t.* erat vectigal, *l.* 20. *h. t.* & *l.* 3. *sup. de immun. conc.* erogationi publicæ iuuandæ, *l.* 6. *h. t.* iuuandæ Reipublicæ, *l.* 6. *h. t.* Quod indicebatur, *l.* 4. 6. 9. *h t.* Negotiatoribus, *l.* 1. 3. 4. 5. 9. 10. 12. 15. 16. 17. 18. *h. t.* & *d. l.* 3. *sup de testimon.* & *l.* 15. *inf. de Episcop.* & *l.* 50. 72. *supr. de Decurion.* qui negotiationis seu transferendarum mercium curam habebant, *l.* 3. *sup. de immunit concessa*: mercatoribus, *l.* 6. 7. 9. 11. *et vltim. h t.* & *l.* 72. *sup. de Decurion.* negotiationem exercentibus, *l.* 8. *infr. de Episcopis*, qui pecuniam habebant in conuersatione, *d. l.* 72. quorum alia synonyma repetenda ex *l.* 2. 4. 5. 8. 9. 10. 12. 14. 16. 18. 19. *h. t.* & *l.* 16. *infr. de Nauicul.* (vnde & sors negotiationis dicitur *l.* 10. *h. t.* negotiatorum munia & pensitationes *l.* 15. *infr. de Episcop.* negotiatorum conlatio, *l. vlt. inf. de excusat. artificum*: negotiatorum dispendium, *l.* 10. *inf. de Episcop.*) Item iis indicebatur seu incumbebat, qui fœnori studentes crescentis in dies pecuniæ accessione lætantur, *l.* 18. *h. t.* Denique fuerunt & res quædam huic muneri obnoxiæ, apud quemcumque possessorem eæ essent, *l. vlt. h. t.*

Atnon etiam hæc collatio incumbebat Curiis vel Ordinibus ciuitatum, *l.* 4. & 17. *h. t.* & *l.* 50. *supr. de Decurion.* Neque Rusticanis, colonis, hominibus siue Principis, siue priuatorum, Potiorum, Senatorum, omnibusque aliis, qui siue per se, siue per alios innocenti industria *l.* 12. *h. t.* vernacula, *l.* 13. *h. t.* id est, fructus domesticos suis possessionibus innatos, *d. l.* 12. *h. t.* eaque quæ in his terris quas incolunt, atque in eodem rure gignuntur, *l.* 3. *h. t.* quæque annus tulerit, *l.* 8. *h. t.* quæ in eorum agris gigni solent. *l.* 10. *h. t.* simpliciter vendunt, *l.* 12. *h. t.* distrahunt, *d. l.* quia hi non tam mercatorum loco haberi debent, quam solertium strenuorumque dominorum, *l.* 6. *h. t.* Item non Artificibus, puta Pictoribus, qui ea in mercibus habebant, quæ erant propria artis ipsorum *l. vlt inf. de excusat. artific.* Et iis qui manu victum rimantur aut tolerant, puta figulis, fabris: *l.* 10. *h. t.*

Publicum cæteroquin hoc negotiatorum omnium munus erat. *l.* 12. 14. *h. t.* quo omnes Negotiatores tenebantur, *l.* 9. n. 18. 19. *h. t.* omnium regionum, omnium dignitatum, *l.* 6. *h. t.* etiam Decuriones mercantes, *l.* 4. *h. t.* & *l.* 50. & 72. *supr. de Decurion.* etsi ad domum Principis eiusque sororum pertinentes, *l.* 5. & *l. vlt. h. t.* etsi Ecclesiastici seu Clerici, *l.* 1. 5. 16. *h. t.* etsi potiorum homines vel potiores ipsi, *l.* 5. *h. t.* etsi militares, *l.* 13. *h. t.* (excepto casu, *l.* 3. *sup. de immun concessa*:) etsi ex fiscalibus corporibus veluti conchylioleguli, *d. l.* 9. *h. t.* Non tantum in claris vrbibus, sed etsi in vicis & portubus, obscuris ac reconditis locis per possessiones diuersas: Valentin. III. *Nouell. de negotiator.* 27. *inter Theodosianas.* Sic ut nullus immunis haberetur, *l.* 1. *h. t.* exceptio immunitatis nulli tribueretur, *l.* 6. *h. t.* nemo eximeretur, *l.* 12. *h. t.* nullo priuilegio, *l.* 6. *h. t.* nullius dignitatis quamlibet altissimo nomine, *l. vlt h. t.* nullo Principis rescripto, *l.* 20. *h. t.* non Protectoria aut Domestici dignitate impetrata, *l.* 3. *de testimonial.* nulla potentiorum seu patrociniorum fiducia, *l.* 15. & *d. l. vlt. h. t.* vnde & communis sors dicitur, *l.* 6. *h. t.* Alioquin pro excusatis & a se defensis potentiores ipsi tenebantur, *d. l.* 15. *h. t.* Ideo collationem ipsam sub parua minimaque contributione a singulis fieri oportebat, quo ii qui per gratiam elaberentur, apparerent: *l.* 20. *h. t.* Officiaque seu Exactores, qui elabi quemquam siuissent, duplo multabantur, *l.* 12. *h. t.* Hæc omnia ideo, quia beneficium quibusdam datum, plebis iniuria est, *l.* 9. *h. t.*

Excepti tamen priuilegio singulari ab hac lustrali collatione fuerunt nonnulli siue in totum, siue in partem (1.) Primum *Copiatæ*, per occidentem, & quidem indefinite *l.* 1. *h. t.* postea, si exiguis admodum mercimoniis victum sibi vestitumque conquirerent, *l.* 15. *inf. de Episcop.* (2.) Clerici omnes alimoniæ causa negotiationem exercentes *l.* 8. *inf. de Episc.* imo indistincte *l.* 14. *inf. de Episcop.* rursum si exiguis admodum mercimoniis victum sibi & vestitum conquirerent, *d. l.* 15. intra Italiam & Illyricum in decem solidis negotiantes: intra Gallias, in quindecim, *l.* 11. *h. t.*

l. 11. *h. t.* At non etiam Constantinopoli, *l.* 5. 16. *h. t.* (3) Item *Veterani*, ex Constantini M. constitutione intra centum folles negotiantes, *l.* 3. *sup. de Veteranis*, ex Constantii pariter constitutione intra certum pecuniarum numerum, *l.* 2. *h. t.* ex Valentiniani primum indefinite, *l.* 9. *sup. de Veteranis*, deinde vnius tantum Quinquagenæ, *l.* 7. *h. t.* ex Valentiniani Iun. intra 15. solidos. *l.* 14. *h. t.* (4) *Militibus* quoque quibusdam, quique in Palatio degebant, immunitas hæc speciali quandoque priuilegio data, *l.* 3. *sup. de immun. concessa*: alioqui in commune militares quoque tenebantur, *l.* 13. *h. t.* (5.) Excepti etiam *Nauicularii*, *l.* 16. *in fin. infr. de Nauicular*.

Quod ad *Formam* huius lustralis collationis attinet. Negotiatorum certa matricula erat, vt ostendit *lex* 15. *infr. de Episcop.* Certo tempore ad hanc præstationem vocabantur, *l.* 4. *h. t.* & *l.* 14. & 15. *infr. de Episcopis*. Indictione lustralis Conlationis facta, *l.* 4. 6. 9. *h. t.* descriptio fiebat, *l.* 3. *h. t.* seu adscriptio, *l.* 15 *h. t.* distributio, *l.* 17. cuius rei cura ad Negotiatores ipsos pertinebat: sic vt Mancipes ad eam rem de Corpore suo eligere deberent, *l.* 17. *h. t.* Modus collationis istius fuisse videtur, *Quinquagesima, vel Quindena*: quod colligo ex *l.* 7. *h. t.*

Sequentium porrò Imperatorum constitutiones de lustrali collatione *hoc titulo* hæ sunt:

Pag. 3. CONSTANTII *lex.* 1. 2. 3.
IVLIANI *lex* 4.
VALENTINIANI SEN. *lex* 6. 7. 8. 10.
VALENTIS *lex* 5. 9.
GRATIANI & VALENTINIANI IVN. simul, *lex* 11.
VALENTINIANI IVN. *lex* 12. 14.
THEODOSII M. *lex* 13. 15.
ARCADII *lex* 16.
HONORII *lex.* 17. 18. 19.
THEODOSII IVN. *lex.* 20. 21. *seu vlt.*

DE LVSTRALI CONLATIONE.

De COPIATIS *negotiantibus solis a lustrali collatione immunibus.*

1. (a) Imp. CONSTANTIVS A & Iulianus Cæs. ad Taurum PF. P. (b)

NEGOTIATORES omnes protinus conuenit aurum argentumque præbere. Clericos excipi tantum, qui (c) *Copiatæ* (d) appellantur, nec alium quenquam esse immunem ab huius Conlationis obsequio. Dat IV. Non. Decemb. Acc. Rom. (e) VIII. Id. Febr. Constantio A. IX. & Iuliano Cæs. II. COSS. [357.]

NOTAE.

(a) Semel hic monendum, omnes *huius tituli* leges abesse a *Cod. Iust. titulo*, huic concordante: causam iam dixi & porro dicam. Abest *hæc lex* quoque ab *Annalib. Ecclesiasticis* Baronii; hoc Anno; quo tamen referri tam oportuit. GOTHOF.

(b) Italiæ. ID.

(c) Tentaret quis, *& qui Copiatæ*: vt sic Clericis quoque aliis eadem immunitas tributa videatur, pariter vt anteriore eiusdem Constantii *l.* 8. *infr. de Episcop.* ID.

(d) De his *Copiatis* est quoque *lex* 15. *infr. de Episcopis*: de iisdem accipienda *lex* 12. *sup. de Veteranis*. ID.

(e) Ergo pertinet *hæc lex* ad *Clericos* vrbis Romæ. ID.

COMMENTARIVS.

A CONSTANTII Imp. super lustrali Conlatione constitutionibus (quæ tres numero sunt) *hoc titulo* initium ducitur: nullis *hunc in titulum* expressis in id Constantini M. constitutionibus *de lustrali Conlatione* relatis: cum tamen hic ille lustralis collationis seu *Chrysargyri* auctor feratur; & quidem vt volunt, fœdo reditu, etiam ex meretricum captura seu quæstu, item cum seuera exactione: Quo nomi-

nomine proscribitur a Zosimo Gentili scriptore, sub Honorio Imp. *lib. 2. cap. 38.* quem tamen Euagrius postea defensum iuit *lib. 3. cap. 40. 41.* cui paria fecit hac ætate doctissimus Annalium Ecclesiasticorum Scriptor A. D. 330. *a num. 36. ad num. 42.* Constantini M. igitur crimen est, quod Chrysargyrum hoc τετραετηρικὸν, lustrale, singulis lustris soluendum imposuerit Negotiatoribus ad vilissimos vsque: imo etiam Meretricibus: tantaque acerbitate id exactum fuerit, vt matres liberos vendere, patres filias prostituere cogerentur: hæc Zosimus. Euagrius calumniæ dicam Zosimo scribit, sed eam non refellit. Quod verum est inquiramus. Et distincte quidem de vtroque. De negotiatorum inquam prius collatione, tum de Meretricum tributo.

Aurum certe a negotiatoribus exactum diu ante Constantinum M. quod Alexander Seuerus Negotiantibus Romæ remiserit, tributa immunitate, testis Lampridius *in Vit. Alexandr. Seuer. cap. 22. init. Negotiatoribus*, inquit, *vt Romam valentes concurrerent, maximam immunitatem dedit.* Et post plura *cap. 32. in fin. Aurum Negotiatorium, & Coronarium Romæ remisit.* Ecce distincte Aurum negotiatorium longe ante Constantinum, quod Lampridius Constantini ipsius coætaneus, quique ad Constantinum eam ipsam Alexandri vitam scripsit, diserte testatur. Quare non is primus auctor huius auri Negotiatorii, vel hoc Lampridii testimonio. Deinde quæro Zosime, quando id a Constantino institutum? Nempe, vt tu vis post Constantinopolim excitatam, extremis Imperii annis, quibus prodigalitatem tuque, aliique ei obiicitis. Atquin si ipsas Constantini M. *leges* excutimus ante hoc tempus latas, medio Principatus tempore, reperiemus, iis iam istius negotiatoriæ collationis mentionem fieri, tanquam ab antiquo instituto: Nempe enim Ann. 320. decennio ante Constantinopolis encænia *l. 2. & 3. sup. de Veteranis* docet, a mercatoribus non tantum in nundinis ciuitatum proponenda dari solita, non tantum publicanis vectigalia soluta, verum etiam fisco aliquid præstitum. Verba *legis 2.* sunt hæc: *In quibuscumque nundinis interfuerint, nulla proponenda dare debebunt: publicanis quoque, ut solent, agentibus supercompellere, ab his Veteranis amoueantur: quiete post labores suos perenniter perfruantur: Fisco nostro quoque eadem epistola interdiximus, vt nullum omnina ex his inquietaret: sed liceat eis emere & vendere, vt integra beneficia eorum sub seculi nostri otio & pace perfruan-*
P. 4. *tur*, &c. Legis tertiæ verba hæc sunt: *Qui autem Negotij gerendi habuerit voluptatem, huic centum follium summam immunem habere permittimus.* Ecce, Veteranis immunitatem dat Constantinus M. A. D. 320. negotiantibus, cuiusdam quantitatis, pro priuilegio, cuius nomine fisco nil penderent. Ergo in commune iam alii negotiantes pendebant. Quare si quid hac parte a Constantino factum, forma tantum eius mutata. Forte *Lustralis* hæc collatio ab eo facta seu τετραετηρική: quæ antea annalis, vel aliusmodi erat: sic vt, pro facultatum incremento, totidem lustris augeretur. Quod vtique satius visum, quam per singula annorum vel alterius temporis momenta, per minutias temporum aurum negotiatorium exigere: siue fisci, siue negotiatorum ipsorum incommodo: quorum facultates toties excutere tum ipsis graue, tum fisco inutile erat, non apparente intra tam modicum tempus negotiationis seu lucri incremento. Contra negotiatoribus minus grauis lustralis collatio visa & fisco vtilior. Quare singulis lustris indictio facta, facta descriptione, vt docet *lex 3. h. t.* & quidem ex *l. 17.* eius descriptionis sollicitudine ipsis negotiatoribus imminente, sicut Mancipes de Corpore suo ad eam descriptionem faciendam eligere deberent. Igitur lustralis hæc collatio hoc sensu Constantini institutum est, per se non iniustum: quod si Exactorum nequitia grauius & intolerabile factum, non iam Constantiniano instituto id tribuendum: neque ipsa lustralis collatio in inuidiam vocanda. Atque hæc de Chrysargyro seu lustrali collatione Negotiatorum.

Sequitur præcipuum crimen de lustrali præstatione; seu Chrysargyro πορνικῷ, quod Meretricibus indictum ait Zosimus. Sane a Lenonibus lustralem præstationem pensitatam, Constantinopoli nominatim, & quidem *Veterum* incuria, testis est Theodosius Iun. qui eam Constantinopoli abrogauit (Florentin PP. auctore, qui & ne ærario quid deperiret, vt paria faceret, prædia sua inuicem tributo subsignauit.) *Nouella de Lenonibus* 18. Ann. 439. vbi inter cætera. *Nam cum Lenonum calliditate damnabili circumuentam VETERUM videret incuriam, vt sub cuiusdam lustralis præstationis obtentu, corrumpendi pudoris liceret exercere commercium.* Et mox: *Si aut Lenones in hac liceret vrbe versari, aut earum turpissima quæstu ærarium videretur augeri.* Et mox: *Ex cuius reditibus possit accedere, quod prædictum pessimum genus consueuerat pensitare.* Hæc de Lustrali collatione eorum, qui lenocinium fecissent, de quo silet Zosimus. Sed de lustrali collatione his, quæ meretricium fecissent, a Constantino M. imposita, inuidiam facit Zosimus. Iam ante a Caligula ex empolis seu captura prostitutarum πορνικὸν τέλ☉, & ex lenonum quæstu exactum, testis Suetonius *cap. 40.* Et steterit vtrumque, quod tamen Ærario inferri noluit Alex. Seuerus, sed sartis tectis publicorum operum destinauit. *Lamprid in Vit. c. 24. Lenonum*, inquit, *vectigal & meretricum & exoletarum in sacrum ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis ad instaurationem Theatri, Circi, Amphitheatri, & Ærarii deputauit.* Vbi postremo loco, si bene habet, *Ærarium* Saturni intelligit, cuius sartis tectis pariter hoc πορνικὸν destinauerit, vt cæterorum. Denique noluit Alexander turpe hoc vectigal recondi, sed in opera publica impendi, quanquam Veteres alii habeant *Atrij*: alii *Stadij*. Vbi est qui *Atrium* tuetur, alius *Stadium*: mihi placeat *Odeum*, vel *Odeum*: Ergo & Lenonum & Meretricum vectigal fuit. Quod & ipsum Lustrale & Chrysargyrum factum, nempe singulis lustris solutum. De Lenonio sane lustrali, constat ex *d. Nouella Theodosii*, quod ipse aboleuit: de meretricio Chrysargyro τετραετηρικῷ seu lustrali, iam olim ἀνέκαθεν inuento & longo temporis spatio continuato, quod Anastasius demum ad legationem Monachorum Hierosolymitanorum, & Theodori Gazæi tragœdiam, aboleuit, testis Euagrius, *lib. 3. c. 39. 40. 41.* Cedrenus *Compend. Hist. pag. 357. Tom. I. Oper. Edit. Reg.* Zonaras *Annal. lib. 14. pag. 54. Tom. II. Oper. Edit. Reg.* quibus addatur & Theodorus Anagnosta *Inst. Eccles. eclog. 2.* Constantinus Manasses *Compend. Chron. pag. 63. Edit. Reg.* & Suidas *in v.* Τιμόθε☉ Γαζαῖ☉, & duæ constitutiones Græcæ, quas ipsius Anastasii fuisse censet Cuiacius, *in Comment. ad Cod. Inst. lib. XI. tit. 1. de lustralis auri collat.* E quibus Euagrius addit, hoc Chrysargyrum non tantum meretricibus impositum, verum & mendicis, qui stipem colligerent, itemque scortatoribus. Addit Cedrenus & Zonaras etiam repudiatis, etiam seruis, etiam libertis impositum. Addit idem cum Zonara Constant. Manasses, imo & equo, boui, mulo, asino, cani, fimo, impositum. Ita quidem, vt nominatim Euagrius, Cedrenus, id τετραετηρικὸν fuisse diserte dicant; quomodo Zosimus illud ipsum quod a Con-

Constantino M. institutum vult: (a) at non & Zonaras, qui annuum facit vectigal. Sed nemo Constantinum M. authorem facit, præter vnum Zosimum: Mirumque, cum tot de lustrali collatione Negotiatoribus imposita Constitutiones occurrant, in nulla earum, vel minimum indicium de πορνικῷ illo τετραετηρικῷ extare: vt de Zosimi fide haud iniuria dubitari possit: Nisi forte Constantini M. crimen in eo fuit, quod vectigal id πορνικὸν ad se perductum, non sustulerit, & negotiationis genus hoc cæteris iunxerit, quod lustrali collationi seu Chrysargyro subiiceret. Mihi tamen duæ coniecturæ sub manum nascuntur. Neque Zosimum de meretricibus sensisse, apud quem legatur perperam ἑταίρας pro ἑταίρους: vt ita indicare voluerit, *operarios* quoque, qui manu victum quærebant, veluti figulos, fabros, huic lustrali collationi obnoxios a Constantino factos fuisse: quos sane postea diserte ab hac collatione alienos esse voluit Valentin. Sen. *l. 10. inf. h. t.* Nempe ἑταίρους συνεργούς; vel Zosimum lapsum, cum *Tabernarios*, seu *Tabernas negotiatorias* exercentes, qui sane

(a) *ANTON. PAGIUS differt. hypat. Part. 2. cap. 4. num. 6.*

De *lustrali collatione*, & eius vectigalis acerbitate veteres plura habent. Vocabatur illud alio nomine *Chrysargyrum*, quod singulis lustris non tantum a negotiatoribus, sed etiam a meretricibus exigebatur. Scribit Gothofredus *in Comment. ad h. l. a* Constantio A. *anno Christi* 357. emissam, quarto quoque anno vectigal illud solutum fuisse, quod Euagrius, Zosimus, & Cedrenus illud Τετραετηρικὸν diserte fuisse dicant. Sed cum Constantinus M. eiusdem vectigalis *anno* 320. in quem eius *Quindecennalia* incidebant, mentionem fecerit, & veteranis eius immunitatem dederit, prætereaque ex tribus legibus, quas Constantius eius filius de ea collatione edidit, prima emanata fuerit *ipso IX. & Iuliano Cæsare Coss. anno* scilicet 357. quo Romæ Cæsarei imperii *septima Quinquennalia* edidit, existimandum singulis quinquenniis, non vero quadrienniis illud solutum fuisse. Antiqui enim *Lustri* nomine *Quinquennalia* appellarunt. Sic Sidonius *carmine ad Maiorianum Augustum.*

Sic lustro imperii perennis acto
Quinquennalia fascibus dicentur.

id est, exacto imperii quinquennio, Quinquennalia celebrabuntur. Quod quidem recte obseruauit Scaliger *lib. 5. de emendat. temp.* licet perperam scripserit, Sidonium intelligere lustrum quinque annorum absolutorum; non enim tantum exacto quinquennio, sed & eo incipiente, ea solemnia indiscriminatim facta fuisse docuimus. Eumenius etiam in Panegyrico pro Augustodunensibus Constantino M. *anno* 311. dicto, *cap.* 13. ait: *Quinque annorum nobis reliqua remisisti. O lustrum omnibus lustris felicius.* Et infra: *quid ergo nos conuenit gratulari, de hoc indulgentiæ tuæ lustro. Lustro, quo licet nulla frugum cessarit vbertas, fecisti tamen, vt omnia largiora videantur fuisse, quam fuerint.* Themistius *orat.* 17. quæ *de Quinquennalibus Theodosii M.* est: *Hoc nimirum est exoptatissimum lustrum, quodque sibi decennium quærit. Hic circulus ille, quem sæpius insequentis accessione exolui expediat.* Ex loco Symmachi *lib. 10. ep. 26.* constat, *Quinquennalia* primum lustrum vocata fuisse, *Decennalia* secundum lustrum, *Quindecennalia* tertium. Quare non dubito lustralem conlationem cum huiusmodi solemniis connexionem habuisse, & quinto quoque anno ineunte solutam fuisse. Neque Zosimum, aliosque, qui hoc tributum Τετραετηρικὸν fuisse, scripsere, aliter intellexisse: cum enim quarto tantum anno exacto, quintoque incepto solueretur, lustralis dici potuit, & τετραετηρικὴ, sicut Olympias, dicitur lustrum, licet singulis quadrienniis celebraretur.

Sed Libanius, qui eo tempore vixit, quo vectigal illud maxima acerbitate exigebatur, difficultatem dirimit in *oratione contra Florentium pag.* 427. eius elegantem locum a Valesio in notis ad librum tertium Euagrii *cap.* 39. emendatum, hic adscribam: Λεγέσθω τοίνυν ἤδη τὸ τ' ἄλλα πάντα νενικηκός. τοῦτο δ' ἐστὶν ὁ ἀφόρητος φόρος, ἄργυρος, καὶ χρυσὸς φρίττειν ποιοῦν τὰς δεινὰς πεντετηρίδας. ὄνομα μὲν γὰρ ἐμπορικὸν ἀπὸ τῶν ἐμπόρων τῷ πόρῳ τούτῳ. τῇ θαλάττῃ δὲ ἐκείνων ἐς διάδοσιν χρωμένων, ὧν μόλις ἄρτον προσφέρουσιν αἱ χεῖρες, ἀπόλλυνται. διαφεύγει δὲ οὐδὲ νευροῤῥάφος. ὡς ἐγὼ πολλάκις εἶδον τὴν σμίλην εἰς οὐρανὸν ἄροντας, ὀμνύντας μὴν ἐν αὐτῇ τὰ πάντα εἶναι σφίσιν. ἀλλ' οὐ τοῦτό γε αὐτοὺς ἀπαλλάττει τῶν ἐγκειμένων καὶ ὑλακτούντων, καὶ μόνον οὐ δακνόντων. οὗτος ὁ καιρὸς, ὦ βασιλεῦ, πλείω τὴν δουλείαν καθίστησιν, ἐκβάλλων ἐλευθερίας τοὺς ὑπὸ τῶν γονέων πωλουμένους, οὐχ ἵνα αὐτοῖς δέξηται τὴν τιμὴν τὸ κιβώτιον, ἀλλ' ἵνα αὐτὴν ἴδωσιν εἰς τὴν τοῦ κατεπείγοντος δεξιὰν ἐρχομένην: quæ sic interpretor, *Iam vero dicamus etiam malum illud, quod reliqua cuncta longe superat. Id autem est tributum intolerabile, Chrysargyrum scilicet, quo fit, vt singula Quinquennalia, quoties iam propinqua sunt, terrorem animis iniiciant. Et nomen quidem huic conlationi specio sum est ex Mercatoribus. Sed cum isti mari vtantur ad merces suas diuidendas, ii, quibus manus ægre panem suppeditant, funditus pereunt. Nec immunis ab hoc malo sutor, quos quidem ego sæpius vidi, scalpro ad cælum sublato, jurantes in eo sua omnia reposita esse. Nec tamen istud eos liberat a vexatione eorum, qui ipsis incumbunt, & qui latrant, ac tantum non mordent. Hoc tempus Imperator, seruorum numerum auget, spoliat enim libertate eos, qui a parentibus venundantur, non vt ipsi pretium venditionis in arcam suam referant; Sed vt illud in manum compulsoris transire videant.* Ex quibus, vt id obiter dicam, intelligis, iure ab antiquo auctore quæstionum veter. ac Nov. Testam. in *quæst.* 75. scriptum, *pœnosum aurum*, tributum illud vulgo vocatum fuisse; verumque esse, quod diximus, singulis quinquenniis solutum illud fuisse. Neque his obstat, quod *L. 56.* βασιλικῶν *tit.* 12. habeat; οἱ δὲ τὸ τέλος τοῦτο παρέχοντες ἄδειαν ἐχέτωσαν, εἴτε ἐν Κωνσταντινουπόλει, εἴτε ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καταβαλεῖν αὐτὸ, εἴτε τὸν τέταρτον κατὰ ἐνιαυτὸν, εἴτε ὑπὲρ τετραετίαν δίχα μὲν τῆς ζημίας καὶ διαστροφῆς, id est: *qui vero tale onus agnoscunt, in eorum arbitrio sit id soluere Constantinopoli, vel in prouincia, siue quarto quoque anno, siue vltra quadriennium, sine damno & peruersitate vlla*; nam cum Quinquennalia, & id genus festa, quinto quoque anno, eoque sæpe incipiente ederentur, eodem tributum illud soluebatur, quod hic tantum intendimus, ideoque aliquando quarto anno, aliquando vltra quadriennium, vt præfata lex ostendit.

Denique cum Anastasius Imperator *vectigal miserabile prorsus, Deoque inuisum, & barbaris ipsis indignum*, vt illud Euagrius *lib. 3. c. 39.* appellat, *anno* Christi *quingentesimo primo* eius *Decennalibus* dedicato, aboleuerit, vt in *Consulatuum Cæsareorum Rationario* videre est, constat illud Quinquennalium instar, quinto quoque anno collectum fuisse, præfatamque *legem 1. de lustral. conlat.* non nisi huiusmodi festiuitatum beneficio intelligi posse.

ſane luſtrali collationi obnoxii quoque erant, (vt docet *lex 8. infr. h. t.*) pro Tabernarius meretricibus accepit: Quo gemino errore idem Conſtantinum M. quod reperiſſet ex Tabernaria natum, ex meretricio concubitu natum ſcripſit. Et hæc quidem hactenus.

Ad legem Conſtantii quæ ſe nunc offert nos conferamus. Ea igitur ſolis COPIATIS exceptis, omnes omnino (ſiue Clericos, ſiue alios) luſtrali collationi obnoxios eſſe iubet: vbi plurima notanda veniunt, quæ aliis deinceps *legibus* ſubſeruient, ad quas ideo quoque breuiores erimus.

Primum ex principio *legis* colligitur hoc tempore luſtralem collationem indictam: *Negotiatores*, inquit, *omnes PROTINVS conuenit aurum argentumque præbere.* Scilicet, etſi luſtralis collatio certum & definitum luſtri recurſum primo inſtituto ſuo indicet, attamen extra ordinem ſæpe, quo erogatio ſeu neceſſitas publica iuuaretur, eam indictam reperio: quo ſpectat *hac lex*: vt & eodem ſpectat quod dicitur *lege 4. infr. ab Auri atque Argenti præſtatione, quod negotiatoribus INDICITVR. Et lege 6. infr. Aurum mercatoribus atque argentum, quo erogatio publica iuuetur, INDIXIMVS. Igitur exceptione immunitatis nullus vtatur.* Et *lege 14. infr. de Epiſcopis:* (qua hæc abrogatur) *Et cum negotiatores ad aliquam præſtationem VOCANTVR,*
Pag. 5. &c. Et *lege 15. d. tit. de Epiſcopis: Reliqui autem, quorum nomina negotiatorum matricula comprehendit, eo tempore, quo conlatio celebrata eſt, negotiatorum munia & penſitationes agnoſcant.*

Secunda obſeruatio eſt de *Clericis* Negotiantibus, vtrum videlicet illi a luſtrali collatione immunes fuerint? qua de re de Clericis inquam, ἐμπορικὸν βίον ſectantibus (de qua Clericorum & Religioſorum negotiatione v. tractatum Doctiſſimi Renati a Valle, quem mirum, ad *has leges* non attendiſſe) ſunt in vniuerſum *hoc Codice* octo conſtitutiones: Quatuor, *hoc titulo*: puta Conſtantii *hac l. 1. h. t.* quibus adde & *l. 8. 10. 14. 15. inf. de Epiſcopis.* Valentis *l. 5. hoc tit.* Gratiani & Valentiniani *l. 11. hoc tit.* Arcadii *l. 16. hoc tit.* Conſtantii mens eſt *hac lege*, Clericos quoque negotiantes luſtralem collationem agnoſcere oportere: Quod etiam Valenti placuit *d. l. 5. inf.* & Arcadio *l. 16. inf.* ſolis *Copiatis* exceptis hac Conſtantii conſtitutione: & quidem ex poſteriore eiuſdem Conſtantii conſtitutione, ſi exiguis admodum mercimoniis, victum ſibi veſtitumque conquirerent, *l. 15. inf. de Epiſcopis.* Imo & Clericis aliis, ex anteriore eiuſdem Conſtantii *epiſtola* Ann. 343. eadem immunitas tributa, ſi alimoniæ cauſa negotiationem exercerent, *l. 8. infr. de Epiſcopis.* At laxius paulo ex alia eiuſdem Conſtantii *conſtit.* Ann. 357. *l. 14. inf. de Epiſcopis.* Rurſum tandem hactenus ſi exiguis admodum mercimoniis victum ſibi veſtitumque conquirerent Ann. D. 360. *d. l. 15. inf. de Epiſcopis.* Et ita quidem varie Conſtantius, quatuor illis conſtitutionibus, quæ ſuper hac re ab ipſo latæ ſunt; nempe *hac lege* & *l. 8. 14. 15. inf. de Epiſcopis:* ſic quidem vt *hac lege* ſolis *Copiatis* hanc immunitatem tribuat: niſi putemus haud improbabiliter eandem & Clericis & Copiatis *hac lege* immunitatem tribui: quomodo ſane Clericis iam antea tributa fuerat ab eodem Conſtantio *d. l. 8. inf. de Epiſcopis:* & poſtea quoque ab eodem Conſtantio Clerici & Copiatæ eadem immunitate ſimul donati *d. l. 15. inf. de Epiſcopis:* vt perinde ſimul ambulauerint: *Clerici vero, vel hi quos Copiatas recens vſus inſtituit nuncupari*, Vt non improbabili coniectura hic legendum videatur. *Clericos excipi tantum, & qui Copiatæ appellantur.* Quod etiam ſuadeat illud, quod ſi lectioni vulgatæ ſtamus, Copiatæ Clericis connumerarentur, qui tamen ab his ab eodem Conſtantio *d. l. 15.* ſeparantur, vt & ab Honorio *l. 12. ſupr. de Veteranis.* Sed nil temere muto, de quo mox.

Tertio igitur de *Copiatis* iſtis videndum eſt; qui *hoc Codice* nonniſi duabus Conſtantii conſtitutionibus diſerte nominantur: puta *hac leg.* & *d. l. 15. infr. de Epiſcopis*: Ipſe Conſtantius *d. l. 15.* quæ data eſt A. D. 360. tribus poſt *hanc leg.* annis recenter inſtitutos teſtatur; *Vel hi*, inquit, *quos Copiatas recens vſus inſtituit nuncupari.* Ergo Conſtantii ſeculo, qui inde ab A. D. 337. imperare cœpit, inſtituti fuerint Copiatæ. Et tamen Conſtantino M. diſerte Iuſtinianus *Nouella 43.* & *59.* & Leo *Nouell.* 12. Decanorum & Lecticariorum, qui cum Copiatis iidem ſunt, inſtitutionem tribuit. Et vero Balduinus quoque *comment. 1. de legib. Conſtantini pag. 14. Edit. Halens.* hos a Conſtantino inſtitutos cenſet. Etſi ſcio multa in Conſtantini nomen tranſiiſſe, quæ filiorum ipſius erant. Hinc interim apparet, quam vere falſo Ignatio ſuppoſita fuerit epiſtola *ad Antiochenos*, vtpote cum ea *num. 12.* κοπιῶντες hi, cæteris ordinibus connumerentur. Horum officium, erat circa defunctorum obſequia; Epiphanius *aduerſus hæres. lib. 3. in fin.* ſiue *in breui cathol. & Apoſtol. eccleſ. fidei expoſitione num. 21. in fin. pag. 1104. Tom. I. Oper. Edit. Colon.* Κοπιαταὶ, οἱ τὰ σώματα περιστέλλοντες τῶν κοιμωμένων, *Copiatæ, qui mortuorum corpora curant.* Gloſſæ Philoxeni: *Biſpelliones*, νεκροθάπται, κοπιᾶται. De iis vid. & *Nouellam Iuſtiniani 59. cap. 2.* Quare hi illi ſunt, quos Clericis ſociat Honorius *l. 12. ſup. de Veteranis*, & *infauſtis defunctorum obſequiis occupatos*, vocat. *Et quoniam plurimos*, inquit, *vel ante militiam, vel poſt inchoatam, vel peractam, latere obiectu piæ Religionis agnouimus: dum ſe quidam vocabulo Clericorum, & infauſtis defunctorum obſequiis occupatos, non tam obſeruatione cultus quam otii & ſocordiæ amore defendunt.* Hieronymus diſerte, vt videtur Clericis eos connumerans, ita deſcribit *Epiſt. 49. ad Innocentium de muliere ſepties icta, Tom. I. Oper. pag. 153. Edit Francf. Clerici, quibus id officii erat, cruentum linteo cadauer obuoluunt, & foſſam humum lapidibus conſtruentes, ex more tumulum parant.* Sane & *hac lege* (cuius lectionem temere non mutem) Clericis connumerantur, vt & alia miniſteria Clericorum nomine ſæpe cenſentur: de quo vid. Cuiac. *ad Nouell. 3.* Quia & *l. 16. infr.* quod de Clericis dicitur, quibus Clericorum priuilegia non debentur, id etiam de Copiatis accipio. Ergo *Copiatæ*, ſi non Clerici, Clericis ſaltem proximi: vtpote circa pium defunctorum & ſepulturæ officium occupati: ſicut pars hæc non pietatis tantum in commune, vt iam olim; verum etiam cultus pars haberi cœperit, vbi multa paulatim pietatis officia, vel ad pietatem irritamenta, in obſeruantiam & cultus partem tranſierunt: de quo alibi. Iidem & *foſſarii* dicti, de quibus Auctor *tractatus de ſeptem gradibus Eccleſiæ ad Ruſticum Narbonenſem cap. 2.* inter opera *D. Hieronym. tom. vltim.* & *Tom. IV. pag. 56. Edit. Francf. apud. Chriſt. Genſch.* Eoſdem Liturgiæ Baſilii & Chryſoſtomi, a reliqua plebe diſtinguunt, & eos ante Cantores nominant. Porro dicti *Copiatæ* communi ſententia hactenus, tanquam ſi diceres, *Operarios, Laboratores*, ἀπὸ τοῦ κόπου, καὶ κοπιᾶσθαι. Ego non minus quoque malim ἀπὸ τῆς κοπίας, ſeu κοπάζειν, quod ſignificat *quietem*, & *quieſcere*; Heſychius κοπίασ, ἡσυχίασ: κόπασον, ἡσύχασον: qua voce & alii vtuntur; Ariſtoteles, & Euangeliſtæ aliique. (a) Addat & tertium

(a) Adi etiam *CL. DV FRESNE in Gloſſar. vtroque, voc.* Κοπιατὴς, *Copiata, Foſſarius.*

tium aliquis, ἀπὸ τῦ κοπέζῦ, id eſt, a planctu & lamentatione. Mihi illa a quiete deriuatio veroſimilior, & Chriſtianæ formulæ vicinior, placet: qua mortui, quieſcere, conditoria eorum cœmiteria dicta. Et ſane Epiphanii definitio eo alludit. Dicti iidem & *Lecticarii*, de quibus alii.

Inſtituti porro hi primum Romæ mihi videntur, quo *hac lex* pertinet, vt docet eius ſubſcriptio, *Acc. Romæ*: & per Italiam, quo referenda *d. lex 15. inf. de Episcopis*: quæ data ad *Taurum* PP. Italiæ ſcil. in qua & Ariminenſis Synodi mentio fit. Mox peruagatus hic mos & per Gallias: quo pertinere autumo *leg. Honorii 12. ſup. de Veteranis*: quæ inſcribitur *Stiliconi Magiſtro vtriuſque militiæ.*

Obſeruandum & illud, *hanc l.* eo tempore, datam quo Liberio ſubmoto, *Felix* Epiſcopum Romanum agebat; de quo prolixe ad *d. l. 14. inf. de Epiſc.* quæ iſti *Felici* inſcripta eſt. Poſtremum, *hac lege* quam Baronius omiſit, eiusque interpretatione, Annales Eccleſiaſticos deinceps augeri volo. Neque illud omittendum inter initia *huius tit.* occurrere & apud alios Scriptores huius luſtralis collationis teſtimonia, veluti apud Baſilium *ep. 243.* ſiu. *ep. 88. Edit. Benedictin.* vbi πραγματευτικὸν χρυσίον vocatur; vbi oſtendit quam graue id fuerit, item huic obnoxius fuiſſe etiam, qui ἐν τέλει erant. (*)

(*) Πραγματευτικὸν χρυσίον, ſiue *aurum comparaticium* illud, de quo Baſilius, non videtur de luſtrali conlatione eſſe intelligendum, ſed de eo, quod conferebatur ad veſtes militares comparandas. Vid. Noſtrum ſupra *ad leg. 9. de militar. veſte*, & Garnierium *ad dict. Baſil. Epiſt.*

II. (a) Idem A. & Cæſ. ad Taurum PF. P. (b)

PRÆTER eos, quos manifeſta probatio demonſtrat ſub armis militiæ ſacramenta toleraſſe, quoſque cum requiem ſortirentur, in pecuniarum certo numero immunitatem claruerit conſecutos, vniuerſi qui Negotiandi videntur (c) exercere ſolertiam, ad onus Conlationis (d) adſtringantur. Acc. VI. Id. Iul. Karthagine, Conſtantio A. X. & Iuliano Cæſ III. coss. (360.)

NOTÆ.

(a) Forte *huic* iungenda *lex 15. inf. de Episcopis*: quæ & in eodem argumento verſatur. *GOTHOF.*

(b) Italiæ: quod his ipſis Coſs. docet Ammianus *lib. 21. cap. 6.* docet etiam *huius leg.* ſubſcriptio *Acc. Karthagine*; Africa quippe ſub PP. Italiæ fuit. Eidem hoc Anno inſcribitur, quæ in eodem argumento verſatur, *lex 15. inf. de Episcop.* quam parum abeſt, quin *huic l.* coaſſandam putem. *ID.*

(c) Exerceant: ſimiliter *l. 5. inf.* *ID.*

(d) Luſtralis. *ID.*

COMMENTARIVS.

VETERANOS ſolos, veroſque, a luſtrali collatione immunes eſſe iubet Conſtantius A. D. 360. De qua Veteranorum immunitate ſunt in vniuerſum quoque *hoc Codice* conſtitutiones: puta Conſtantini M. *lex 3. ſup. de Veteranis.* Hæc *noſtra* Conſtantii, Valentiniani Senioris *lex 9. ſup. de Veteranis*: & *lex 7. inf. hoc titulo.* Valentiniani Iunioris *lex 14. inf. hoc tit.* Neque tamen ſimpliciter & abſolute Veterani immunes fuere: Nam & Conſtantinus M. *d. l. 3. ſup. de Veteranis*, centum folium ſummam tantum eos habere immunem permiſit. Quod ipſum vel certe huic proximum eſt, quod *hac leg.* Conſtantius definit. *Quos*, inquit, *cum requiem ſortirentur, in pecuniarum certo numero immunitatem claruerit conſecutos.* At Valentinianus Senior, *d. l. 9. ſup. de Veteranis*: in vniuerſum immunes eſſe iuſſit, & quidem, addit ille, *ſecundum veterem conſuetudinem parentum noſtrorum*, id eſt, anteriorum Principum Conſtantini & Conſtantii, cum tamen non tam effuſam illorum liberalitatem fuiſſe iam oſtenderimus. Quid porro ſuper hoc Valentinianus ſtatuerit, *l. 7. infr. hoc tit.* quid Valentinianus Iun. *l. 14. infr. hoc. tit.* ad eas dicetur.

Duo ad *hanc leg.* adhuc notanda, primum, *huic leg.* coniungendam videri, vel ſaltem proximo confinio cohærere *l. 15. inf. de Episcopis*: quæ hoc ipſo *Anno* data, ad eum ipſum *Taurum PP.* ſuper hoc ipſo etiam *argumento*. & Clericorum inquam, & Copiatarum a luſtrali collatione immunitate.

Secundo videri hoc tempore luſtralem collationem indictam, & quidem iuuandæ erogationi publicæ ſeu militari: quo tempore Conſtantius difficillimo bello Perſico maxime inligatus erat, atque in id magnos belli apparatus facere neceſſe erat: de quo vide hoc Anno Ammianum *lib. 19. & 20.* & Zoſimum *lib. 3. cap. 3.* (*) Quo etiam pertinet *lex 6. ſup. de erog. mil. annona*, quæ hoc ipſo Anno (menſe ſuperiore) data Hierapoli.

(*) Sed forte alia ſubeſt cauſa. In annum ſuperiorem enim Conſtantii *quinta Quinquennalia* inciderunt, quo anno cum Conſulatum non iniit, ſed hoc demum, videtur ea in hunc diſtuliſſe.

III. (a) Idem A. ad Senatum.

RVSTICANOS colonoſque Veſtros (b) inter negotiatores deſcribi non oportet ſcilicet, ſi nequaquam exercent negotiationis induſtriam. Siquidem in eo negotiatio-

tiationem & mercimonia non oporteat æstimari, si ea homines Vestri, ac Rusticani, etiam in vestris possessionibus commorantes, distrahant, quæ in his terris, quas incolunt, atque in eodem rure gignuntur. Dat. (c) V. Non. Maii, Tauro & Florentio coss. [361.]

NOTÆ.

(a) Iungendæ *huic l.* sunt complures aliæ, numero octo, puta *lex* 12. 13. *sup. de Pretorib. lex.* 1. *sup. de Protostasia, lex.* 48. *de Decurionib.* Item *lex* 1. *sup. de metatis: lex* 7. *sup. de annona & tributis. l.* 1. *sup. de publica compar. lex* 7. *inf. de operibus publicis.* GOTHOF.

(b) Senatorum. *ID.*

(c) Locus additus in *d. l.* 12. *sup. de Pretorib. Gifyra*: Quod XXII. ab *Antiochia* (vbi hoc anno Constantium fuisse, Ammianus, Socrates, & *lex* 16. *inf. de Episcopis* testantur), lapide notatur in Tabula *Peutinger. IDEM.*

COMMENTARIVS.

RVSTICOS, COLONOS in terris quas incolunt, nata vendentes, a lustrali collatione immunes esse iubet *hac leg.* Constantius: pariter vt Valentinianus Senior *l.* 6. 8. 10. & Valentinianus Iun. *l.* 12. 13. *infr.* Tot scil. de hac αὐτοπέλαν, immunitate a lustrali collatione constitutiones *hoc titulo* occurrunt; puta sex: Et duæ quidem posteriores, puta *lex* 12. 13. vna cum *l.* 6. sunt de iis, qui non aliorum coloni, verum ipsi fundorum domini per se innocenti industria fructus domesticos suis possessionibus innatos vendunt: Tres vero ex prioribus sunt de rusticis & colonis alienarum possessionum: ac nominatim duæ leges Valentiniani Senioris, puta *lex* 8. & 10. de colonis rei priuatæ, seu dominicarum possessionum: hæc nostra Constantii, est de Rusticis & Colonis Senatoriarum possessionum. Tandem *lex* 6. Valentiniani, est de viris que, tam qui per se, quam qui per *homines* suos negotiantur. Omnes hi ex æquo a lustrali collatione
P. 7. immunes erant. Hac ratione, quæ redditur *d. l.* 6. quia hi *non tam mercatorum loco haberi debent, quam solertium strenuorumque dominorum.*

Notandæ igitur hæ *sex leges huius tituli*: puta *lex* 3. 6. 8. 10. 12. 13. & ad praxim deducendæ, in quæstione, *An solitus vendere fructus suos, dicatur mercator, & eius rei nomine Gabella debeatur, quæ alias soluitur ex venditione mercium?* de qua post Bartol. Paul. de Castr. Panormitanum, Francisc. de Claperiis *causar. fiscal. causa* 35. *quæst.* 7. quam in rem alioquin allegatur *lex*, 4. §. 1. *D. de penu leg.* quæ tamen ad rem nihil facit: ibi enim tantum fit oppositio eorum, quæ paterfamilias ex fructibus suis vel mercator vendere solebat, & promercii causa habebat, & quæ in penum sibi separabat. Et vera est Claperii doctrina, vt quis dicatur Mercator, duos contractus desiderari; vt ipse primum *emat*, dein lucri gratia ipse *vendat*: Quod diserte comprobat *lex.* 8. 10. 13. neque sufficit, vt *simpliciter* vendat, vt loquitur *lex* 12. *inf.* Quare hæ *sex leges* deinceps ad illius quæstionis decisionem afferri poterunt: ac nominatim in Aquitania; in eo iure & vectigali quod vocant *l'Equiualent*: nam & ibi ad hanc collationem non tenentur, qui vernacula atque in suo nata distrahunt; quam in rem vide Ioan. Philippi *és Arrests de la Cour des Aydes, Article treiziéme.* Nunc de hypothesi *huius leg.*

Nominatim igitur id, quod dixi *hac lég.* constituitur de Senatorum Rusticanis & Colonis: quæ pars est prolixioris Constantianæ orationis *ad Senatum*, de iuribus Senatoriis: Nempe quibus Senatores oneribus subiaceant, veluti Præturæ, de quo est *lex* 12. 13. *supr. de Pratorib.* (quæ tamen ipsa Curiali conditione liberat, *l.* 48. *supr. de Decurion.*) Item Protostasiæ muneri *l.* 1. *supr. de Protostasia.* Quibus contra, immunitatibus gaudeant: nempe Metati, *l.* 1. *sup. de Metatis*: a tributis pro Colonis profugis, *l.* 7. *supr. de annona & tributis*: a Synonero, *l.* 1. *supr. de publ. comparatione*: a collatione ad opera publica, quæ Iudices æstimant in vrbibus ædificanda, *l.* 7. *de operibus publ.* quæ octo *leges* omnes ex eadem Constantii *Oratione ad Senatum* desumptæ, *huic nostræ* coniungendæ seu confundendæ sunt, & quidem ita argumenti quoque paritate sociandæ veniunt. Ergo Senatorum quoque Rusticani & Coloni αὐτοπέλαι a lustrali collatione immunes sunt: si modo ea tantum, quæ in his possessionibus, & in eodem rure, in quibus commorantur, distrahant: non vero si negotiationis industriam exerceant. Quod vtique cum domini, Senatoria potentia freti, per hos facerent, vel facile facere possent in fraudem Fisci, a Constantio distinctio hæc adhibita.

IV. (a) Imp. IVLIANVS A. Secundo PF. P. (b) Post alia.

DECVRIONES, (c) qui vt Christiani (d) declinant munia, (e) reuocentur. Et ab auri atque argenti præstatione, quod Negotiatoribus indicitur, Curiæ (f) immunes sint: Nisi forte. Decurionem aliquid mercari constiterit: ita vt Ordines (g) ciuitatum ex huiusmodi reliquis sarcinarum (h) (vt iam diximus) amoueantur PP. (i) III Id Mart. Constantinop. Mamertino & Neuitta coss. [362.]

NOTÆ.

(a) Repetita hæc lex *l.* 50. *supr. de Decurion.* Sed altero capite ibi amplior. Et iungenda ei est *lex* 10 *supr. de extraordinar.* & *lex* 1. *supr. de Protostasia. l.* 1. *supr. de locat. fundor.* Imo procul dubio & *lex* 1. *supr. de auro Coronar.* GOTHOF.

(b) Ita

(b) Ita quoque *dictis legibus* : vna *l. 2. de Protostasia* excepta, vbi scriptum *Sallustio PP.* Verum idem semper est. Ammianus *lib. 22. cap. 3. Breui deinde Secundo Sallustio promoto Praefecto Praetorio. ID.*

(c) Fugitiua est hæc prior sententia ab *hoc titulo* ; quare eam explico ad *l. 50. tit. de Decurion. supr.* vbi ea re petita. *ID.*

(d) *Christiani* pro *Clericis*, *h. t.* & *l. 5. infr.* vbi dicam, & aliis *legibus*. *ID.*

(e) Curiarum, seu Curias. *ID.*

(f) Ordines Ciuitatum. *infr.* *ID.*

(g) Curiæ, *supr.* *ID.*

(h) *Ex huiusmodi sarcinarum reliquis.* De *sarcina* voce in re tributaria, v. *Gloss.* *ID.*

(i) In aliis *legibus Dat.* *ID.*

COMMENTARIVS.

CVRIAS ipsas Ciuitatum a lustrali indictione immunes esse iubet *hac leg.* Iulianus : & *l. 50. supr. de Decurionib.* vbi hæc *lex* repetita extat : Idque etiam Honorius definit, *l. 17. infr. hoc tit.* Et Iulianus quidem id ita iubet ; nempe quod ea collatio sub Constantio Imp. Curiis indicta fuisset, sic vt reliqua quædam eo nomine a Curiis deberentur. Quare & reliquorum indulgentiam, & huius indictionis immunitatem in posterum Curiis tribuit hac constitutione quæ prolixioris constitutionis ad *Secundum Sallustium PP.* datæ, pars est : Qua in vniuersum Iulianus, indicto Christiano nomini & Constantinianis (vel vt Antiocheni dicebant χ & κάππα,) odio, vetera iura, abolitis Constantinianeis, & Constantinianis restitutum iuit ; ac nominatim circa Senatores, & ciuitates earumque Curias. Hinc adeo possessiones publicas ciuitatum (proculdubio agonotheticas iurisque Templorum, ludis in honorem Deorum, & ædificiis sacris fartis tectis destinatas) *Ciuitatibus RESTITVI* iubet, *l. 1. supr. de locat. fundorum.* Hinc a *Senatoriis* domibus prototypias & exactiones plebeiæ capitationis SVBMOVERI iubet, *l. 2. supr. de Protostasia.* Hinc Extraordinariorum munerum a Principe indictorum immunitatibus (proculdubio quæ *Clericis* tributæ) reuocatis, cunctos possessores ea implere pariter compelli iubet : *l. 10. supr. de extraordinar.* Hinc Aurum Coronarium *Senatoribus* vel aliis indici vetat, *l. 1. supr. de auro coronario.* Quæ *leges* omnes ex eadem constitutione desumptæ, *huic* nostræ coassandæ veniunt. Hinc denique *Decuriones*, vt Christianos, id est, Clericos munia Curialia declinantes, reuocari iubet *hac leg.* quæ repetita extat *d. l. 50. de Decurionib.* ad quam de eo dico prolixe, vbi in eam rem Libanii locum insignem adduco, ex eius *orat. in Iulianum to. p. 296. 297. Edit. Morell.* ex Iuliani ipsius *ep. XI. ad Byzantios* : & Sozomeni *lib. 5. cap. 5.* Ammiani *lib. 21. c. 12.* & *lib. 25. c. 4.* Philostorgii *lib. 7. cap. 4.* Hinc tandem Curiis, & in- p. 8.
dulgentiam Reliquorum, & immunitatem a lustrali indictione tribuit : quæ a Constantio proculdubio Curiis indicta fuerat : vt cæteroquin Curiis grauia onera indicta a Constantio, vtpote Paganis : contra a Iuliano subleuatæ, vt tales : de quo ad *d. l. 50. de Decurionib.* Proculdubio Constantius Curiis hanc collationem indixerat, quod in commune ferme Curiæ negotiationem exercerent ; & quidem frumenti : vt colligitur ex *l. 8. D. ad municipal.* & *l. 5. D. de administr. rerum* : & *l. 3. D. ad leg. Iul. de annona.* Sed temperamentum hoc Iulianus secutus, vt Curiis immunitatem daret, etsi negotiarentur, at non & Decurionibus, si ipsi negotiarentur *hac leg.* quæ repetita *l. 50. supr. de Decur.* Sicut e conuerso statutum a Valentiniano Sen. vt non ideo minus quis ad Curiam ceu possessor prædiorum vocari possit, quod iam lustralem collationem vt negotiator soluat, *leg. 72. supr. de Decurion.*

V. (a) Impp. Valentinianus & VALENS AA. Secundo (b) PF. P.

NEGOTIATORES, si qui ad domum nostram pertinent, si modo mercandi videantur (c) exercere solertiam : Et Christianos, (d) quibus si verus est cultus, adiuuare pauperes & positos in necessitatibus volunt : (e) Potiorum (f) quoque homines vel potiores, si possis (g) tamen his mercandi cura est, ad necessitatem pensitationis (h) adhibeas ; (i) præsertim, cum Potiorum quisque, aut miscere se negotiationi non debeat, aut pensitationem debeat, quod (k) honestas postulat, primus agnoscere. Dat XV. (l) Kalend. Maii, Constantinop. Diuo Iouiano & Varronio COSS. [364.]

N O T A E.

(a) Hinc interpolata est, & in alium plane sensum detorta, (sic vt ad lustralem collationem referri nullo modo possit) *lex 1. Cod. Iust. de Episcop. aud.* Sed & *l. 1. Cod. eod. de commerciis & mercatoribus*, vt Cuiacius iam recte indicauit *initio tituli de lustral. auri collat.* Omisit *hanc leg.* Baronius, qua tamen augeri Annales Ecclesiastici possunt. GOTHOF.

(b) Perperam *d. l. 1. Cod. Iust. de Episcop. aud.* vt & *d. l. 1. Cod. eod. de Commerciis*, inscriptum, ad Iulianum *Comitem Orientis* : Qui sane etiam Iulianus Comes Orientis iam anno superiore 362. sub Iuliano Imp. mortuus fuerat, Arcadiumque Rufinum in ea dignitate successorem habuerat, vt testatur Ammianus Marcellinus *lib. 23. cap. 1.* *ID.*

(c) id est, exerceant : similiter *l. 2. sup.* *ID.*

(d) id est, Clericos, de quo mox. *ID.*

(e) *γρ. Votum*, *ἐπαγγελία* professio: vel *vot'Vm*, id est, *votiuum*, scil. est. Neque quicquam prætereo mutandum: Mol. nardi excerpta tentabant, *si possunt volunt*: reductis huc vocibus illis, quæ mox alieno loco posita illi videbantur, *si possis*. *ID.*

(f) Neque hoc mutandum in *potentiorum*, & mox, *potentiores*, mox vt ostendam: etsi ita immutatum *Cod. Iust. d. l. 1. de Commerciis*. *ID.*

(g) An *potior*? alii tentant. *paucis*. *ID.*

(h) Lustralis. *ID.*

(i) Adigas. *ID*

(k) Mallem ad superiora ita reuocari hæc verba, *cum potiorum quisque aut miscere se negotiationi non debent, quod honestas postulat*, *aut*, &c. Sed tamen nil muto, nam & ita habet *d. l. 1. Cod. Iust. de Commerciis*. *ID.*

(l) Ita quoque *d. l. 1. Cod. Iust. de Commerciis*. At in *l. 1. Cod. eod. de Episcop. aud.* perperam variat ita, *Dat. XV. Kal. Mart. Constantinop.* mox alius ibi Consulatus adnotatus, *Valentiniano & Valente AA. Coss.* id est, annus proxime sequens; non vero, quod quidam notarit, quartus ab hoc. *ID.*

COMMENTARIVS.

TRIA hominum genera, qui sibi lustralis collationis IMMVNITATEM iure quodam suo vindicare volebant, nihilo secius, atque alios negotiatores ad eam præstandam hac constitutione sua adigit Valens Imp. Anno D. 364. Ex qua quidem Tribonianus *duas leges* deformauit, puta *legem 1. Cod. Iust. de Episcop. aud.* & *legem 1. Cod. eod. de commerciis & mercatorib.* Illius verba hæc sunt: *Negotiatores, si qui ad domum nostram pertinent, ne modum mercandi videantur excedere, Christiani (quibus verus cultus est adiuuare pauperes & positos in necessitate) prouideant (Episcopi.)* Hæc vox abest a MSS. teste Contio. Istius hæc: *Negotiatores, si qui ad domum nostram pertinent, Potentiorum quoque homines necessitatem debitam pensionum, vt honestas postulat agnoscere moneantur: vt per cunctos qui emolumenta negotiationibus captant, tolerabilis fiat agnoscendæ deuotionis effectus.* Ex *hac* inquam *lex* manifestissime ex *hac* nostra interpolata est: etsi in *subscriptione* varietas sit, etsi materia diuersa sit. In quarum *legum* sententia adsequenda multi multo frustra moliuntur: In his Duaren. 1. *Anniuersar. 57.* Non iam reprehendo quod vtramque ita concinnauerit, vt noluerit eam ad lustralem collationem referri, quæ vtique tum sublata erat: sed ita innotam *leg. 1. C. de Episc. aud.* vt alio omnia dicat, hoc scilicet Christianos Episcopos curare debere, vt ne Negotiatores etiam ad domum Principis pertinentes in mercando modum excedant. Hæc enim *legis* illius ex Triboniani mente sententia est: quæ per se non adeo abluderet a sæculo Valentis quoque; quo iam Episcoporum sollicitudini multa in politia commissa. Quod cum nescirent quidam, ita opinati sunt, id de Episcopis accipiendum, de quibus *l. vltim. §. 7. D. de munerib. & honor.* Alii aliter *hanc leg.* interpretati sunt. Mirum itaque minus mihi videretur a Triboniano, eo quo dixi sensu interpolatam hanc *legem*, pro ea quam acceperat potestate, si modo scirem eum priorem *huiusce legis* partem intellexisse: quam eum nunquam cepisse certius sum: vtpote qui neque satis integram sibique constare putauit, neque intellexit, quid per *Christianos* hic intelligendum esset: In quo & hodie cæcutiunt omnes: quo factum, vt ad *audientiam Episcopalem* & titulum de ea eam traxerit, & modum seu fibulam negotiatorum lucris ea imposuerit. Sed tamen hæc omnino Triboniani *ea leg.* sententia est, quam ex *huius leg.* nostræ sensu hodie explicari non patior, quasi *ea leg.* id ipsum dicatur; quod *hac leg.* nostra. Neque potior proscribi Glossatores, qui recte secundum Triboniani sensum, imo verba apertissima, eam interpretati sunt. Et error est Leonclavii 1. *notat. ad Paratitla Gr. p. 193. & pag. 1295 T. II. Biblioth. Iur. Can. Hen. Iustell.* qui Græcos *legem* illam ita accepisse putat, vt hic accipitur. Verum equidem est, Græcos quam *legem* sub *tit. de Episcopali aud.* in Indice *libri primi* vno verbo tradunt tractare, *περὶ τελῶν*, id est, *de* P. 9.
vectigalibus, eam ita vertere, *εἰ καὶ τῷ θείῳ οἴκῳ διαφέρωσιν οἱ πραγματευταὶ, διδόασι τὰ πραγματευτικὰ τέλη*, *etiamsi negotiatores ad diuinam domum pertinent, negotiatoria tributa præstant.* Verum non illam *legem 1. de Episcopali audientia*, ibi verterunt, ex qua nullum sensum eruere poterant, quomodo huius nostræ sensum Tribonianus non cepit: verum eius loco, summam *legis 1. Cod. Iust. de commerciis*, quam congruere videbant, quæ perspicue *περὶ τελῶν* est, & de *πραγματευτικοῖς τέλεσι*. *Necessitatem*, inquit, *lex* illa, *debitam PENSIONVM agnoscere moneantur.* Contra, quis quæso verba illa, *ne modum mercandi videantur excedere*, quæ *illa lege 1. Cod. Iust. de Episcop. aud.* extant, diuinare potuerit, imo detorquere ad tributa, quæ ipsi mercatores soluere debuerint? Sic vidimus Triboniani infelicitatem in priore *huius l.* sententia non assequenda, & eiusdem impolitiam in *l. 1. Cod. Iust. de Episcop. aud.* concinnanda, quæ Græcis *illius legis* loco, clarioris alterius substituendæ occasionem dedere.

Nunc ad rem. Tria hominum genera, vti dixi, quæ iure quodam & priuilegio personali immunitatem sibi lustralis collationis vindicabant, eidem obnoxia reddit Valens: Ad domum Principis pertinentes, Christianos, & Potiores: hi potentia freti: medii, cultus reuerentia; primi, Principis maiestate. Quæ omnia hac parte perperam obtendi negat, rationibus vbique additis. Prius perspicue videndum nobis est, quænam illa tria hominum genera fuerint.

1. *Ad domum Principis pertinentes, hac l.* & iterum, *l. vlt. infr. hoc tit.* sunt non tantum coloni rei priuatæ Principis, de quibus *l. 8. & 10. infr.* vel conductores domuum Principis; verum etiam Palatini, in ministerio citeriore principis versantes: quo ipso sensu accipiendi & in *l. 2. de frum. Vrb. Const.* vbi dicitur, *nulli ne diuina quidem domui nostra frumentum, de horreis publicis pro annona præberi oportere, sed panem coctum:* id est, ne Palatinis quidem; nam & his annona ciuica data: *l. 7. infr. tit. de annonis ciuicis*; non vero quod sciam, actoribus, colonis, conductoribus rei priuatæ.

2. *Christiani hac leg.* non sunt, qui Christianam Religionem profitentur, verum Clerici & Ecclesiastici cum voto: *Quibus*, inquit lex, *cultus est*, *&*

votum

votum ſeu *votiuum* quoddam peculiare: nam ita omnino hic ſeribendum; *quibus, ſi verus eſt cultus, adiuuare pauperes & poſitos in neceſſitatibus votum*, vel *votiVm*, id eſt *votiuum*, ſcil. eſt. Ita *Chriſtiana legis votum*, pro Clericatu, *l. 16. infr. de Epiſcop.* & *Chriſtiani* quoque abſolute, pariter vt *hac leg.* audiunt *l. 2. ſup. de Poſtliminio*, (vnde deſumpta, *lex 11. Cod. Iuſt. de Epiſcopali aud.*) & *l. 50. ſupr. de Decurion.* & *l. prox. ſupr.* tandem & *Chriſtianitas* pro Clericatu, *l. 123. ſupr. de Decurion. l. 11. infr. de Piſtorib.* quo ſenſu etiam Galli *Curiam Chriſtianitatis* dixere pro *Curia Eccleſiaſtica*. *Votiuum*, id eſt, votis expetendum & expetitum, vt *l. 1. de feriis: l. vlt. quemadm. mun. ciu. l. 27. de Epiſc. l. 2. de expenſ. lud.*

3. *Potiores* hac *leg.* ſunt, pariter vt *l. 2. ſupr. de publicis comparat.* qui in Prouinciis potiore auctoritate erant; qui vtique poſſeſſores fuerint, vt *dicta lex* 2. oſtendit, *Potiorum tantum, id eſt, poſſeſſorum domibus delegatis*. Potiores potiori auctoritate, quomodo & Ammianus Marcellinus Gentilis Scriptor *lib. 15. cap. 7. in fin.* *Auctoritate potiores æternæ Vrbis Epiſcopos* dixit: quomodo habent conſtanter editi ſcriptique, etiam Cl. Fauchetii propatrui mei. Ergo, *Potiores*, quibus opponuntur infimi, Plebeii, &c. His addantur & altiſſimis dignitatibus decorati, *l. vlt. infr. hoc tit.* Hos igitur omnes luſtrali collationi ſubiicere voluit Valentinianus ſiue Valens *hac leg.* rationibus additis, quæ ipſorum rationes & colores retunderent.

1. Nempe, ad domum quoque Principis pertinentes ei ſubiacere oportere, quod ea res non ſpectet Principis perſonam, verum mercandi ſolertiam, quæ a quocumque tandem exerceatur, negotiatorem conſtituit, & ſic negotiationis ſarcinæ obnoxium. Id quod etiam ſtatuitur a Theodoſio Iun. ſaltem circa domum ſotorum Principis, *l. vlt. infr.*

2. *Clericos* quoque negotiantes hanc collationem deſugere non debere aiunt Impp. (de quo ſemel plene dictum ad *l. 1. ſupr. hoc tit.* & ad *l. 11. infr.*) vtpote cum neque ſibi negotientur, verum pauperibus; quoniam ſi verus eſt eorum cultus, id eſt ſi veri ſint Clerici, *votum* hoc eorum eſſe oportet, vt pauperes & in neceſſitatibus poſitos adiuuent. Hæc inquam ratio eſt Imperatorum *hac leg.* cum tamen ex hac ratione contrarium eduxerit antea Conſtantius, *leg. 10. infr. de Epiſcopis*: nempe ideo Clericos negotiatorum diſpendiis minime obligati oportere, *cum certum ſit*, inquit, *quæſtus quos ex tabernaculis atque ergaſteriis colligunt, pauperibus profuturos*: & rurſum idem ad Felicem Epiſcopum Romanum, *l. 14. d. tit. de Epiſcop.* *Si quid eum vel parſimonia, vel prouiſione, vel mercatura honeſtati tamen conſcia congeſſerint, in vſum pauperum atque egentium miniſtrari oportet, aut id, quod ex eorundem ergaſteriis vel Tabernis conquiri potuerit & colligi, collectum id Religionis æſtiment lucrum.* Quibus adde eandem rationem, quam ad Monachorum immunitatem fundandam affert Baſilius, *Ep. 304 ſiu. 284. Edit. Benedictin.* ad quendam cenſitorem; τοὺς πάλαι μὲν ἀποταξαμένους τῷ βίῳ, νεκρώσαντας δὲ ἑαυτῶν τὸ σῶμα ὡς μήτε ἀπὸ χρημάτων, μήτε ἀπὸ τῆς σωματικῆς ὑπηρεσίας δύνασθαί τι παρέχειν τοῖς δημοσίοις χρήσιμον, ἀφιέναι τῶν συντελειῶν· καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ κατὰ τὸ ἐπάγγελμα ζῶντες, οὔτε χρήματα ἔχουσιν, οὔτε σώματα· τὰ μὲν εἰς τὴν τῶν δεομένων κοινωνίαν ἀποκτησάμενοι, τὰ δὲ ἐν νηστείαις καὶ προσευχαῖς κατατρίψαντες: *qui iam olim ſeculo nuntium miſerunt, ac ſuum ipſorum corpus ita mortificarunt, vt neque pecuniis, neque corporeo labore quidquam prodeſſe publicæ rei poſſint, tributis eximantur. Enimuero, ſi modo ſecundum profeſſionem viuant, neque pecunias, neque corpora habent, cum illas nimirum in egenorum vſus profuderint, hæc vero ieiunando & precando contriuerint.* Qui locus *huius leg.* verbis apptime connenit. Nempe eadem ratio ad diuerſa momentum facit, pro rerum ſtatu: ſcilicet modicam adhuc negotiationem exercentibus Clericis, item Clericis, non quæ ſua ſunt quærentibus, ſed votum ſuum reuera implentibus, ratio illa facere debuit, vt a luſtrali collatione immunes eſſent: at verſis iam rerum vicibus, vbi videlicet iam negotiationem ἐμπορικὴν ſectarentur, atque in vſus ſuos & priuatos Clerici quæſita, vel abſumerent vel reconderent, ratio hæc facere debuit, vt luſtralem & ipſi collationem præſtarent cæterorum more. Cæteroquin notum & illud Proſperi *lib. 2. de vita contemplat. cap. 9. pag. 64. Tom. VIII. Bibl. Patr.* *Eccleſiaſticas opes egenorum eſſe patrimonio.* Porro ad hanc quoque luſtralem, quæ a Clericis exigebatur, collationem pertinet meo iudicio *epiſtola 197. Gregorii Nazianzeni*.

3. Tandem & *Potiores*, Potiorumque *homines* luſtrali collationi obnoxios eſſe oportere aiunt Imperatores, quia aut miſcere ſe negotiationi omnino non debeant, aut ſi ſeſe immiſceant, honeſtas poſtulet, vt ii primi agnoſcant: ſcilicet & inde factum poſtea, vt Honorius *l. 3. Cod. Iuſt. de commerciis & mercatoribus*, prohibuerit nobiliores & honorum luce conſpicuos & patrimonio ditiores perniciosum vrbibus mercimonium exercere, vt inter Plebeios & negotiatores facilius eſſet emendi vendendique commercium.

Illud monendum ſupereſt, hanc *legem* Valentiniano quoque tribui poſſe, non modo Valenti; quia etſi Valens a fratre iam adſumptus erat, atta- P.10.
men nondum inter eos diuiſum hoc tempore imperium fuerat, verum arbitrio Valentiniani res gerebatur, vt ſcribit Ammianus Marcellinus *lib. 26. cap. 5. init.* Valentiniano Conſtantinopoli conſtituto, vbi *hæc lex* data, pariter vt *lex 3. ſup. de iis qui adminiſtr.* Hinc igitur iam apparet, Pancirolum erraſſe *II. Var. cap. 172.* cum ſeriberet *hanc leg.* ſic corruptam eſſe, vt vix aliquis ſenſus inde poſſit elici.

VI. Idem AA. ad Florentium (a) Com. S.L.

Avrvm mercatoribus atque argentum, quo erogatio (b) publica iubetur, (c) indiximus. Igitur exceptione immunitatis nullus vtetur. Omnium enim regionum huiuſmodi (d) homines, omnium dignitatum, hanc virilem iuuandæ Reipublicæ partem, ſine aliqua priuilegii venia, iuſſimus ſuſtinere. Exceptio autem eos tantummodo in hac communi fere ſorte defendet, qui proprio iure (e) per ſe aut homines (f) ſuos, qui euidentiſſime cognoſcuntur negotiantes, non tam mercatorum loco haberi debent, quam

folertium ftrenuorumque dominorum. Dat. VI Id. Septembr. Diuo Iou. & Varroniano Coss. [364.]

NOTÆ.

(a) Eidem *Florentio Com. S. L.* infcribitur Ann. 36.. prox. *l. 3. fup. de immunit. concessa:* & Anno ab hinc altero 366. *lex* 11. *fup. de fusceptoribus.* GOTHOFR.

(b) Intelligit vel maxime erogationem militarem: ita Libanius *Orat. in Florentium p.* 428. *Edit. Morell.* de hac luftrali collatione agens, *τῷ πολέμῳ δεομένῳ χρημάτων, cum bellum pecuniis egeret.* IDEM.

(c) *Iubetur*, pro *iuuetur*: Ita mox: *hanc virilem iuuandæ Reipubl. partem iussimus sustinere.* Ita & *l.* 19. *inf. de Paganis & rem annonariam iubent*: vnde perperam fecere *iubente.* ID.

(d) Mercatores. ID.

(e) γρ. Rure. ID.

(f) Ita l. 3. fup. *Homines vestri ac rusticani:* & l. 4. fup. *Potiorum quoque homines:* & l. 7. inf. *Etsi per homines suos id exercent:* & l. 10. inf. de Epifcopis, *ab hominibus etiam eorum, qui mercimoniis student;* & l. 14. eod. tit. *Verum etiam ab hominibus eorundem, qui operam in mercimoniis habent.* IDEM.

COMMENTARIVS.

IMMVNITATES omnes a luftrali collatione quocumque loco, cuiufcumque dignitatis hominibus, τοῖς ἐν τέλει, qui & ipfi huic collationi fubiacebant, vt teftatur etiam Bafilius *epist. 243. fiu. 88. Edit. Benedictin.* conceffas, reuocat *hac leg.* Valentinianus Senior, circa finem Anni 364. Solis Αὐτοπώλαις, fuis terris nata, per fe vel per homines fuos vendentibus, exceptis, & immunibus declaratis, (de quibus iam femel *ad l. 3.* dictum eft:) ratione addita, quam & ibi illuftrauimus & ad proxim. deduximus, quæque hic adhuc magis premenda, & ad praxim deducenda, nempe Negotiatorum fi quæ onera funt, mercatoribus, id eft, merces ementibus vendentibus, imminere debere; non vero iis, qui tantum vendant fua rure nata, *vernacula*, vt eleganter vocantur, *l. 13. inf.* innocenti induftria, *l. 12. inf. hoc tit.* folertium ftrenuorumque dominorum loco. Quo pertinent *fex huius tituli leges:* puta *lex 3. fup.* hæc lex; *lex 8. 10. 12. 13. inf.* Hac ratione quoque priuatorum in vfum vecta a præftationibus immunia funt, *l. 5. Cod. Iust. de vectigalib.* vid. & *l. 203. D. de V. S.* Excipiuntur & *l. 3. fupr. de immunitate concessa*, quæ eidem Florentio Com. S. L. infcribitur Anno prox. militares quidam & in Palatio degentes, quibus id fingulari priuilegio tributum, de quo ad *leg. 15. inf.*

Cæterum & *hæc lex*, vt & *superior*, refpicit ad indictionem extraordinariam luftralem, iuuandæ Reipublicæ & erogationi militari: quod bis *hac lex* inculcat: *Quæ erogatio*, loquit, *publica tuetur*, INDIXIMVS; & mox: *hanc virilem iuuandæ Reipubl. partem, iussimus sustinere.* Nempe, quia hoc tempore velut per orbem vniuerfum Romanum bellicum canentibus buccinis, excitæ gentes fæuiffime limites fibi proximos perfultabant, vt fcribit Ammianus *libr. 26. cap. 4. in fin.*

VII. (a) Idem AA. (b) ad Probum PF. P. (c)

QVi in fudore (d) bellandi ftipendiorum gradus (e) vfque ad Protectores (f) meruerunt, vnius vaginæ (g) pretium, (h) etiamfi aliis mercimoniis ftudere videantur. (i) Si quid autem fupra hunc modum in mercimonii commutatione (k) habeant, pro eo quod amplius potuerit inueniri, ad neceffitatem Conlationis arctentur. Omnes vero omnino, qui alterius (l) nomine (m) dignitatis, emeritæque militiæ honore (n) cumulati funt, etfi per homines (o) fuos id exercent, ad oblationis (p) obfequia adftringantur. PP. Karthagine, Kal. April. Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

NOTÆ.

(a) Eodem die Data Treueris *lex 5. fup. de offic. Rector. prou.* ad eundem Probum PP. item eodem die, Data Treueris *lex 4. eod. tit.* ad Viuentium PP. (Galliarum fcil.) Concordat vero huic *l. lex 14. inf.* & *lex 3. fup. de Testimoniali.* GOTHOFRED.

(b) *Gratiani A. tertii*, nomen *huic l.* adfcribendum: *v. Chronolog.* IDEM.

(c) Illyrici & Italiæ: in qua pofteriore fuit quoque Africa Diœcefis: in cuius Diœcefeos Metropoli, puta Karthagine, hæc lex *Proposita* dicitur. ID.

(d) *Sudor* bellandi. *Sudoris* vox militiæ propria. Ammianus Marcellinus extremo *lib. 15. leui fudore fub Imperium venere Rom.* & aliis profeffionibus quæ militiæ proximæ. Capitolinus *in Maximinis c. 2. in fin. fedecim lixas vno fudore deuicit.* ID.

(e) Decurfu ftipendiorum ordine *d. l. 14. inf.* forte, *gradu.* ID.

P. 11. (f) Vfque ad Protectoris honores. De Protectoribus, *fuo titulo*, fcil. 21. *lib. 7.* ID.

(g) γρ. *Vagena*, id eft, Quinquagenæ: vel *Vndena*, id eft. *Quindena:* illud malim. ID.

(h) Locus eft hic valde corruptus, quem ita reftituere conor *vnius Quinquagenæ*, vel, *vnius Quindenæ expertes fint, etiamsi tales*, &c. ID.

(i) Id eft, ftudeant. ID.

(k) Ita *l. prox. 8. inf. qui merces emendo atque vendendo commutantes.* ID.

(l) Veluti

(l) Veluti ex Tribunis, ex Præpositis, ex Domesticis: vid. *tit. de Testimon.* 21. *supr. lib.* 7. *ID.*

(m) Vmbratili, honorario, emendicato. *ID.*

(n) Vmbratili. *ID.*

(o) Vid. quæ notaui ad *leg.* 6. *supr. h. t.* *ID.*

(p) Lustralis *ID.*

COMMENTARIVS.

VETERANIS negotiantibus immunitas a lustrali collatione *quadam* datur, & quidem Veteranis, quibus PROTECTORIA dignitas concessa est, hac Valentiniani Senioris constitutione Anno Domini 369. similiter vt Valentiniani Iunioris *l. 14. inf.* Honorii *l. 3. supr. de Testimoniali ex Tribunis & Protectoribus.* Imo & Constantini M. *lege 3. sup. de Veteranis.* At non etiam iis, qui honorarios & imaginarios codicillos huius vel alterius dignitatis, citra emeritam reuera militiam, impetrarunt: quæ sententia est *huius leg. in fine:* vt cæteroquin qui huiusmodi epistolas seu Testimoniales ex Protectoribus, vel ex-Præpositis, vel ex-Tribunis reportarunt seu impetrarunt, non decursa militia, non habent ea priuilegia, quæ ii, qui ordine militiæ sub annorum labore decurso ad hos honores peruenerunt; *toto titulo, sup. de Testimoniali ex Tribunis & Protectoribus;* scilicet, Veteranis pro præmio emeritæ militiæ, Testimonialibus, dignitas vel Protectorum, vel Præpositorum, vel Tribunorum dabatur, vt præter *hanc leg.* & *l. 14. inf* docet *lex 2. 3. sup. de diuers. officiis: lex 153. sup. de Decurionib.* & titulus in id expressus *de Testimoniali ex-Tribunis & Protectoribus;* sed & Symmachus *epistola 67. ad Richomerem lib. 3.* & Paulinus *epist. 39. Edit. Paris. siu. 25. Edit. Veronens. ad militem quendam Religiosum, in fin.* quorum verba consignaui *initio tituli illius.* Cuius dignitatis Protectoriæ (concessæ forte Veteranis) & varia alia priuilegia erant: puta, vt in criminibus fori ordinarii præscriptionem haberent, *l. 5. sup. de Veteranis:* vt a verberibus excusarentur, *l. 153. sup. de Decurionib.* vt a sordidis muneribus immunes essent, *d. l. 153.* vt a Tyronum collatione, *l. 18. sup. de Tyron. l. vlt. sup. de Veteranis:* denique vt immunitate gauderent a muneribus personalibus aut ciuilibus, *l. 2. Cod. Iust. de excus. mun.* quæ Diocletiani est; similiter igitur & his lustralis collationis immunitas quædam tributa. Non tamen simpliciter, verum intra præstitutam aliquam summam & *modum*, & vt loquitur Honorius *d. l. 3. sup. de testimon.* a pensionis aurariæ instituta (*præstituta*) summa. Quæ quidem a Constantino M. statuitur centum follium, *l. 3. sup. de Veteranis:* a Valentiniano Iun. quindecim solidorum, *l. 14. inf. hoc tit.* puta vt intra eum modum negotiationis a lustrali collatione immunes essent: vltra eum modum, non item. Sed & *hac leg.* a Valentiniano Sen. *modus* aliquis statuitur, quem Veterani illi immunem haberent a lustrali collatione: quomodo & *modus* aliquis Clericis immunis statuitur, *l. 11. inf.* & Veteranis *l. 14. inf.* Verum quinam ille modus sit, qui *hac leg.* designatus fuerat, hodie non apparet; *Vnius Vagina*, inquit, *pretium, etiamsi aliis mercimoniis studere videantur. Si quid autem supra hunc modum,* &c. Igitur verbis illis: *Vnius Vagina pretium*, necesse est modus statutus fuerit, vt sequentia illa mox ostendunt.

At quid hic faciat *Vagina?* Etsi scio in re nummaria *Siliquæ* nomen vsurpari, quæ alias thecam siue *vaginulam*, qua fructus continetur, significat, teste Seruio *Georg. I. v. 74.* Sed quid hoc ad rem præsentem, cum *siliqua* fuerit tantum vicesima quarta pars solidi? Igitur mihi mens ea, hic reponendum *Vagena;* & mox totum locum ita emendo: *Vnius Vagenæ expertes sint, etiamsi tales mercimoniis studere videantur;* vel *vnius Vagenæ expertium etiam sint: si* &c. *Expertium sint*, id est, expertium numero. *Vagena* porro pro *Quinquagena.* Nempe inter numerorum notas *V.* pro *quinque:* igitur compendiose *Vagena*, pro *Quinquagena;* scilicet vnius *Quinquagesimæ* immunitas hic indicari videtur: pro qua neque portoriam neque lustralem collationem Veterani Protectores soluere debuerint. Certe *Quinquagesimam* negotiatores pendere soliti, & aliquando *Quadragesimam*, portorii nomine. Testis Symmachus *lib. 5. epist. 62.* *Quæstores*, inquit, *ordinis nostri nunquam ferarum suarum portorium contulerunt. Nunc a fratre meo Cynegio V. C. Quæstorio Candidato QVINQVAGESIMÆ vectigal exigitur, quod solos vrsorum Negotiatores, vtpote quæstui seruientes, oportet agnoscere.* Et epist. 65. *QVADRAGESIMÆ portorium (siue vectigal) non recte poscitur a Senatoribus Candidatis. Hoc tibi etiam pro Cynegio V. C. dudum missis litteris indicaui.* Vbi alterutro loco necesse est menda irrepserit, cum de eadem re agatur, non de diuerso portorio: & quidem posteriore irrepsisse puto: nam etsi Quadragesimæ vectigal quoque iam olim fuerit, vt docet Sueton. *Vespasiano cap. 1.* & Caligula, *cap. 40.* Tacitus, *lib. 13. Annal. in rebus Neronis cap. 51.* & Quintilianus *declamat. 359* attamen & Quinquagesima quoque iam olim fuit. Idem Tacitus eodem loco *lib. 13. cap. 51.* *Manet abolitio Quadragesimæ Quinquagesimæque, & quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani inuenerant.* Dio *lib. 55. ad an. V. C. 760.* de Augusto: τὸ τέλος τῆς πεντηκοστῆς ἐπὶ τῇ τῶν ἀνδραπόδων πράσει ἐσήγαγε, *tributum instituit, quod de pretio mancipiorum quinquagesimam partem exegit.* Error igitur natus ex nota numeri. Cuiusmodi errores ex numerorum notis natos notauit Scaliger *in postumo de re nummaria, p. 39.* & *in epistola Paschali* Ambrosii 83. & apud Celsum *lib. 5. cap. 17.* Ex eodem errore, solidus ςάγιον dictus, qui ἑξάγιον dici debuit, quia solidus sexta pars vnciæ erat, de quo ad *l. 1. sup. de ponderatoribus:* nato errore ex nota ς. pro ἑξ. Anonymus *de ponder. & mens.* ἀστάριον, δηνάριον ἤτοι ςάγιον ἓν ἥμισυ: occurrit illic sæpe. Igitur, si emendatio nostra recte habet, tum Valentinianus Sen. *hac l.* Veteranis istis intra Quinquaginta folles negotiantibus immunitatem dederit, ac proinde dimidiam eius tantum, quam Constantinus tribuerat, centum videlicet follium; *l. 3. sup. de Veteranis.* Et ita quidem mihi videtur: etsi forte erit qui arg. *legis 14 inf. hoc tit.* reponere mallet *Vndena*, id est, *Quindena:* vt ita *quindecim* solidorum pariter vt *d. l. 14.* immunitas *hac leg.* Veteranis his tribui videatur. Verum prior emendatio, quæ etiam ad communem lectionem magis accedit, magis quoque mihi probatur.

p. 11. VIII. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Claudium (b) Proc. Afric.

HI tantum ad auri argentique detineantur (c) oblationem, (d) qui merces emendo atque vendendo commutantes, (e) qui (f) in exercitio Tabernarum vsuque versantur: Non etiam Coloni rei nostræ, qui ea distrahunt, quæ in domin[i]cis (g) possessionibus annus tulerit. Dat. VI. Kal. Maii, Triveris, Valentiniano & Valente III. AA. Coss. [370]

N O T Æ.

(a) Concordat huic *l. lex 13. inf.* GOTHOFRED.
(b) *Claudius* Proconsul Africæ sub Valentiniano Sen. Cui præterea inscribitur *lex 18. infr. de Episcopis, lex 11. inf. de Pistoribus, lex 6. sup. de Legatis.* Et *lex 2. Cod. Iust. de priuil. dom. Aug.* (vti edidit Cuiacius) quæ huc forte sociandа est: vbi tamen dignitatis titulus abest. IDEM.
(c) *Detineantur*, pro simplici, *teneantur.* ID.
(d) Eadem oblationis vox occurrit *l. 7. sup.* ID.
(e) Ita & *l. 7. sup. in mercimonii commutatione habeant.* ID.
(f) Vel tollenda hic vox *qui*: vel ita legendum, *commutant & qui*, &c. ID. Ita sensus quidem redditur legi, non vero secundum ipsius verba; quod fieri potest, legendo metum, *qui merces emendo atque vendendo, commutantesque in exercitio tabernarum vsuque versantur.* Iam.que enim euitatur impropria illa locutio *commutare emendo atque vendendo*, quam Gothofredi lectio ingerebat. BEST *Rat. emend. leg. p. 291.*
(g) *Dominicis*, id est, Principis. GOTHOFRED.

COMMENTARIVS.

COLONI rei priuatæ Principis αὐτοπῶλαι, id est, vendentes nata in possessionibus Principis quas incolunt, seu *vernacula* (vt loquitur *lex 13.*) *hac leg.* & rursum *l. 10. infr. hoc tit.* a Valentiniano immunes a lustrali collatione declarantur: Pariter, vt Senatorum Coloni *leg. 3. sup.* pariter vt priuati qui ipsi fundis suis nata vendunt, *l. 6. 12. 13.* Denique hi solum lustrali collationi subiacent, qui merces emendo atque vendendo commutant: & vt quis mercator dicatur, duo contractus desiderantur, vt ipse primum *emat*, dein ipse *vendat*: quod *hac lex* apertissime indicat: & *lex. 10. inf. in fin.* de quo iam ad *l. 3. sup.* & qui in exercitio *Tabernarum* vsuque versantur. *Tabernarum*, scil. negotiatoriarum: vbi merces erant venumque exponebantur: quarum multa mentio in iure. A quibus, vt omittam alias regiones, veluti prope Romam, Galliam, etiam in Africa (quo pertinet *hac lex*) loca designari cœpere: Cuiusmodi hæc in *Tabula Peutingeriana pag. 746. 747. 750. 751, 754. 755. Oper. Marci Velseri*, obseruo: *Au Taberna, Priscu Taberna, Turris & Taberna: Flacci Taberna: ad Cypsaria Taberna, Rufini Taberna.* Et in *Itinerario* Antonini, *Tabernis p. 240. Edit. Wess Ling.* *Colonis* igitur rei priuatæ *hac leg.* consulit Valentinianus: quibus & alia ratione consulit *l. 2. Cod. Iust. de priuil. domus Augustæ*, quæ eidem *Claudio in Edit. Cuiacian.* inscribitur, & forte huic iungenda est: cuius dignitas, etsi in *Inscriptione* non exprimatur; ex parte tamen, ipso *legis* contextu, satis indicatur: & dum *spectabilis sinceritatis* titulo compellatur, & ipsa subiectæ materiæ ratione, vbi agitur de *frumenti* collatione. Colonis inquam rei priuatæ *ea l. 2.* consulit Valentinianus Sen. dum locis solitis proprias functiones seu frumenta in iisdem locis vbi remanent, præberi ab his iubet; non etiam eo vsque portare, quo graue atque damnosum est prouehere: etsi alias quoad Canonicas functiones, eos eadem conditione qua cunctos haberi volui, *leuandorum Prouincialium causa.* Quæ *lex* in summam alioquin eodem pertinet, quo *lex 22. sup. de annon. & tribut.* nempe ne translatio annonarum plus dispendii habeat, quam ipsa collatio.

IX. (a) Idem AAA. ad Leontium (b) Cons. Fœnicis.

OMNES iam nunc (c) studio negotiationis intenti, seu Conchylioleguli, (d) seu ex aliquolibet (e) corpore mercatores, ad pensitationem auri, quod negotiatoribus indicitur, compellantur: *Beneficium* (f) enim *quibusdam datum* (g) *plebis iniuria est* PP. Byrito, (h) prid. Kal. Iul. Modesto & Arintheo Coss. [372]

N O T Æ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFRED.
(b) *Leontius Fœnices* Consularis sub Valente Imp. Ad eum extant variæ Libanii *epistolæ*: inter alias *epist. 566.* quæ incipit χάριν ἔχω: vbi de Sidoniis: & de quodam nominatim *Sidonio* agit: Huiusque Leontii tangit administrationem ἀρχήν, laudesque eius & egregiam administrationem prædicat. IDEM.
(c) *Iam nunc*, id est, ex die præsenti continuo, deinceps, indubitate *hac leg.* & *l. 1. supr. de offic. Rector. Prouinc. l. 2. supr. de Palat. S. L. l. 17. sup. de Tyronibus: l. 2. sup. de Veteranis: l. 31. sup. de annona: l. vlt. sup. de collat. donat.* ID.
(d) De his *suo titulo sup. lib. 10. de Murilegulis*: vbi *l. 5. Conchylegulі* dicuntur, in *l. 17.* pariter *Conchylioleguli.* ID.
(e) Id est, alio quocumque. ID.
(f) *Beneficia*, id est, immunitates, *h. l.* & *l. 26. supr. de annona: l. 18. supr. de extraordin.* & alibi. Vid. *Gloss.* ID.
(g) De hac odiosa vectigalium immunitate quibusdam data, *v. Forner. 1. select. 20. pag. 30. Tom. II. Thes. Iur.* & nos multa *supr. tit. de immunit. conc. aliisque locis.* ID.
(h) Hanc *subscriptionem* mox perpendo, & cum *Inscriptione* compono. ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

P. 13. CVIVSCVMQVE Mercis Negotiatores lustrali collationi subiacere iubet *hac leg.* Valens Imp. Ann. D. 372. Atque ideo beneficia, id est, immunitates quibusdam negotiationibus, vel quibusdam Corporibus datas, *hac leg.* reuocat, sic vt *omnes* deinceps negotiatores huic collationi obnoxios esse velit. Ac nominatim quoque Conchyliolegulos, qui scil. conchyliorum negotiationi intenti erant: de quibus *suo titulo, lib. 10. de Murilegulis.* Quod accipiendum non est de illis Conchyliolegulis, seu familiis Conchylegulorum, vel Conchyliolegulorum, qui huic conditioni adstricti, in Principis vsu erant: de quibus proprie *eo titulo*: verum de liberis negotiatoribus, & mercatoribus. Hi scilicet immunitatem a lustrali collatione aliquando impetrasse videntur singulari quadam istius mercis prærogatiua, tanquam eximiæ cuiusdam mercis non Plebeiæ negotiatores, quomodo *Librariam*, & *Vitrariam* mercem hodie immunem videmus: quam immunitatem reuocat *hac leg.* Valens Imp. Ratione ea addita, quæ satis perspicua, quamque alibi iam sæpe expendi. Et hæc quidem ita Valens *hac leg.* emissa ad *Leontium Consularem Fœnices*, de auro lustrali: qui ipse alioquin Leontius egregius auri spretor fuit, & ob egregiam administrationem summopere laudatur in Libanii *Epistola ad eum 966. Edit. Wolfii*, quæ est in *MS. Regio 939.*

Illud summopere notandum, pertinere *hanc leg.* ad Fœnicem: vbi hæc merx, & baphia purpuraria, vt late ostendo ad eum *tit. de Murilegul.* Quare & *hac lex* Leontio Consular. Fœnices inscribitur, simul & Proposita *Byrito* dicitur, quæ vrbs Byritus, etsi hac tempestate Phœnices Metropolis non erat (erat enim *Tyrus* Metropolis) attamen frequentissima mercatoribus, atque omni hominum genere erat. Quare etsi Constitutiones Principum ad Fœnicem pertinentes, vel ad Consulares Phœnices directæ, Tyrum mitterentur, atque ibi acciperentur, vt docet *lex 11. supr. de Tyronib.* attamen Beryti quoque ferme eæ velut in legum matrice proponebantur, vt docet *eadem lex 11.* & *hac lex*, & *lex 2. sup. de agentib. in reb. l. 41. supr. de cursu publ.* aliæque complures, quas ad *eam leg. 11.* cumulaui. Sane ibidem (Beryti inquam) propositæ hoc ipso Anno, *lex 1. infr. de Naufrag.* & Anno proxim. *lex 63. supr. de Decurionib.*

X. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Gratianus (b) & Valens AAA. ad Italicum Vic. Italiæ. (c)

COLONOS rei priuatæ, vel cæteros Rusticanos, (d) pro speciebus (e) quæ in eorum agris gigni solent, inquietari non oportet. Eos etiam qui manu victum rimantur aut tolerant, (figulos videlicet, aut fabros) alienos esse a præstationis molestia discernimus: (f) Vt hi tantum, qui pro mercimonio, & substantiæ (g) mercede, (h) ex Rusticana plebe inter negotiatores sunt, sortem (i) negotiationis agnoscant, quos in exercendis (k) agris ingenium (l) iampridem studium non retinet, sed mercandis distrahendisque rebus institutum vitæ & voluntatis implicuit. Dat. Non. Febr. Med. Gratiano III. & Equitio V. C. COSS. [374.]

NOTÆ.

(a) Concordat huic legi *lex 8. supr.* & *l. 3. 6. 12. 13.* GOTHOF.

(b) Inuersa hic Imperatorum nomina. Scribendum *Valentinianus*, *Valens*, & *Gratianus.* ID.

(c) *Italia* quoque lustrali collationi obnoxia fuit. ID.

(d) Ita quoque *l. 3. supr.* ID.

(e) De *specierum* appellatione hac v. *Gloss.* ID.

(f) γρ. *decernimus*: etsi aliqua interpretatione illud sustineri quis possit. ID.

(g) Id est, facultatum. ID.

(h) Incremento: *Merces* pro incremento. ID.

(i) *Sors* communis, *l. 6. supr.* id est, onus. ID.

(k) de hac *Exercendi* voce hic propria, v. *Gloss.* ID.

(l) γρ. *ingenitum* vel *ingenuum*, id est, naturale, genuinum. Illud malo. ID.

COMMENTARIVS.

RVSTICANOS & Colonos siue rei priuatæ Principis (de quibus fuit quoque *lex 8. supr.*) siue alios (de quibus fuit *lex 3. 6.* erunt *lex 12. 13. infr.*) αὐτοπώλας, itemque MANV victum rimantes, veluti figulos, fabros, immunes esse a lustrali collatione definit Valentinianus Sen. *hac leg.* Ann. D. 374. quibus addantur & Pictores *l. vlt. de excus. artific.* Exceptis tamen Rusticanis, qui inter eos negotiatores sunt, *vita instituto*, quique non sunt αὐτοπώλαι, sed ἀλλοτριοπώλαι: denique qui negotiationem exercent, pro mercimonio, & substantiæ mercede, id est, pro augendis facultatibus suis: *vt familiaris rei amplitudo cumuletur*, vt loquitur *lex 13. infr.* non iam vt rusticani ingenito studio agrorum exercendorum, verum instituto vitæ & voluntate. Quod exceptionem illam attinet, qua ii qui manu victum rimantur, veluti figuli, fabri, a lustrali collatione excipiuntur, notandum ali-

aliquando tamen per iniuriam ad eam illos vocatos, vt discere est non tantum ex *hac l.* qua id iam pro- hibetur, verum etiam ex Libanii *Orat. in Floren- tium, p. 427. 428. Edit. Marell.* τῦτα δέ ἐςιν ὁ ἀφόρητ@ φόρ@, ἄργυρ@, καὶ χρυσὸς φρίτ-]ειν προςάσας ποιῶν τὰς δεινὰς πεντετηρίδας. ὄνομα μὲν γὰρ εὐπρεπὲς ἀπὸ τῶν ἐμπόρων τῷ πόρῳ τύτῳ. τῇ θαλάτ]ῃ δὲ ἐκείνων εἰς διάδοσιν χρωμένων, οἷς μόλις ἄρ]υ. προσφέρυ- σιν αἱ χεῖρες, ἀπόλλυν]αι διαφεύγει δὲ ὐδὲ νυρόρ@, &c. *Id autem est tributum intolera- bile, argentum & aurum, (Chrysargyrum) quod exhor- rescere efficit accedentia dira quinquennalia. Sed enim nomen speciosum & decorum a mercatoribus huic quæstui: æquore autem illis ad distributionem ventibus, hi, quibus manus ægre panem suppeditant, funditus pereunt. Nec immunis ab hoc malo sutor.* Denique in hoc Negotiatores, seu Mercatores & Artifices distabant: qui & alias differunt: de qua post alios v. Claperium *decis. fiscalium causa 35. q. 6.*

XI. (a) Imppp. GRATIANVS, VALENTINIANVS & Theod. AAA. ad Hesperium PF. P. (b)

ETSI omnes mercatores spectat lustralis auri depensio, Clerici tamen intra Illyricum & Ita- liam, in denis solidis: intra Gallias, in quinis denis solidis immunem vsum conuersati- onis (c) exerceant. Quidquid autem supra hunc modum negotiationis versabitur, id oportet ad functionem aurariam deuocari. Dat. III. Non. Iul. Aquileiæ, Auxonio & Oly- brio coss. [379.]

NOTÆ.

(a) Parum abest quin *huic legi* iungenda videatur *lex 2. sup. de desertoribus.* Omisit *hanc legem* Baronius *in Annali- bus Ecclesiasticis h. a.* quo tamen ea referri potest. *GOTHOF.*

(b) Illyrici, Italiæ & Galliarum, de quo mox. *ID.*

(c) *Conuersatio*, pro negotiatione, *hac l.* & *l. 2. sup. si quis pecun. conf. l. 1. sup. de Conlat. æris: l. 72. supr. de Decu- rionib. l. 2. 3. infr. de Suariis: l. 48. infr. de hæreticis*: vide *Gloss.* hinc & mox: *quidquid negotiationis ver- sabitur. ID.*

COMMENTARIVS.

CLERICIS hactenus a Constantio immunitas a lustrali collatione haud adeo distincte & limi- tate data fuerat, verum indeterminate: vel enim ab eo data fuerat alimoniæ tantum causa negotiati- onem exercentibus, *l. 8. infr. de Episcopis*: si exi- guis admodum mercimoniis victum sibi & vestitum conquirerent *l. 15. d. tit. de Episcop.* vel etiam indi- stincte data fuerat, *l. 10. & 14. eod. tit. de Episcopis.* hoc præsupposito quod quæstum negotiationis omnem in pauperes erogaturi essent. Valens con- tra, & contraria illatione, Clericos omnes negotian- tes lustrali collationi obnoxios fecit, *l. 5. sup.* At enim Gratianus (cuius potiores partes) & Valenti- nianus, fratres, hac constitutione certum solidorum numerum statuunt, intra quem Clerici negotiantes immunes essent a lustrali collatione: nempe in Illyri- co (Occidentali scilicet: nam Orientali potiebatur Theodosius M.) & Italia intra decem solidos, in Galliis intra quindecim.

Quas quidem tum iuris mutationes, tum & pro- portiones ad Historiæ Ecclesiasticæ cognitionem multum facere puto: Nempe quandiu, & vbi Cle- rici nondum, vel non adeo diuitiis abundauere, ac maxime cum diuites ad Clericatum non adsumeren- tur; de quo vide *l. 3. 6. 17. inf. de Episcopis*: nego- tiationem quandam alimoniæ causa exercentibus ipsis, & vt victum sibi vestitumque conquirerent, ea immunitas data. Item aliquando data indistincte, vt ipsi pauperes iuuare possent, quod vtique pecu- liare votum Clericorum erat, vt docuit *lex 5.* Ite- rum adempta indistincte, vbi iam satis diuitiarum in ecclesiam & Clericos congestum videbatur, ap- parebatque non pauperibus eos, verum suis com- modis studere. Tandem data distincte *hac leg.* & determinate: quia visum aliquid his deesse: & qui- dem varie; nempe vbi ditiores Clerici erant, veluti in Italia & Illyrico, intra minorem summam: vbi non adeo diuites, veluti in *Galliis*, intra dimidio maiorem. Hæc enim, neque alia proportionis istius ratio reddi potest. Et sane, quis non credat Italiæ Clericos aliis ditiores fuisse, & maiores in hos diuitias collatas: prout etiam Italiæ Episcopi alios diuitiis tum superauere. Quo in summam spectat quoque *lex 20. inf. de Episcopis*: & Ammi- ani Marcellini locus *l. 27. cap. 3.* Quæ in hanc tem- pestatem inciduot: Iungatur & *lex 22. eod. tit.* Porro singularis est admodum *hac lex*, quæ data est ad vnum *Hesperium Præfectum Prætorio*: vtpote cum de Illyrico, Italia, & Galliis, ea simul agatur. Nempe hoc tempore idem Illyrico, Italiæ, & Galliis Præfectus Prætorio fuit. Quare Ausonius in propem- ptico *v. 92. Præfecturam* suam *duplicem* commemorat: Et de se ita quoque idem Ausonius *ad Syagrium, v. 36.* & in *Epicedio, v. 42. Præfectus Gallis & Libyæ & Latio.* Eadem igitur ratione, & Hesperius, filius Ausonii, cui *hac lex*, aliæque plures inscribuntur, Præfectus Præ- torio Illyrici, Italiæ & Galliarum fuit: sic quidem, vt indiuisam vterque simul administraret Præfectu- ram. Quod testatur Ausonius *in Gratiarum actione* duobus locis: vbi inter cætera pietatis Gratianiar- gumenta commemorat *c. 2. ad Præfecturæ collegium fili- us* (Hesperius) *cum patre* (scil. Ausonio) *coniunctus, ad consulatum præceptor euectus* (ita scribendum, non *electus*:) Et paulo post *c. 4.* dignitates in se collatas a Gratiano commemorans: *Tua tantum* (inquit) *Præ- fecturæ beneficia: Quæ & ipsa non vult vice simplici gratulari, liberalius diuisa, quam iuncta: cum teneamus duo integrum, neuter desideret separatum.* Hæ porro Diœceses etsi in imperium adsciti Valentini- ani Iun. ab vno tamen ferme Gratiano regebantur: vt do-

vt docet *lex 9. sup. de metallis*, Galliæ peculiarius Gratiano cesserant in diuisione: Illyricum & Italia Valentiniano Iun. vt testatur Zosimus *lib. 4. c. 19.* Roma vero cum Africa, in commune tenebantur: Quod posterius ostendunt Gratiani constitutiones hoc ipso Anno 379. *l. 26. sup. quorum appellat. lex 1. sup. de Princip. Agent. in rebus*: & Anno 380. *l. 3. de naufragiis: lex 9. de priuileg. eorum qui in S. Palatio militant, lex 16. 17. de pistoribus: lex 6. inf. de Scenicis*: & Anno 381. *lex 2. sup. vnde vi*: & Valentiniani Iun. Anno 380. *l. lex 4. & 5. inf. de Scenicis*: & anno 381. complures. Etsi Zosimus etiam Africam Valentiniano Iuniori cessisse dicat. Alia tandem ratio est *legis 28. supr. de cursu publico*: quæ Valentinianum & Valentem inscriptos habet, sed vni Valentiniano tribuenda est, vbi sane & Galliarum & Illyrici & Italiæ mentio fit, vtpote quæ omnes Valentiniano paruere, teste Zosimo *lib. 4. cap. 3.* Et hoc itaque iam sensu in *l. 9. sup. de metallis*, quæ data est Anno superiore 378. ad Vindicianum Vicarium, iubetur is ad Inlustres Viros Præfectos Galliarum & Italiæ literas dare. Quæ cum ita sint, error est Scaligeri, cum Ausonii locum de Duplici Præfectura aliter accipit. Cui etiam hic solemnis alter eiusdem error ab aliis iam denotatus est, circa *titulum secundum Præfecturarum*: de quo, Ausonius *in Mosella v. 407.* Quod vtique non de gemina Præfectura accipiendum, verum de Vicarii dignitate. Est & tertius eiusdem, cum Antonium Pr. cum Ausonio perperam commiscet. Sed neque assentiri possum Valesio nostro, qui *in Marcellinum, lib. 28. in fin.* putabat duos Præfectos Prætorio Galliarum hoc tempore fuisse.

XII. (a) Idem (b) AAA. ad Atticum PF. P. (c)

P. 15.

NEmo Negotiator muneribus (d) publicis eximatur, exceptis his dumtaxat qui innocenti industria fructus domesticos (e) suis possessionibus innatos simpliciter (f) vendunt: Officiis, (g) & Exactoribus, (h) pro his Negotiatoribus attinendis, quos excusatos subtractosue esse constiterit, in duplam quantitatem eius summæ, quam illi inferre debuerant. Dat. III. Id. Mart, Med. Richomere & Clearcho Coss. [384.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) Imo *Valentinianus, Theodosius & Arcadius.* Iam enim Gratianus Anno superiore *VIII. Kal. Septembr.* Lugduni occisus fuerat. Vid. *Chronicon. Theodos.* *ID.*

(c) *Atticus* hic videtur, qui cum Cæsario postea Consul fuit A. D. 397. Ad eundem extant Symmachi *epistolæ quinque, lib. 7.* puta 30. 31. 32. 33. 34. *ID.*

(d) Lustrali collatione. Munus publicum, *hac leg.* & *l. 14. inf.* vbi dicam. *ID.*

(e) Vernacula, *l. 13. prox.* *ID.*

(f) Opponitur hoc ad distinctionem eorum, qui emunt, mox vendunt: v. *l. 8. 10. sup.* & *l. 13. inf.* *ID.*

(g) Iudicum. *ID.*

(h) Nota, Exactores lustralis collationis. *ID.*

COMMENTARIVS.

EXcvsari, Defendi a lustrali collatione quemquam (exceptis *αὐτοπώλαις* de quibus iam sæpe *supra l. 3. 6. 8. 10.* & *l. 13. prox.*) vetat hac constitutione Valentinianu Iun. Excusari inquam a Iudicum Officiis, & Exactoribus eorum conniuentia pœna Dupli his proposita: sicut etiam excusari seu defendi vetantur Potentiorum patrocinio, a Theodosio M. *l. 15. inf.* verum simpli tantum pœna ibi proposita. Maius scil. crimen est eius, cuius officium res tangit, si aduersus id admittat.

XIII. Idem AAA. Haue Postumiane (a) Kar. NB.

SIngvli (b) quique, si per eos vernacula (c) quæque vendantur, functione auraria non teneantur: si vero emendi vendendiue compendiis vltro citroque quæsitis familiaris rei amplitudo (d) cumuletur (etsi Militares (e) sint) memoratæ præstationi nectantur. Dat. VI. (f) Id Nouemb. Richomere & Clearcho Coss. [384.]

Interpretatio. *Si quicumque rem quæ ei (g) nata est, (h) aut quam non emit vendat, (i) ad solutionem aurariam (k) minime teneatur. Si vero emendi vendendique studio probabitur huc illucque discurrere, (l) etiamsi militans est, ad solutionem teneatur aurariam.*

NOTÆ.

(a) *Postumiano* huic in Præfectura Prætoriana Orientis iam successerat hoc tempore Cynegius; v. *Chronolog.* Qua igitur ratione *hac lex* ei nunc inscribitur? *GOTHOF.*

(b) *Singuli quique.* vid. *Gloss.* *ID.*

(c) *Rem quæ ei nata est, quamque non emit:* Anianus. Fructus domesticos, l. 12. *sup.* Columella *lib.* 3. *cap* 8. *in fin.* *Fructus indigena peculiarisque & vernaculus soli.* Vid. plura in *Gloss.* τῷ οἰκογενῆ. *ID.*

(d) Substantiæ merces *l.* 10. *sup.* *ID.*

(e) Vid. & *l.* 2, & 7. *sup.* & *l.* 14. *inf.* *ID.*

(f) Ita editi omnes. Tiliana, aliæ, Parisien. vltima, & MS. GOTH. habent *VII.* *ID.*

(g) Fornerius I. *select.* 20. *pag.* 31. *Tom. II. Thes. Iuris* hic mecum putabat, & reponebat *domi nata*: vt ita respondeant hæc voci *vernacula*, quæ in textu est. Sed nil muto. *Mihi nascitur*, quod domi meæ nascitur. *ID.*

(h) Additum hic glossema in Edition. quartan. *vt proprios fructus, aut pecudes aut mancipia. RITTER*

(i) Sequentia in Edic. quart. ita immutata: *nihil telonei reddere debet fisco.* *ID.*

(k) *Auraria* MS. G. hic & in fine. Ita & in Nouellis occurrit. *ID.*

(l) *Discurrisse*, MS. G. *ID.*

COMMENTARIVS.

IMMVNES a lustrali collatione eos solos esse definit Theodosius M. qui αὐτοπώλαι sunt, qui, vt eleganter hic dicitur, vernacula, οἰκογενῆ, domique sibi nata, vendunt: de quo iam dictum *quinque aliis legibus*: scil. *l.* 3. 6. 8. 10. 12 *supr.* Non alios: imo ne *Militares* quidem. *Militarium* vox accipi possit, Primum, pro his, qui militia perfuncti, Veteranis denique: quod si ita est, tum Theodosio M. alia mens fuerit quam Constantino M. *l.* 3. *sup. de Veteranis*: quam Valentiniano Seniori, *l.* 7. *sup.* quam Valentiniano Iuniori, *l.* 14. *inf.* quam Honorio, *l.* 3. *sup. de Testimoniali ex Tribunis & Protectoribus.* Possit & accipi de Militantibus. vt Anianus accepit: quo sensu *militares*, pro militibus accipiuntur, *l.* 7. 11. *infr. de annon. ciuic. l.* 20. 21. *sup. de erogat. mil. ann. l.* 18. 32 *supr. de Decurionibus*: & sæpe apud Historiæ Augustæ Scriptores. Sane cum regulariter *is, qui Imperatori militat, venditione mercium prohibeatur humanis legibus*, vt scripsit Ambrosius *1. de offic.* 36. *in fin.* quo pertinet *Titulus Cod. Iust. negotiatores ne militent.* Et Sidonii locus *lib.* 1. *epist.* 8. vnde Theodosius *Nouella vltim. indignam & pudendam armato nomini negotiationem* vocat. Sæpe tamen speciali priuilegio & rescripto Principis, negotiandi licentiam impetrauere: vt docet *lex vnic. Cod. Iust. in quibus caus. milit. fori præscript.* & *lex* 3. *sup. de immunitate concessa.* Ita tamen, vt modo immunes a negotiatoria collatione essent. *d. l.* 3. modo non essent. Tacitus iam olim *lib.* 13. *Annal. cap.* 51. *Militibus immunitas seruaretur, nisi in iis, quæ veno exercerent.* Quare videatur Theodosius M. negotiandi quidem licentiam militibus dedisse, at non & immunitatem a lustrali collatione. Et forte vtrumque voluerit, neque militantibus, neque Veteranis.

XIV. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcad. AAA. ad Principium PF. P. (b)

EOs quos peractæ militiæ labor decurso stipendiorum ordine, (c) vel Protectoris (d) honore cumulauit, vel honestæ, vel causariæ (e) missionis necessitate donauit, quindecim solidorum in mercimoniis omnibus immunitatem habere iubemus: agnituros publicum (f) munus, si vltra præstitutum Legis nostræ (g) modum emendis vendendisque rebus laxiore (h) sumptu operam voluerint commodare. (i) Dat. Prid. Non. Nou. Veronæ, Arcadio A. I. & Bautone Coss. [385.]

NOTÆ.

(a) Concordat huic legi, *lex* 7. *sup. eod. tit.* *GOTHOF.*

(b) *Principius* PP. sub Valentiniano Iun. *ID.*

(c) Stipendiorum Gradibus, *d. l.* 7. *ID.*

(d) De hoc dictum ad *d. l.* 7. *ID.*

(e) *Causaria* missio quæ sit, notum est. *ID.*

(f) *Publicum* munus *hac leg.* & *leg.* 12. *supr.* fore negotiationis, *l.* 10. *sup.* fore communis, *l.* 6. *sup.* *ID.*

(g) Huius. *ID.*

(h) Maiore. *ID.*

(i) Impendere. *ID.*

COMM

COMMENTARIVS.

VETERANIS omnibus, non tantum *Protectorum* dignitate honoratis, vt Valentinianus Pater *l. 7. sup.* verum omnibus omnino, honesta vel causaria missione donatis, Valentinianus filius eius, hac constitutione immunitatem a lustrali Conlatione tribuit. Pariter, vt Constantinus M. *l. 3. in fin. sup. de Veteranis:* & Honorius Imp. *l. 3. in fin sup. de Testimoniali*, vbi pariter ita scriptum: *Quos*, inquit, *emeritos felicibus castris, vel honesta interdum aduersa valetudinis missio, vel vulnerum laudabilis excusatio, vel emensum sub signis tempus, absoluit.* Neque tamen indefinite hanc immunitatem tribuit, vt *d. l. 3 sup. de Veteranis.* Verum definite intra certum modum: nempe intra *Quindecim solidos* (pari er vt intra Quinos denos solidos Clericis immunitas data intra Gallias; *l. 11. supr.* vt Constantinus M. intra centum folles *d. l. 3. sup. de Veteranis:* Valentinianus Pater, vnius Quinquagenæ, vel *Quindena* potius *l. 7. sup. hoc tit.* Honorius quoque intra certam & prælicitam summam, *l. 3. supr. de Testimon. ex Tribunis & Protectoribus.*

XV. (a) Idem AAA. Cynegio PF. P. (b)

SI quis Potentior Negotiatorem quempiam, quo minus aurum (c) debitum inferat, contra Fisci nostri commoditates, putauerit defendendum, ipse defensor Negotiatoris, adscriptam ei, quem defenderit, summam cogatur expendere. Dat. XVIII. Kal. Maii, Constantin. Hon. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFRED.

(b) *Cynegius* PP. Orientis sub Theodosio M. v. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *Lustralc.* ID.

COMMENTARIVS.

PATROCINIO, προστασίᾳ, POTENTIORIS defendi seu EXCVSARI Negotiatores a lustrali collatione vetat *hac Constitutione* Theodosius M. Ann. D. 386. & Theodosius Iun. *l. vltim. inf.* sicut Valentinianus Iun. defendi vetuit ab officiis Iudicum & Exactoribus ipsis, *l. 12. sup.* Et quidem pœna ibi Dupli proposita: hic vero Simpli: ea, quam ibi dixi, differentiæ ratione. Scilicet, Tributa & vectigalia intercuertebantur sæpe, tum Officialium & Exactorum conniuentia: tum Potentiorum in Prouinciis patrocinio, seu προστασίᾳ, qui nihil non audebant, nihil non sibi vindicabant. Quare vt cæteroquin Patronis istis προστάταις & Patrociniis potentiorum aduersus Fisci commoda contraitum: veluti iis, qui colonis agricolis, vicis, vicaneis, fraudandorum tributorum causa patrocinium commodare soliti, de quo fuit peculiaris *Titulus supr. de Patrociniis vicorum lib. 11. tit. 24.* & Libanii *orat.* περὶ τῶν προστασιῶν. Ita & *h. l.* & *d. l. vlt. inf.* iis patrociniis occurritur, quæ Potentiores Negotiatoribus in fraudem fisci seu lustralis collationis pariter præbere non verebantur.

XVI. (a) Impp. ARCAD. & Hon. AA. Clearcho P. V. (b)

P. 17.

OMNES Corporatos, (c) de quibus orta querimonia est, quam maturissime præcipimus conueniri, vt aut commoda negotiatorum sequentes a Clericorum excusatione discedant, aut Sacratissimo Numini seruientes versutis quæstibus intuitu (d) Tuæ (e) Sinceritatis abstineant: *Distincta* enim *stipendia sunt religionis* (f) *& calliditatis.* Dat. VIII. Id. Maii, Constp. Theodoro V. C. CONS. [399.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* ab *Annalibus Baronianis Ecclesiasticis*, in quos referri potest. GOTHOFRED.

(b) Constantinopolitanæ. IDEM.

(c) Negotiatores: de quibus mox. ID.

(d) *Intuitu* hic non est, contemplatione, vel respectu: Verum *inspectione.* ID.

(e) Præfecti vrbis. ID.

(f) Clericatus. ID.

COMMENTARIVS.

CLERICATVS obtentu, seu perfugio & patrocinio, Negotiatores a lustrali collatione excusari, vetat *hac leg.* Arcadius Imp. idque Constantinopoli, Ann. D. 399. Quod hac tempestate nonnulli facere soliti: de quo etiam orta fuerat querimonia: Corporatis videlicet nonnullis, id est, e Negotiatorum Corporibus quibusdam, ad Clericatum ideo se conferentibus, vt hoc obtentu, hac

(c) γρ. *Votum*, ἐπαγγελία professio: vel *vot*'*Vm*, id est, *votiuum*, scil. est. Neque quicquam præterea mutandum: Malnardi excerpta tentabant, *si possunt volunt*: reductis huc vocibus illis, quæ mox alieno loco posita illi videbantur, *si possit*. *ID.*

(f) Neque hoc mutandum in *potentiorum*, & mox, *potentiores*, mox vt ostendam: etsi ita immutatum *Cod. Iust. d. l.* 1. *de Commerciis. ID.*

(g) An *potior*? alii tentant. *paucis*. *ID.*

(h) Lustralis. *ID.*

(i) Alligas. *ID*

(k) Mallem ad superiora ita reuocari hæc verba, *cum potiorum quisque aut miscere se negatiationi non debent, quod honestas postulat*, *aut*, &c. Sed tamen nil muto, nam & ita habet *d. l.* 1. *Cod. Iust. de Commerciis. ID.*

(l) Ita quoque *d. l.* 1. *Cod. Iust. de Commerciis.* At in *l.* 1. *Cod. eod. de Episcop. aud.* perperam variat ita, *Dat. XV. Kal. Mart. Constantinop.* mox alius ibi Consulatus adnotatus, *Valentiniano & Valente AA. Coss.* id est, annus proxime sequens; non vero, quod quidam notant, quartus ab hoc. *ID.*

COMMENTARIVS.

TRIA hominum genera, qui sibi lustralis collationis IMMVNITATEM iure quodam suo vindicare volebant, nihilo secius, atque alios negotiatores ad eam præstandam hac constitutione sua adigit Valens Imp. Anno D. 364. Ex qua quidem Tribonianus *duas leges* deformauit, puta *legem* 1. *Cod. Iust. de Episcop. aud.* & *legem* 1. *Cod. eod. de commerciis & mercatorib.* Illius verba hæc sunt: *Negotiatores, si qui ad domum nostram pertinent, ne modum mercandi videantur excedere, Christiani (quibus verus cultus est adiuuare pauperes & positos in necessitate) prouideant (Episcopi.)* Hæc vox abest a MSS. teste Contio. Istius hæc: *Negotiatores, si qui ad domum nostram pertinent, Potentiorum quoque homines necessitatem debitam pensionum, vt honestas postulat agnoscere moneantur: vt per cunctos qui emolumenta negotiationibus captant, tolerabilis fiat agnoscenda deuotionis effectus.* Et *hac* inquam *lex* manifestissime ex *hac* nostra interpolata est: etsi in *subscriptione* varietas sit, etsi materia diuersa sit. In quarum *legum* sententia adsequenda multi multa frustra moliuntur: In his Duaren. 1. *Anniuersar.* 57. Non iam reprehendo quod vtramque ita concinnauerit, vt noluerit eam ad lustralem collationem referri, quæ vtique tum sublata erat: sed ita innatam *leg.* 1. *C. de Episc. aud.* vt alia omnia dicat, hoc scilicet Christianos Episcopos curare debere, vt ne Negotiatores etiam ad domum Principis pertinentes in mercando modum excedant. Hæc enim *legis* illius ex Triboniani mente sententia est: quæ per se non adeo abluderet a sæculo Valentis quoque; quo iam Episcoporum sollicitudini multa in politia commissa. Quod cum nescirent quidam, ita opinati sunt, id de Episcopis accipiendum, de quibus *l. vltim.* §. 7. *D. de munerib. & honor.* Alii aliter *hanc leg.* interpretati sunt. Mirum itaque minus mihi videretur a Triboniano, eo quo dixi sensu interpolatam hanc *legem*, pro ea quam acceperat potestate, si modo scirem eum priorem *huiusce legis* partem intellexisse: quam eum nunquam cepisse certus sum: vtpote qui neque satis integram sibique constare putauit, neque intellexit, quid per *Christianos* hic intelligendum esset: In quo & hodie excutiunt omnes: quo factum, vt ad *audientiam Episcopalem* & titulum de ea eam traxerit, & modum seu fibulam negotiatorum lucris ea imposuerit. Sed tamen hæc omnino Triboniani *ea leg.* sententia est, quam ex *huius leg.* nostræ sensu hodie explicari non patior, quasi *ea leg.* id ipsum dicatur; quod *hac leg.* nostra. Neque patior proscribi Glossatores, qui recte secundum Triboniani sensum, imo verba apertissima, eam interpretati sunt. Et error est Leonclauii 1. *notat. ad Paratitla Gr. p.* 193. & *pag.* 1395 *T. II. Biblioth. Iur. Can. Hen. Iustell.* qui Græcos *legem* illam ita accepisse putat, vt hic accipitur. Verum equidem est, Græcos quam *legem* sub *tit. de Episcopali aud.* in Indice *libri primi* vno verbo tradunt tractare, περὶ τελῶν, id est, *de* P. 9. *vectigalibus*, eam ita vertere, οἱ καὶ τῷ θείῳ οἴκῳ διαφέροντες οἱ πραγματευταὶ, διδόασι τὰ πραγματευτικὰ τέλη, *etiamsi negotiatores ad diuinam domum pertinent, negotiatoria tributa præstant.* Verum non illam *legem* 1. *de Episcopali audientia*, ibi verterunt, ex qua nullum sensum eruere poterant, quomodo huius nostræ sensum Tribonianus non cepit: verum eius loco, summam *legis* 1. *Cod. Iust. de commerciis*, quam congruere videbant, quæ perspicue περὶ τελῶν est, & de πραγματευτικοῖς τέλεσι. *Necessitatem*, inquit, lex illa, *debitam PENSIONVM agnoscere moneantur.* Contra, quis quæso verba illa, *ne modum mercandi videantur excedere*, quæ *illa lege* 1. *Cod. Iust. de Episcop. aud.* extant, diuinare potuerit, imo detorquere ad tributa, quæ ipsi mercatores soluere debuerint? Sic vidimus Triboniani infelicitatem in priore *huius l.* sententia non assequenda, & eiusdem impolitiam in *l.* 1. *Cod. Iust. de Episcop. aud.* concinnanda, quæ Græcis *illius legis* loco, clarioris alterius substituendæ occasionem dedere.

Nunc ad rem. Tria hominum genera, vti dixi, quæ iure quodam & priuilegio personali immunitatem sibi lustralis collationis vindicabant, eidem obnoxia reddit Valens: Ad domum Principis pertinentes, Christianos, & Potiores: hi potentia freti; medii, cultus reuerentia; primi, Principis maiestate. Quæ omnia hac parte perperam obtendi negat, rationibus vbique additis. Prius perspicue videndum nobis est, quænam illa tria hominum genera fuerint.

1. *Ad domum Principis pertinentes*, *hac l.* & iterum, *l. vlt. infr. hoc tit.* sunt non tantum coloni rei priuatæ Principis, de quibus *l.* 8. & 10. *infr.* vel conductores domuum Principis; verum etiam Palatini, in ministerio citeriore principis versantes: quo ipso sensu accipiendi & in *l.* 2. *de frum. Vrb. Const.* vbi dicitur, *nulli ne diuina quidem domus nostra frumentum, de horreis publicis pro annona praeberi oportere, sed panem coctum*: id est, ne Palatinis quidem; nam & his annona ciuica data: *l.* 7. *infr. tit. de annonis ciuicis*; non vero quod sciam, actoribus, colonis, conductoribus rei priuatæ.

2. *Christiani hac leg.* non sunt, qui Christianam Religionem profitentur, verum Clerici & Ecclesiastici cum voto: *Quibus*, inquit lex, *cultus est*, *&*

votum

votum seu *votiuum* quoddam peculiare: nam ita omnino hic scribendum; *quibus, si verus est iultus, adiuuare pauperes & positos in necessitatibus votum*, vel *votiVm*, id est *votiuum*, scil. est. Ita *Christianæ legis votum*, pro Clericatu, *l. 16. infr. de Episcop.* & *Christiani* quoque absolute, pariter vt *hac leg.* audiunt *l. 2. sup. de Postliminio*, (vnde desumpta, *lex 11. Cod. Iust. de Episcopali aud.*) & *l. 50. supr. de Decurion.* & *l. prox. supr.* tandem & *Christianitas* pro Clericatu, *l. 123. supr. de Decurion. l. 11. infr. de Pistorib.* quo sensu etiam Galli *Curiam Christianitatis* dixere pro *Curia Ecclesiastica*. *Votiuum*, id est, votis expetendum & expetitum, vt *l. 1. de feriis: l. vlt. quemadm. mun. ciu. l. 27. de Episc. l. 2. de expens. lud.*

3. *Potiores* hac *leg.* sunt, pariter vt *l. 2. supr. de publica comparat.* qui in Prouinciis potiore auctoritate erant; qui vtique possessores fuerunt, vt *dicta lex 2.* ostendit, *Potiorum tantum, id est, possessorum domibus delegatis.* Potiores potiori auctoritate, quomodo & Ammianus Marcellinus Gentilis Scriptor *lib. 15. cap. 7. in fin.* *Auctoritate potiores æterna Vrbis Episcopos* dixit: quomodo habent constanter editi scriptique, etiam Cl. Fauchetii propatrui mei. Ergo, *Potiores*, quibus opponuntur infimi, Plebeii, &c. His addantur & altissimis dignitatibus decorati, *l. vlt. infr. hoc tit.* Hos igitur omnes lustrali collationi subiicere voluit Valentinianus siue Valens *hac leg.* rationibus additis, quæ ipsorum rationes & colores retunderent.

1. Nempe, ad domum quoque Principis pertinentes ei subiacere oportere, quod ea res non spectet Principis personam, verum mercandi solertiam, quæ a quocumque tandem exerceatur, negotiatorem constituit, & sic negotiationis sarcinæ obnoxium. Id quod etiam statuitur a Theodosio Iun. saltem circa domum sororum Principis, *l. vlt. infr.*

2. *Clericos* quoque negotiantes hanc collationem defugere non debere aiunt Impp. (de quo semel plene dictum ad *l. 1. supr. hoc tit.* & ad *l. 11. infr.*) vtpote cum neque sibi negorientur, verum pauperibus; quoniam si verus est eorum cultus, id est si veri sint Clerici, *votum* hoc eorum esse oportet, vt pauperes & in necessitatibus positos adiuuent. Hæc inquam ratio est Imperatorum *hac leg.* cum tamen ex hac ratione contrarium eduxerit antea Constantius, *leg. 10. infr. de Episcopis*: nempe ideo Clericos negotiatorum dispendiis minime obligari oportere, *cum certum sit*, inquit, *quæstus quos ex tabernaculis atque ergasteriis colligunt, pauperibus profuturos*: & rursum idem ad Felicem Episcopum Romanum, *l. 14. d. tit. de Episcop.* *Si quid enim vel parsimonia, vel prouisione, vel mercatura honestatis tamen conscia congesserint, in vsum pauperum atque egentium ministrari oportet, aut id, quod ex eorundem ergasteriis vel Tabernis conquiri poterit & colligi, collectum id Religionis æstiment lucrum.* Quibus adde eandem rationem, quam ad Monachorum immunitatem fundandam affert Basilius, *Ep. 304 fin. 284. Edit. Benedictin.* ad quendam censitorem; τοὺς πάλαι μὲν ἀποταξαμένους τῷ βίῳ, νεκρώσαντας δὲ ἑαυτῶν τὸ σῶμα ὡς μήτε ἀπὸ χρημάτων, μήτε ἀπὸ τῆς σωματικῆς ὑπηρεσίας δύνασθαί τι παρέχειν τοῖς δημοσίοις χρήσιμον, ἀφιέναι τῶν συντελειῶν, καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ κατὰ τὸ ἐπάγγελμα ζῶντες, οὔτε χρήματα ἔχουσιν, οὔτε σώματα· τὰ μὲν εἰς τὴν τῶν δεομένων κοινωνίαν ἀποκτησάμενοι, τὰ δὲ ἐν νηστείαις καὶ προσευχαῖς κατατρίψαντες: *qui iam olim seculo nuntium miserunt, ac suum ipsorum corpus ita mortificarunt, vt neque pecuniis, neque corporeo labore quidquam prodesse publicæ rei possint, tributis eximantur. Enimuero, si modo secundum professionem viuant, neque pecunias, neque corpora habent, cum illas nimirum in egenorum vsus profuderint, hæc vero ieiunando & precando contriuerint.* Qui locus huius *leg.* verbis apprime conuenit. Nempe eadem ratio ad diuersa momentum facit, pro rerum statu: scilicet modicam adhuc negotiationem exercentibus Clericis, item Clericis, non quæ sua sunt quærentibus, sed votum suum reuera implentibus, ratio illa facere debuit, vt a lustrali collatione immunes essent: at versis iam rerum vicibus, vbi videlicet iam negotiationem ἐμπορικὴν sectarentur, atque in vsus suos & priuatos Clerici quæsita, vel absumerent vel reconderent, ratio hæc facere debuit, vt lustralem & ipsi collationem præstarent cæterorum more. Cæteroquin notum & illud Prosperi *lib. 2. de vita contemplat. cap. 9. pag. 64. Tom. VIII. Bibl. Patr. Ecclesiasticas opes egenorum esse patrimonia.* Porro ad hanc quoque lustralem, quæ a Clericis exigebatur, collationem pertinet meo iudicio *epistola 197. Gregorii Nazianzeni.*

3. Tandem & *Potiores*, Potiorumque *homines* lustrali collationi obnoxios esse oportere aiunt Imperatores, quia aut miscere se negotiationi omnino non debeant, aut si sese immisceant, honestas postulet, vt ii primi agnoscant: scilicet & inde factum postea, vt Honorius *l. 3. Cod. Iust. de commerciis & mercatoribus*, prohibuerit nobiliores & honorum luce conspicuos & patrimonio ditiores perniciosum vrbibus mercimonium exercere, vt inter Plebeios & negotiatores facilius esset emendi vendendique commercium.

Illud monendum superest, hanc *legem* Valentiniano quoque tribui posse, non modo Valenti; quia etsi Valens a fratre iam adsumptus erat, attamen nondum inter eos diuisum hoc tempore imperium fuerat, verum arbitrio Valentiniani res gerebatur, vt scribit Ammianus Marcellinus *lib. 26. cap. 5. init.* Valentiniano Constantinopoli constituto, vbi *hæc lex* data, pariter vt *lex 3. sup. de iis qui administr.* Hinc igitur iam apparet, Pancirolum errasse *II. Var. cap. 172.* cum scriberet *hanc leg.* sic corruptam esse, vt vix aliquis sensus inde possit elici.

(P. 10.)

VI. Idem AA. ad Florentium (a) Com. S. L.

AVRVM mercatoribus atque argentum, quo erogatio (b) publica iubetur, (c) indiximus. Igitur exceptione immunitatis nullus vtetur. Omnium enim regionum huiusmodi (d) homines, omnium dignitatum, hanc virilem iuuandæ Reipublicæ partem, sine aliqua priuilegii venia, iussimus sustinere. Exceptio autem eos tantummodo in hac communi fere sorte defendet, qui proprio iure (e) per se aut homines (f) suos, qui euidentissime cognoscuntur negotiantes, non tam mercatorum loco haberi debent, quam solertium

solertium strenuorumque dominorum. Dat. VI Id. Septembr. Diuo Iou. & Varroniano Coss. [364.]

N O T Æ.

(a) Eidem *Florentio Com. S. L.* inscribitur Ann. 36.. prox. *l. 3. sup. de immunit. concessa:* & Anno ab hinc altero 366. *lex 11. sup. de susceptoribus.* GOTHOFR.

(b) Intelligit vel maxime erogationem militarem: ita Libanius *Orat. in Florentium p. 418. Edit. Morell.* de hac lustrali collatione agens, τῶ πολέμου δεομένου χρημάτων, *cum bellum pecuniis egeat.* IDEM.

(c) *IuBetur*, pro *iuuetur*: Ita mox: *hanc virilem iuuanda Reipubl. partem iussimus sustinere.* Ita & *l. 19. inf. de Paganis & rem annonariam iuBent*: vnde perperam fecere *iubente.* ID.

(d) Mercatores. *ID.*

(e) γρ. Rure. *ID.*

(f) Ita l. 3. sup. *Homines vestri ac rusticani:* & l. 4. sup. *Potiorum quoque homines:* & l. 7. inf. *Etsi per homines suos id exerceant:* & l. 10 inf. de Episcopis, *ab hominibus etiam eorum, qui mercimoniis student:* & l. 14. eod. tit. *Verum etiam ab hominibus eorundem, qui operam in mercimoniis habent.* IDEM.

COMMENTARIVS.

IMMVNITATES omnes a lustrali collatione quocumque loco, cuiuscumque dignitatis hominibus, τοῖς ἐν τέλει, qui & ipsi huic collationi subiacebant, vt testatur etiam Basilius *epist. 243. fin. 88. Edit. Benedictin.* concessas, reuocat *hac leg.* Valentinianus Senior, circa finem Anni 364. Solis Αὐτοπώλαις, suis terris nata, per se vel per homines suos vendentibus, exceptis, & immunibus declaratis, (de quibus iam semel *ad l. 3.* dictum est:) ratione addita, quam & ibi illustrauimus & ad proxim. deduximus, quæque hic adhuc magis premenda, & ad praxim deducenda, nempe Negotiatorum si quæ onera sunt, mercatoribus, id est, merces ementibus vendentibus, imminere debent; non vero iis, qui tantum vendant sua rure nata, *vernacula*, vt eleganter vocantur, *l. 13. inf.* innocenti industria, *l. 12. inf. hoc tit.* solertium strenuorumque dominorum loco. Quo pertinent *sex huius tituli leges:* puta *lex 3. sup.* hæc lex; *lex 8. 10. 12. 13. inf.* Hac ratione quoque priuatorum in vsum vecta a prætorio immunia sunt, *l. 5. Cod. Iust. de vectigalib.* vid. & *l. 203. D. de V. S.* Excipiuntur & *l. 3. supr. de immunitate concessa*, quæ eidem Florentio Com. S. L. inscribitur Anno prox. militares quidam & in Palatio degentes, quibus id singulari priuilegio tributum, de quo ad *leg. 13. inf.*

Cæterum & *hac lex*, vt & *superior*, respicit ad indictionem extraordinariam lustralem, iuuandæ Reipublicæ & erogationi militari: quod his *hac lex* inculcat: *Quo erogatio*, inquit, *publica iuuetur*, INDIXIMVS; & mox: *hanc virilem iuuanda Reipubl. partem, iussimus sustinere.* Nempe, quia hoc tempore velut per orbem vniuersum Romanum bellicum canentibus buccinis, excitæ gentes sæuissime limites sibi proximos perlustrabant, vt scribit Ammianus *libr. 26. cap. 4. in fin.*

VII. (a) Idem AA. (b) ad Probum PF. P. (c)

QVi in sudore (d) bellandi stipendiorum gradus (e) vsque ad Protectores (f) meruerunt, vnius vaginæ (g) pretium, (h) etiamsi aliis mercimoniis studere videantur. (i) Si quid autem supra hunc modum in mercimonii commutatione (k) habeant, pro eo quod amplius potuerit inueniri, ad necessitatem Conlationis arctentur. Omnes vero omnino, qui alterius (l) nomine (m) dignitatis, emeritæque militiæ honore (n) cumulati sunt, etsi per homines (o) suos id exercent, ad oblationis (p) obsequia adstringantur. PP. Karthagine, Kal. April. Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

N O T Æ.

(a) Eodem die Data Treueris *lex 5. sup. de offic. Rector. prou.* ad eundem Probum PP. item eodem die, Data Treueris *lex 4. eod. tit.* ad Viuentium PP. (Gallicanum scil.) Concordat vero huic *l. lex 14. inf.* & *lex 3. sup. de Testimoniali.* GOTHOFRED.

(b) *Gratiani A. tertii*, nomen *huic l.* adscribendum: *v. Chronolog.* IDEM.

(c) Illyrici & Italiæ: in qua posteriore fuit quoque Africa Diœcesis: in cuius Diœceseos Metropoli, puta Karthagine, hæc lex *Proposita* dicitur. *ID.*

(d) *Sudor* bellandi. *Sudoris* vox militiæ propria. Ammianus Marcellinus extremo *lib. 15. leui sudore sub Imperium venere Rom.* & aliis professionibus quæ militiæ proximæ. Capitolinus *in Maximinis c. 2. in fin. sedecim lixas vno sudore deuicit.* ID.

(e) Decurso stipendiorum ordine *d. l. 13. inf.* forte, *gradu.* ID.

P. 11. (f) Vsque ad Protectoris honores. De Protectoribus, *suo titulo*, scil. 21. *lib. 7.* ID.

(g) γρ. *Vagena*, id est, Quinquagenæ: vel *Vndena*, id est, *Quindenæ:* illud malim. *ID.*

(h) Locus est hic valde corruptus, quem ita restituere conor: *vnius Quinquagenæ*, vel, *vnius Quindenæ expertes sint, etiamsi tales*, &c. ID.

(i) Id est, studeant. *ID.*

(k) Ita *l. prox. 8. inf. qui merces emendo atque vendendo commutantes.* ID.

(l) Veluti

(l) Veluti ex Tribunis, ex-Præpositis, ex-Domesticis: vid. *tit. de Testimon. 21. supr. lib. 7.* *ID.*

(m) Vmbratili, honorario, emendicato. *ID.*

(n) Vmbratili. *ID.*

(o) Vil, quæ notaui ad *leg. 6. supr. h. t.* *ID.*

(p) Lustralis. *ID.*

COMMENTARIVS.

VETERANIS negotiantibus immunitas a lustrali collatione *quadam* datur, & quidem Veteranis, quibus PROTECTORIA dignitas concessa est, hac Valentiniani Senioris constitutione Anno Domini 369. similiter vt Valentiniani Iunioris *l. 14. inf.* Honorii *l. 3. supr. de Testimoniali ex Tribunis & Protectoribus.* Imo & Constantini M. *lege 3. sup. de Veteranis.* At non etiam iis, qui honorarios & imaginarios codicillos huius vel alterius dignitatis, citra emeritam reuera militiam, impetrarunt: quæ sententia est *huius leg. in fine:* vt cæteroquin qui huiusmodi epistolas seu Testimoniales ex Protectoribus, vel ex-Præpositis, vel ex-Tribunis reportarunt seu impetrarunt, non decursa militia, non habent ea priuilegia, quæ ii, qui ordine militiæ sub armorum labore decurso ad hos honores peruenerunt: *toto titulo, sup. de Testimoniali ex Tribunis & Protectoribus;* scilicet, Veteranis pro præmio emeritæ militiæ, Testimonialibus, dignitas vel Protectorum, vel Præpositorum, vel Tribunorum dabatur, vt præter *hanc leg.* & *l. 14. inf* docet *lex 2. 3. sup. de diuers. officiis: lex 153. sup. de Decurionib.* & titulus in id expressus *de Testimoniali ex-Tribunis & Protectoribus;* sed & Symmachus *epistola 67. ad Rimmerem lib. 3.* & Paulinus *epist. 39. Edit. Paris. siu. 25. Edit. Veronens. ad militem quendam Religiosum, in fin,* quorum verba consignaui *initio tituli illius.* Cuius dignitatis Protectoriæ (concessæ forte Veteranis) & varia alia priuilegia erant: puta, vt in criminibus fori ordinarii præscriptionem haberent, *l 5 sup. de Veteranis:* vt a verberibus excusarentur, *l. 153. sup. de Decurionib.* vt a sordidis muneribus immunes essent, *d. l. 153.* vt a Tyronum collatione, *l. 18. sup. de Tyron. l. vlt. sup. de Veteranis:* denique vt immunitate gauderent a muneribus personalibus aut ciuilibus, *l. 2. Cod. Iust. de excus. mun.* quæ Diocletiani est; similiter igitur & his lustralis collationis immunitas quædam tributa. Non tamen simpliciter, verum intra præstitutam aliquam summam & *modum*, & vt loquitur Honorius *d. l. 3. sup. de testimon.* a pensionis auratiæ instituta (*præstituta*) summa. Quæ quidem a Constantino M. statuitur centum follium, *l. 3. sup. de Veteranis:* a Valentiniano Iun. quindecim solidorum, *l. 14. inf. hoc tit.* puta vt intra eum modum negotiationis a lustrali collatione immunes essent: vltra eum modum, non item. Sed & *hac leg.* a Valentiniano Sen. *modus* aliquis statuitur, quem Veterani illi immunem haberent a lustrali collatione: quomodo & *modus* aliquis Clericis immunis statuitur, *l. 11. inf.* & Veteranis *l. 14. inf.* Verum quinam ille modus sit, qui *hac leg.* designatus fuerat, hodie non apparet; *Vnius Vagina*, inquit, *pretium, etiamsi aliis mercimoniis studere videantur. Si quid autem supra hunc modum,* &c. Igitur verbis illis: *Vnius Vagina pretium*, necesse est modus statutus fuerit, vt sequentia illa mox ostendunt.

At quid hic faciat *Vagina?* Etsi scio in re nummaria *Siliqua* nomen vsurpari, quæ alias thecam siue *vaginulam*, qua fructus continetur, significat, teste Seruio *Georg. I. v. 74.* Sed quid hoc ad rem præsentem, cum *siliqua* fuerit tantum vicesima quarta pars solidi? Igitur mihi mens ea, hic reponendum *Vagena;* & mox totum locum ita emendo: *Vnius Vagena expertes sint, etiamsi talis mercimoniis studere videantur;* vel *vnius Vagena expertium etiam sint: si* &c. *Expertium sint*, id est, expertium numero. *Vagena* porro pro *Quinquagena.* Nempe inter numerorum notas *V* pro *quinque:* igitur compendiose *Vagena*, pro *Quinquagena;* scilicet vnius *Quinquagesima* immunitas hic indicari videtur: pro qua neque portorium neque lustralem collationem Veterani Protectores soluere debuerint. Certe *Quinquagesimam* negotiatores perdere soliti, & aliquando *Quadragesimam*, portorii nomine. Testis Symmachus *lib. 5. epist. 62.* *Quæstores*, inquit, *ordinis nostri nunquam ferarum suarum portorium contulerunt. Nunc a fratre meo Cynegio V. C. Quæstorio Candidato QVINQVAGESIMÆ vectigal exigitur, quod solos vrsorum Negotiatores, vtpote quæstui seruientes, oportet agnoscere.* Et epist. 65. *QVADRAGESIMÆ portorium (siue vectigal) non recte poscitur a Senatoribus Candidatis. Hoc sibi etiam pro Cynegio V. C. dudum missæ litteræ indicant.* Vbi alterutro loco necesse est menda irrepserit, cum de eadem re agatur, non de diuerso portorio: & quidem posteriore irrepsisse puto: nam etsi Quadragesimæ vectigal quoque iam olim fuerit, vt docet Sueton. *Vespasiano cap. 1.* & Caligula, *cap. 40.* Tacitus, *lib. 13. Annal. in rebus Neronis cap. 51.* & Quintilianus *declamat. 359* attamen & Quinquagesima quoque iam olim fuit. Idem Tacitus eodem loco *lib. 13. cap. 51.* *Manet abolitio Quadragesimæ Quinquagesimæque, & quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani inuenerant.* Dio *lib. 55. ad an. V. C. 760.* de Augusto: τὸ τέλος τῆς πεντεκοστῆς ἐπὶ τῇ τῶν ἀνδραπόδων πράσει ἐσήγαγε, *tributum instituit, quod de pretio mancipiorum quinquagesimam partem exigit.* Error igitur natus ex nota numeri. Cuiusmodi errores ex numerorum notis natos notauit Scaliger *in postumo de re nummaria, p. 30.* & *in epistola Paschali* Ambrosii 83. & apud Celsum *lib. 5. cap. 17.* Ex eodem errore, solidus σάγιον dictus, qui ἐξάγιον dici debuit, quia solidus sexta pars vnciæ erat, de quo ad *l. 1. sup. de ponderatoribus:* nato errore ex nota ς. pro ἐξ. Anonymos *de ponder. & mens.* ἀσσάριον, δηνάριον ἤτοι σάγιον ἓν ἥμισυ: occurrit illic sæpe. Igitur, si emendatio nostra recte habet, tum Valentinianus Sen. *hac l.* Veteranis istis intra Quinquaginta folles negotiantibus immunitatem dederit, ac proinde dimidiam eius tantum, quam Constantinus tribuerat, centum videlicet follium; *l. 3. sup. de Veteranis.* Et ita quidem mihi videtur: etsi forte erit qui arg. *legis 14. inf. hoc tit.* reponere mallet *Vndeno*, id est, *Quindena:* vt ita *quindecim* solidorum pariter vt *d. l. 14.* immunitas *hac leg.* Veteranis his tributa videatur. Verum prior emendatio, quæ etiam ad communem lectionem magis accedit, magis quoque mihi probatur.

p. 11. VIII. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Claudium (b) Proc. Afric.

HI tantum ad auri argentique detineantur (c) oblationem, (d) qui merces emendo atque vendendo commutantes, (e) qui (f) in exercitio Tabernarum vsque versantur: Non etiam Coloni rei nostræ, qui ea distrahunt, quæ in dominicis (g) possessionibus annus tulerit. Dat. VI. Kal. Maii, Triueris, Valentiniano & Valente III. AA. Coss. [370]

N O T Æ.

(a) Concordat huic *l. lex* 13. *inf.* GOTHOFRED.

(b) *Claudius* Proconsul Africæ sub Valentiniano Sen. Cui præterea inscribitur *lex* 18. *infr. de Episcopis, lex* 12. *inf de Pistoribus, lex* 6. *sup. de Legatis.* Et *lex* 2. *Cod. Iust. de priuil. dom. Aug.* (vti edidit Cuiacius) quæ *huic* forte sociānda est: vbi tamen dignitatis titulus abest. IDEM.

(c) *Detineantur*, pro simplici, *teneantur.* ID.

(d) Eadem oblationis vox occurrit *l. 7. sup.* ID.

(e) Ita & *l. 7. sup. in mercimonii commutatione habeant.* ID.

(f) Vel tollenda hic vox *qui*: vel ita legendum, *commutant & qui*, &c. ID. Ita sensus quidem redditur legi, non vero secundum ipsius verba; quod fieri potest, legendo melius, *qui merces emendo atque vendendo, commutantesque in exercitio tabernarum vsque versantur.* Iamque enim euitatur impropria illa locutio *commutare emendo atque vendendo*, quam Gothofredi lectio ingerebat. BEST *Rat. emend. leg. p.* 291.

(g) *Dominicis*, id est, Principis. GOTHOFRED.

C O M M E N T A R I V S.

COLONI rei priuatæ Principis αὐτοπῶλαι, id est, vendentes nata in possessionibus Principis quas incolunt, seu *vernacula* (vt loquitur *lex* 13.) *hac leg.* & rursum *l. 10. infr. hoc tit.* a Valentiniano immunes a lustrali collatione declarantur: Pariter, vt Senatorum Coloni *leg. 3. sup.* pariter vt priuati qui ipsi fundis suis nata vendunt, *l. 6. 12. 13.* Denique hi solum lustrali collationi subiacent, qui merces emendo atque vendendo commutant: & vt quis mercator dicatur, duo contractus desiderantur, vt ipse primum *emat*, dein ipse *vendat*: quod *hac lex* apertissime indicat: & *lex. 10. inf. in fin.* de quo iam ad *l. 3. sup.* & qui in exercitio *Tabernarum* vsque versantur. *Tabernarum*, scil. negotiatoriarum: vbi merces erant venumque exponebantur: quarum multa mentio in iure. A quibus, vt omittam alias regiones, veluti prope Romam, Galliam, etiam in Africa (quo pertinet *hac lex*) loca designari cœpere: Cuiusmodi hæc in *Tabula Peutingeriana pag.* 746. 747. 750. 751. 754. 755. *Oper. Marci Velseri*, obseruo: *Au Taberna, Priscu Taberna, Turris & Taberna: Flacci Taberna: ad Cypsaria Taberna, Rufini Taberna.* Et in *Itinerario* Antonini, *Tabernis p.* 240. *Edit. Wess Lng.* *Colonis* igitur rei priuatæ *hac leg.* consulit Valentinianus: quibus & alia ratione consulit *l. 2. Cod. Iust. de priuil. domus Augustæ*, quæ eidem *Claudio in Edit. Cuiacian.* inscribitur, & forte huic iungenda est: cuius dignitas, etsi in *Inscriptione* non exprimatur; ex parte tamen, ipso *legis* contextu, satis indicatur: & dum *spectabilis sinceritatis* titulo compellatur, & ipsa subiectæ materiæ ratione, vbi agitur de *frumenti* collatione. Colonis inquam rei priuatæ *ea l. 2.* consulit Valentinianus Sen. dum locis solitis proprias functiones seu frumenta in iisdem locis vbi remanent, præberi ab his iubet; non etiam eo vsque portare, quo graue atque damnosum est peruehere: etsi alias quoad Canonicas functiones, eos eadem conditione qua cunctos haberi voluit, *leuandorum Prouincialium causa.* Quæ *lex* in summam alioquin eodem pertinet, quo *lex* 22. *sup. de annon. & tribut.* nimirum ne translatio annonarum plus dispendii habeat, quam ipsa collatio.

IX. (a) Idem AAA. ad Leontium (b) Cons. Fœnicis.

OMNES iam nunc (c) studio negotiationis intenti, seu Conchylioleguli, (d) seu ex aliquolibet (e) corpore mercatores, ad pensitationem auri, quod negotiatoribus indicitur, compellantur: *Beneficium* (f) enim *quibusdam datum* (g) *plebis iniuria est.* PP. Byrito, (h) prid. Kal. Iul. Modesto & Arintheo Coss. [372.]

N O T Æ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFRED.

(b) *Leontius Fœnices* Consularis sub Valente Imp. Ad eum extant variæ Libanii *epistolæ*: Inter alias *epist.* 966. quæ incipit χάριν ἔχω: vbi de Sidoniis: & de quodam nominatim *Sidonio* agit: Huiusque Leontii tangit administrationem ἀρχὴν, laudesque eius & egregiam administrationem prædicat. IDEM.

(c) *Iam nunc*, id est, ex die præsenti continuo, deinceps, indubitate *hac leg.* & *l. 1. supr. de offic. Rector. Prouinc. l. 2. supr. de Palat. S. L. l. 17. sup. de Tyronibus: l. 2. sup. de Veteranis: l. 31. sup. de annona: l. vlt. sup. de collat. donat.* ID.

(d) De his *suo titulo sup. lib. 10. de Murilegulis*: vbi *l. 5. Conchyleguli* dicuntur, in *l. 17.* pariter *Conchylioleguli.* ID.

(e) Id est, alio quocumque. ID.

(f) *Beneficia*, id est, immunitates, *h. l.* & *l. 26. supr. de annona: l. 18. supr. de extraordin.* & alibi. Vid. *Gloss.* ID.

(g) De hac odiosa vectigalium immunitate quibusdam data, *v. Forner. 1. select. 20. pag. 30 Tom. II. Thes. Iur.* & nos multa *supr. tit. de immunit. conc. aliisque locis.* ID.

(h) Hanc *subscriptionem* mox perpendo, & cum *Inscriptione* compono. ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

P. 13. Cvivscvmqve Mercis Negotiatores lustrali collationi subiacere iubet *hac leg.* Valens Imp. Ann. D. 372. Atque ideo beneficia, id est, immunitates quibusdam negotiationibus, vel quibusdam Corporibus datas, *hac leg.* reuocat, sic vt *omnes* deinceps negotiatores huic collationi obnoxios esse velit. Ac nominatim quoque Conchyliolegulos, qui scil. conchyliorum negotiationi intenti erant: de quibus *suo titulo, lib. 10. de Murilegulis.* Quod accipiendum non est de illis Conchyliolegulis, seu familiis Conchylegulorum, vel Conchyliolegulorum, qui huic conditioni adstricti, in Principis vsu erant: de quibus proprie *eo titulo*: verum de liberis negotiatoribus, & mercatoribus. Hi scilicet immunitatem a lustrali collatione aliquando impetrasse videntur singulari quadam istius mercis prærogatiua, tanquam eximiæ cuiusdam mercis non Plebeiæ negotiatores, quomodo *Librariam*, & *Vitrariam* mercem hodie immunem videmus: quam immunitatem reuocat *hac leg.* Valens Imp. Ratione ea addita, quæ satis perspicua, quamque alibi iam sæpe expendi. Et hæc quidem ita Valens *hac leg.* emissa ad *Leontium Consularem Fœnices*, de auro lustrali: qui ipse alioquin Leontius egregius auri spretor fuit, & ob egregiam administrationem summopere laudatur in Libanii *Epistola ad eum 966. Edit. Wolffii*, quæ est in *MS. Regio 939.*

Illud summopere notandum, pertinere *hanc leg.* ad Fœnicem: vbi hæc merx, & baphia purpuraria, vt late ostendo ad eum *tit. de Murilegul.* Quare & *hæc lex* Leontio Consulari Fœnices inscribitur, simul & Proposita *Byrito* dicitur, quæ vrbs Byritus, etsi hac tempestate Phœnices Metropolis non erat (erat enim *Tyrus* Metropolis) attamen frequentissima mercatoribus, atque omni hominum genere erat. Quare etsi Constitutiones Principum ad Fœnicem pertinentes, vel ad Consulares Phœnices directæ, Tyrum mitterentur, atque ibi acciperentur, vt docet *lex 11. supr. de Tyronib.* attamen Beryti quoque fere eæ velut in legum matrice proponebantur, vt docet *eadem lex 11.* & *hac lex*, & *lex 2. sup. de agentib. in reb. l. 41. supr. de cursu publ.* aliæque complures, quas ad *eam leg. 11.* cumulaui. Sane ibidem (Beryti inquam) propositæ hoc ipso Anno, *lex 1. infr. de Naufrag.* & Anno proxim. *lex 63. supr. de Decurionib.*

---

x. (a) Imppp. Valentinianvs, Gratianus (b) & Valens AAA. ad Italicum Vic. Italiæ. (c)

Colonos rei priuatæ, vel cæteros Rusticanos, (d) pro speciebus (e) quæ in eorum agris gigni solent, inquietari non oportet. Eos etiam qui manu victum rimantur aut tolerant, (figulos videlicet, aut fabros) alienos esse a præstationis molestia discernimus: (f) Vt hi tantum, qui pro mercimonio, & substantiæ (g) mercede, (h) ex Rusticana plebe inter negotiatores sunt, sortem (i) negotiationis agnoscant, quos in exercendis (k) agris ingenium (l) iampridem studium non retinet, sed mercandis distrahendisque rebus institutum vitæ & voluntatis implicuit. Dat. Non. Febr. Med. Gratiano III. & Equitio V. coss. [374.]

NOTÆ.

(a) Concordat huic legi *lex 8. supr.* & *l. 3. 6. 12. 13.* GOTHOF.

(b) Inuersa hic Imperatorum nomina. Scribendum *Valentinianus, Valens, & Gratianus.* ID.

(c) *Italia* quoque lustrali collationi obnoxia fuit. ID.

(d) Ita quoque *l. 3. supr.* ID.

(e) De *specierum* appellatione hac v. *Gloss.* ID.

(f) γρ. *decernimus*: etsi aliqua interpretatione illud sustinere quis possit. ID.

(g) Id est, facultatum. ID.

(h) Incremento: *Merces* pro incremento. ID.

(i) *Sors* communis, *l. 6. supr.* id est, onus. ID.

(k) de hac *Exercendi* voce hic propria, v. *Gloss.* ID.

(l) γρ. *ingenitum* uel *ingenuum*, id est, naturale, genuinum. Illud malo. ID.

COMMENTARIVS.

Rvsticanos & Colonos siue rei priuatæ Principis (de quibus fuit quoque *lex 8. supr.*) siue alios (de quibus fuit *lex 3. 6.* erunt *lex 12. 13. infr.*) αὐτοπώλας, itemque Manv victum rimantes, veluti figulos, fabros, immunes esse a lustrali collatione definit Valentinianus Sen. *hac leg.* Ann. D. 374. quibus adduntur & Pictores *l. vlt. de excus. artific.* Exceptis tamen Rusticanis, qui inter eos negotiatores sunt, *vita instituto*, quique non sunt αὐτοπώλαι, sed ἀλλοτριοπῶλαι: denique qui negotiationem exercent, pro mercimonio, & substantiæ mercede, id est, pro augendis facultatibus suis: *vt familiaris rei amplitudo cumuletur*, vt loquitur *lex 13. infr.* non iam vt rusticani ingenito studio agrorum exercendorum, verum instituto vitæ & voluntate. Quod exceptionem illam attinet, qua ii qui manu victum rimantur, veluti figuli, fabri, a lustrali collatione excipiuntur, notandum ali-

aliquando tamen per iniuriam ad eam illos vocatos, vt discere est non tantum ex *hac l.* qua id iam prohibetur, verum etiam ex Libanii *Orat. in Florentium, p. 427. 428. Edit. Morell.* τοῦτο δέ ἐστιν ἀφόρητον φόρον, ἄργυρον, καὶ χρυσὸς φρίττειν προσιοῦσας ποιῶν τὰς δεινὰς πεντετηρίδας. ὄνομα μὲν γὰρ εὐπρεπὲς ἀπὸ τῶν ἐμπόρων τῷ πόρῳ τούτῳ. τῇ θαλάττῃ δὲ ἐκείνων εἰς διάδοσιν χρωμένων, οἷς μόλις ἀρκεῖ. προσφέρουσιν αἱ χεῖρες, ἀπόλλυνται διαφεύγει δὲ οὐδὲ νευρόῤῥαφος, &c. *Id autem est tributum intolerabile, argentum & aurum, (Chrysargyrum) quod exhorrescere efficit accedentia dira quinquennalia. Sed enim nomen speciosum & decorum a mercatoribus huic quæstui: æquore autem illis ad distributionem vtentibus, hi, quibus manus ægre panem suppeditant, funditus pereunt. Nec immunis ab hoc malo sutor.* Denique in hoc Negotiatores, seu Mercatores & Artifices distabant: qui & alias differunt: de quo post alios v. Claperium *decis. fiscalium causa 35. q. 6.*

---

p. 4. XI. (a) Imppp. GRATIANVS, VALENTINIANVS & Theod. AAA. ad Hesperium PF. P. (b)

ETSI omnes mercatores spectat lustralis auri depensio, Clerici tamen intra Illyricum & Italiam, in denis solidis: intra Gallias, in quinis denis solidis immunem vsum conuersationis (c) exerceant. Quidquid autem supra hunc modum negotiationis versabitur, id oportet ad functionem aurariam deuocari. Dat. III. Non. Iul. Aquileiæ, Auxonio & Olybrio coss. [379.]

NOTÆ.

(a) Parum abest quin *huic legi* iungenda videatur *lex 2. sup. de desertoribus.* Omisit *hanc legem* Baronius *in Annalibus Ecclesiasticis h. a.* quo tamen ea referri potest. *GOTHOF.*

(b) Illyrici, Italiæ & Galliarum, de quo mox. *ID.*

(c) *Conuersatio*, pro negotiatione, *hac l. & l. 2. sup. si quis pecun. consp. l. 1. sup. de Conlat. æris: l. 72. supr. de Decurionib. l. 2. 3. infr. de Suariis. l. 48. infr. de hæreticis*: vide *Gloss.* hinc & mox: *quidquid negotiationis versabitur. ID.*

COMMENTARIVS.

CLERICIS hactenus a Constantio immunitas a lustrali collatione haud adeo distincte & limitate data fuerat, verum indeterminate: vel enim ab eo data fuerat alimoniæ tantum causa negotiationem exercentibus, *l. 8. infr. de Episcopis*: si exiguis admodum mercimoniis victum sibi & vestitum conquirerent *l. 15. d. tit. de Episcop.* vel etiam indistincte data fuerat, *l. 10. & 14. eod. tit. de Episcopis*, hoc præsupposito quod quæstum negotiationis omnem in pauperes erogaturi essent. Valens contra, & contraria illatione, Clericos omnes negotiantes lustrali collationi obnoxios fecit, *l. 5. sup.* At enim Gratianus (cuius potiores partes) & Valentinianus, fratres, hac constitutione certum solidorum numerum statuunt, intra quem Clerici negotiantes immunes essent a lustrali collatione: nempe in Illyrico (Occidentali scilicet: nam Orientali potiebatur Theodosius M.) & Italia intra decem solidos, in Galliis intra quindecim.

Quas quidem tum iuris mutationes, tum & proportiones ad Historiæ Ecclesiasticæ cognitionem multum facere puto: Nempe quandiu, & vbi Clerici nondum, vel non sdeo diuitiis abundauere, ac maxime cum diuites ad Clericatum non adsumerentur; de quo vide *l. 3. 6. 17. inf. de Episcopis*: negotiationem quandam alimoniæ causa exercentibus ipsis, & vt victum sibi vestitumque conquirerent, ea immunitas data. Item aliquando data indistincte, vt ipsi pauperes iuuare possent, quod vtique peculiare votum Clericorum erat, vt docuit *lex 5.* Iterum adempta indistincte, vbi iam satis diuitiarum in ecclesiam & Clericos congestum videbatur, apparebatque non pauperibus eos, verum suis commodis studere. Tandem data distincte *hac leg.* & determinate: quia visum aliquid his deesse: & quidem varie; nempe vbi ditiores Clerici erant, veluti in Italia & Illyrico, intra minorem summam: vbi non adeo diuites, veluti in *Galliis*, intra dimidio maiorem. Hæc enim, neque alia proportionis istius ratio reddi potest. Et sane, quis non credat Italiæ Clericos aliis ditiores fuisse, & maiores in hos diuitias collatas: prout etiam Italiæ Episcopi alios diuitiis tum superabant. Quo in summam spectat quoque *lex 20. inf. de Episcopis*: & Ammiani Marcellini locus *l. 27. cap. 3.* Quæ in hanc tempestatem incidunt: iungatur & *lex 22. ead. tit.* Porro singularis est admodum *hac lex*, quæ data est ad vnum *Hesperium Præfectum Prætorio*: vtpote cum de Illyrico, Italia, & Galliis, ea simul agatur. Nempe hoc tempore idem Illyrico, Italiæ, & Galliis Præfectus Prætorio fuit. Quare Ausonius in propemptico *v. 42. Præfecturam* suam *duplicem* commemorat: Et de se ita quoque idem Ausonius *ad Syagrium, v. 36.* & in *Epicedio, v. 42. Præfectus Gallis & Libyæ & Latio.* Eadem igitur ratione, & Hesperius, filius Ausonii, cui *hac lex*, aliæque plures inscribuntur, Præfectus Prætorio Illyrici, Italiæ & Galliarum fuit: sic quidem, vt indiuisam vtramque simul administraret Præfecturam. Quod testatur Ausonius *in Gratiarum actione* duobus locis: vbi inter cætera pietatis Gratiani argumenta commemorat *c. 2. ad Præfecturæ collegium filius* (Hesperius) *cum patre* (scil. Ausonio) *coniunctus, ad consulatum præceptor euectus* (ita scribendum, non *electus*:) Et paulo post *c. 4.* dignitates in se collatas a Gratiano commemorans: *Tui tantum* (inquit) *Præfectura beneficii: Quæ & ipsa non vult vice simplici gratulari, liberalius diuisa, quam iuncta: cum teneamus duo integrum, neuter desiderat separatum.* Hæ porro Diœceses etsi in imperium adscito Valentiniano Iun, ab vno tamen ferme Gratiano regebantur: vt do-

vt docet *lex 9. sup. de metallis*, Galliæ peculiarius Gratiano cesserant in diuisione: Illyricum & Italia Valentiniano Iun. vt testatur Zosimus *lib. 4. c. 19.* Roma vero cum Africa, in commune tenebantur: Quod posterius ostendunt Gratiani constitutiones hoc ipso Anno 379. *l. 26. sup. quorum appellat. lex 1. sup. de Princip. Agent. in rebus*: & Anno 380. *l. 3. de naufragiis: lex 9. de priuileg. eorum qui in S. Palatio militant, lex 16. 17. de pistoribus: lex 6. inf. de Scenicis:* & Anno 381. *lex 2. sup. vnde vi*: & Valentiniani Iun. Anno 380. *l. lex 4. & 5. inf. de Scenicis:* & anno 381. complures. Etsi Zosimus etiam Africam Valentiniano Iuniori cessisse dicat. Alia tandem ratio est *legis 28. supr. de cursu publico*: quæ Valentinianum & Valentem inscriptos habet, sed vni Valentiniano tribuenda est, vbi sane & Galliarum & Illyrici & Italiæ mentio fit, vtpote quæ omnes Valentiniano paruere, teste Zosimo *lib. 4. cap. 3.* Et hoc itaque iam sensu in *l. 9. sup. de metallis*, quæ data est Anno superiore 378. ad Vindicianum Vicarium, iubetur is ad Inlustres Viros Præfectos Galliarum & Italiæ literas dare. Quæ cum ita sint, error est Scaligeri, cum Ausonii locum de Duplici Præfectura aliter accipit. Cuius etiam hic solemnis alter eiusdem error ab aliis iam denotatus est, circa *titulum secundum Præfecturarum*: de quo, Ausonius *in Mosella v. 407.* Quod vtique non de gemina Præfectura accipiendum, verum de Vicarii dignitate. Est & tertius eiusdem, cum Antonium Pr. eum Ausonio perperam commiscet. Sed neque assentiri possum Valesio nostro, qui *in Marcellinum, lib. 28. in fin.* putabat duos Præfectos Prætorio Galliarum hoc tempore fuisse.

P. 19. XII. (a) Idem (b) AAA. ad Atticum PF. P. (c)

NEMO Negotiator muneribus (d) publicis eximatur, exceptis his dumtaxat qui innocenti industria fructus domesticos (e) suis possessionibus innatos simpliciter (f) vendunt: Officiis, (g) & Exactoribus, (h) pro his Negotiatoribus attinendis, quos excusatos subtractosue esse constiterit, in duplam quantitatem eius summæ, quam illi inferre debuerant. Dat. III. Id. Mart, Med. Richomere & Clearcho Coss. [384.]

NOTÆ.

(a) *Abest hæc lex a Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) Imo *Valentinianus, Theodosius & Arcadius.* Iam enim Gratianus Anno superiore *VIII. Kal. Septembr.* Lugduni occisus fuerat. Vid. *Chronicon. Theodos.* *ID.*

(c) *Atticus* hic videtur, qui cum Cæsario postea Consul fuit A. D. 397. Ad eundem extant Symmachi *epistolæ quinque, lib. 7.* puta 30. 31. 32. 33. 34. *ID.*

(d) Lustrali collatione. Munus publicum, *hac leg. & l. 14. inf.* vbi dicam. *ID.*

(e) Vernacula, *l. 13. prox.* *ID.*

(f) Opponitur hoc ad distinctionem eorum, qui emunt, mox vendunt: v. *l. 8. 10. sup. & l. 13. inf.* *ID.*

(g) Iudicum. *ID.*

(h) Nota, Exactores lustralis collationis. *ID.*

COMMENTARIVS.

EXCVSARI, DEFENDI a lustrali collatione quemquam (exceptis αὐτοπώλαις de quibus iam sæpe *supra l. 3. 6. 8. 10. & l. 13. prox.*) vetat hac constitutione Valentinianu Iun. Excusari inquam a Iudicum Officiis, & Exactoribus eorum conniuentia pœna Dupli his proposita: sicut etiam excusari seu defendi vetantur Potentiorum patrocinio, a Theodosio M. *l. 15. inf.* verum simpli tantum pœna ibi proposita. Maius scil. crimen est eius, cuius officium res tangit, si aduersus id admittat.

XIII. Idem AAA. Haue Postumiane (a) Kar. NB.

SINGVLI (b) quique, si per eos vernacula (c) quæque vendantur, functione auraria non teneantur: si vero emendi vendendiue compendiis vltro citroque quæsitis familiaris rei amplitudo (d) cumuletur (etsi Militares (e) sint) memoratæ præstationi nectantur. Dat. VI. (f) Id Nouemb. Richomere & Clearcho Coss. [384.]

INTERPRETATIO. *Si quicunque rem quæ ei (g) nata est, (h) aut quam non emit vendat, (i) ad solutionem aurariam (k) minime teneatur. Si vero emendi vendendique studio probabitur huc illucque discurrere, (l) etiamsi militans est, ad solutionem teneatur aurariam.*

NOTÆ.

(a) *Postumiano* huic in Præfectura Prætoriana Orientis iam fucceſſerat hoc tempore Cynegius: v. *Chronolog.* Qua igitur ratione *hac lex* ei nunc inſcribitur? *GOTHOF.*

(b) *Singuli quique.* vid. *Gloſſ.* *ID.*

(c) *Rem quæ ei nata eſt, quamque non emit:* Anianus. Fructus domeſticos, l. 12. *ſup.* Columella *lib.* 3. *cap* 8. *in fin.* *Fructus indigena peculiariſque & vernaculus ſoli.* Vid. plura in *Gloſſ.* τὰ οἰκογενῆ. *ID.*

(d) Subſtantiæ merces *l.* 10. *ſup.* *ID.*

(e) Vid. & *l.* 2, & 7. *ſup.* & *l.* 14. *inf.* *ID.*

(f) Ita editi omnes. Tiliana, aliæ, Pariſien. vltima, & MS. GOTH. habent *VII.* *ID.*

(g) Fornerius l. *ſelect.* 20. *pag.* 31. *Tom. II. Theſ. Iuris* hic nexum putabat, & reponebat *domi nata*: vt iſta reſpondeant hæc voci *vernacula*, quæ in textu eſt. Sed nil muto. *Mihi naſcitur*, quod domi meæ naſcitur. *ID.*

(h) Additum hic gloſſema in Edition. quartan. *vt proprios fructus, aut pecudes aut mancipia.* *RITTER*

(i) Sequentia in Edit. quart. ita immutata: *nihil telonei reddere debet fisco.* *ID.*

(k) *Auraria* MS. G. hic & in fine. Ita & in Nouellis occurrit. *ID.*

(l) *Diſcurriſſe*, MS. G. *ID.*

COMMENTARIVS.

IMMVNES a luſtrali collatione eos ſolos eſſe definit Theodoſius M. qui αὐτοπώλας ſuot, qui, vt eleganter hic dicitur, vernacula, οἰκογενῆ, domique ſibi nata, venduot: de quo iam dictum *quinque aliis legibus*: ſcil. *l.* 3. 6. 8. 10. 12 *ſupr.* Non alios: imo ne *Militares* quidem. *Militarium* vox accipi poſſit, Primum, pro his, qui militia perfuncti, Veteranis denique: quod ſi ita eſt, tum Theodoſio M. alia mens fuerit quam Conſtantino M. *l.* 3. *ſup. de Veteranis*: quam Valentiniano Seniori, *l.* 7. *ſup.* quam Valentioiano Iuniori, *l.* 14. *inf.* quam Honorio, *l.* 3. *ſup. de Teſtimoniali ex Tribunis & Protectoribus.* Poſſit & accipi de Militantibus, vt Anianus accepit: quo ſenſu *militares*, pro militibus accipiuntur, *l.* 7. 11. *infr. de annon. ciuic. l.* 20. 21. *ſup. de erogat. mil. ann. l.* 18. 32 *ſupr. de Decurionibus*: & ſæpe apud Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores. Sane cum regulariter *iis, qui Imperatori militat, venditione mercium prohibeatur humanis legibus*, vt ſcripſit Ambroſius *1. de offi.* 36. *in fin.* quo pertinet *Titulus Cod. Iuſt. negotiatores ne militent.* Et Sidonii locus *lib.* 1. *epiſt.* 8. vnde Theodoſius *Nouella vltim. indignam & pudendam armato nomini negotiationem* vocat. Sæpe tamen ſpeciali priuilegio & reſcripto Principis, negotiandi licentiam impetrauere: vt docet *lex vnic. Cod. Iuſt. in quibus cauſ. milit. fori præſcript.* & *lex* 3. *ſup. de immunitate conceſſa.* Ita tamen, vt modo immunes a negotiatoria collatione eſſent. *d. l.* 3. modo non eſſent. Tacitus iam olim *lib.* 13. *Annal. cap.* 51. *Militibus immunitas ſeruaretur, niſi in iis, quæ veno exercerent.* Quare videatur Theodoſius M. negotiandi quidem licentiam militibus dediſſe, at non & immunitatem a luſtrali collatione. Et forte vtrumque voluerit, neque militantibus, neque Veteranis.

XIV. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcad. AAA. ad Principium PF. P. (b)

EOs quos peractæ militiæ labor decurſo ſtipendiorum ordine, (c) vel Protectoris (d) honore cumulauit, vel honeſtæ, vel cauſariæ (e) miſſionis neceſſitate donauit, quindecim ſolidorum in mercimoniis omnibus immunitatem habere iubemus: agnituros publicum (f) munus, ſi vltra præſtitutum Legis noſtræ (g) modum emendis vendendiſque rebus laxiore (h) ſumptu operam voluerint commodare. (i) Dat. Prid. Non. Nou. Veronæ, Arcadio A. I. & Bautone Coss. [385.]

NOTÆ.

(a) Concordat huic legi, *lex* 7. *ſup. eod. tit.* *GOTHOF.*

(b) *Principius* PP. ſub Valentiniano Iun. *ID.*

(c) Stipendiorum Gradibus, *d. l.* 7. *ID.*

(d) De hoc dictum ad *d. l.* 7. *ID.*

(e) *Cauſaria* miſſio quæ ſit, notum eſt. *ID.*

(f) *Publicum* munus *hac leg.* & *leg.* 12. *ſupr.* fors negotiationis, *l.* 10. *ſup.* fors communis, *l.* 6. *ſup.* *ID.*

(g) Huius. *ID.*

(h) Maiore. *ID.*

(i) Impendere. *ID.*

COMM

COMMENTARIVS.

VETERANIS omnibus, non tantum *Protectoris* dignitate honoratis, vt Valentinianus Pater *l. 7. sup.* verum omnibus omnino, honesta vel causaria missione donatis, Valentinianus filius eius, hac constitutione immunitatem a lustrali Conlatione tribuit. Pariter, vt Constantinus M. *l. 3. in fin. sup. de Veterans:* & Honorius Imp. *l. 3. in fin sup. de Testimonialı*, vbi pariter ita scriptum: *Quos*, inquit, *emeritos felicibus castris, vel honesta interdum aduersa valetudinis missio, vel vulnerum laudabilis excusatio, vel emensum sub signis tempus, absoluit*. Neque tamen indefinite hanc immunitatem tribuit, vt *d. l. 3 sup. de Veterans*. Verum definite intra certum modum: nempe intra *Quindecim solidos* (pariter vt intra Quinos denos solidos Clericis immunitas data intra Gallias; *l. 11. supr.* vt Constantinus M. intra centum folles *d. l. 3. sup. de Veterans:* Valentinianus Pater, vnius Quinquagenæ, vel *Quindenæ* potius *l. 7. sup. hoc tit.* Honorius quoque intra certam & præstitutam summam, *l. 3. supr. de Testimon. ex. Tribunis & Protectoribus*.

XV. (a) Idem AAA. Cynegio PF. P. (b)

SI quis Potentior Negotiatorem quempiam, quo minus aurum (c) debitum inferat, contra Fisci nostri commoditates, putauerit defendendum, ipse defensor Negotiatoris, adscriptam ei, quem defenderit, summam cogatur expendere. Dat. XVIII. Kal. Maii, Constantin. Hon. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFRED.

(b) *Cynegius* PP. Orientis sub Theodosio M. v. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *Lustrale.* ID.

COMMENTARIVS.

PATROCINIO, προςασίᾳ, POTENTIORIS defendi seu EXCVSARI Negotiatores a lustrali collatione vetat *hac Constitutione* Theodosius M. Ann. D. 386. & Theodosius Iun. *l. vltim. inf.* sicut Valentinianus suo. defendi vetuit ab officiis Iudicum & Exactoribus ipsis, *l. 12. sup.* Et quidem pœna ibi Dupli proposita: hic vero Simpli: ea, quam ibi dixi, differentiæ ratione. Scilicet, Tributa & vectigalia interuertebantur sæpe, tum Officialium & Exactorum conniuentia: tum Potentiorum in Prouinciis patrocinio, seu προςασίᾳ, qui nihil non audebant, nihil non sibi vindicabant. Quare vt cæteroquin Patronis istis προςάταις & Patrociniis potentiorum aduersus Fisci commoda contraitum: veluti iis, qui colonis agricolis, vicis, vicaneis, fraudandorum tributorum causa patrocinium commodare soliti, de quo fuit pecularis *Titulus supr. de Patrociniis vicorum lib. 11. tit. 24.* & Libanii *orat. περὶ τῶν προςασιῶν.* Ita & *h. l.* & *d. l. vlt. inf.* iis patrociniis occurritur, quæ Potentiores Negotiatoribus in fraudem fisci seu lustralis collationis pariter præbere non verebantur,

---

P. 17. XVI. (a) Impp. ARCAD. & Hon. AA. Clearcho P. V. (b)

OMNES Corporatos, (c) de quibus orta querimonia est, quam maturissime præcipimus conueniri, vt aut commoda negotiatorum sequentes a Clericorum excusatione discedant, aut Sacratissimo Numini seruientes versutis quæstibus intuitu (d) Tuæ (e) Sinceritatis abstineant: *Distincta* enim *stipendia sunt religionis* (f) *& calliditatis.* Dat. VIII. Id. Maii, Constp. Theodoro V. C. CONS. [399.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* ab *Annalibus Baronianis Ecclesiasticis*, in quos referri potest. GOTHOFRED.

(b) Constantinopolitanæ. IDEM.

(c) Negotiatores: de quibus mox. ID.

(d) *Intuitu* hic non est, contemplatione, vel respectu: Verum *inspectione*. ID.

(e) Præfecti vrbis. ID.

(f) Clericatus. ID.

COMMENTARIVS.

CLERICATVS obtentu, seu perfugio & patrocinio, Negotiatores a lustrali collatione excusari, vetat *hac leg.* Arcadius Imp. idque Constantinopoli, Ann. D. 399. Quod hac tempestate nonnulli facere soliti: de quo etiam orta fuerat querimonia: Corporatis videlicet nonnullis, id est, e Negotiatorum Corporibus quibusdam, ad Clericatum ideo se conferentibus, vt hoc obtentu,

hac *calliditate*, *versutis quæstibus* vacarent, a lustrali collatione immunes. Igitur ad hanc querimoniam negotium Præfecto vrbis dat Arcadius, vt Negotiatores huiusmodi ad alterutrum adigat, vel vt negotiationi valedicentes Religioni seruiant, vel vt Negotiantes, a Clericatu discedant, atque adeo lustralem collationem agnoscant. Vnde colligitur, hac tempestate Clericos in totum a lustrali collatione immunes visos: Cui rei saltem hac ratione intercedit Arcadius. De qua Clericorum negotiantium immunitate, quam varie ea habita fuerit: docuerunt tres iam *supra huius tituli* constitutiones: puta *lex 1. 5. 11. supr.* & quatuor insuper aliæ Constantii, *titulo de Episcopis Eccl. & Cleric.* puta *lex 8. 10. 14. 15.*

Corporatorum interim appellatione *hac lege* proprie Corporatos Negotiantes intelligi obseruandum est: Quod non tantum *titulus*, sub quo *hæc lex* posita est, verum etiam sequentia *huius leg.* ostendunt: non vero Corporatos illos proprie, de quibus est *inf. lib. 14. titulus, de priuileg. Corporatorum Vrbis Romæ*: etsi & illos *Corporatos Negotiatores, membra Æternæ Vrbis*, vocet Symmachus *lib. 10. epist. 27.* In *Veteribus* quoque *Inscriptionibus*, non tantum Negotiantium varii generis frequens mentio occurrit, verum etiam nominatim mentio fit *CORPORIS NEGOTIANTIVM MALACITANORVM* apud Gruterum *DCXLVII. 1.* Corporis Negotiatorum fit rursum mentio, *l. prox. 17.* Eleganter autem Arcadius: Distincta stipendia esse Religionis, & calliditatis. Cui simile illud Diocletiani ad Polinestrum Philosophum, *l. 6. Cod. Iust. de mun. patr. Professio & desiderium tuum inter se discrepant: nam cum Philosophum te esse proponas, vinceris auaritia & rapacitate.*

MANCIPES *lustralis collationis, non ex Curialibus, verum ex Negotiatoribus eligendos.*

XVII. (a) Idem Ianuarino Conf. Numidiæ. (b)

A Negotiatoribus aurum lustrale dependi non ignoramus: Et, cum ad eos soleat distributionis cura recurrere, quos necessitas Conlationis adstringit, non conuenit Municipes (c) hoc (d) onere subiacere. Sciant igitur, de Corpore (e) suo, sicut (f) in omnibus fere ciuitatibus, Mancipes eligere, absque vlla ærarii nostri deminutione: a Curialibus alienæ functionis distributione reiecta. Dat. prid. Non. Iun. Med. Theodoro V. C. CONS. [399.]

NOTÆ.

(a) Hanc *legem* suam intelligit Honorius A. 403. *l. 29. sup. de susceptorib.* *GOTHOFRED.*

(b) De Consulari Numidiæ dixi *in Notit. dign.* De Numidiæ statu hoc tempore, vide quæ noto ad *l. 28. sup. de Susceptor.* *IDEM.*

(c) *Municipes*, id est, Curiales, vt mox *fin. legis*: & *l. 4. 89. 105. 110. 130. 137. 143. 144. 147. 154. sup. de Decurionib.* & *l. 41. inf. de operib. publ. l. 2. sup. quid probare.* *ID.*

(d) Pro, *huic oneri.* *ID.*

(e) Negotiatorum, de quo ad *l. super. 16.* *ID.*

(f) Vel locus corruptus, vel supplendum hac interpretatione, *sicut in omnibus fere Ciuitatibus fieri solet.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE DISTRIBVTIONE lustralis collationis est hæc Honorii constitutio: Anno D. 399. id est, de descriptione, seu adscriptione quæ per singulos Negotiatores fiebat, quantum videlicet quisque lustralis collationis nomine pendere deberet: quo pertinet vox, *Describendi, l. 3. supr.* & *Adscribendi, l. 15. Ipse*, inquit, *defensor negotiatoris, adscriptam ei quem defenderit, summam cogatur expendere.* Quis igitur distributionem hanc facere debeat? *hac leg.* ab Honorio definitur: Nempe, non Municipes, id est, Curiales, quod tamen perperam factum: verum *Mancipes*, quos ipsi Negotiatores per singulas ciuitates de suo Corpore elegerint: Proposita
P. 18. hac generali Regula: Quod ad eos distributionis cura pertineat, quos necessitas collationis adstringit. De qua ratione plenius ad *tit. de susceptoribus supr. lib. 12.* (Iustum scil. est sua cuique committere, vt in alia specie Arcadius Honorii frater *l. 10. inf. de Iudæis.*) Quo titulo sane hanc *leg.* suam ipse Honorius quadriennio ferme post memorat *l. 29. sup. de susceptoribus.* Ex qua apparet, non eo tantum *hanc leg.* spectare, vt electus ex Negotiatorum Corpore adscriptionem faceret, verum etiam susceptionem, de quo *ibi. Mancipes* hic sunt, quibus cura vt distributionis, ita exactionis iniungitur, qui olim spontsuei Publicani erant, suo priuato commodo, de quo nihil attinet dicere. De Mancipibus portorii, ac nominatim Quinquagesimæ pro transuectione animalium, est Symmachi locus *lib. 5. epist. 65.* quos *epist. 62.* Publicanos vocat, de eadem re loquens; quas quidem epistolas ad Paternum Com. S. L. scripsit ante sexennium, Anno D. 393. Porro notandum, tres ordine ad Africam pertinentes constitutiones Honorii *hoc titulo* occurrere, puta *hanc l.* & *duas sequentes*; de cuius, ac nominatim etiam Numidiæ (cuius Consulari *hac lex* inscribitur) per hæc tempora statu, dixi ad *l. 28. sup. de susceptoribus.*

De

De Foeneratoribus, *hos quoque ad lustralem collationem teneri.*

XVIII. (a) Idem AA. Pompeiano Proc. Afric. (b)

Omnes Negotiatores lustralem conferre conuenit pensionem. Non solum igitur, hi qui probantur in Territoriis (c) siue in Ciuitatibus exercere commercia, subcumbant aurariæ functioni, verum etiam qui, studentes fœnori, crescentis (d) in dies singulos pecuniæ accessione lætantur. Dat. prid. Kalend. Iul. (e) Med. Stilichone & Aureliano Coss. [400.]

NOTÆ

(a) Iungenda *huic leg.* est *lex* 165. *sup. de Decurionib.* Imo & *lex* 2. *supr. ad leg. Iul. de ambitu*: quæ habet subnotatum diem *Prid. Kal. Iun.* Sed & *lex* 3. *sup. de concuss. Aduoc. l.* 28. *sup. de annona lex* 27. *de Susceptorib.* quæ habent subscriptum diem *Prid. Kal. Ian.* Tandem & *lex* 60. *de appellat.* vbi subnotatus dies *Kalend. Iun.* vnus quippe idemque dies & mensis omnibus hisce *legibus* subscribendus est. *GOTHOFRED.*

(b) Ad *Africam* hæc *lex* pertinet. *IDEM.*

(c) De hac voce vid. *Glossar.* & mox dicam. *ID.*

(d) Horat. *lib.* 3. *od.* 16. *v.* 17. *Crescentem sequitur cura pecuniam.* Interim hinc nota *Fœnoris* descriptionem, quod sit *crescentis in dies singulos pecuniæ accessio*: de quo Paratitlon *sup. lib.* 2. *tit. vlt. de vsuris.* *ID.*

(e) Vide quæ iam *initio* dixi ad hanc *subscriptionem* pertinentia. *ID.*

COMMENTARIUS.

Foeneratores quoque *pecuniæ*, non *Mercium* modo Negotiatores, lustrali collationi, quæ negotiatoribus incumbit, subiicit *hac l.* Honorius Imp. Ann. D. 400. hac ratione: quod & hæc *Negotiationis* species sit: neque minus compendium faciat, qui in pecunia negotiatur, quam qui merces detrahit: atque adeo & hic Negotiatorum numero sit. Imo Fœneratores hi sunt potentiores ferme in Prouinciis. Igitur & hos fœneratores, potentiores ad communionem huius tributariæ functionis vocandos putauit Honorius, pro Reipubl. necessitate, hac constitutione, quæ prolixæ Honorianæ constitutionis pars est: vt ex tot illis *legibus*, quas *huic* coniungendas dixi, patet: quæ quidem ab ipso emissa fuit ad varias *Africanorum* querelas, qui & in id Mecilianum Legatum ad Honorium miserant, vt docet ex earum *legum* numero *lex* 166. *supr. de Decurionib.* Inter cæteras porro querelas, plurimæ rem *Tributariam* respexere, qua miseri Africani non parum vexabantur, partim susceptorum & Tabulariorum fraudibus, quo pertinet *d. lex* 27. *de Susceptorib.* partim Compulsorum deprædationibus, quo spectat *l.* 3. *sup. de concuss. Aduocatorum*: partim Potentiorum, Ditiorum immunitate, quo pertinet *hac lex*, & *d. lex* 28. *supr. de annona & tributis*: Quæ quidem *leges* omnes *huic* nostræ, etiam argumenti paritate, ita coassandæ veniunt. Igitur vt Veteranos priuilegii sui obtentu tributorum modum infringere non patitur, sed ad communis iuris communionem eos in specie *illius l.* vocat: ita & diuites pecuniæ negotiationem exercentes, ad communem lustralis collationis sarcinam, quæ negotiatores omnes tangit, hic vocat. Ita sane & olim iam ante lustralis collationis instituta, ii qui fœnus exercebant, omnibus patrimonii iotributionibus fungi debebant; etsi possessiones non haberent: *l.* 22. *§. vlt. D. ad Municipal. l. vlt. §.* 23. *D. de munerib. & honorib.* Et certe æquissima hæc est constitutio, & quam in exemplum deriuari probo more velim: denique fœnerator, etsi non dicatur mercator, similis tamen est mercatori: Romanus *consil.* 92. *n.* 3.

Obiter hic illud obseruandum, quod de mercium Negotiatoribus dicitur, *qui probantur in Territoriis, siue in Ciuitatibus exercere commercia.* Nempe Nundinæ certo tempore emendis atque vendendis rebus, Ciuitatibus earumque Territoriis ordinabantur; vt docet *Nouella* Theodosii *vlt.* de quibus Nundinis est peculiaris *titulus Cod. Iust. de nundinis & mercatorib.*

XIX. (a) Idem (b) AA. Septimio (c) Proc. Afric.

Omnes deuotionem (d) aurariæ functionis agnoscant, quos diuersi mercimonii (e) cura constringit: ita vt quibus negotiandi sollicitudo est, ad solutionem teneantur. Dat. VII. Kal. April. Rau. DN. Theod. A. I. & Rumorido Coss. [403.]

NOTÆ

P. 19. (a) Iungenda *huic leg.* est *lex* 64. *sup. de cursu publ.* *GOTHOFRED.*

(b) Imo hi tres inscribendi, *Imppp. Arcadius, Honorius & Theodosius AAA.* vt docet ipsa temporis ratio, Theodosius quippe iam anno superiore Augustus creatus, vid. *Chronicon.* Sed & diserte ita inscripta *d. lex* 64. quæ *huic* coniungenda est. *IDEM.*

(c) γρ. *Septimino*, vt *d. l.* 64. & *l.* 29. *sup. de Susceptorib.* [hoc ipso anno, & *collat. Carthagin. die* 3. his ipsius *Coss. cap.* 174. *pag.* 1163. *Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* *ID.*

(d) *Deuotionis* vox in re tributaria propria: v. *Gloss.* *ID.*

(e) *Vt vos in vostris vultis mercimoniis*: Plautus, *in Prolog. Amphitr.* v. 1. & apud Nonium *cap.* 3. *num.* 35. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

IMMVNITATES a lustrali collatione improbat Honorius, omnesque Negotiatores cuiuscumque mercis ad eam teneri iubet hac constitutione Anno D. 403. quæ data est ad *Septiminum Procos. Africæ* (de quo ad Inscriptionem.) Quæque pars est prolixioris constitutionis, qua is Africanorum securitati & indemnitati prospectum iuit, non vna ratione: parauetedorum videlicet exactione prohibita, *l. 64. sup. de cursu publ.* quæ eiusdem constitutionis pars est, atque adeo *huic* coassanda venit. Item immunitatibus a lustrali collatione improbatis, *hac leg.* Ceteroquin hoc ipso Anno, ad eundem *Septiminum Proconf. Africæ* extat eiusdem Honorii Imp. altera constitutio, de lustrali collatione, puta *lex 29. supr. de Susceptoribus*, quæ in hunc *titulum* recte quoque relata fuisset, qua etiam *lex 17. supr. hoc tit.* confirmatur.

XX. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Anthemio (b) PF. P.

FVNCTIONES, quas conferentium (c) frequentia extenuata (d) debilitat, ad stabilitatem reuocandæ sunt: vt quod simul & sub vna conuentione petebatur, sub parua ac minima contributione, absque consensu (e) conferentium (f) præbeatur. Hoc in lustralis auri Conlatione in perpetuum decernimus obseruari: Illud videlicet præcauentes, ne quis a Nostra Clementia vectigal (g) huiusmodi audeat postulare. Dat. VIII. Kalend. Iun. Varane V. C. CONS. [410.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFRED.*

(b) *Anthemius* PP. Orientis scil. sub Theodosio Iun. vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) In vno Territorio. *ID.*

(d) Per conniuentiam, gratiam, colludium. *ID.*

(e) Ferri potest: Malebam aliquando *concensu*, id est, contributione census: vt concœnæ, *σύνδειπνα*, & similia. Verum illud non muto. *ID.*

(f) Aliorum. *ID.*

(g) Id est, vectigalis huius immunitatem. *ID.*

COMMENTARIVS.

IMMVNITATIBVS, per quas lustralis collatio extenuata fuerat, duplici ratione occurrit per Orientem Theodosius Iun. hac constitutione, Anno D. 410. & sic eam functionem ad stabilitatem reuocare instituit. Primum scilicet, CONLATIONI formam hanc nouam præscribit, vt ne sub vna & simultanea solutione omnium videlicet Negotiatorum vnius Territorii, *ἐν κοίτῳ* seu in globo, & in massam *ἀθρόον*, aut per auersionem *ἐκ τῶ ἐράνε* petebatur, deinceps sub parua ac minima conuentione seu contributione petatur, sub singulorum Nominibus: vt ita scilicet de iis, qui per gratiam elaberentur, constare posset, (& vt loquitur Theodosius *Nouella vltim.* in eodem prope argumento) *depulsa permixtionis caligine apertius & liquidius declaretur, quid quisque dependat.* Secundo IMMVNITATEM huius collationis a se peti, seque adeo nulli facturum protestatur.

XXI. Idem AA. Monachio (a) PF. P. (b)

NEMO mercator, vel possessor rerum quæ lustralis auri Conlatione tenentur obnoxiæ, Patrociniorum fiducia, vel nomine cuiuslibet altissimæ dignitatis, a prædicta se functione æstimet subtrahendum: Nec si ad domum Dominæ ac venerabilis Augustæ Pulcheriæ Germanæ nostræ, seu Nobilissimarum sororum (c) pietatis nostræ pertineat. Dat. XII. Kal. Sept. Hon. XII. & Theodosio VIII. AA. Coss. [418.]

NOTÆ.

(a) *Monaxio*, vt hoc ipso Anno *l. 43. inf. de Episcop.* & *l. 183. sup. de Decurion.* *GOTHOFRED.*

(b) Orientis: vt docet vel *d. l. 43.* *ID.*

(c) Arcadiæ, Marinæ. *IDEM.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

P. 20. TRIBVS hominum generibus quæ sibi immunitatem a lustrali Conlatione vindicabant, occurritur: PATROCINIO scilicet potentioris DIGNITATIS quamlibet Altissimæ obtentu: imo & si ad DOMVM quis Sororum Imperatoris pertineat, immunitatem à lustrali collatione cuiquam tribui vetat Theodosius Iun. hac const. Anno Domini 418. 1. De *Potentiorum* patrocinio fuit quoque Theodosii M. Constitutio *supra*, puta *lex 15.* De cæteris porro videamus. 2. *Dignitas*, quamlibet Altissima, ab hac collatione neminem immunem facit: quæ & ipsa sententia fuit Valentiniani & Valentis *l. 5. sup.* Hinc interim apparet etiam in Altissimis dignitatibus constitutos, negotiationem exercuisse, & quidem per Orientem: cum tamen Honorius *l. 3. Cod. Iust. de commerciis & mercatoribus.* Nobilibus & Potioribus mercaturam interdixerit. Postremum, etsi ad domum sororum Principis quis pertineat, attamen si negotietur, a lustrali collatione immunem esse vetat Theodosius. Vnde colligi videtur, saltem eos, qui ad domum Principis pertinent, immunes fuisse hoc tempore, & ex mente Theodosii Iunioris: aliter atque visum Valentiniano & Valenti, *d. l. 5.* Et hæc quidem in vniuersum de *huius leg.* sententia.

Nunc alia sectanda sunt. *Initio legis* ostenditur, non tantum Mercatores, sed etiam Res quasdam lustrali collationi fuisse obnoxias: sic vt possessor earum rerum hanc functionem sustinere deberet. Quænam autem illæ res? An ex lege testatoris, veluti si vltima voluntate Ciuitati aut vico quid sub ea præstationis conditione relictum fuerit: de quo est *lex 1.* (quæ creditur esse Anastasii, desumta ex *lib 52. βασιλικῶν tit. 12*) *Cod. Iust. de Lustrali collat. Edit. Cuiac.* Quæ Cuiacii sententia fuit, & excerptorum Mainardi. Minime. Hic enim agitur de priuatis possessoribus: nisi eadem ratione & priuatis quid sub ea conditione relictum ponamus: de quo tamen nihil in *ea lege.* An vero, quia a fisco res quædam sub hac conditione datæ donatæ? de quo & *illa ipsa l. 1* agitur? Neque hoc putem: videtur enim mihi de huiusmodi rebus possessis hic agi, non quibus conditio aliqua peculiaris in donando adiecta fuit; verum quibus in commune, rei ipsius ratione hæc conditio implexa erat: *Vel possessor rerum*, inquit, *quæ lustralis auri Conlatione tenentur obnoxia.* Existimem, his prædiis quæ Mercatores ex negotiatione sua comparassent, hanc lustralem collationem indictam alicubi: cum alibi, horum prædiorum ratione ad Curiam vocari possent: quam in rem est singularis *lex 72. sup. de Decurionibus.*

Historica supersunt. Primum de *Pulcheria*, quam Theodosius Iun. *hac leg. Dominam ac venerabilem Augustam Pulcheriam germanam suam* vocat. De ea multa Sozomenus, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus, alii. Ea nata Ann. 399. teste *Chron. Alexandr. pag. 713. Edit. Raderi.* deinceps præter ætatem prudens, ἐπίτροπος τοῦ ἀδελφοῦ (Theodosii Iun.) καὶ τῆς ἡγεμονίας extitit, auctore Sozomeno *lib. 9. cap. 1.* cuius etiam Domus memoratur in *Veteri Constantinopol. descript.* quæ præfixa est Notitiæ Imper. *regione 3.* & 11. Hæc *Augusta* renunciata Anno D. 414. *Constantio & Constante Coss.* Chronicon Alexand. *pag. 717. Edit. Rader.* ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων Πουλχερία ἀδελφὴ Θεοδοσίου νέου Αὐγούστου ἐπιφανεστάτη ἀνηγορεύθη Αὐγούστη: *his Coss. Pulcheria soror Theodosii Iun. illustrissima Augusta dicta est.* Et ita *Augusta* βασιλίς, & *βασίλισσα* nuncupata in *Menologio 10. Septemb.* in Concilio Chalcedonensi in *literis* ad eam, *Act. 3. in fin. pag. 380. Tom. II. Concil. Edit. Harduin.* apud Evagrium *lib. 1. cap. 20.* Suidam *voc. πουλχερία.* & alibi. Ea demum Marciano nupsit, vt & *Chronic. Alexand.* testatur *pag. 711. Ed. Raderi.* Et hæc quidem satis de Pulcheria Augusta. Sorores aliæ Theodosii, quas hic intelligit, sunt *Arcadia* & *Marina* (Flaccilla enim proculdubio mortua erat, quæ ipsa Pulcheria Senior erat.) de quibus vid. *Chron. Alexandr. d. pag. 711.* Harum quoque domus memorantur in *Veteri vrbis Constantinop. descriptione* & quidem *Regione 9.* & 10. *Domus Nobilissimæ Arcadiæ.* Item *regione 1. Domus Nobilissimæ Marinæ*: cuius etiam meminit Auctor *Chronici Alexandrini d. pag. 711.* Et hæc quoque de Sororibus Theodosii. Quarum (quod tertium hic obseruandum) Senior, *Augusta* (de quo *supr.*) aliæ *Nobilissimæ* dicuntur: proximo scilicet *Augusti* nomine. Quæ dignitas Nobilissimatus collata ab Imperatoribus, sanguine proximis, fratribus, filiis, sororibus: Zosimus *lib. 2. cap.* 39. fratres Constantium & Annibalianum a Constantino factos narrat; Κωνστάντιος ἀδελφὸς ὢν αὐτοῦ, καὶ Ἀνναβαλλιανὸς ἐσθῆτι χρώμενοι κοκκοβαφῆ καὶ περιχρύσῳ τῆς τοῦ λεγομένου Νωβελισσίμου, παρ' αὐτοῦ Κωνσταντίνου τυχόντες ἀξίας, αἰδοῖ τῆς συγγενείας. *Constantius Constantini frater, & Annaballianus, qui purpurea & aureis ornata limbis veste vtebantur, dignitatem Nobilissimatus, vt vocant, ab ipso Constantino propter adgnationis reuerentiam consequuti.* Ita Gratianus Nobil. puer: mox Valentinianus Iun. Nob. puer a patre Valentiniano. Ita Honorius Nobilis puer a Theodosio patre. Ita Iulianus Constantini Tyranni filius a patre Constantino Nobilissimus factus. Olympiodorus apud Photium *Cod. LXXX. pag. 182. Edit. Schotti* & *in Eclogis historicorum de rebus Byzantin. pag. 5. Script. Rer. Byzant. Tom. I. Edit. Reg.* Κωνσταντῖνος δύο παῖδας ἔχει, Κώνσταντα καὶ Ἰουλιανόν, ὧν τὸν μὲν Κώνσταντα Καίσαρα χειροτονεῖ, εἶτα ὕστερον κατὰ τὰς αὐτὰς ἡμέρας καὶ τὸν Ἰουλιανὸν Νωβελίσσιμον: *Constantino filii duo erant, Constans & Iulianus. Illum Cæsarem constituit; Iulianum deinde eo ipso tempore Nobilissimum nominauit.* Ita Valentinianus Tertius Honorii ex sorore nepos. Idem Olympiodorus apud Photium *pag. 191.* & *pag. 12. Tom I. Script R. B.* Οὐαλεντινιανὸς ζῶντος μὲν Ὀνωρίου Νωβελίσσιμος γίνεται, *Valentinianus superstite etiamnum Honorio, Nobilissimus dictus*, & *pag. 198. Edit. Schotti*, & *pag. 15. T. I. Script. R. B.* Πλακιδία ἐπαναλαμβάνει τὸ τῆς Αὐγούστης, ὁ δὲ Οὐαλεντινιανὸς τὸ τοῦ Νωβελισσίμου ἀξίωμα. *Placidia Augusta nomen, Valentinianus vero Nobilissimi titulum suscepit.* Ita igitur & Arcadii filiæ, Theodosii sorores, *Nobilissimæ*: quomodo iam eas vocat Arcadius Anno 406. *l. vnic. supr. de priuileg. domus August. procuratores per singulas quasque Prouincias Nobilissimarum puellarum, filiarum mearum.* Alio iam sensu & Nobilissimi Cæsares, & Nobilissimus Cæsar Crispus apud Nazarium *in Panegyrico c. 3.* & *36.* & in *Fastis Capitolinis*, & in *Veterib. Inscript.* Vid. *Indicem Gruter.* Imo & *l. 3. D. de natal. restit.* *Nobilissimus imp.* Cætera qui volet de *Nobilissimis*, consulat Meursii μιξοβάρβαρον.* Nobis huius ferme æui vestigia sectari sufficit.

DE

(*) Adde CL. DUFRESNE in Glossar. vtroque.

DE ARGENTI PRETIO

QVOD THENSAVRIS * INFERTVR.

TITVLVS II.

LIB. X. Cod. Ivst. Tit. Vlt.

Veteri Scriptura *et hic* & *l. vnic. hoc tit.* Hic autem *Titulus* hoc loco positus occasione superioris, qui fuit de *Auri Argenti collatione*, in *Cod. Iustin.* positus est alio loco, proxime post *titulum* de *Irenarchis*, & quidem est *vltimus libri decimi.*

I. (a) Impp. Arcad. & Honor. AA. Eutychiano PF. P. (b)

IVbemus, vt pro argenti summa, quam quis Thensauris fuerat inlaturus, inferendi auri accipiat facultatem: ita vt pro singulis libris argenti, quinos solidos inferat. Dat. XI Kalend. Mart. Constantinop. Cæsario & Attico Coss. [397.]

NOTÆ.

(a) *L. vnic. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOF.
(b) Orientis. *ID.*

COMMENTARIVS.

MVtationis facultatem, seu aliud pro alio soluendi: *Soluendi*, inquam, auri pro argento, tum & Proportionem Argenti ad Aurum constituit hac Constitutione Arcadius Imp. quantum videlicet auri, pro argenti summa aliqua solui Thesauris Principis possit. Antequam hanc proportionem ingredior, sciendum est, ita Tributa olim indicta, vt certum etiam genus aliquod indiceretur; modo species, veluti frumentum, vinum, oleum, æs, ferrum, &c. de quo *lib. XI. Tributa in ipsis speciebus:* & *tit. de collat. æris:* modo pecunia: ita etiam vt modo aurum, modo argentum indiceretur: Modo aurum, quod vel ex *superiore titulo*, & ad eum dictis discere licet: vbi lustralis collatio, dicitur *lustralis auri Conlatio, lustralis auri depensio, functio auraria, pensio auraria.* Ideoque etiam est quod dicitur *l. 19. supr. de annona & trib. id quod in titulis debitis sub præstatione confertur auraria*: videnda & *lex 32. 34. eod. tit.* & *l. 1. 2. sup. de Conlat. donatar. lex 12. 13. 17. 32. sup. de susceptor. l. 1. de ponderator. l. vnic. de auri publici prosecutorib.* Modo argentum, quare & lustralis collatio, dicitur quoque auri & argenti indictio, atque inde χρυσαργύρυ nomen. Videnda & *d. l. 32. sup. de annona & trib.* & *d. l. 1.* & *2. d. l. 32. sup. de susceptorib.* Et *hac leg.* tamen Arcadius inferendi auri facultatem loco argenti tribuit: at non vt existimo, e conuerso. Et sic aliud pro alio soluendi ius præstat, quod alias non licuisset: Præstat autem hanc facultatem, eo quod non semper quis ad manum forte argentum haberet, adueniente susceptore.

Proportio sequitur. Quomodo & alias commutatis speciebus, seu aliud pro alio soluendi vel exigendi facultate facta, proportionem specierum fieri oportuit: Ergo, pro viginti quinque libris speciei æris, vnum solidum præstari iussit Honorius *l. 2. sup. de collat. æris.* sed & Theodosius Iunior pro centenario æris auri certam æstimationem præstari voluit *l. 3. d. t.* Ad eundem igitur modum Arcadius *hac leg.* argenti ad aurum proportionem instituit. Quæ quidem proportio melius vt intelligatur, sciendum est, aucto iam auri pretio, hac tempestate ex Valentiniani Sen. instituto, libram auri septuaginta duobus solidis seu aureis constitisse: vt docet *lex 13. sup. de susceptorib.* & *lex vnic. sup. de oblat. votor.* quo etiam refero *leg. 2. Cod. Inst. de veter. numism. pot.* quæ sub Constantino M. 84. solidis constabat, vt testatur *lex. 1. de ponderatorib.* Hoc præmisso, de ipsa nunc proportione videamus. Igitur pro libra argenti, quinque solidos inferri iubet Arcadius. Vnde sequitur, vni libræ auri hac ratione respondere argenti libras quatuordecim cum duabus quintis libræ. Ex Plinio porro discimus *lib. 33. cap. 3.* cum primum nummus Romæ aureus excusus est, eam fuisse proportionem auri ad argentum, quæ est vnius ad quindecim: de quo quidem Plinii loco videndus post alios, qui eum explicare conati sunt, diligentissimus Sauotus *de nummis antiquis* prolixe, *lib. 3. cap. 7. 8. 9. 10.* qui idem ostendere conatur Plinii iam æuo, ex *libro eius 19. cap. 1.* proportionem argenti ad aurum fuisse duodecimariam: vt & apud Græcos fuit, quod ex Platonis *Hipparcho* Viri docti iam multi probarunt. Herodotus *in Thalia*, suo tempore in Asia significat, aurum cum argento collatum τρισκαιδεκαστάσιον fuisse, id est, *proportione vnius ad tredecim.* Hancque rationem secutus Darius esse videtur, qui in exigendis tributis dicitur singula Talenta auri æstimasse tredecim talentis argenti. Sane iam olim auri potestas & proportio ad argentum decupla fuit: teste Polluce *lib. 4. c. 24. sect. 173 lib. 9 cap. 6. sect. 76. pag. 1050. Edit. Hemsterhuis.* τὸ δὲ χρυσίον, inquit, ὅτι τῦ ἀργυρίυ δεκαπλάσιον ἦν, *aurum vero argento decuplo præstantius erat*, & quæ sequuntur. Et talentum auri, decem talenta vocat Polybius quoque, super fœdere Ætolico, *in Excerpt. Legat.*

Legat. e Polyb. histor. pag. 833. Edit. Polyb. If. Casaubon. διδόντες τῶν δέκα μνῶν ἀργυρίου, χρυσίου μνᾶν, *pro argenteis decem minis, unam auri penderent.* Sed & Liuius de eodem *lib. 38. c. 11. De pecuniæ summa, quam penderent, pensionibusque eius, nihil ex eo quod cum Consule conuenerat, mutatum: pro argento si aurum dare mallent, darent, conuenit:*
P.22. *dum (pro) argenteis decem, aureus vnus valeret.* Tempore Caroli Calui proportio duodecupla fuit, vt apparet ex eius edicto Pistensi *art. 24. vt in omni regno nostro non amplius vendatur libra auri purissimi cocti, nisi 12. libris argenti.* Plura de argenti ad aurum deinceps proportione vide apud Sauotum *parte tertia cap. 19. & superioribus.*

Quod libram argenti attinet, modo in argenteos sexaginta, modo plures, modo pauciores ea diuisa, vt docet *lex 1. inf. de expensis ludorum.* Ergo, vt dixi, Arcadius quinque solidos pro libra argenti offerri voluit. Et tamen Theodosius Imp. filius eius, postea pro singulis libris argenti, quas Primipilares Ducibus sportulæ gratia præstabant, quaternos tantum solidos præberi voluit *leg. 27. supr. de cohortalibus.* Adeo in dies auri pretium increuit. Et hactenus quidem de *huius leg.* sententia, deque facultate tributa *hac leg.* alterius speciei, auri pro argento, soluendæ. Quare ἀπροσδιόνυσον, *huius leg.* occasione tractant Interpretes, an inuito creditore aliud pro alio solui possit? quod etiam vnum ferme hic tractant nonnulli.

DE MEDICIS ET PROFESSORIBVS.

TITVLVS III.

LIB. X. COD. IVST. TIT. LII.

Inuerso ordine *de Professoribus & Medicis.* Huic *titulo* tres alii respondent *supr. lib. 6. tit. 16. de Comitibus & Archiatris S. Palatii,* & *tit. 21. de Professoribus, qui in vrbe Constantinopol. docentes ex lege Comitiuam meruerunt,* & *tit. 9. lib. 14. inf. de studiis liberalibus vrbis Romæ & Constantinop.*

PARATITLON.

1. MEDICI, *Rubr.* & *l. 1. 3. 10. hoc tit.* salutaris ac necessariæ artis Professores dicuntur, *l. 14. h. t.* Horum alii erant Archiatri S. Palatii, *l. 17.* & *l. 19 h. t.* & *tit. 16. lib. 6. sup* qui scilicet intra penetralia Regalis aulæ florebant, *l. 12. h. t.* qui militabant intra Palatium, *l. vnic. sup. de Comitib. & Arch. S. Palatii* : in sacro Palatio Principis, *l. 15. 16. 18. hoc. tit.* (qui & Archiatri simpliciter vocantur, *l. 2. hoc tit.*) ea professione defuncti, *ex Archiatris*, dicti, *d. l. 2. h. t.* Alii vero in vrbe Roma, & Constantinopol. populo obsequebantur, *l. 8.* (qui Archiatri simpliciter, *l. 4. 8. 9. 13. h. t.* vnde & Archiatria *d. l. 8. h. t.* Archiatri S. Palatii Comitiuæ honore donabantur, *l. 12 hoc. tit. l. 15. 18. supr. de extraordin.* modo primi ordinis, *l. 16. 17. 18. 19. hoc. tit.* & *l. vnic. supr. de Comitib. & Arch. S. Palatii:* modo secundi *d. l. 16. 17. 18. h. t.* Aliquando etiam, maioris gradum dignitatis adipiscebantur, *d. l. 16.* & *19. h. t.* Priuilegiis item singularibus fruebantur, *l. 14. h. t.* ab omni quippe functione, omni collatione, omnibus muneribus publicis immunes erant, Curialium, Senatorum, Comitum, Perfectissimorum, &c. *l. 2. h. t* Præturæ, de qua accipio, *l. 12. h. t.* a metatô, *l. 16. 18. h. t.* à glebali collatione, *l. 15. 16. 19. h. t.* a Curiali, *d. l. 16. h. t.* a sordidis muneribus, *d. l. 12. h. t.* Sed & filii, & coniuges eorum *d l 16.* & *17. h. t.*

Archiatri seu Medici alii, qui populo obsequebantur Romæ, *l. 8. 10. h t.* quatuordecim erant, quot etiam Vrbis regiones erant (exceptis Medicis portus Xysti, & Virginum Vestalium, qui peculiares Romæ Medici erant: *d. l. 8. h. t.*) Qui quidem eligebantur ordinabantur, aliquo ex hoc numero deficiente, Ordinis Archiatrorum ipsius delectu *d. l. 8. h. t.* atque a Principe confirmabantur, *d. l. 8. h. t.* sic vt electi vltimum ordinem consequerentur, *l. 9. h t.* quæ omnia confirmantur & *l. 13. h. t.* His Annonæ, Præfecti Vrbis dispositione, ministrabantur; *d. l. 8. 9. h. t.* ne scilicet alioquin diuitibus tantum seruirent, pauperes negligerent.

rent. Quin & promissa a periclitantibus pro salute accipere prohibiti: *d. l. 8. h. t.* Priuilegia his tandem varia tributa: Immunitas scilicet omnium munerum publicorum, collationum tam ipsis quam filiis & coniugibus eorum *l.* 1. 3. 4. 10. *h. t.* ab onere metati *d. l.* 3. 10. *h. t.* militiæ, *d. l.* 3. & 10. *h. t.*

II. PROFESSORES *Rubr.* & *l. n.* 26. *hoc tit.* & *tit. de Professorib. qui in vrbe Const.* dicuntur & plenius professores litterarum, *l. 1.* & *3. h. t.* artium liberalium *l. 17. h. t.* qui & Magistri dicuntur, *l.* 10. 11. 18. *h. t.* & *l. vlt. inf. de studiis lib. V. R.* & *l. 98. sup. de Decurionibus:* Magistri studiorum, *l. 5. h. t.* (vnde & magistrationes dictæ, loca in quibus docebant, *d. l. vltim. inf. de studiis.*) Doctores, *l. 5. 11. h. t.* Præceptores, *l. 11. h. t.* Erant autem hæc Professorum genera, *1.* Grammatici, tam Græci quam Latini, *l. 11. 16. h. t.* & *d. tit. de Professor.* vtriusque eruditionis seu institutionis *l. 15. 18. sup. de extraordin. mun.* II. Item Rhetores, *l. 11. hoc tit.*
P. 13. & *d. l. 15.* & *18. supr. de extraordin.* seu Oratores, *d. l.* 11. & 16. *h. t.* & *vlt. inf. de studiis:* tam Græci quam Latini: quorum illi proprie Sophistæ dicebantur, *dicto tit. de Professor.* & *dict. l. vltim. infr. de studiis:* vbi vide quæ dixi. III. Philosophi, *l. 7. hoc tit,* (seu Philosophiæ præceptores, *l.* 16. *h. t.* Philosophiæ arcana rimantes, *d. l. vltim.*) IV. Iurisperiti, *d. tit. de Professorib.* & *d. l. vltim. infr. de studiis.* Fuerunt autem tam in Occidente: Romæ, *l.* 1. 10. *hoc tit.* & *tit. de studiis lib. V. R.* per Italiam, *l. 5. 6. hoc tit.* itemper Gallias in singulis vrbibus Metropolitanis: ac nominatim Triueris, *d. l. 11. h. t.* quam in Oriente & nominatim Constantinopoli, *l. 3. 16. 17. 18. hoc tit.* & *supr. tit. de Professor. qui in vrbe Const.* & *l. vltim. inf. de studiis lib. V. R.* quorum Auditorium in Capitolio erat, *l. vnic. d. tit. de Professor. qui in Vrb. Constant.* & *d. l vltim. inf. de studiis lib. V. R.* De horum Professorum numero vid. *l. 11. hoc tit.* & *d. l. vltim. inf. de studiis*; electione, *l. 5. 7. 11. hoc tit.* annonis, mercedibus, salariis, vid. *l. 1.* & *11. hoc tit.* priuilegiis, *l.* 1. 3. 10. 16. 17. 18. *hoc. tit.* & *l. 15. 18. supr. de extraordinar. siue sord. mun.* De horum filiis Curiali stirpe descendentibus, vid. *d. l. 98. sup. de Decurionib.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A ad Volusianum.... (b)

MEDICOS, (c) Grammaticos, & Professores alios (d) litterarum, (e) immunes (f) esse, cum rebus quas in Ciuitatibus (g) suis possident, præcipimus: & honoribus fungi: in-ius (h) etiam vocari eos, vel pati iniuriam prohibemus: ita, vt si quis eos vexauerit, centum millia nummorum ærario inferat, a Magistratibus, vel Quinquennalibus exactus, ne ipsi hanc pœnam sustineant. Seruus eis si iniuriam fecerit, flagellis debeat a suo domino verberari, (i) coram eo cui fecerit iniuriam: vel si dominus consensit, viginti millia nummorum fisco inferat: seruo pro pignore, donec summa hæc exsoluitur, retinendo. Mercedes (k) etiam eorum & Salaria reddi (l) præcipimus. (m) Quoniam (n) grauissimis dignitatibus vel parentes, vel domini, vel tutores esse non debent, Fungi eos honoribus volentes permittimus, inuitos non cogimus. PP. (o) Kal. Aug. Sirmio Crispo (p) & Constantino Cæs. Coss. [321.]

NOTÆ.

(a) *L. 6. Cod. Iust. eod. tit.* hinc & ex aliis *legib.* interpolata & conflata est. *GOTHOF.*

(b) *Volusianus* hic fuit Ann. D. 314. Consul, idemque eodem Anno 314. & superiore 313. Præfectus vrbi: vt docet Auctor *Notitiæ Præfectorum vrbi:* vt & *lex 1. de nauicular.* & *l. un. de Ingenuis;* & Anno 315. vt ostendit *lex 2. superorum appell.* Deinceps nulla huius Volusiani P. V. mentio. Mihi merito ea, cum hoc tempore *PP.* fuisse. at cuius Præfecturæ? statuere non ausim. *ID.*

(c) *Et maxime Archiatros, vel ex Archiatris:* hoc add. *Cod. Iust.* ex *l. 2. inf.* *ID.*

(d) Veluti Oratores, Rhetores, Sophistas. *ID.*

(e) *Et Doctores legum*, additum a Tribon. *Cod. Iust.* quam vocem tamen *legum*, Græci non agnoscunt (de quibus Doctoribus legum dicam ad *l. 16. inf.*) Item illa, *vna cum vxoribus & filiis nec non & rebus:* & mox, *ab omni functione & ab omnibus muneribus Ciuilib. vel publicis;* & quæ sequuntur alia. *ID.*

(f) *Im.*

(f) *Immunes* simpliciter, id est, immunes a muneribus publicis. *ID.*

(g) De *Ciuitatibus* his dicetur *ad l.* 11. *inf.* *ID.*

(h) *Nec ad iudicium deduci, vel exhiberi, vel iniuriam pati.* C. Iust. *ID.*

(i) *Pœna arbitrio iudicis plectatur*, ita *C. Iust.* resecatis cæteris vsque ad *Mercedes.* *ID.*

(k) *Mercedum* vox hic propria, v. Cicer. *in Philipp.* 2. *cap.* 17. & Iuuenal. *Satyr. VII. v.*157. *ID.*

(l) *Reddi* an hic pro præstari ? vid. *Gloss.* An pro, de nouo præstari ? *ID.*

(m) Cætera absunt a *Cod. Iust.* & loco eorum ista substituta: *quo facilius liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituant: ex l.* 3. *infr.* *ID.*

(n) Locum hunc obscurum, qui ideo recisus est in *Cod. Iust.* commoda interpretatione defendi posse puto. De quo mox. Vinculum tantum orationis hic supplendum videatur, *Quinetiam, quoniam autem* : vel, *& quoniam.* *IDEM.*

(o) Dat. *ID.*

(p) Scribe *Crispo Cæs. II. & Constantino Cæs. II.* Et nota *Quinquennalia* Crispi & Constantini Iunioris in hunc annum incidere, ex quibus lucem hæc lex capit. Vid. *PAGIVS dissert. hypat. part.* 2. *cap.* 4. *n.* 4. & *Critic. ad Annal. Baron. h. a.* *RITTER.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. Tres ordine constitutiones priores seu priuilegia *hoc titulo* occurrunt, *de Medicorum, & Professorum prærogatiua, seu priuilegiis.* Quæ euiocunt, quam verum sit, quod alter Victor de eo scribit *Epitom. c.* 41. *eum nutrisse artes bonas, præcipue STVDIA LITTERARVM*, qui contra de Licinio (qui *huius legis* 2. tempore adhuc superstes erat) scribit *ibid. eum infestum literis fuisse, quas per inscitiam immodicam, Virus ac pestem publicam nominabat, præcipue forensem industriam.* Et quid mirum de Constantino, cum ipsemet *eruditione* summa fuerit, quæ ipsum *quanquam cæteris promptum virtutibus, ad vsque astra votis omnium subuexit*, vt testatur Sex. Aurel. Victor. Schotti *c.* 40. Sed & Porphyrius *epistola ad ipsummet Constantinum*, Anno superiore 320. *in fine Oper. M. Velser. Cælestis*, inquit, *iudicii dignatione immensum mihi pondus impositum est, eius Imperatoris testimonio, qui inter belli pacisque virtutes, inter Triumphos & Laureas, inter legum functiones & iura, etiam Musis sibi familiaribus adeo vacas, vt inter tot Diuina Maiestatis insignia, quibus inuictus semper in primis es, huius etiam studii in te mices splendor egregius.* Cui Constantinus ipse respondet *ibid.* *Defuit*, inquit, *quorundam ingeniis Imperatorum fauor, qui non secus doctrina deditas mentes irrigare atque alere consueuit, quasi cliuosi tramitis supercilio riuus elicitus, scaturientibus venis arua arcuata temperauit : saeculo meo scribentes dicentesque, non aliter benignus auditus quam lenis aura persequitur : denique etiam studiis meritum a me testimonium non negatur.* Sane
P. 24. hoc ipsum arguunt ea, quæ memoriæ prodita, Constantinum liberos diligenter suos erudiri voluisse, & optimis eos erudiendos tradidisse præceptoribus, etiam Iuris Ciuilis, & aliarum bonarum litterarum doctrina, quod laudat *Eusebius* : vid. & Nazarium *Panegyrico, cap.* 4. Item quod legimus, eum Lactantium, qui Nicomediæ bonas literas docuerat, filio suo Crispo præceptorem in Gallia dedisse. In quo etiam patris sui Constantii Chlori domesticum exemplum habuit, qui nominatim vt adolescentes ingenuis artibus erudirentur summopere accurauit : cuius rei testis *epistola* eius *ad Eumenium*, vbi inter cætera: *Proinde quod aliud præmium his quam illud conferre debemus, quod nec dare potest, nec eripere fortuna* : & quæ hac occasione plura Eumenius *orat. pro scholis restaurandis c.* 14. vbi ideo eum *vere Principem iuuentutis* vocat. Verum ad Constantinum ipsum redeat oratio.

Vt cæteroquin qui literas amat, amat & literatos : quique adolescentes ingenuis artibus erudiri cupit, eum Doctores ipsos præmiis, & priuilegiis euehere necesse est : quo (vt ipsemet Constantinus loquitur) *facilius liberalibus studiis & artibus multos instituant* : quæ Tribonianus *huic leg.* attexuit. Ab hac mente sunt hæ tres Constantini M. constitutiones : & hæc quidem omnium prima, de Medicis & professoribus municipalibus, data Anno D. 321. περὶ ἰατρῶν καὶ ἀτελειῶν; quæ quidem, immunitatem eorum, securitatem a vulgi iniuriis, salaria, honoresque sanciunt. Quatuor scilicet his rationibus, & Πρεσβείαις præmiisque, Professoribus & Medicis consultum maxime voluerunt Principes, voluit Constantinus *hac leg.*

Primum est IMMVNITATIS Priuilegium, seu τῶν λειτουργιῶν ἀτέλεια, ἀλειτουργησία quo Constantinus M. Medicos, Grammaticos, aliosque Professores ab omni functione, seu ab omnibus muneribus publicis immunes esse iubet, quomodo etiam Tribonianus hæc recte *huic leg.* attexuit, *ab omni functione, & ab omnibus muneribus ciuilibus* vel *publicis.* Quod *Medicos* attinet, Augustus iam teste Dione *lib.* 53. *ad an. V. C.* 731. Medicis immunitatem munerum dederat. Quorum quidem munerum aliquam multa designantur duabus proximis Constantini M. constitutionibus puta *l.* 2. 3. quæ ibi explicabuntur. Immunes, inquam, neque ipsos tantum (& sic a muneribus personalibus) verum etiam res eorum (& sic a muneribus patrimonialibus :) Imo & vxores eorum & filios *d. l.* 3. Neque tamen primus Constantinus M. hanc eis immunitatem tribuit : verum beneficia, vt ipse ait, *d. l.* 3. Diuorum retro Principum confirmans. Et sane initium huius immunitatis reperio. Quod *Professores* attinet & in his nominatim Grammaticos, (de quibus vid. quæ Vossius *lib.* 1. *de Arte Gramm.*) iam inde a Vespasiano (eodem illo qui primus e fisco Rhetoribus salaria constituit) tributa nominatim & primum omnium immunitas a metato, ἀπισταθμία, (de qua *l.* 3. *inf.*) quod ostendit *l. vltim. inf D. de muneribus & honoribus.* Dataque etiam immunitas munerum personalium, quam vt & metati firmauit Hadrianus initio statim principatu, *d. l. vlt. in fine* : & *l.* ἐὰν δύο 6. §. ἔστι δὲ 8. *D. de excusat.* (tutor) De cuius studio erga Professores Philostratus quoque *in Marco Byzantio in fin. pag.* 530. *Edit. Morell.* & Spartianus *cap.* 16. *Omnes*, inquit, *Professores & honorauit & diuites fecit.* Et tamen memorant tum Philostratus *in Phauorino, pagina* 464. *Edit. Morell.* tum Xiphilinus ex Dione *in*

Adriano pag. 352. Edit. Sylburg. Phauorinum Philosophum περὶ τῆς ἀτελείας, quam in patria habere, vellet, agere quidem statuisse, sed veritum ne in eo iudicio succumberet, & insuper mulctaretur, postquam in ius venit, nihil aliud dixisse ad Imperatorem, quam præceptorem suum Dionem ea nocte sibi in somnis adstitisse, monuisseque λειτουργεῖν τῇ πατρίδι, ὡς καὶ ἐν ἐκείνῃ γεγεννημένον, *ne in patria in qua natus esset obire publica munera grauaretur.* Quod forte pertinet ad speciem *l. 6. §. 9. D. de excusat.* & *l. 9. in princ. D. de mun. & honor.* Nutasse hanc ἀτέλειαν sub Commodo aliquantum ex Philostrato, putaret quis: narrat enim is, *lib. 2. de vitis Sophistar. pag. 618. Edit. Morell.* Philiscum Sophistam, qui throno Atheniensi septem annis præfuerat, τὴν ἀτέλειαν ἐπ' αὐτῷ ἀφαιρεθέντα, id est, *immunitate priuatum*, ad Commodum Imp. prouocasse: cui publice dixerit, σύ μοι λειτουργιῶν ἀτέλειαν δέδωκας, δοὺς τὸν Ἀθήνησι θρόνον, *cum tu mihi sedem Athenis donasti, etiam immunitatem concessisti:* Sed Imperatorem respondisse, *neque ipsum immunem esse, neque alium quemquam docentium: Neutiquam enim propter breues ac quasdam miseras oratiunculas, ciuitates muniis publicis fungentibus a se priuandas;* οὔτε σὺ, εἶπεν, ἀτελὴς, οὔτε ἄλλος οὐδεὶς τῶν παιδευόντων, οὐδὲ γὰρ ἄν ποτε διὰ μικρὰ καὶ δύστηνα λογάρια τὰς πόλεις ἀφελοίμην τῶν λειτουργησάντων, verum hæc ita quidem Commodus Philisco infensus: At enim ibidem subiicit Philostratus, *idem Imp. Philostrato Lemnio* λειτουργιῶν ἀτέλειαν ἐψηφίσατο, *publicarum functionum immunitatem SC. concessit.* Sed & Commodi Imp. constitutio memoratur *d. l.* ἐὰν δύο *6. §.* ἔστιν δὲ *8.* cui inserta fuerint verba quædam ex constitutione D. Pii: etsi Modestinus ibi non dicat, quid a Commodo constitutum fuerat.

Exinde circa hanc immunitatem variæ quæstiones enatæ, quæ sequentium Imperatorum constitutionibus definitæ: veluti Antonini Pii, *d. l. 6. §. 2. 7. l. 1. & 4. C. Iust. de Profess. & Med.* de quo etiam Capitolinus *c. 11, Rhetoribus & Philosophis per omnes Prouincias & honores & salaria detulit*, (qui huic immunitati αἱρέσεις quasdam, id est, conditiones apposuit: Ita enim locus ille intelligendus, non de hæresibus, & sectis Philosoph.) Seueri & Antonini, *d. l.* ἐὰν δύο, *6. §.* ἔτι κἀκεῖνο *9. & §.* τὸν ἐν Ῥώμῃ *11. l. 11. in f. D. de mun. & honor.* Philippi Diocletiani & Maximiani, *l. 3. 4. 5. Cod. Iust. eod. tit. de Prof. & Medic.* & ipsi Iurisconsulti multa scripserunt, *d. l.* ἐὰν δύο. *6. l. vlt. in fin. D. de mun. & honor. l. 8. §. 4. l. 9. & l. 10. §. 2. D. de vacat. & excus. muner.* Sane post Constantinum Libanius quoque *diss. 3.* περὶ ἀπληστίας *in f. T. II. Oper.* innuit hanc esse sortem Professorum, τὸ ζῆν ἐν ἀτελείᾳ. Eodem pertinet Libanii *epistola* in MS. Regio *ad Modestum 282. & ep. 296. Edit. Wolff.* vbi memorat diserte, παλαιὸν νόμον βοηθοῦντα ῥήτορσιν, *antiquam legem, Rhetoribus proficuam*, de Rhetorum immunitate a muneribus publicis, ad quæ tum decretis ψηφίσμασι (Curialium) nonnulli adigebantur contra ius. Eodem denique spectat eiusdem *ep. 824. ad Proclum.* Et hoc quidem de Medicorum & Professorum immunitate, quæ intra munerum personalium immunitatem stetit. At enim munerum patrimonii immunitas non data, arg. *l. 8. C. I. de Philosophis:* & *l. 10. §. 2. de vacat. & excus. munerum.* Quæ tamen ipsa immunitas munerum patrimonialium a Constantino M. sancita *his tribus legibus.*

Et nihilominus tamen quod secundum γέρας Medicis & Professoribus a Constantino M. tribuitur, idem HONORVM in ciuitatibus suis capessendorum facultatem eia tribuit: honorum, inquam, seu dignitatum, vt *f. l. huius* dicitur, municipalium videlicet. Quid inter munera & honores intersit, notissimum ex *l. 6. §. 3. l. 10. 11. 14. D. de munerib. & honorib.* & quidem nominatim inter munera personalia & honores: nempe illorum nonnulla etsi in administranda Republ. consisterent, attamen *munera* proprie dicta, sine titulo dignitatis, vt docet vel *lex 14. §. 1. D. de munerib. & honorib.* Honor vero municipalis, erat administratio Reipubl. cum dignitatis gradu, etsi non sine erogatione contingens, *d. l. 14. in princ.* cuiusmodi est Duumuiratus, qui est veluti imago Consulatus, P. 25. & Consulatus municipalis, qui *magistratus* nomine hic & alibi designatur. *Defensio ciuitatis*, qui est quasi Tribunatus plebis, item *ædilitas, & sacerdotium.* Vt omittam alias inter honores & Munera differentias: isthæc notetur. Nempe Medicos & Professores immunitatem habere a muneribus, non ideo tamen honoribus arceri, verum iis fungi posse: quomodo & alias non illico qui a muneribus excusatur, & honores ei remittuntur, seu ab his excusatur, *l. 12. D. de munerib. & honorib.* ratione ibi addita, *quia hoc ad honorem magis quam ad munera pertinet.* Ergo quibus data erat vacatio munerum, non ideo honores sibi delatos (qui cum erogatione sæpe coniuncti erant) defugere poterat, & inuitus eos subire cogebatur. Est quædam similis hac Constantini M. constit. circa Medicos & Professores differentia, sed tamen amplior & honorificentior: illo casu, qui a muneribus immunis est, inuitus tamen honores sibi delatos subire cogitur: verum ita a muneribus immunes a Constantino M. fiunt Medici & Professores, vt tamen non inuiti quidem, verum volentes honoribus fungi possint: *Fungi*, inquit, *eos honoribus volentes permittimus, inuitos non cogimus:* ratione præmissa; *Quoniam*, ait, *grauissimis dignitatibus vel parentes vel domini vel tutores esse non debent.* Quæ quidem verba, si quæ *hoc Codice*, male sana, omnemque medelam respuere mihi semper visa. At nunc vel leuicula hac mutatione locus restituendus: *quoniam graues* (id est, grauati inuiti) *grauissimis dignitatibus*; vel sustineri posse putem commoda hac interpretatione. Nempe quidam honores, comparantur hic cum officiis parentum, Dominorum, & Tutorum; vt ecce defensores ciuitatum *parentes* seu patris vicem plebi exhibebant: *l. 4. Cod. Iust. de defensor. Ciuit.* sed & curatores Ciuitat. fuere τοῦ κοινοῦ πατέρες. Igitur æquum non est Medicos & Professores *grauissimas*, id est, onerosas sibi dignitates subire cogi: quæ dignitates *parentes, dominos, & tutores deposcunt:* *Parentes*, inquam, ac proinde prono pietatis & sedulitatis affectu: *dominos*, & sic tanquam rei suæ prouidos: *tutores* denique vice dominorum instar: Ac si diceret, dignitates non recte sustineri, nisi ab iis, qui Parentis pietatem & officiosam sedulitatem domini & vice domini, id est, tutoris diligentiam ad eam adhibituri sint. Quare nonnisi volentibus Medicis & Professoribus harum aditum permittendum, inuitos non cogendos. Quod vtique recte de Medicis & Professoribus dicitur, quorum est explorare, num aut salutis procurandæ, aut erudiendæ iuuentutis ratio (quæ duo maximum fauorem merentur & remissos animos requirunt) sibi permittat etiam honores in Ciuitate sustinere, qui non ideo eos a proposito institutoque vitæ abducturi sint. At non idem de aliis recte dicitur: Nam alioquin munus quamlibet publicum sustinenti honor deferri potest, *l. 10. D. de munerib. & honor.* Ratio differentiæ petenda

est

est vti dixi, a Medicorum & Professorum instituto & proposito, qui vt sese alio abduci inuitos non patiuntur, propter sedulam & assiduam curam, quam hi professionibus suis debent; ita si integra Professione sua honores adipisci gestiant, ad hoc aditum hic præberi æquum est: ne alioquin in eorum numerum relegentur qui ab honoribus submoti sunt. Poterant igitur Medici & Professores, si vellent, Duumuiri, Defensores, Gymnasiarchæ, Ædiles, Sacerdotes, Flamines, Legati creari, (quæ & ipsa munera personalia dicuntur & honores) quorum alioquin immunitas iis firmata ab Hadriano inito statim Principatu *d. l. ἐὰν δύο 6. §. 8. D. de excusat.* ἀτελεῖς, inquit, εἶναι γυμνασιαρχιῶν, ἀγορανομιῶν, ἱερωσυνῶν, μητὲ πρεσβεύειν, *immunes esse a Gymnasiarchia, ædilitate, sacerdotio, neque legatas esse.* Sane ipsius Hadriani Temporibus Sophistas a ciuitatibus suis ad Imperatores Legatos missos, βασιλείους πρεσβείας, πρεσβευτικὰ, his commissa, plurimis locis Philostratus testatum reliquit: ita Marcum pro Byzantinis πρεσβεύοντα, *lib. 1. de vit. Sophist pag. 530.* ita Polemonem pro Smyrnæis *lib. eod. pag. 531. & 535.* Scopelianum siue pro Smyrnæis, siue pro Communi totius Asiæ *lib. ead. pag. 520. Edit. Morell.* ad Hadrianum Imp. memorat Philostratus: Proculdubio vltro susceptis legationibus: Alioquin his immunes erant, vt & sacerdotio. Hinc cum sub Hadriano Phauorinus in patria ἀρχιερεὺς Sacerdos electus fuisset, teste Philostrato, *lib. 1. de Vit. Sophist. pag. 494. Edit. cit.* ἐφῆκε κατὰ τοὺς ὑπὲρ τῶν τοιούτων νόμους, ὡς ἀφειμένος τοῦ λειτουργεῖν, ἐπειδὴ ἐφιλοσόφει, id est, *prouocauit ad leges super hoc latas, ceu immunis a muneribus publicis, vtpote Philosophus:* ita enim locus ille vertendus erat, quem non cepit Interpres. Et hæc de Honorum capessendorum iure Medicis & Professoribus relicto.

Tertio capite Constantinus M. Medicos & Professores a vulgi *INIVRIIS & vexationibus* vindicat, sanctasque eorum personas reddit, quomodo & aliæ personæ sanctæ ita redduntur ab iniuriis iure Romano, ἱεροὶ καὶ ἄσυλοι sacrosancti. Nempe in ius vocari eos passim iniuriasque his inferri, hos vexari mos incesserat, scilicet hoc genus hominum ac nominatim Sophistæ in contemptum venerant, tanquam ἀγροικοὶ forique vsus nescirent; (forte tanto magis, quia Christiana Religione iam inualescente in contemptum venerant hi Professores ferme Gentiles) sic vt ad fora iudiciaque pertraherentur, hisque minæ & formidines iudiciorum impetitis intentarentur: Id enim est *hac l. in ius vocari.* Quare non sunt audiendi qui putant *hac leg.* Medicis & Professoribus facultatem dari per curatores causas suas agendi, vel hoc tertio capite & priuilegio tribui fori præscriptionem Medicis & Professoribus. Nil tale. Sacrosanctas enim quodammodo eorum personas hic reddit, ne quis impune eos iniuriis vexaret, inque ius pertraheret obtorto collo. Ad sacrosanctas eorum personas pertinere censeo ἱερῶσθαι, quod inter cætera præmia dari solitum Sophistis ait Philostratus, & vero datum ait Adriano Sophistæ a Marco Imp. *lib. 2. de Vit. Sophist. pag 585. Ed. Morell.* ἐπὶ μέγα ἦρε δωρεαῖς τε, καὶ δώροις, καλῶ δὲ δωρεὰς μὲν, τάς τε σιτήσεις, καὶ τὰς προεδρίας, καὶ τὰς ἀτελείας, καὶ τὸ ἱερῶσθαι, καὶ ὅσα ἄλλα λαμπρύνει ἄνδρας, *muneribus & donis euexit: munera voco sportulas, stipendia, prærogatiuas, immunitates, pontificatus, & cætera, quæ viros illustrant,* vbi est qui interpretatur *Sacerdotii honorem.* Quod recte refutant alii: inter alia quippe contra pro præmio immunitas data a Sacerdotio Professoribus, *l. 6. §. 8. D. de excusat.* Neque admitto emendationem καὶ τὸ ἱερῶσθαι, quasi dixisset immunem factum etiam Sacerdotiorum. Igitur ab his iniuriis eos vindicatum it, hac constitutione Constantinus M. *multa* centum millium nummorum indicta ei, qui in ius eos vocasset, vel iniuriam eis intulisset, cuius multæ *hac leg.* definitæ, vt & deinceps, vbi de seruo agetur, memoriam sustulit Tribon. in *leg.* sura ex hac interpolata, *arbitrariam* eam reddens. Quæ vtique ingens summa est mille aureorum, vt æstimant rei nummariæ periti: cuiusmodi sextuplum salarium Eumenio Oratori a Constantio Chloro datum, *in sexcentis millibus nummum*, quæ ipsum ex Reipubl. Augustodunensis viribus accipere voluit: vt disserte habet tum ipsius Constantii *epistola cap. 14.* tum Eumenii professio *cap. 11. orat. pro restaur. schol.* Quorum lectionem recte vindicat Liuineius. Imo cuiusmodi omnino salarium Vespasianus teste P. 46.
Suetonio *cap. 18.* Latinis Græcisque Rhetoribus annua centena constituit: id est, centum millia nummorum: de quo mox *vltimo capite.* Et huius quidem multæ exigendæ curam iniungit Magistratibus vel Quinquennalibus, qui si eam non exigerent ipsi inferre tenerentur: scilicet dissimulatione Magistratuum municipalium ad huiusmodi iniurias & procaciam vulgus efferebatur. *Magistratus, hac leg.* vt & aliis quam plurimis *legibus*, ac præsertim *supr. tit. de Decurionibus* sunt Duumuiri seu Magistratus municipales, qui potestatem intra metas propriæ ciuitatis exercebant, vt iam notum: vide dicta ad *l. 174. supr. de Decurionib.* qui quidem annalis Magistratus erat, *l. 16. supr. de Decurionib.* & vt docet *lex 1. supr. quemadm. mun. ciuil.* In aliis ciuitatibus seu municipiis & coloniis Magistratus *Quinquennales* dicebantur. Quorum vnica illhæc mentio *hoc Codice* occurrit de his Quinquennalibus (nam alii sunt Quinquennales Collegiorum, de quibus *lib. 14. ad leg. 7. de pistor.*) Spartianus *Adriano cap. 19. Fuit*, inquit, *in patria sua* (Italica Bæticæ) *Quinquennalis: & item Adria Quinquennalis quasi in alia patria:* in Glossis *cap. de Magistratibus p. 291. Quinquennalis*, πενταετηρικὰς. Meminit & Apuleius *lib. 10 pag. 202. Edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire. gradatim permensis honoribus Quinquennali Magistratui fuerat destinatus.* Vide eundem etiam *lib. 11.* Horum frequens mentio in veteribus inscriptionibus, quas hic memorare longum: fuisse eos quoque *Duumuiros* apparet ex *Inscript ap. Gruter. CLXVIII. 6.* vbi *Duouiri Quinquennales* vocantur,

M. GAVIVS. T. F
Q. VISELLIVS. Q. F.
GALLVS
DVOVIR. QVINQ.
CREPIDINES. CIRC
FORVM. S. P. F.

Item *CCCLIX. 3.*

T. APPAEO. T. F. VEL
ALFINIO. SECVNDO
PROC. AVGVST. XX. HERED
PROC. ALP. ATRECTIANAR
PRAEF. VEHICVL. SVB. PRAEF
CLASS. PRAET. RAVENN. PR
ALAE. I. AVG. THRAC. TRIB. COH
I. AELIAE. BRITTON. PRAEF
COH. IIII. GALLOR. PATRON
COLON. FLAMINI. DIVOR
OMNIVM. AVGVRI
II. VIR. QVINQ. BIS
OB. MERITA. EIVS.
D. D.

Item *CCCCXLV. 5.*

C. OFILIO. SEX. F
GAL. OVO. VIR. tTARVM
QVINQVENNALI

Item *CCCCXXXXIIII. 8.*

L. OCTAVIO. L. F. CAM
RVFO. TRIB. MIL. LEG. IIII.
SCYTHICAE. PRAEF. FABR
BIS. DVOMVIRO. QVINQ. EX
S. C. ET. D. D. AVGVRI. EX. D. D
CREATO &c.

In iisdem Inscriprionibus *CCCXXII. 8.* vbi de Albia Balbina Flamioica Pisauri & Arimini, Patrona Municipum Pitinatium & Pisaurensium.

ALBIAE. C. F. BALBINAE
FAMINICAE. PISAVRI. ET
ARIMINI. PATRONAE. MVNICIPI
PITINATIVM. PISAVRENSIVM
HVIC. ANNO. QVINQVENNAL. PETINII.
PRISCI. MARITI. EIVS. PLEBS. VRBANA
OB. MERITA. EORVM : : : : : :
: : : : : CVI. IMP. : : : : : :
: : : : : : : : : : : : : : :
IVS. COMMVNE. LIBERORVM. CONCESSIT
L. D. D.

Qoare iam patet, falli virum doctissimum, qui *Duumuiris* eos comparauit: verum pro defensoribus ciuitatum accepit: hoc argumento, quod Defensores ciuitatum olim, ante *Nouell. 15.* integro quinquennio essent: Cui & hoc argumentum commodare possem: quod hic agatur, de defeodendis Medicis & Professoribus ab iniuriis, quod vtique muoeris defensoris cioitatum fuisse videtur. Verum perpendere is debuit Duumuiros Quinquennales in *Inscriptionibus* quoque dici. Quid quod hac Coostantini M. ætate Defensores hos incognitos fuisse puto, vtpote posterius institutos, & vt censeo, sub Valentiniano & Valente primum, quorum est *lex 1. Cod. Iust. de Defensorib. ciuit.* (cui etiam iungenda est *lex 4. supr. de his quæ administr.*) quæ data Aono 365. antiquissimam omoium horum Defensorum meotionem continet: Ita quidem vt *duabus illis legibus* iodicari videatur recens tum eorum institutum fuisse: Saltem formula officii defensorum iis cootinetur. Ad Magistratus & Quinquennales redeamus, quibus hoc ioiungitur *hac leg.* vt Medicos & Professores a vulgi vexationibus & iniuriis vindicent, vexatores suo periculo moltent. Additur de seruis, iniuria ab his facta Medicis & Professoribus; scilicet eo procacitatis ventum, vt vel vltro serui etiam his iniurias inferreot, eos vexarent: vel etiam a domiois immissi, ceu canes latrantes. Igitur iubet Constantinus M. si id fecerint insciis dominis, flagellis eos cædi a Dominis, Professore iniuria affecto præsente: si domino consentiente, viginti millibus nummorum dominum multari iubet: seruo interim pro pignore donec multam fisco intulerit, retinendo: Quod pignoris legitimi genus notandum. Flagellis scilicet seruos verberari iubet, id est loris, quæ vtique seruilia verbera sunt, vt equidem Coostantini constitutio, *l. 1. supr. de emendat. seruorum*, ostendit.

Quarto capite iubet Constantinus M. Mercedes, seu SALARIA, Medicis & Professoribus in ciuitatibus reddi, id est præstari, quæ scilicet olim præstita, aliquandiu denegata videntur, vel aliquo prætextu denegabantur. De quibus annonis Professorum quoque agitur *l. 11. infr.* Non ex fisco (de hoc enim Professorum salario hic non agitur, oeque nos etiam hic de eo agemus, verum *l. 11. infr.*) verum de eo salario, quod a singulis ciuitatibus Professoribus dari solitum ex viribus Reipublicæ: cuiusmodi sane salarium a Coostantio Chloro Eumenio ex Augustodunensis Reipublicæ viribus datum *in sexcenis millibus nummum.* Meminit & Libanius *in MS. Regio epist. 127. f. 132. ed. Wolf. ad Eutocium:* vbi agit de Eudæmone Ægyptio Rhetore: δότω τοίνυν ἡ πόλις διὰ σοῦ χάριν Εὐδαίμονι. τίς δὲ αὕτη; τιμᾷ τὸν παιδευτὴν ἡμῶν ὁ βασιλεὺς τῇ βασιλικῇ τροφῇ. ταύτην δὲ ἡμῖν ἀργυρίου βουλόμενοι γενέσθαι πρὸς ὑμᾶς εἴδομεν, ἐνθυμηθέντες, ὡς ἡ πρᾶσις δεῖται τῆς Εὐτοκίου φιλοτιμίας. &c. καὶ προσδέχου παρ' ἀνδρὸς εἰδότος λέγειν ἔπαινον ἀντὶ τῶν χρημάτων: *det itaque vrbs per te Eudæmoni beneficium. Quodnam porro illud? est hic ei, qui apud vos docet, honos a principe decretus, vt imperatoris sumtibus alatur. Eum honorem parare argento cupientes, ad vos respeximus, cum visa esset illa venditio Eutocii fauore indigere &c. A viro autem dicendi perito laudem pecuniæ loco exspecta.* De eo scil. salarii genere *hac l.* Constantinus M. agit: Cuius vnica mens hac tota constitutiooe ipsas ciuitates respicere videtur; ab vna parte scilicet Medicorum Professorumque dignitatem vindicando a Muoeribus ciuitatum, & a plebis iniuriis, ab altera parte Hooorum vrbis copiam eis faciendo, simul & salaria eis præstari iubendo. Quæ proculdubio his per ioiuriam a Ciuitatibus deoegabantur: forte vel quia his soluendis non sufficerent, vel quia soluere Christianæ iam ciuitates nolleot Paganis Doctoribus. Symmachus

machus certe sua ætate nescio qua occasione Romanæ Iuuentutis Magistris subsidia solemnis alimoniæ detracta scribit *lib. 5. ep. 35.* Idemque *lib. 1. epist. 73.* Professoribus Romæ salarii emolumenta & annonas a Senatu decreta Auctor est, sic tamen vt id confirmaretur a Præfecto Prætorio Italiæ.

Cæterum vt de annonis Professorum agitur quoque *l. 11. infr.* ita de iisdem est egregia Athalarici ad Senatum V. R. oratio apud Cassiodorum *IX. Var. 21.* de his inquam iis soluendis absque nundinatione vlla, sine vlla diminutione: & quidem duabus: pensionibus priore post menses sex absoluti muneris: posteriore, anno expleto. Libanii epistola huc pertinet *ad Andronicum*, Phœniciæ Rectorem *ep. 225. in Cod. Regio f. 231. ed. Wolf.* vbi de Antiocho medico agit, cui in aliam militiam translato equorum collatio indicta fuerat, a qua eum Imperator liberauerit, & Rectores Phœnices: *Ἀντίοχος ἁπάσῃ μὲν βοηθεῖ τῇ πόλει, διὰ τῆς ἰατρικῆς.* & post: *περιπεσὼν τῇ Τραιανοῦ δικαιοσύνῃ τελῶν εἰς ἑτέραν στρατείαν, εἰς τὴν ὑπ' ἐκείνῳ τότε οὖσαν ἐγγράφεται, καὶ ἵππους ἔδει παρέχειν. ἀλλ' οὐκ ἐᾷ βασιλεὺς λύων καὶ τὴν προτέραν ζημίαν. τοῦτο μὲν οὖν Ἐλπίδιος αὐτῷ βεβαιοῖ, καὶ νῦν Εὐλάλιος παρ' ἐκείνῳ. μικρὸν δὲ ὕστερον παρά σοι κομίζων τὴν γνῶσιν,* P. 37. *μᾶλλον δὲ ἔχει τὴν βασιλέως ἤδη γνῶσιν ἐν ἀντιγράφοις παρεζευγμένην, καὶ τοὺς ἵππους ἐξαίρει τῶν δραμουμένων. ὅπως μήθ' ὕστερον ἐγγένοιτο τῷ πράγματι ταραχὴ, τῷ τε ἰατρῷ δι' ἡμῶν ᾖ τι τῶν κατὰ νοῦν πεπραγμένων.* *Antiochus totam quidem vrbem sua medendi arte iuuat: Traiani statutis obnoxius, cum in aliam cohortem transiret, illi, quæ huius tunc erat, adscribitur. Itaque equos suppeditare debebat. Sed non permisit rex priorem quoque multam rescindens. Hoc vero Elpidius ipsi ratum facit, apud quem nunc est Eulalius. Breui interim rem tibi iudicandam tradet, vel potius regis sententiam, cuius copia adiuncta est, iam habet, & equos currentium numero eximit. Vt itaque nec imposterum causa hac turbetur, Medicoque illi per nos aliquid fiat, quod ex voto sit, tu prouidebit.*

II. (a) Idem A. ad Rufinum PF. P. (b)

ARCHIATRI omnes, & ex-Archiatris, ab vniuersis muneribus Curialium, (c) Senatorum, (d) & Comitum, Perfectissimorumque (e) muneribus, & obsequiis quæ Administratione perfunctis (f) sæpe mandantur: a præstationibus quoque publicis liberi immunesque permaneant: nec ad vllam auri (g) & argenti, & equorum (h) præstationem vocentur, quæ forte prædictis Ordinibus, aut Dignitatibus adscribuntur. Huius autem indulgentiam functionis, ad Filios quoque eorum statuimus peruenire. Dat. XII. Kal. Iun. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. Coss. [326.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iust. GOTHOF.* Nota in hunc annum incidere Constantini *Vicennalia* Romæ celebrata, ex quibus & hæc lex lucem capit *Vid.* Pagius *in Crit. ad Annal. Baron. h. a num. 2. RITTER.*

(b) *Rufinus* quidam sub Constantino M. P. V. primum fuit Anno 313. 314. 315. 316. deinde Anno 319. PP. vt docet *Chronol. nostra. & Prosopogr.* At enim Anno 326. cui Anno *lex hæc* adscribitur, nullo alio præterea loco Rufinus PP. designatur, de quo mox. *GOTHOF.*

(c) *V. l. 16. infr. hoc tit. ID.*

(d) Prætura, *l. 12.* Glebali collatione, *l. 15. 16. 19. infr. ID.*

(e) Vide *tit. supr. de Perfectissim. dign. ID.*

(f) Honoratis: de quibus *l. vnic. supr. de off. Iudic. Ciuil. & l. vnic. infr. de honoratorum vehic. ID.*

(g) An hic intelligitur collatio donatarum, &c. vide. *l. 1. & 2. supr. de collatione donatarum.* An aurum tyronicum? Hoc puto. *ID.*

(h) Vide *titulum*, supr. *Qui a præbitione tyronum & equorum excusentur*: cuius *lege 1.* Comites Archiatrorum ab illis collationibus excipiuntur. *ID.*

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc Constantini M. constitutio est. Et hæc quidem de ARCHIATRORVM vel EX-ARCHIATRIS, immunitate: de qua sunt præterea septem constitutiones *hoc tit.* puta *lex* 12. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Archiatrorum, S. Palatii scilicet (de quibus quoque *suo titulo, supr. de Comitib. & Archiatris S. Palatii*) Alii quippe sunt Archiatri, de quibus *l. 4. 8. 9. 13.* nempe vrbis Romæ Medici. Igitur Archiatri, & ex Archiatris, S. Palatii eorumque filii ab omnibus muneribus publicis immunes *hac leg.* pronuntiantur: Quinimo & ab omnibus muneribus, quæ certos Ordines & dignitates manebant, iisque incumbebant, vel subinde adscribebantur: de quo tamen dubitari poterat, eo quod nonnulli Archiatrorum istorum & ex Archiatris Curiali conditione erant, vel certis dignitatibus decorari solerent; veluti Senatoria; Comitum Perfectissimorum, quomodo sane Symmachus *lib. 10. epist. 40.* Ioannem *V. P. Medicum*, id est, *Virum Perfectissimum*, vocat, vt recte *ibi* Iuretus explicauit. Item admini-

stratione

ſtratione Prouinciarum: quibus omnibus vel ordinaria muneta incumbebant, vel extra ordinem ſæpe quid mandabatur, muneris & obſequii, vel præſtationis vel collationis. Quod quidem de Curialium muneribus, Senatoria glebali collatione, vel Pretura, item de extraordinaria indictione, quæ Honoratis in adminiſtratione perfunctis adſcribebatur, veluti Tyronum & Equorum præſtatione, aliunde clarum eſt: puta *ex tit. de Decurionibus:* tit. *de Senatoribus & glebali collat.* tit. *de Prætorib.* item ex tit. *qui a præbitione Tyronum & Equorum:* muneribus pariter, quæ Perfectiſſimorum dignitatem adeptis incumbebant. Eſt præterea eiuſdem Conſtantini M. conſtitutio, *l. 1. ſupr. de honor. codicillis.* ſed & *l. 15. ſupr. de Decurionib.* de quo dixi plene ad *tit. de Perfectiſſim. dignit.* De his quæ Comitiuæ dignitatem adeptis incumbebant, dictum etiam *l. 36. ſupr. de Decurionibus.* Ergo cum aliis Curialibus, Senatoribus, Comitibus, Perfectiſſimis, Honoratis, ſua quædam munera incumberent, vel extra ordinem iniungerentur, & in his auri, argenti præſtatio, vel equorum: attamen Archiatri, ex Archiatris, etſi prædicti ordinis eſſent Curialis, Senatorii, vel prædictis dignitatibus honorati fuiſſent, illos iſtorum Ordinum & Dignitatum oneribus & muneribus immunes reddidit *hac leg.* Conſtantinus. Ergo Archiatria Curiali conditione & muneribus liberat Archiatros, & filios eorum. Item a Senatoria & Glebali collatione, a Preturæ honore, a Comitum & Perfectiſſimorum oneribus, ab auri & argenti collatione, vel equorum præſtatione. De Curialis oneris immunitate Medicis tributa vide plura ad *leg. 4. infra.*

III. (a) Idem A. ad Populum. (b)

BENEFICIA Diuorum retro Principum (c) confirmantes, Medicos, & Profeſſores litterarum, vxores etiam & filios eorum ab omni functione & ab omnibus muneribus publicis vacare præcipimus, nec ad militiam (d) comprehendi, neque hoſpites recipere, nec vllo fungi munere; *quo facilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant.* (e) PP. V. Kal. Octob. Conſtantinop. Dalmatio & Zenophilo Coss. [333.]

NOTÆ.

P. 28. (a) Ex *hac* quoque *lege* pars *legis 6. Cod. Iuſt. eod. tit.* deſumpta eſt. *GOTHOF.* In hunc annum incidunt *Vicennalia* Conſtantini Iunioris, quod probat Pagius in Crit. ad Annal. Bar. num. 2. h. a. In iis autem ſolemnibus priuilegia data, notum eſt. *RITTER.*

(b) Vrbis Conſtantinop. nam ibi propoſita hæc *lex*, vt docet ſubſcriptio *legis. GOTHOF.*

(c) Iam de hoc egi ad *l. 1. ſupr. ID.*

(d) *Militiam*, id eſt, Tyronum præſtationem *h. l.* & *l. 10.* & *16. infr. ID.*

(e) Hanc rationem ſiue hunc finem diſcuſſi, & ad ingenium Conſtantini M. expendi ad *d. l. 1. ſupr. ID.*

COMMENTARIVS.

TERTIA hæc Conſtantini M. conſtitutio eſt, de Medicis & Profeſſoribus: qua Medicorum & Profeſſorum, itemque vxorum & filiorum eorum plenam ab omnibus muneribus immunitatem, iam ante beneficiis Principum tributam, ſancit Anno D. 333. Ratione etiam addita: *quo facilius*, inquit, *liberalibus ſtudiis & memoratis artibus MVLTOS inſtituant.* Quam etſi ſuperius ad *l. 1. ſupr.* expenderimus, vna cum recenſu Principum, quorum beneficia ſuper hac immunitate iam olim proceſſerunt ante Conſtantinum: Attamen ad hiſtoricam huius conſtitutionis rationem apprime facit. Nempe Conſtantinus M. Conſtantinopolim ante triennium a ſe excitatam, hominum multitudine frequentari cupiens, ſtudiis quoque literarumque Profeſſione eam vrbem fundare inſtituit. Quare & inter alia, Medicorum Profeſſorumque immunitatem ſancitum iuit, quo facilius illi multos inſtituerent. En ſane exemplo Iulius, teſte Suetonio *cap. 42.* vt exhauſtæ vrbis frequentia ſuppeteret, omnes Medicinam Romæ profeſſos & liberalium artium Doctores, quo libentius & ipſi Vrbem incolerent, & exteri appeterent, ciuitate donauit. Libanii huc epiſtola pertinet, *ad Celſum 635.* Ὁ νόμος τοὺς ἰατροὺς μίαν ἀπαιτεῖ λειτουργίαν, τὴν ἀπὸ τῆς τέχνης. Φίλων δὲ πρὸς τὰ βουλευτήρια ὑπὸ τῶν Ῥῶσον οἰκούντων ἕλκεται πάλαι πολλοὺς ἐκ νοσημάτων ἀναστήσας. εἰ μὲν οὖν ἀγνοοῦσιν, ὡς ἰατρὸς ὁ Φίλων, μαθόντες παυσάσθωσαν. εἰ δὲ εἰδότες βιάζονται, Φίλων μὲν ἴσως ἀσθενής, ἰσχυρὸς δὲ ὁ νόμος: *leges quidem vnum hoc in publicum miniſterium a Medicis poſtulant, quod ab arte præſtant. Philo autem a Rhoſi incolis in ſenatum abripitur, qui pridem multos a morbis liberos præſtitit. Quod ſi igitur ignorant, Philonem Medicum eſſe, rem edocti, deſiſtant. Si vero rem probe ſcientes compellere pergant, infirmus forte eris Philo, lex vero validiſſima.*

Porro inter cæteras immunitates Medicis & Profeſſoribus eorumque vxoribus & liberis datas, Conſtantinus duas nominatim hic memorat, puta vt, Ne ad militiam comprehendantur, neque hoſpites recipiant; pariter vt Valentinianus Sen. *l. 10. infr. Eoſdemque ad militiam minime comprehendi placet: ſed nec hoſpites militares recipiant:* quæ lex procul dubio ad hanc efformata eſt. Et Theodoſius Iun. *l. 16. infr. Ita vt nec ad militiam liberi memoratorum trahantur inuiti.* Imo antiquiſſimo iam Hadriani Imp. beneficio quod Antoninus Pius renouauit ſua conſtitutione, *in l. ἐὰν δύο. 6. §. ἔστι 8. D. de excuſationib.* quoque etiam Conſtantinus reſpexit, ἀτελεῖς εἶναι ἐπισταθμιῶν, &c. καὶ μήτε κρίνειν μήτε πρεσβεύειν, μήτε εἰς στρατείαν καταλέγεσθαι ἄκοντας, μήτε εἰς ἄλλην αὐτοὺς ὑπηρεσίαν ἐθνικὴν ἤ τινα ἄλλην ἀναγκάζεσθαι.

immu-

immunes esse a munere metati &c. neque iudicare neque legatos esse, neque in militia numerari nolentes, neque ad alium famulatum eos cogi. Ad militiam itaque comprehendi trahique tribus illis legibus non tantum ipsi non possunt, sed neque eorum liberi quasi tyrones in tyrocinium militiæ (vt loquitur *lex* II. *supr. de Tyronib.*) Nempe etsi tyrones vtrius familiis (vt loquitur Symmachus *lib.* 6. *epist.* 58.) seu Plebeiis indicerentur, *l.* 7. *supr. de Tyronib.* Medicique & Professores e populo essent, *l.* 2 *infr. de studiis lib. V. R.* attamen tyronum præstatione immunes erant. Et tamen non id semper obtinuisse colligat quis ex Libanio *epist. ad Anatolium* 365. vbi agit de Marcelli Medici duobus filiis, διὰ τοῦτο πάνυ γέρων ὤν, πάνυ νέους υἱεῖς τρέφει, ὃς ἄρτι γάλακτ῀ απαλλαγέντας εἰς στρατιώτας ὁ βασιλεὺς ἀνέγραψεν, ὧν νῦν ὁ καλὸς ἡγεῖται Μουσώνι῀, πράτ]ων αὐτοῖς ἀσφάλειαν εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον: ἀλλὰ νῦν κηρύγματα περιφοιτᾷ χωρεῖν ὡς ὑμᾶς, οἷς ἔτ῀ ὁ βί῀: τοῖς δὲ Μαρκέλλου παισὶν οὐχ ὅπως τοῦτο ῥᾷστον, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὑπερβῆναι τὰς πύλας. δεδοίκαμεν δὴ μή· τοῦτ᾽ αὐτοὺς ἐκβάλλῃ τοῦ σχήματ῀, καὶ σε δεόμεθα τηρεῖν αὐτοὺς ἀπόντας εν τῷ σχήματι &c. id est: *Ideoque cum admodum senex sit, admodum iuuenes educat filios, quos recenter lacte depulsos Imperator militibus adscripsit, quibus nunc egregius Musonius præest, qui immunitatem iis (a militia) hactenus semper præstitit. Verum nunc Edicta promulgata, vti ad vos sese conferrent ii, quibus hoc vitægenus est; Marcelli autem liberis tantum abest vt hoc facile sit, vt ne portas quidem transgredi valeant: Et veremur, ne ob hoc militia deiiciantur: Quare vteos in militia absentes serues te rogamus.* Verum an Marcelli Medici filii vltro a patente militiæ oblati fuerint, an vero vt tyrones exacti? non liquet.

Addit, neque hospites recipere: scilicet a Metati onere (id enim est hospites recipere) Medici & Professores immunes fuere: vt *hac leg.* ita & *d. l.* 10. 16 18. *infr. hoc tit.* Id quod vetustissimum priuilegium Professoribus & Medicis nominatim datum est præter ciuilium munerum vacationem (vna cum angariarum immunitate, *l.* 10. §. 2. *D. de vacat. muner.*) a Vespasiano & Hadriano, vt docet Arcadius Charisius horum ferme Constantini M. temporum scriptor *l. vlt.* §. *vlt. D. de mun. & honorib.* vt maxime tum ab aliis patrimonialibus muneribus immunes non essent, vt docui ad *l.* 1. *supr.* & metatum seu munus recipiendi hospitis munus patrimonii non personæ esset: *l.* 3. §. 14. *D. de munerib. & honorib.* seu reteohæreret, *l.* 11. *D. de vacat muner.* Eaque immunitas etiam nominatim comprehensa fuit ea Hadriani constitutione, cuius partem Antoninus Pius *sua epistola* meminit referente Commodo apud Modestinum, quam superius quoque consignaui, ἀτελεῖς, inquit, εἶναι γυμνασιαρχιῶν, ἀγορανομιῶν, ἱερωσυνῶν, ἐπισταθμιῶν σιτωνίας, ἐλαιωνίας. Quem locum vetus Interpres ita male reddidit, *immunes esse gymnasiis Sacerdotii stantes, & neque ad frumenti & vini & olei emptiones & præpositiones.* Nullo partim sensu, partim & mutilo; cum dicere deb eret: *immunes esse a munere Gymnasiarchiæ, Ædilitatis, Sacerdotii, Metati, Sitoniæ, & Elæoniæ.* De quo duo lumina illa Iuris nostri, Antonius Augustinus, & Iacob. Cuiacius affatim. Vni tantum isti nunc adhæreamus: ἐπισταθμίας loco illo nihil aliud sunt quam onus metati, quod & ipsum illi iam docuere post Budæum: Hesychius ἐπισταθμία, ὑποδοχὴ ξένων: eaque voce etiam Cicero vsus ad Atticum *lib.* 13. *ep. vlt.* ergo Medici & Professores ἀσταθμευτοὶ fuere.

Risi nuper doctum Virum (sed non Iuris) qui *lib.* 4. *Miscell. cap.* 1. *p.* 5. 6. hanc interpretationem improbans, & Græcis Modestini verbis, atque adeo genuinis non inspectis, vel saltem non attentis, quasi Modestinus eum librum *de excusationib.* atque adeo eam *legem* Latine conscripsisset, Latinæ interpretationi illi omnium insulsissimæ, tanquam authentico adhærens Cuiacii primum mentem alio traduxit, quasi quæ is pro genuino illius loci sensu scripsit, eo scripserit, vt emendaret corruptam Interpretis lectionem, qui eo scripsit vt insulsam Interpretationem proscriberet, post Antonium Augustinum: tum deinde locum hunc Interpretis, si Deo placet, authenticum, ita ex coniectura sua rescribi debere ait: *immunes esse Gymnasii, Sacerdotis, Stati,* &c. Et *stati* ait Magistratus nomen esse. Hesychius ; στατὴ, ἀρχή τις: Et quidem suspicione ex vocis originatione tracta, Magistratum forte fuisse περὶ ἐπισταθμίας. Quæ diutius refellere nil attinet, cum sponte sua ex prædictis dissiliant. P. 29

Geminus Germanus est eiusdem error, ab eodem fonte natus; cum in eodem Modestini interprete *eadem l.* §. *prox. præcedente,* emendando atque interpungendo laborat: quo loco de Philosophis Diuus Pius ait, existimare se Philosophos, qui diuitiis abundant, pecuniam in vtilitates patriæ vltro tributuros: *si vero,* inquit Interpres, *proprie loquantur de substantia, inde iam manifesti fient Philosophantes.* Vbi Interpres ista non cepit, εἰ δὲ ἀκριβολογοῖντο περὶ τὰς οὐσίας. Ἀκριβολογεῖν περὶ τὰς οὐσίας est attentum, accuratum esse: vel vt Antonio Augustino interpretari libuit, *studiose contendere de re familiari.* Papinianus in eodem argumento *l.* 8. § 4. *D. de vacat. muner.* ἀκριβολογίαν hanc ita extulit, *retinendæ pecuniæ cupidinem.* Imperator in *l.* 6. *Cod. I. de munerib. patrim.* paulo acerbius dixit, *vinci auaritia & rapacitate.* Quare nil opus emendatione aut interpretatione apud Interpretem Modestini: qui ἀκριβολογεῖν inepte accepit de ἀκριβολογία sermonis: cum sit ἀκριβολογία ratiocinii, cupiditatis, auaritiæ.

Tertius est eiusdem error, ex eodem semper fonte manans circa eundem Modestinum, siue Modestini interpretem *In eadem l.* 6. §. 2. *D. de excusationibus.* Posteaquam scilicet is dixit, Grammaticos, Sophistas, Rhetores, Medicos a muneribus publicis, atque adeo a tutela & cura immunes esse, subiecit: *Numerum Rhetorum* (ῥητόρων; est qui mallet τῶν ῥητῶν, vt ita ad omnes superius nominatos id pertineat,) *esse* (certum quendam) *in vnaquaque ciuitate, qui vacationem munerum habeant, & hæreses quasdam lege propositas.* Dixit Interpres, *hæreses,* Græca voce retenta: ibi enim Græcum authenticum pariter ita habet, καὶ αἱρέσεις τινὲς προσκειμέναι τῷ νόμῳ id est, (vt versum oportuit) *& conditiones quadam lege additæ,* seu *lege propositæ.* Quod Accursius, & post eum etiam Antonius Augustinus ad diuisionem vrbium, de qua vtrique diuisione in *epistolâ Diui Pii,* quæ subnicitur, agitur, retulere: verum recte refutauit Cuiacius; scilicet præter numerum, ad vacationem tribuendam & aliæ conditiones requirebantur, vt Rhetores, &c. immunitate potirentur: puta, vt decreto Ordinis probarentur, de qua hæresi seu conditione quoque agitur *infr. l.* 5. vt munere suo sedulo fungerentur. Quæ duæ αἱρέσεις seu conditiones illico subiiciuntur §. 4. *eiusdem legis* 6. additur & tertia §. 9. nempe hanc Immunitatem non competere iis id patria, nisi etiam in patria doceant. Quid nouus *Miscellaneorum* Scriptor? Refert hanc hæreseos appellationem ad Philoso-

Philosophorum Sectas, quæ cum variæ essent, eas D. Pius definiuerit, quæ e tanto Sectarum numero essent admittendæ. Quod ex superioribus sponte sua dissilit. Deinde & verba ipsa refutant, ait Modestinus καὶ αἱρέσεις τινὲς προσκειμένου τῷ νόμῳ, non ait hæresum distinctionem factam *lege*: sed additas *legi αἱρέσεις*. Et vel potissimum ex serie illius *legis*. Modestinus enim primum *ea l. 6. §. 1. a.* 8. de Grammaticis, Sophistis, Rhetoribus, Medicis agere instituit, eorumque immunitate a publicis muneribus, ac nominatim a tutela & cura: & §. demum 5. quod de illis dixerat, ad Philosophos porrigit (neque etiam ἀτελεῖς) καὶ φιλοσόφους δὲ ἀπολύεσθαι ἐπιτροπῶν παῦλος γράφει οὕτως, &c. *& Philosophos liberari a tutela Paulus scribit ita*. Quinimo inanis est obseruatio ex Luciano *in Eunuchi init. pag. 841. Tom. I. Oper. Edit. Grav.* quatuor tantum Philosophorum Sectas ex aliis omnibus publice admissas, Platonicorum, Stoicorum, Epicureorum, & Peripateticorum. Quid enim? Imo hæ quatuor Sectæ solæ hoc æuo fuere: nullum perinde discerniculum Sectarum *epistola D. Pii* fecit. Imo si verba Luciani spectamus, non is ait ex multis Sectis has quatuor tantum admissas, verum κατὰ γένη datum τοῖς φιλοσόφοις μισθοφορὰν ἐκ βασιλέως, καὶ τὰ ἴσα τούτοις ἅπασιν, *singulis Philosophorum generibus ab imperatore salarium, ita vt vnicuique secta præmium esset æquale*. Ergo non Sectas definitas indicat Lucianus, verum definita salaria secundum Sectas: Quomodo etiam nec Philosophorum numerus definitus fuit, iis rationibus quæ dicuntur *d. l. 6. §. 7.*

Ad immunitatem Professorum a metato redeamus. Ea nimium acerbe vsus est Polemo aduersus Antoninum, cum Proconsul Asiæ esset: nam cum is in domum Polæmonis se recepisset, vt quæ ἀρίστη τῶν κατὰ τὴν Σμύρναν, καὶ ἀρίστου ἀνδρὸς, *optima Smyrnensium, & optimi viri* foret, Polemon noctu a peregrinatione rediens, Antoninum in aliam domum migrare coegit, vt refert Philostratus *in eius V. p. 533. Edit. Marell.* cuius rei meminit & ipse Antoninus apud Suidam *in voce ἐφιέναι*. Ratio cur inter alias immunitates hæc, & quidem inter primas, Professoribus data fuerit, in aperto satis est: ne videlicet studia eorum, hospitum aduentu interpellarentur. In commune illa, quo facilius memoratis artibus multos instituerent. Quæ ratio cum etiam ad Medicos referatur, sane de ἰατροσοφισταῖς id accipiendum, qui & Medicinam docebant & factitabant: de quibus ἰατροσοφισταῖς vide Stephanum *in γένει*, Suidam *in v. γέσιος*, qui Gessius Iatrosophista ille est, cui inscribitur vna ex Gazæi Epistolis: vide & Cedrenum, & Theophilum Protospatharium *de vrinis*.

IV. (a) Imp. IVLIANVS A. ad Archiatros.

RATIO æquitatis exposcit, vt veterum priuilegia Principum circa vos censeamus esse firmanda. Proinde Nostræ Mansuetudinis sanctione subnixi, securi a molestiis munerum omnium publicorum (c) reliquum tempus ætatis iugiter agitabitis. (d) Dat. IV. Id. Maii, Constp. Mamertino & Neuitta Coss. [362.]

NOTÆ.

(a) Vid. Iuliani *epistolam integram* 26. vnde *hæc lex* desumpta est. Abest vero ea a *Cod. Iust.* *GOTHOFRED.*

(c) Iuliani νόμος περὶ τῶν ἰατρῶν. *ID.*

(e) τῶν βουλευτικῶν λειτουργημάτων, *munerum Curialium, vel Senatoriorum*, Iulianus. *ID.*

(d) De hac *agitandi* voce Turetus *in Symm. lib. 2. ep. 33.* *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 30. IVLIANI Apostatæ duæ constitutiones sequuntur: quarum prior est de *Archiatris*: posterior, de *Professoribus*. *Hac* scilicet *leg.* Archiatrorum immunitatem ab omnibus muneribus publicis veterum Principum vestigia sequendo συνῳδὲς, sancitum it. De qua immunitate affatim ad *leges Constantinianas tres supra*. Cæterum hæc ipsa *lex* Græce, & plenior quidem cum præfatione extat inter Iuliani ipsius epistolas, *ep. 26.*

Ἰουλιανοῦ νόμος περὶ τῶν ἰατρῶν.

Τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην σωτηριώδη τοῖς ἀνθρώποις τυγχάνειν, τὸ ἐναργὲς τῆς χρείας μαρτυρεῖ. διὸ καὶ ταύτην ἐξ οὐρανοῦ πεφοιτηκέναι δικαίως φιλοσόφων παῖδες κηρύττουσι. τὸ γὰρ ἀσθενὲς τῆς ἡμετέρας φύσεως, καὶ τὰ τῶν ἐπισυμβαινόντων ἀρρωστημάτων ἐπανορθοῦται διὰ ταύτης. καὶ γὰρ κατὰ τὸν τοῦ δικαίου λογισμὸν, συνῳδὰ τοῖς ἄνωθεν βασιλεῦσι θεσπίζοντες, ἡμετέρᾳ φιλανθρωπίᾳ κελεύομεν, τῶν βουλευτικῶν λειτουργημάτων ἀνενοχλήτους ὑμᾶς τοὺς λοιποὺς χρόνους διάγειν, id est, *Iuliani lex de Medicis. Artem Medicam salutarem hominibus esse, vsus ipse testatur: Quare & eam cœlo delapsam iure Philosophorum filii prædicant: etenim natura nostra infirmitas, & quotidie contingentes valetudinis offensiones per hanc corriguntur.* Hactenus præfatio, sequitur lex ipsa. *Quamobrem, sicut ratio æquitatis exposcit, conuenientia veteribus Principibus firmantes, mansuetudine nostra iubemus Curialibus muneribus vos securos reliquum tempus agitare.*

Interim duo ex hac collatione notanda. Primo *Archiatros* hic pro Medicis accipiendos: apud Iulianum quippe νόμος περὶ τῶν ἰατρῶν: Et vero pro

pro Medicis Vrbis Constantinopolitanæ nominatim, vbi hæc *lex* data est: nam & *Archiatrorum* appello io his qui Medicinam Constantinopoli, vel Romæ, in his inquam duabus Vrbibus Regiis exercerent, tributa; vt docebit prætetea *lex 8. 9. 13. infr.* Denique qui ibi ægrotos priuatos curarent: quod exemplo Eusebii Archiatri patet apud Symmachum *lib. 5. epist. 36. 37.* & Epicteti Archiatri apud eundem *lib. 10. epist. 40.* Quare doctissimi Mercurialis error est *4 var. 1.* qui etsi recte ostenderit, Archiatros, non eo sensu primum dictos, quod Principes Medicorum essent, verum qui Principis Medici erant; isti iusmodi Archiater Neronis, vt notatur apud Gallicum & Erotianum; attamen non vidit alius & distinctos Archiatros S. Palatii dictos, qui militabant, seu operam dabant Principi: de quibus vid. *Paratitlon:* Alios vero distinctos Archiatros *Principum* vrbium, quibus nihil commune fuit cum Archiatris sacri Palatii, quique populo ubsequebantur, *l. 8. infr.* quos vtrosque ita confudit Mercurialis, vt diceret, Archiatros fuisse illos omnes, qui Principis sumptibus conducti, eius personæ primum, deinde aulæ omni, postremo cunctis pauperibus arte propria Romæ operam præstabant. Idemque tandem eum fateri cogatur, Archiatrorum nomen Medicis in Vrbe tributum, in eo errat, quod Archiatros ibi dictos tradit, qui in Collegio & Schola Medicorum olim præsidebant. Imo enim omnes Medici in vrbe *Archiatri* dicti, velut Principis Vrbis Medici.

Secundo notandum quod hic dicitur de immunitate munerum omnium publicorum, id in Iuliani epistola nominatim asseri de immunitate munerum Curialium, τῶν βουλευτικῶν λειτουργημάτων: quæ & ipsa nominatim immunitas designatur *Constantiniana leg. 2. supr.* De eadem vero Medicorum immunitate a Curia, deque *lege* super ea re, est Libanii, qui Iuliani σύγχρονος fuit, *epistola* expressa *ad Celsum* Ciliciæ Rectorem, *in Cod. MS. Regio 631. & 635. in Edit. Wolff.* Νόμος τοὺς ἰατροὺς μίαν ἀπαιτεῖ λειτουργίαν, τὴν ἀπὸ τῆς τέχνης. Φίλων δὲ πρὸς τὸ βουλεύειν ὑπὸ τῶν Ῥώσου (vrbs est Ciliciæ) οἰκέντων ἕλκεται, πάλαι πολλοὺς ἐκ νοσημάτων ἀναστήσας. εἰ μὲν ἂν ἀγνοοῦσιν ὡς ἰατρὸς ὁ Φίλων, μαθόντες παυέσθωσαν. εἰ δὲ εἰδότες βιάζονται, Φίλων μὲν ἴσως ἀσθενής, ἰσχυρὸς δὲ ὁ νόμος, *leges quidem vnum hoc in publicum ministerium a Medicis postulant, quod ab arte præstant. Philo autem a Rhosi incolis in curiam abripitur, qui pridem multos a morbis liberos præstitit. Quod si igitur ignarant, Philonem Medicum esse, rem edocti desistant. Si vero rem probe scientes compellere pergant, infirmus forte erit Philo, lex vera validissima.*

Porro cum video Iulianum firmantem *hac leg. Veterum Principum* priuilegia circa Medicos, συνῳδὰ τοῖς ἄνωθεν βασιλεῦσι θεσπίζοντα: cum video *rationem æquitatis* ab eo ostendi, de qua plura ad *l. 2. supr.* cum video eum *Mansuetudinem suam* hic efferentem, & tandem immunitatem *in reliquum tempus ætatis* pollicentem, cum hæc inquam quatuor attendo, haud inanis coniectura est, Constantium hæc priuilegia imminutum iuisse: qui cæteroquin honoratis dignitatibus, veluti Perfectissimorum & Comitum, (quibus Medicos honoratos docuit *lex 2 supr.*) Curialia munera euitari noluit, vt docet *lex 26. 36. 41. 42. 44. supr. de Decurionibus.* Prouide veterum Principum priuilegia Iulianus Medicis restituerit a Constantio imminuta: cuius sane etiam nulla hoc titulo constitutio extat, vt viceuersa Clericis immunitatem institutam infirmauit; de quo *l. 4. supr. de lustrali coll.* & *l. 52. sup. de Decurionibus.*

V. (a) Idem A........ (b)

Magistros (c) studiorum, doctoresque, excellere oportet moribus primum, deinde facundia: Sed, quia singulis Ciuitatibus adesse ipse non possum, iubeo, Quisque docere vult, non repente nec temere prosiliat ad hoc munus, sed iudicio Ordinis (d) probatus decretum Curialium (e) mereatur, Optimorum (f) conspirante consensu: hoc enim (g) decretum ad me tractandum referetur, vt altiore quodam honore nostro iudicio studiis Ciuitatum accedat. (h) Dat. XV. Kalend. Iul. Acc. IV. Kalend. August. Spoletio, (i) Mamertino & Neuitta Coss. [362.]

NOTÆ.

(a) *L. 7. Cod. Iust. eod. tit.* Recte quoque *hanc leg.* in Annales suos retulit Baronius, *ad 362. n. 286.* GOTHOFRED.

(b) Vel *Præfecto Prætorio Italiæ*, vel *Præfecto vrbis* hæc *lex* inscripta fuit, vel *Consulari Piceni suburbicarii*: in quo *Spoletium* fuit, vbi hæc lex *Accepta* dicitur in *subscriptione.* IDEM.

(c) *Magistri*, pro Professoribus *h. l.* & 10. 11. 18. *infr. l. 98. supr. de Decurion. l. vlt. infr. de stud. lib. V. R.* vnde & *Magistrationes*, loca, in quibus docebant, *d. l. vlt.* ID.

P. 36. (d) *Ordo* id est, Curia: v. *supr. Parat. de Decurion.* ID.

(e) Curiæ. ID.

(f) De hac voce mox. ID.

(g) Hoc dein. Sequentia vero resecata sunt a *Trib.* tanquam huic tempori propria: merito pro instituta suo. ID.

(h) Quisquis docere vult. ID.

(i) *Spoletium.* Exinde colligo, Prouinciæ suæ Metropolim fuisse. Ad Metropoles quippe directæ constitutiones. Id hactenus ex hac subscriptione colligo, & iam olim collegi Coniecturæ *P. 1. p. 29.* Sed aliunde

iam colligo Piceni fuisse Metropolin. Vnde non ex hac *subscriptione*, quod nunquam a me dictum; verum ex eo quod Balbus nominatim Spoletium in Piceno ponit in Corpore *de limitibus*, p. 100. 128. *Edit. Rigalt.* & *pag.* 118. 142. *Edit. Goes.* (quod antiquis temporibus, non his, in Vilumbris vel in Vmbria recte collocabatur.) Aliunde colligo fuisse Piceni suburbicarii: quia Spoletium *intra centesimum ab vrbe milliarium est*, quo vtique spatio suburbicarias regiones coërceri, alibi prolixe ostendi. *ID.*

COMMENTARIVS.

IVLIANI Apostatæ secunda hæc constitutio est *hoc titulo* de *Professorum Electione seu Delectu*; (qua voce in Medicis vtitur *lex 8. infr.*) Ad quam Electionem pertinet quoque in partem *lex 7.* & *11. infr.* De quo tria *hac leg.* Iulianus constituit: 1. *Quidnam* in his spectandum sit. 2. *A quibus* & quomodo eligendi sint. 3. *Quomodo* denique a *Principe confirmandi.* Quæ quidem Iuliani Apostatæ constitutio tota fucata coloribus, tota pigmentis est, quæque proculdubio (quod recte Baronius vidit,) non alio respicit, quam ad institutum illud suum, vt Christianos Sophistes, Rhetores, imo & Medicos teste Chrysostomo *homil. in Iuuentium & Maximum Martyres*, *num. 1. pag. 579. 580. Tom. II. Oper. Edit. Benedictin.* a docendi munere submoueret: de quo videndum est ipsum Iuliani Interdictum, seu Edictum inter *Epistolas* eius, *epist. 42. pag. 422. Edit. Lips. Spanhem.* Ammianus Marcellinus duobus locis *lib. 22. cap. 10.* & iterum *lib. 25. cap. 4.* Eunapius *in Proæresio, pag. 161. Edit. Commelin.* Ambrosius *epist. contra Symmachum 1. initio.* Hieronymus *in Chronica:* Augustinus *de Ciuitate Dei, lib. 18. cap. 52* & *lib. 8. Confess. cap. 5.* Orosius *lib. 7. cap. 30.* Rufinus *lib. 1. cap. 32.* Sozomenus *lib. 5. cap. 17.* Socrates *lib. 3. cap. 12.* & *13.* Theodoretus *lib. 3. cap. 4.* Quanquam alii, veluti Gregorius Nazianzenus *orat. 1. aduers. Iulian. pag. 51. 96. 97. Tom. I. Oper. Edit. Colon. siu. Lips. apud Weidm.* imo & Ammianus, (vt nonnulli Interpretum, quod non puto) post eos Ioan. Antiochenus, Zonaras, Cedrenus, & Suidas, Christianos a *discendis Græcis literis* submotos scribunt. De quo vid. quæ Baronius *ad Ann. 362. num. 293.* tradit, Montacutius *in Notis ad Gregorii στηλιτευτικὸν p. 4.* Valesius *in Excerpta Ioan. Antiocheni pag. 119.* & in *Amm. Marcell. d. lib. 22. c. 10.* In tantum vt si non eius Interdicti partem hæc constitutio faciat, ad eius tamen interdictionis finem omnino respiciat, eademque fere contineat, quæ Interdicto illo comprehendebantur.

Primum igitur, quidnam in *deligendis Professoribus* spectandum sit, quæ *ἀνάκρισις* seu *ἐξέτασις* facienda? definit: Nempe mores potissimum spectari vult: *Magistros*, inquit, *studiorum Doctoresque excellere oportet moribus primum, deinde facundia.* Quem quidem non eruditionis tantum, verum morum potissimum respectum, non priuatæ tantum sententiæ, vt Quintiliani & Plinii inculcant, & huius quidem *lib. 3. epist. 3. Fauentibus Diis*, inquit, *trade filium præceptori, a quo mores primum, mox eloquentiam discat, quæ male sine moribus disscitur*; & in eandem sententiam idem *lib. 12. epist. 3. Pro moribus*, inquit, *quos & studia liberalia exornant.* & Gregorius Nazianzenus, *Tetrastich. v. 13. Tom. II. Oper. pag. 156. Edit. Colon. siu. Lips. apud Weidm.* ἢ μὴ διδάσκειν, ἢ διδάσκειν τῷ τρόπῳ, *vel ne doceto, vel doceto moribus.* Sed etiam Iustinianus ipse Constitutione, *Omnem Reipubl. de ration. iuris docend. ad Antecessor. §. 9. in fin.* Studiosis inculcat, *oportere prius animam, & postea linguam fieri eruditas*: Verum in hoc ipso argumento, Vlpianus Rhetor idemque ICtus *opinionum libris, l. 1. D. de decretis ab ordine faciendis*, hanc morum probationem inculcat, atque ex æui sui vsu refert de Medicorum delectu agens: *Vt certi de probitate morum & peritia artis eligant ipsi.* Et Lucianus quoque *in Eunucho* de ἐξετάσει hac agens *pag. 842. Tom. I. Oper. Edit. Grau.* (quem Lucianum Iulianum imitatum *hac leg.* coniiciebat Merillius Noster *lib. 3. obs. 18.*) διελέγχειν ἐπειρᾶτο, μάλιστα τὸν βίον αὐτοῦ. κατὰ ταῦτα δὲ καὶ ὁ Βαγώας ἀντεξήταζε τὸν ἐκείνου βίον. εἰκότως, καὶ τὰ πλεῖστά γε τοῦ λόγου περὶ τούτου μᾶλλον ἐχρῆν εἶναι αὐτοῖς, ὡς ἔγωγε, εἰ δικάζων ἐτύγχανον, ἐπὶ τῷ τοιούτῳ τὸ πλεῖον διατρίψαι ἄν μοι δοκῶ, τὸν ἄμεινον βιοῦντα μᾶλλον, ἢ τὸν ἐν τοῖς λόγοις αὐτοῖς προχειρότερον ζητῶν, καὶ οἰκειότερον τῇ νίκῃ νομίζων: *vitam illius præcipue arguere conatus est. Bagoas itidem illius vitam taxabat. Idque merito, si quidem eius rei magis erat habenda ratio. Promde si ego causæ iudex fuissem, maiori studio vt mihi videtur, sum quæsiturus eum qui moribus præstantior, quam qui in disputando promtior esset, atque illi potius quam huic victoriam adiudicassem.* Et *pag. 844.* ἀλλὰ ψυχῆς, καὶ τῆς γνώμης ἐξέτασιν δεῖν γίγνεσθαι, καὶ τῆς τῶν δογμάτων ἐπιστήμης, *de animi virtute agi, proinde mentis qualitatem, & dogmatum cognitionem esse expendendam.* Quinimo Iulianus ipse in interdicto illo suo, apertissime *statim initio*: παιδείαν ὀρθὴν εἶναι νομίζομεν, οὐ τὴν ἐν τοῖς ῥήμασιν, οὐδὲ τῇ γλώττῃ πολυτελῆ εὐρυθμίαν, ἀλλὰ διάθεσιν ὑγιῆ νοῦν ἐχούσης διανοίας: *doctrinam rectam esse arbitramur, non verborum linguaque magnificum & exquisitum sonum, sed mentis bene constitutæ sanam affectionem.* Et mox. Πάντας μὲν οὖν χρὴν τοὺς καὶ ὁτιοῦν διδάσκειν ἐπαγγελλομένους, εἶναι τὸν τρόπον ἐπιεικεῖς: *quamobrem omnes, qui quiduis docere profitentur, bonis moribus esse debent.* Mox cum id exigat ab omnibus Professoribus, potissimum a Sophistis id exigit, qui morum Magistri erant: εἴτε ῥήτορες, εἴτε γραμματικοί, καὶ ἔτι πλέον οἱ σοφισταί. βούλονται γὰρ πρὸς τοῖς ἄλλοις οὐ λέξεων μόνον, ἠθῶν δὲ εἶναι διδάσκαλοι: *siue sint Rhetores, siue Grammatici, & præcipue Sophistæ, qui non solum verborum, sed morum etiam magistros se esse volunt.* Ex hoc igitur primo argumento colligo, hanc ἐξέτασιν & probationem ad Christianos a docendi munere submouendos respicere: etsi vetustioris ea instituti fuerit, sed alio nunc & secretiore fine. Quomodo & contrario fine mox ex Valentiniani Sen. constitutione, *l. 6. prox.* qua hæc abrogatur, *Si quis*, inquit, *erudiendis adolescentibus vita pariter & facundia idoneus erit, vel nouum instituat auditorium, vel repetat intermissum.*

Secundo capite, constituit Iulianus Apostata, *a quibus & quomodo* eligendi sint Professores: Nempe se ipsum quidem vbique optaret præsentem, ad finem videl. suum assequendum, ad Christianos nunquam a docendi munere submouendos; at enim quia singulis ciuitatibus adesse ipse non posset, formam

mam hanc primæ electionis constituit: hoc præmisso vt nemo possit, *repente, temere*, ad munus Professionis prosilire: cum tamen Sophistæ præsertim in quamcunque vrbem delati, iuuentutem ad docendum declamandum cogere solerent; quod Themistius testatur *orat. 1. p. 5. Ed. Petau. Flexiæ 1613. in 8.* ἀφεῖται τῷ βυλομένῳ προσιέναι ἀθρόοις ὑμῖν, καὶ διαλέγεσθαι μετὰ πολλῆς ἐξυσίας, *cuilibet licet eorum vobis prodire in vnum collectis, atque cum omni libertate disputare.* Hoc ita præmisso, vult Iulianus Professores in singulis ciuitatibus, probati eligique (pariter vt id quoque præsupponitur *l. 7. & 11. infr.*) iudicio *Ordinis*, id est, Curiæ, decreto Curialium, conspirante *Optimorum* consensu. Quod & ipsum veteris instituti fuit, vt omittam veterem *Atheniensium* legem a Sophocle Amphiclidæ filio; de qua Laertius *in Theophrasto pag. 290. Edit. Meibom.* Ad ius Romanum accedamus. Id sane Iure Romano obtinuit, hæcque vna ex hæresibus (id est, conditionibus) de quibus actum ad *l. 3.* fuit, vt docent complures *leges* puta *lex ἐὰν δύο 6. §. 3. 4. 5. D. de excusationibus: l. 11. §. 3. D. de muneribus: d. lex 1. D. de decret. ab Ord. faciendis: l. 2. 5. Cod. Iust. de Professorib. & Medicis:* docet Lucianus *in eod. dialogo Eunucho pag. 841. Edit. Grau.* ἀποθάνοντος αὐτῶν τινος, ἄλλον ἀντικαθίστασθαι, δοκιμασθέντα ψήφῳ ΤΩΝ ΑΡΙΣΤΩΝ, qui locus cum hoc Iulianeo
P. 31 optime contenditur, sic vt eum in animo habuisse videri possit Iulianus, *Demortuo*, ait Lucianus, *ex his quopiam, alium subrogari probatum calculo Optimorum.* Quod & illis huius *leg.* verbis, *Optimorum conspirante consensu*, congruit. Sed & Eunapius *in Proæresio p. 138. Edit. Commelin.* vbi ait, mortuo Iuliano, *cum ciuitas Atheniensis incensa fores, studio deligendi successorem*, τὰς Ἀθήνας αἱρεῖν ἔρως τῆς διαδοχῆς τῶν ἐπὶ τοῖς λόγοις πλεονεκτημάτων, plurimos docendi munus ambientes nomen suum professos: verum Proæresium, Hephæstionem, Epiphanium, &c. *electos, probatos omnibus calculis;* χειροτονῦνται δὲ δοκιμασθέντες ἁπάσαις κρίσεσι. Hocque erat λόγων κράτος διδόναι ἐκ ψήφυ, vt loquitur Gregorius Nazianzenus *Carmin. de vita sua, num. 17. pag. 5. init. Tom. II. Oper. Edit. Colon. siu. Lips. apud Weidm.* Sane nobiliores Professores ipsi Principes iam olim elegere sæpe, non tantum ad Academiam aliquam excitandam, quod patet exemplo Constantii Chlori, qui Eumenium Augustodunensi Scholæ Oratorem dedit, verum ad ornandam quæ flaret, & quidem Athenis. Ita Marcus Imp. Theodorum Sophistam ipse elegit, teste Philostrato; ita Philisco idem dedit τὸν Ἀθήνης θρόνον; ita Polluci. Quare & eo fine Legati inde ad Imp. Hadrianum missi, vt docet Philostratus in *Chresto, pag. 588. Edition. Morell.* Etsi extra ordinem quandoque has partes aliis delegasse reperio. Ita (quod narrat Philostratus in Theodoto, *pag. 565. Edit. cit.*) Marcus Imp. Herodi Sophistæ commisit examen eligendorum Philosophorum. Tandem etiam si inter Curiales non conueniret, si difficultatis aliquid inextricabilis suboriretur, ad Principem super eo relatum: quomodo Lucianus in Siculi ἀμφισβητήσει in causa Dioclis & Bagoæ, *in Eunucho pag. 846. Edit. Grau.* ἔγνωσται, inquit, ἀναπόμπιμον ἐς τὴν Ἰταλίαν ἐκπέμψαι τὴν δίκην, *visum est, vt integra causa in Italiam reiiceretur.* Et Libanius *de fortuna sua, p. 14. Edit. Morell.* ὁρῶ τινα Καππαδόκην ἥκοντα ἐπὶ θρόνον, βασιλέως πεμπόντος. καὶ γὰρ ἐτύγχανεν ἡ βυλὴ τὸν ἄνδρα ᾐτηκυῖα, ῥήτορα ἄκρον ἐξ, οἶμαι, τινὸς ἀγῶνος ἐνταῦθα αἰτησαμένη, *Cappadocem quendam video ad thronum accedentem a rege missum. Etenim vero Curia virum poposcerat, summum oratorem: ob certamen opinor quoddam ad eum petendum inducta.* vbi vides pariter βυλὴν interuenisse, id est ordinem, vt *h. l.*

Et tamen (quod tertio capite hic constituit Iulianus) Referri ad se Decretum seu Electionem iubet omnem: Cui similem ad se relationem in Archiatrorum vrbis Romæ subrogatione constituit Valentinianus *l. 8. infr.* Verum Iulianus hoc obtentu, vt ita iudicio Principis, velut quodam altiore honore Professores studiis ciuitatum accedant. Nempe verum est, Principis iudicium pro telo sæpe esse atque incentiuo ceu altiore quodam honore, quo pertinet & quod Constantius scribit *l. 1. infr. de Decuriis Vrbis Romæ.* Sed tamen Iulianus id tantum obtentu quæsiuit; quo scilicet ipse Christianos, forte iudicio Ordinis probatos, decretum Curialium meritos, Optimorum etiam conspirante consensu, repelleret. Quod vnicum Iuliano *hac leg.* propositum fuit, quoque vt duo superiora capita, ita hoc vel maxime pertinet: quo scilicet ita iudicio suo staret omnis electio (quæ antea libero tractatu peragebatur: Pariter vt reprobari ab eodem Ordine poterant: vt docet *lex ἐὰν δύο 6. §. 6. D. de excusationib. l. 11. §. 3. D. de muneribus: l. 2. Cod. Iust. de Medic. & Professorib.*) Atque hæc causa est præter illam, quod horum temporum circumstantia alligata sit, cur merito Tribonianus hanc partem detraxerit.

Num autem *hæc lex* præcesserit Interdictum apertum Iuliani, an vero secutum sit, an etiam Interdicti ipsius partem faciat? in obscuro esse possit. Mihi sane cum *Baronio* præcessisse videtur. Nempe Iulianus nondum in apertam persecutionem erumpere ausus, his prius fucatis coloribus, his pigmentis, vaferrimus homo (cuius artes omnes ad pessundandam Christianam Religionem alibi *edisserui*) agere instituit. Et sane inter initia Imperii, septimo eius mense, hæc *lex* a Iuliano data fuit: quo tempore nondum personam sibi detraxerat, postea demum detracturus; vel saltem hanc *legem* ad eam Imperii partem Iulianum emisisse, vbi non aperte Christianos a docendi munere submoueri posse videbat; in Episcopatu, inquam, Vrbis Romæ, cuius Diœcesis *Spoletum* vsque progrediebatur. Verum vt *interdictum* illud Iulianeum, ita & *hæc lex* abrogata mox a Valentiniano *l. prox. 6. inf.* quæ continuo spiritu cum *hac* legenda est.

VI. (a) Impp. Valentinianvs & Valens AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

Si qui (c) erudiendis adulescentibus, vita (d) pariter & facundia, idoneus erit, vel nouum instituat Auditorium, vel repetat intermissum. (e) Dat. III. Id. Ian. (f) Diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTÆ.

(a) Abeſt *hæc lex* a *Cod. Iuſt.* velut temporaria. Et *hanc leg.* recte retulit in Annales ſuos Baronius *Ann.* 364. *num. vlt.* vbi tamen vellem diſtinctius *hanc leg.* Valentiniano vni tanquam Auctori tribuiſſet. *GOTHOF.*

(b) *Mamertinus* ſub Valentiniano PP. Italiæ, ſcil. Illyrici, & Africæ, vt teſtatur hoc ipſo Anno Ammianus Marcellinus, *lib. 26. c. 5.* vid. *Proſopogr.* *ID.*

(c) Chriſtiani forte. *ID.*

(d) Ad hoc ſuperius dicta ad *l. ſuperiorem* ſufficiant.

(e) Sub Iuliano Apoſtata. *ID.*

(f) *33. Iun.* Neque enim *Id. Ian.* Valentinianus adhuc Imp. erat: verum Iouianus, qui mortuus demum menſe Februario, quod & ipſum recte vidit Baronius. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris quinque conſtitutiones, de *Profeſſoribus & Medicis ordine ſequuntur.* Ita quidem, vt prima hæc ad ſolos *Profeſſores* pertineat: *lex* ſequens 7. ad *Philoſophos*: duæ deinceps (puta *lex* 8. 9.) ad *Archiatros* Vrbis Romæ: Poſtrema omnium, puta *lex* 10. ad *Medicos & Profeſſores* ſimul. Ex hac nominatim, & ex *d. l.* 10. apparet de Valentiniani ſtudio in ſtudia literarum: vt apparet quoque ex *l. 1. infr. de ſtudiis lib. V. R.* Quanquam ſuus cuique harum *legum* finis eſt. Huius ſane vt finis ita & ſcientia eo reſpicit, vt *Chriſtianis* a docendi munere ſubmotis a Iuliano Apoſtata (de quo dictum ad *ſuperiorem l.* 5.) docendi libertatem reſtituat: ſiue ii antea docuerint, atque ita *intermiſſum Auditorium repetant:* ſiue nondum, vt ita P. 33. *nouum inſtituant Auditorium.* Breuiter, igitur, quos arcuerat Iulianus a docendo Chriſtianos Profeſſores, eos *hac leg.* reuocat Valentinianus Sen. vt recte notauit Doctiſſimus *Annal. Eccleſ.* conditor Baronius. Ac proinde *hæc lex*, illam in effectu abrogat. Sic tamen vt interim nihilo ſecius eadem illa duo in his requirat, quæ Iulianus *ſuperiore leg.* requirebat; alio tamen fine: nempe & *Vitæ* integritatem, & *facundiam*, *Si qui*, inquit, *vita pariter & facundia idoneus erit*: quod ad *eam leg.* prolixius expendi.

Porro ex eorum numero, quos Auditorium docendique Prouinciam ſub Iuliano deſeruiſſe *hac* quoque *leg.* Valentinianus indicat, reperire licet Proæreſium Sophiſtam, teſtimonio non tantum Hieronymi *in Chronico*, verum etiam Eunapii *in vita Proæreſii*, *p. 161. Edit. Commelin.* Nam quod Viri docti & in his Baronius Ann. 362. n. 297. Eunapii locum de Muſonio exaudiunt, erroneum eſt: imo enim & ipſe de Proæreſio eſt, non de Muſonio: etſi eo loco paulo ante de Muſonio egerit: Quare non ex Hieronymi tantum loco colligitur, Proæreſium Chriſtianum fuiſſe; verum & ex illo Eunapii loco. Ἰυλιανῦ δὲ, inquit, *βασιλεύοντος τόπων τῦ παιδεύειν ἐξηργόμενος*, ἐδόκει γὰρ εἶναι χριςιανὸς, *Iuliano imperante excluſus a docendi munere, quod Chriſtianus haberetur.* Quare hoc numero expungatur deinceps *Muſonius*, quem his temere accenſent. Eodem ſane numero fuit & Romæ Marius Victorinus Rhetor, teſte Auguſtino *Confeſſ. lib. 8. c. 5.* Præter hos duos tertium nondum repetio.

VII. (a) Idem AA. (b) ad Probum PF. P. (c)

REDDATVR vnuſquiſque patriæ (d) ſuæ, qui habitum Philoſophiæ (e) indebite & inſolenter vſurpare cognoſcitur: exceptis his, qui a probatiſſimis (f) adprobati ab hac debent conlubione (g) ſecerni: *Turpe enim eſt, vt patriæ functiones ferre non poſſit, qui etiam fortunæ vim ſe ferre profitetur.* Dat. XIV. Kalend. Febr. Sirmio, Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

NOTÆ.

(a) *Lex 8. Cod. Iuſt. eod. tit.* *GOTHOF.*

(b) Addatur hic & duabus ſequentibus conſtitutionibus tertium A. *Gratiani* nomen. *ID.*

(c) Italiæ, Illyrici, Africæ: de quo *Probo* plura in *Indice perſonar.* In Edit. vulgat. Cod. Iuſt. eſt, *ad Mamertinum*, *IDEM.*

(d) *Patriæ functionibus*, fine *legis.* *ID.*

(e) Vel *Philoſophi.* *ID.*

(f) Vid. & *l. 5. ſupr.* *ID.*

(g) Id eſt, *conlusione*: In *Cod. Iuſt.* perperam *colluſione*: vbi iam recte Cuiacius & parens meus *Colluuione* repoſuit: quam reſtitutionem *hic Codex* omnino firmat; vide plura apud Iuretum, in *Symmachi lib. 1. ep. 23.* de his Pſeudophiloſophis. *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

DE PHILOSOPHIS est hæc secunda Valentiniani, non vt quidam scripsit, Valentis & Valentiniani *hoc titulo* constitutio: & quidem de *Pseudophilosophis*, qui vt ipse ait, habitum Philosophiæ indebite & insolenter vsorpabant: & vt similiter loquitur Symmachus, *lib. 1. epist. 23.* qui Philosophiam fastu & habitu mentiebantur; vt Ammianus M... llinus *lib 14. cap. 9.* amictu tenus Philosophi, panno tenus, vt Apuleius 1. *Florid. pag. 491. Edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire.* Nempe πωγωνοτροφίαις καὶ τριχωνοφορίαις, id est barba, palliique gestamine, habitu crineque, qui Philosophorum habitus erant; de quo & Symmachus, *lib. 2. epist.* 61. de quo vid. & quæ cumulat Lipsius *lib. 1. Manuduct. Stoic. dissert. 18. 19.* Theatrum Rhetoricum, *lib. 3. cap. 16.* de quo tameo iam olim dictum, eo Philosophum non fieri: quam in rem videndi quoque Seneca *epist. 5.* & *de vita beata, cap. 20.* Arrianus *in Epictetum lib. 4. cap. 8.* Iuuenalis *Satyra* 2. Martialis *lib. 1. ep. 25. lib. 9. ep. 28.* & *48.* videndi & *Plinius*, & *Quintilianus*; Gellius *lib. 9. cap. 2. lib. 13. cap. 22.* & *lib. 17. cap. 19.* Apuleius *Floridor. 1. circa fin.* Lactantius *lib. 3. cap. 25.* & *lib. 5. cap. 3. 5. 7.* Hieronymus *epist. ad Pammachium*, & ad *Iulianum*: Iulius Firmicus *lib. 8. cap. 6.* Ac vt Philophiæ habitum iam olim indebite & insolenter multi vsurpauere, vel mentiti, ita & hac ætate laxata Philosophis haud ita multo ante libertate, a Iuliano potissimum, eius Gentilitiæ superstitionis studio, sub quo reuerenda fuit Philosophorum authoritas, vel Ammiano Marcellino teste *lib. 23. cap. 5.* & a Valentiniano non tantum propter ἰθελοθρησκείαν cuique factam: de quo ad *legem. 7. infr. de Paganis*: verum etiam ob Philosophiæ studium, quo & ipse ducebatur, quamque beneuolentia prosequebatur; vt de eo diserte testatur Themistius, in Φιλαδέλφοις seu *Oratione 15. p. 346. 347. Edit. Petau. Flexiæ 1613. in 8.* saltem quosdam ex his probabat, quod hæc *lex* aperte docet. Ita quidem vt his sua priuilegia constare voluerit: nempe patriæ functionum, id est ciuilium & publicorum munerum immunitatem, quæ Philosophis iam ab antiquo competiit etiam sub Hadriano Antonino Pio, & deinceps: vt docet *lex 6. §. 5. 7. 8. D. de excusat.* & *l. 8. §. 4. D de vacat. & excusat. muner.* (de qua immunitate plura ad *l. 1. sup.*) Porro cum multi passim Pseudophilosophi ementito habitu vagarentur, cuiusdam *collusionis* specie, vt *hac leg.* dicitur, atque ideo ciuitatum munera passim destituerentur, reddi eos patriæ suæ ad functiones scilicet publicas *seu* munera publica sustinenda; iubet *hac leg.* Valentinianus Sen. Exceptis iis qui a probatissimis approbati fuissent: A *Probatissimis*, eiusdem scilicet professionis: quo sensu etiam *Optimi* dicuntur *leg. 5 supr.* Quod quidem ipsum hodie ferme obtinet, communi vsu, ac nominatim in Medicinæ professione, etiam recenti placito Parisiensi Anni 1644. adaersus Theophrastum Renaudotum: vbi quoque has duas *leges* laudatas notare licet. Ita d aliter atque simili illusione Pseudomachos ignauiæ sectatores, desertis ciuitatum muneribus, specie Religionis cum cœtibus Monazonton hac tempestate congregabantur, quos & ideo similiter ad munia patriarum subeunda reuocari iubet Valens Imp. Valentiniani frater atque in Imperio Collega, *l. 63. supr. de Decurion.* Rationem vero reddit elegantem Valentinianus, Quod *Turpe sit, vt patriæ functiones ferre non possit Philosophus, qui etiam fortunæ vim se ferre profitetur.* Sensus est, Philosophiæ & Philosophorum professione aduersum esse, non posse, vel nolle ferre & sustinere patriæ functiones: cum tamen vim fortunæ, id est, aduersam quamcunque fortunam & fortem ferre & tolerare sese posse profiteantur: Nempe Philosophi sese potissimum & animose iactabant, duritia & patientia aduersus fortunæ vim fortiter resistere: videndus vel Seneca, & Tertullianus. Quare professioni eorum conueniens esse, vt qui fortunæ vim & iniurias fortiter ferre se profitentur, etiam patriæ munera sustineant & ferant. Fit igitur hic argumentatio a munis & functionibus vique quæ fortuna impingit, ad ea quæ patria deposcit: & rursum argumentatio a contemptu tolerantiaue illorum, ad horum contemptum seu tolerantiam: in quam rationem coincidunt & aliæ similes pecuniæ saltem commodum respicientes, veluti illa Papiniani *l. 8. §. 4. de vacat. muner. etenim vere philosophantes pecunias contemnunt, cuius retinenda cupidine fictam adseuerationem detegunt*: vbi *ficta adseueratio* est ficta professio. Item illa D. Pii *in leg. 6. §. 7. D. de excusat.* ὅμως δὲ ἔτι οἱ πλούτῳ ὑπερβάλλοντες ἐθέλοντες παρέξουσι τὰς ἀπὸ τῶν χρημάτων ὠφελείας ταῖς πατρίσιν: εἰ δὲ ἀκριβολογοῖντο περὶ τὰς οὐσίας, αὐτόθεν ἤδη φανεροὶ γενήσονται μὴ φιλοσοφοῦντες. quæ ita versa sunt: *existimo autem, quoniam qui diuitiis superabundant voluntarie tribuent pecuniam in vtilitates patriæ: Si autem proprie loquantur de substantia, inde iam manifesti sint non philosophantes.* De quo loco dixi plenius ad *l. 1. supr. hoc tit.* Tandem tertia illa in *l. 6. Cod. Iust. de muneribus patrimon.* Cum Philosophum te esse proponas, vinceris auaritia & rapacitate. P. 34.

De ARCHIATRIS *popularibus Vrbis Romæ: 1. Eorum Numero: 2. Commodis: 3. Mercedibus: 4. Subrogatione.*

VIII. (a) Idem AA. (b) ad Prætextatum P. V. (c)

EXCEPTIS (d) Portus (e) Syxti, (f) Virginumque Vestalium, quot (g) Regiones Vrbis sunt, totidem constituantur Archiatri. (*) Qui scientes (h) annonaria sibi commoda a populi commodis, (i) honeste obsequi tenuioribus malint, quam turpiter seruire diuitibus. Quos etiam (k) ea patimur accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis, non ea quæ periclitantes pro salute promittunt. Quod si huic Archiatrorum numero aliquem aut conditio fatalis, aut aliqua fortuna (l) decerpserit, in eius locum, (m) non patrocinio Præpotentium, non gratia Iudicantis, alius subrogetur, sed horum omnium (n) fideli circumspectoque (o) dilectu

(p) qui

(p) qui & ipforum confortio & Archiatriæ ipfius dignitate, & Noftro Iudicio dignus habeatur. De cuius nomine referri ad nos protinus oportebit. Dat. III. Kalend. Feb. Triu. Valentiniano & Valente III. (q) AA. Coss.

NOTÆ.

(a) Hoc primum caput abeft a *Cod. Iuft.* vt & vltimum. Hanc *legem* patris fui, vt & *proximam* indicat & firmat Valentinianus Iun. *l.* 13. *infr.* Ipfe Valentinianus *prox. l.* 9. in nonnullis eam abrogat. Tandem & primo *huius leg.* capite Annales Ecclefiaftici inftrui augerique poterunt: quod tamen omiffum a Baronio. *GOTHOF.*

(b) Tertium *A. Gratiani* nomen hic adfcribendum, pariter vt *l.* 7. *fupr.* & *l.* 9. *infr.* v. *Chronol.* *IDEM.*

(c) *Prætextatus* P. V. Romæ fcil. An. D. 367. & 368. vid Amm. Marcellinum *lib.* 27. *cap* 9. Symmachum *lib.* 1. *epift.* 49. & *Chronolog.* itemque *Indicem Perfonar.* vbi plura. Sed & ad *leg.* 4. *infr. de Suariis*: non Anno 370. de quo ad *Subfcriptionem legis.* Et fuit hic Prætextatus Gentilis, vt colligi quoque poteft ex Virginum Veftalium mentione *hac leg.* & infcriptione ei a Veftalibus pofita. Omnium maximé ex illo iam vulgato dicto, *Facite me Romanæ Vrbis Epifcopum, & ero protinus Chriftianus*, apud Hieronymum ep. 61. *pag.* 113. *Tom. II. Oper. Edit. Francf.* *ID.*

(d) Id eft præter. *ID.*

(e) An *Paftus*? Imo γρ. *porticus.* *ID*

(f) γρ. *Xyfti*: de quo mox. *ID.*

(g) Quatuordecim. *ID.*

(*) Hinc defumpta eft *lex* 9. *Cod. Iuft. eod. tit.* *ID.*

(h) An *percipientes*? Nil hic muto. *ID.*

(i) *Miniftrari*: hanc vocem hic addidit Tribonianus: proculdubio *ex l. prox.* 9. *infr. in fin.* Sane poffimus & fine hac voce hunc locum defendere, fubintellecta voce *effe.* Si quid mutandum, loco *annonaria* legam *annotata*. & fic integer erit fenfus: *annotata*, id eft deputata, adfcripta. Vel ita *annonaria fibi commoDANda e populi commodis.* *ID.*

(k) *Tantum* Cod. Iuftin. nonnullæ Edit. Noftrum hoc rectius, vt mox oftendam. *ID.*

(l) *Fortuna.* Ita pariter Symmachus *lib.* 10. *ep.* 40. eadem in re, *legis prox.* 9. *infra*, fententiam exprimens, *fi locum quempiam decedentis fortuna nudaffet.* *ID.*

(m) At non & gradum, vt *l.* 9. *prox.* idem Valentinianus explicat. *ID.*

(n) Imo non omnium, vt mox idem explicat *d. l.* 9. *ID.*

(o) *Circumfpecti* vox hic propria: qua fæpe vfus Ammianus Marcellinus: qui dixit circumfpectam cautelam *lib.* 14. *c.* 2. circumfpectum & verendum populi Romani numen *c.* 6. circumfpecte veftitos Epifcopos Vrbis Romæ, *lib.* 27. *c.* 3. circumfpectis coloribus nitidos parietes lapidum *lib.* 28. *c.* 4. Græci περίβλεπτον dicunt. *ID.*

(p) Pro delectu. *ID.*

(q) Omnino referibendum II. id eft Ann. D. 368. Prætextatum quippe fine Anni 367. P. V. fuiffe reperio (vt docet diferte *lex* 4. *infr. de Suariis*: *l.* 10. *fupr. de pœnis*: *l.* 7. *fupr. de priuileg. eorum qui in S. Palat.*) atque adeo verofimiliter inter initia adhuc Anni 368. At deinceps Anno 368. 369. 370. Olybrius P. V. fuit: vide *Chronol. huius Cod.* Quare πρωθύστερον hic admiffum ab *huius Codicis* conditoribus, & fuperiori hæc præmittenda erat. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE ARCHIATRIS eft hæc (Tertia e Valentinianeis *hoc titulo*) conftitutio quatuor capitibus conftans: quorum duo tantum relata in *l.* 9. *Cod. Iuftin. eod. tit.* fecundum inquam & tertium, prius abdicato primo & vltimo. De Archiatris inquam eft *hac lex*, non qui in Comitatu feu Aula Principis fuere, verum qui in *Vrbe Roma* populo Romano feruiebant; & fic de Archiatris POPVLARIBVS: vt docet tum Infcriptio *legis*, tum dilucide P.35. *lex* ipfa, variis locis, tam primo quam fequentibus eius capitibus. *Archiatrorum* fcilicet vox, non de Principum tantum Medicis vfurpata, verum & de Medicis Vrbium Regiarum, Vrbis Romæ & Conftantinopoleos: quod iuxta *hanc legem* oftendit, *lex* 4. *fup.* & *l.* 9. 13. *infr.* de quo iam ad *d. l.* 4. De his igitur Vrbis Romæ Archiatris feu Medicis Popularibus quatuor *hac leg.* a Valentiniano Sen. conftituuntur, de Numero, Annona, feu Commodis, Mercedibus, fubrogatione feu delectu & ordinatione eorum. Idque conftitutione ad Prætextatum P. V. emiffa, proculdubio ad eius fiue relationem & fuggeftionem, fiue difpofitionem: (Quo refpexit forte Valentinianus ipfe biennio poft, *l.* 9. *prox.* illis verbis, *iuxta difpofitionem prius habitam.*) Cuius elogium non erit abs re hic apponere, quod Ammianus Marcellinus de eo habet *lib.* 27. *cap.* 9. ex quo apparet, quantum eius fuerit ftudium circa Vrbem Romam, & ciuium populique vtilitatem: quo etiam *hac lex* fpectat. *Hac inter*, inquit, *Prætextatus Præfecturam Vrbis fublimius curans, per integritatis multiplices actus & probitatis, quibus ab adolefcentiæ rudimentis inclaruit, adeptus eft id, quod*

quod raro contingit, vt cum timeretur, amorem non perderet Ciuium, minus firmari solitum erga Iudices formidatos. Cuius auctoritate iustisque veritatis suffragiis tumultu leuato, quem Christianorum iurgia concitarunt, pulsoque Vrsicino, alta quies parta, proposito ciuium Romanorum aptissima: & adolescebat gloria praclari Rectoris plura & VTILIA DISPONENTIS. Namque & meniana sustulit omnia, fabricari Roma priscis quoque vetita legibus: & discreuit ab adibus sacris priuatorum parietes, iisdem inuerecunde connexos: ponderaque per REGIONES instituit vniuersas, cum auiditati multorum ex libidine trutinas componentium occurri nequiret. In examinandis vero litibus ante alios id impetrauit, quod laudando Brutum Tullius refert, vt cum nihil ad gratiam faceret, omnia tamen grata viderentur esse qua factitabat. His addantur & elogia Symmachi, *lib. 10. epist. 23. 24. 25.* Nunc de ipsamet *lege*. Primo igitur capite quod abest a *Cod. Iust. Numerum* Archiatrorum popularium Vrbis Romæ quatuordecim tantum definit *hac leg.* Valentinianus: quem etiam biennio post indicat *l. prox. 9. infr.* Constitui scilicet quot Vrbis Regiones erant, tot etiam voluit Medicos Regionarios, de quibus regionibus & regionariis nil attinet monere, nisi quod de eodem Prætextato P. V. cui *hac lex* inscribitur, Ammianus scribit *lib. 27. cap. 9.* eum instituisse pondera per vniuersas regiones Vrbis Romæ. Quod mirum satis in tanta ciuitate, totius orbis epitome, quatuordecim tantum Romæ Medicos populares fuisse: Sed minus mirum reputanti, quod mihi in mentem venit, quodque *hac lex* satis ingerit, plures quidem longe fuisse Romæ: & quidem qui diuitibus, aut quibus placeret vltro seruirent, verum hos quatuordecim constitutos, qui tenuioribus obsequi cogerentur vocati; atque ideo annonaria commoda de publico acciperent: scilicet hi constituti vel in tenuiorum fauorem, vel saltem necessarii, cum vulgo Medici vel vocati ire detrectarent, vel nonnisi diuites ferme adirent, neglectis tenuioribus, vt ferme hac ætate, misera plebs Romæ neglectui habita, diuitumque apothecas vt alii, ita & Medici sectati. Imo, quod huic proximum, ad id deliciarum Romæ ventum hac tempestate, vt Nobiles amicos ægrotantes non adirent, imo percunctatum missos, non ante domum reciperent, quam corpore lauacro purgato, vt diserte scribit Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 6.* Ergo necessarii hi iam Archiatri deque publico conducti, quatuordecim Romæ. Ex quorum numero vno deficiente, si alius subrogandus esset, septem Archiatrorum iudicio seu suffragio stari idem Valentinianus voluit, *l. prox. 9. infr.* nempe quia septem e tredecim superfluis maiorem partem constituunt: de quo *ad eam legem* plenius. Et hi quidem in commune seu populares Medici constituti, præter hos enim fuere, & alii singulares Archiatri Romæ destinari. *Exceptis*, inquit Valentinianus, *portus Syxti, Virginumque Vestalium.* Vbi mendum manifestarium hæret in voce *portus* & in voce *Syxti.* Quare putet quis primo, loco *portus*, reponendam vocem *partus*, vt ita Medici intelligantur parientibus opem ferentes: de quibus ad eam rem Medicis mulieribus, saltem proximis, vide Hyginum *fabul. 274. l. 1. §. 2. D. de extraord. cognit. l. 9. D ad l. Aquiliam,* & Anianum ad Paulum *lib. 2. tit. 24. §. 8. Quotiens de mulieris pregnatione dubitatur, quinque obstetrices, id est Medici, ventrem iubentur inspicere.* Hinc adeo qui γυναικεῖα scripsere, hosce libros fœminis potissimum Medicis, dedicauere, vt Theodorus Priscianus Victoriæ Sabinæ. Verum hæc emendatio non placet: nam de Archiatris sermo est: & quidem popularibus, de publico conductis, & quidem viris. Quare hic omnino reponam *Porticus Xysti.* De Xysto primum. *Xysti* loquam, hic rescribo, loco *Sixti*. Quomodo & alias hæ voces in MS. mutatæ, & in *veterib. Inscriptionib.* Eaque etiam alicubi falsitatis & erroris materies. Hieronymus *ad Ctesiphontem*, aduersus Pelagian. *pag. 170. Tom. II. Oper. Edit. Francf. apud Christ. Gensch. Illam autem temeritatem imo insaniam eius quis digno possit explicare sermone: quod librum Xysti Pythagorai hominis absque Christo atque ethnici, immutato nomine, Syxti Martyris & Romana Ecclesia Episcopi pranotauit. In Actis S. Marii supposititiis: XYSTVS EPISCOPVS PLEBI DEI.* Est autem Xystus idem pene quod Gymnasium: Ludus scilicet locusque in quo Athletæ degebant & exercebantur. Hesychius: ξυστὸς, τόπος ἔνθα οἱ ἀθληταὶ γυμνάζονται: & apud eundem, γυμνασιάρχης, ἄρχων τοῦ ξυστοῦ. Vnde & palæstræ Xystus frequenter iungitur. Frequensque eius mentio apud veteres Scriptores, quos hic laudare nimis longum foret. Mitto & in vocis huius originem inquirere, nominisque rationem reddere, quam alii aliam reddunt. Vide quam Pausanias reddit *in Eliacis*, seu *lib. 6. p. 511. Edit. Kuhn.* vt & de differentia agere inter *Xystos*, & *Xystas*. De Xysticis vid. *Suetonium in August. c. 45.* & *leg. 4. D. de his qui not. infam.* de Xystarchis vid. veteres *Inscriptiones*. Tertullianum *ad Martyres, cap. 3.* & Ammianum Marcellinum *lib. 21. cap. 1.* de Xystorum ædificatione vid. Vitruuium *lib. 5. cap. 11.* cuius verba mox apponemus. Illud ad rem tenendum, Athletas Xysticos in Xysto exerceri solitos cum magna corporis cura, & non sine læsione. Quare non vanitatem tantum & immunditias Xysti vel Xysticas Tertullianus non *vno loco* perstringit, verum etiam iniuriam, *de spectaculis, cap. 18. Non probabis vsquam vanos cursus, & saltus vaniores: nusquam tibi vires aut iniuriosa aut vana placebunt.* Quod idem in Græcorum Gymnasiis, notat apud Lucianum Anacharsis *pag. 270. Edit. Grau. Tom. II. Oper.* Vnde & gladiatorum pugnis affines erant Xysticorum certationes, ideoque iunctæ. Suetonius *Octauio, cap. 45. Xysticorum certationes, aut gladiatorum pugnas seuerissime semper exegit.* Hinc igitur his Xystis, Xysticorum certationibus sui, fuere Medici. Certe ita quoque occurrunt in *veteribus Inscriptionibus*, *MEDICI LVDI GALLICI: LVDI MAGNI. LVDI MATVTINI.* E quibus ista Romæ, apud Gruterum *LXV. 3.*

P. 36.

SILVANO. SANCTO
C. AVSTORNIVS
MEDICVS. LVDI, GALLIC.
PORTIC. ET EXEOR.
ET. SION. AEM.
VOTO SVSCEP.
L. M.
DEDIC. KAL. MAI.
L. MARCIO. ET
SEX. IVLIO COS.

Ad eundem modum sui quoque fuere, & quidem vniuersi Xysti Pontifices; vt docent veteres inscriptiones quatuor: quæ Romæ *CCCXIII. 10. CCCXIIII. 1. CCCXV. 10. CCCXVI. 1.* ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΤΟΥ ΣΥΝΠΑΝΤΟΣ ΞΥΣΤΟΥ; vt & ΞΥΣΤΑΡΧΟΣ ibidem memoratur, & quidem

ΑΙΑ ΒΙΟΥ. Memoratur & *CCCXVI. 1.* ΣΥΝΟΔΟΣ ΞΥΣΤΙΚΗ ΤΩΝ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ ΑΘΛΗΤΩΝ ΙΕΡΟΝΕΙΚΩΝ, ΣΤΕΦΑΝΕΙΤΩΝ. Ergo & Xysti Medici seu Archiatri Romæ fuere, seu *porticus* Xysti, quomodo hic reponendum dixi. *Xysti* scilicet nil aliud erant, quam porticus tectæ hypæthris oppositæ: Vnde Græcis ξυςοὶ δρόμοι, & ξυςοὶ absolute promiscue: de quo vid. Pollucem *lib. 9. c. 5. Sect. 43. Edit. Hemsterhuis.* Omissis aliis, Vitruuius *d. lib. 5. cap. 11. Hac autem porticus ξυςὸς apud Gracos vocitatur, quod Athleta per hyberna tempora in tectis stadiis exercentur. Facienda autem Xysta sic videntur, vt sint inter duas porticus sylua aut platanones, & in his perficiantur inter arbores ambulationes, ibique ex opere signino stationes. Proxime autem Xystum & duplicem porticum, designentur hypathra ambulationes, quas Graci περιδρομίδας, Nostri Xysta appellant; in quas per hyemem ex Xysto sereno calo Athleta prodeuntes exercentur. Post Xystum autem stadium ita figuratum, vt possint hominum copia cum laxamento Athletas certantes spectare.* Et rursum lib. 6. cap. 10. *ξυςὸς Graca appellatione est porticus ampla latitudine, in qua Athleta per hyberna tempora exercentur. Nostri autem hypathras ambulationes Xystos appellant, quas Graci περιδρομίδας dicunt.* De quibus Vitruuii locis vid. Interpretes eius, & Mercurialem *in Gymnasticis.* Ergo *porticus Xysti* in *hac* pariter *lege*, ad discrimen etiam aliorum porticuum, quæ insigniores plures in Vrbe Roma per varias regiones erant, quas notatas reperies in tribus veteribus Romæ *descriptionibus.* Ac proinde Medici Xysti, de quibus hactenus.

Sequuntur nunc *Medici virginum Vestalium:* qui secundo loco hic memorantur, præter Xysticos, & populares Vrbis Romæ. Peculiarem igitur Virgines Vestales Archiatrum ibi habuere, & Valentinianus Sen. haberi porro permittit. Quod vtique notandum. Olim sane quoque virgines Vestales ægrotæ, alicuius matronæ custodiæ extra atrium Vestæ mandabantur: quod testatur Plinius *lib. 7. epist. ad Priscum 19. Angit me Fannia valetudo: contraxit hanc dum adsidet Iuniæ Virgini Vestali sponte primum, (est enim affinis,) deinde etiam ex auctoritate Pontificum: nam Virgines, cum vi morbi Atrio Vesta coguntur excedere, matronarum cura custodiaque mandantur.* Sed Medicorum Virginum Vestalium vnica hæc *hac leg.* mentio occurrit.

Obiter interim de Virginibus istis Vestalibus, quæ ad hanc rem legemque nostram & tempestatem faciant, tria hæc notare iuuat. Primo ad *Præfecti vrbis* inspectionem quoque pertinuisse Virgines Vestales, quod ex *hac leg.* colligas. Sane cognouisse eum de Vestalium incestu docet Symmachus *lib. 9. epist.* 118. 119. Secundo obseruo, peculiari cultu Prætextatum, cui *hac lex* inscribitur Virgines Vestales prosecutum, & eas vicissim Prætextatum: (qui & Princeps Religiosorum Romæ fuit, sacrorum Præsul & arcanorum conscius, vt docet Macrobius *1. Saturn. 7. 11. 24.*) Inde & Vestales Virgines ei monumentum statuæ dicare destinarunt insuitato hactenus more, quem honestati Virginum tali in Viros obsequio non conuenire, arbitrabatur Symmachus *lib. 2. epist. 36.* Et tamen consulti Pontifices adnuerunt vt ibidem testatur: & fidem facit vetus *Inscriptio* Romæ reperta, statuæ basi subiecta, *CCCX. 1.*

COELIAE. CONCORDIAE. VIRGINI VESTALI. MAXIMAE. FABIA. PAVLINA C. F. STATVAM. FACIENDAM. COLLOCANDAM-QVE. CVRAVIT. CVM. PROPTER. EGREGIAM EIVS. PVDICITIAM. INSIGNEMQVE CIRCA. CVLTVM. DIVINVM. SANCTITATEM TVNC. QVOD. HAEC. PRIOR. EIVS. VIRO VETTIO. AGORIO. PRAETEXTATO. V. C. OMNIA. SINGVLARI. DIGNOQVE. EIVS AB. HVIVSMODI. VIRGINIBVS. ET SACERDOTIBVS. COLL. STATVAM. COLLOCARAT.

Tandem obseruandum, inter labentis Romæ superstitionis rudera, summam adhuc hoc tempore Virginibus Vestalibus Religionem stetisse: quod non tantum ex *hac leg.* & supradictis liquet, verum etiam aliunde. 1. Vetus Orbis Descriptio sub Constantio & CONSTANTE Impp. viginti ferme annis ante *hanc l.* conscripta, inter ea quibus Romam celebrat, *Sunt autem*, inquit, *in ipsa Roma & Virgines septem ingenua & clarissima, qua sacra Deorum pro salute ciuitatis secundum antiquorum morem perficiunt, & vocantur Virgines Vesta.* 2. Sane & Symmachus, in relatione illa sua nominatim ait, CONSTANTIVM *sacrarum Virginum priuilegiis nil detraxisse, decreuisse nobilibus Sacerdotia, Romanis carimoniis non negauisse impensas.* 3. Sed & VALENTINIANVS Senior (*huius leg.* auctor) qui ἐθελοθρησκείας & alias sanciuit, Virginibus Vestalibus sua iura reliquit, quod Symmachus testatur, *in pradicta illa relatione.* 4. GRATIANVS Vestalibus Virginibus subsidia vetera, prærogatiuam, agros, detractum iuit, prædiaque hæreditate quæsita, & annonam seu victum quæ de publico & *populi annonis* præbebantur. Quæ omnia Senatus a Gratiano repetitum ierat, verum exclusa eius legatio, & audientia denegata, quæ omnia testatur Symmachus *d. Relat. 5.* Sub VALENTINIANO Iun. Senatus iterum per Symmachum P. V. Anno D. 384. ea repetitum iuit: Cuius est cum quoque in finem famosa illa *Relatio ad Valentinianum* Iuniorem. Verum (quod Ambrosius testatur *epist. ad Imp. Eugenium*) ei nec quicquam detulit. 6. Neque THEODOSIVS Anno 388. vel 389. quod & ipsum testatur *d. ep. ad Eugenium.* 7. Neque rursum idem VALENTINIANVS Iun. cum iterum Legatio missa ad eum fuisset intra *Gallias*, Ano. D. 392. vt habetur in *eadem epist.* & id ipsum memorat Paulinus *in v. Ambrosii.* 8. Tandem cum ab EVGENIO in primordiis Imperii eodem Anno 392. hoc ipsum Legati petiissent, vt annonas Templis (ac perinde & Vestalibus) restitueret, non fecit: cum iterum alii postulassent, renisus est: Tandem ea donauit quibusdam præcellentibus in Republ. Gentilis obseruantiæ Viris, id petentibus: id quod innuit Ambrosius *d. epistola*: de quo & Paulinus *in V. Ambrosii.* Et hæc quidem semel & sub vnum obtutum, de Virginibus Vestalibus hac tempestate ad *huius leg.* historiæque Ecclesiasticæ, & quidem Romæ illustrationem dicta collectaque volui. Et hactenus quidem, de primo *huiusce leg.* capite, de Numero, inquam, Archiatrorum Romæ.

Secundo capite quod vna cum proxime *seq.* extat *Cod. Iustinianeo*, reciso primo & vltimo, Valentinianus Sen. ANNONAS Archiatris in Vrbe Roma dari vult *e populi commodis*, id est, ex annona P. 37.
populari seu ciuica, pariter vt *l. 9. prox.* Nempe annonæ ciuicæ gratuitæ populo ciuibus Romanis, in Vrbe Roma datæ, vt & Constantinopoli: item Palatinis & militaribus Viris nonnullis. Quæ populo data, *popularis* annona dicta, *l. 7. infr. de annonis ciuicis*, alimenta popularia *l. 3. h. t.* commoda popularia, *l. 3. supr. tributa in ips. speciebus.* denique commoda populi (vt habet lectio eius) *hac leg.* Ex quibus ex etiam, quæ per mortem vel aliter deficie-

ban

bant, dicebantur caduca popularia, *l. 2. inf. de studiis lib. V. R.*

Cæterum ex his popularibus annonis non tantum populo annonæ datæ, verum etiam salarii loco quibusdam datæ: puta Antiquariis Constantinopoli, qui Bibliothecæ codicibus componendis vel pro vetustate reparandis vacabant, ex Valentis constitut. *d. l. 2. infr. de studiis lib.* Item Virginibus Vestalibus teste Symmacho. Item Archiatris Vrbis Romæ, ex hac Valentinianea. Sic quidem (quod disertè exprimitur ab eodem Valentiniano *l. prox.*) ut Præfecti Vrbis solicitudine hæ annonæ his ministrarentur. Sane & alias Medicis salaria & annonæ de publico datæ in Prouinciis, & Municipiis: vt docet *lex 4. §. 2. D. de decretis ab ord. fac.* De Palatinis Archiatris non est hic dicendi locus: de horum interim salario, seu annonis vid. Lamprid. *in Alex. Seu. cap. 42.* Cæterum causam harum annonarum Archiatris popularibus Romæ dandarum, hanc adiungit Valentinianus, vt ita scilicet *honeste obsequi tenuioribus malint, quam turpiter seruire diuitibus.* Nempe videntur Medici hactenus Romæ, de publico annonas non percipientes, a diuitibus ferme auctorati, vel saltem his sese turpiter & similiter dedisse spe lucri commodique, tenuiorum omni ferme cura abdicata. Quare annonis de publico constitutis tum honestati Medicinæ consultum, simul & tenuioribus.

Tertio capite, quod & ipsum exstat *Cod. Iust. in d. l. 9.* Valentinianus Medicorum istorum auaritiæ occurrit, sicut & fastidio eorum *superiore capite:* quæ nexus ratio est *huius capitis* cum *illo:* vnde illa, *Quos ETIAM*, &c. quod Tribonianus perperam immutauit in *tantum*, vt præfert Editio Cujaciana. Ergo Valentinianus MODVM imponit horum MERCEDIBVS, emolumentis, & salariis. Iamdiu enim Hippocratis iuramentum obsoleuit, se operam quibuscumque ægrotis exhibituros, ἄνευ μισθοῦ καὶ συγγραφῆς: nempe vt ea tantum accipere possint quæ sani iam pro obsequiis præstitis offerunt, non ea quæ periclitantes pro salute promittunt. Promittunt, inquam, non tantum in pericula coniecti per aduersa medicamenta, vt in facti sp. *l. 3. D. de extraordinar. cognitionib.* imo quamlibet vltro & sponte æger aliquid pollicitus sit, vel donauerit; solo periculi metu, vt *huius leg.* verba docent, *quæ periclitantes pro salute promittunt.* Quam sententiam recte defendit Mainardus *lib. 3. cap. 73.* aduersus Matthæum de Afflictis *decis. 123.* Hoc tamen discrimine, quod illo casu inciuile factum in totum rescinditur: hoc ad modum redigitur: de quo mox. Hinc adeo in praxi donationes, obligationes, promissiones, venditiones immodicæ ab ægrotis factæ nonnisi triginta annorum spatio præscribuntur: de quo Mainardus *d. c. 73.* & Charondas *lib. 9. Resp. cap. 19.* Alias salarium immodicum Medico promissum ad modum & arbitrium boni viri redigitur & arbitrio Iudicis taxatur: quam in rem allegant Aresta Curiæ Parisiensis, Rebuffus *comm. in constit.* Ruias *tractatu de resciss. contr. in præf. num. 30. 31.* Mainardus *d. c. 73.* Et quanquam hæc *lex* agat de stipendiatis Medicis, idem tamen dicendum in non stipendiatis, vt rursum recte asserit Mainardus adu. Matth. de Afflictis, *d. c. 73.*

Postremo capite quod a *Cod. Iustin.* abest, Valentinianus SVBROGATIONI, seu ORDINATIONI horum Medicorum seu Archiatrorum prospicit, si ex eorum numero aliquis decesserit, aut quocumque casu exemptus fuerit. Quæ res sollicitam curam exigere visa, cum de populi salute ageretur. De quo repetita constitutione egit rursum idem Valentinianus biennio post *l. prox. 9.* sic tamen vt ea vel huic in partem derogetur, vel saltem accuratius reuocetur. Hanc vero constitutionem & proximam, intelligit Valentinianus Iun. *l. 13. infr.* Tria igitur de hac subrogatione hic constituuntur. Primum. *Quorum* delectu hæc subrogatio facienda sit: nempe ipsorummet Archiatrorum; non vero patrocinio potentium, vel gratia iudicantis, id est (Prætoris, vel forte etiam Præfecti vrbis.) De subrogatione vel delectu Medicorum in municipiis videnda *lex 1. D. de decretis ab ord. fac.* Secundo, *omnium* Archiatrorum delectu fideli & *circumspecto* hanc subrogationem fieri iubet: Quod tamen vel derogando, vel saltem explicando ad maioris partis suffragia & consensum reduxit idem Valentinianus *l. prox. 9.* biennio post. Vbi *circumspecti* vox propria notanda, de qua in *Notis.* Postremum de subrogato ad se referri iubet: de cuiusmodi hac in re Relationibus, alio atque alio fine actum Iuliani *l. 5. supr.* Sane de hac relatione nihil quicquam statuitur *d. proxima l. 9.* sic vt & hac parte huic derogatum ea videatur.

IX. (a) Idem AA. ad Olybrium P. V. (b)

SI qui in Archiatri (c) defuncti est (d) locum promotionis meritis adgregandus, non ante eorum (e) particeps fiat, quam primis (f) qui in Ordine reperientur, septem, vel eo (g) amplius, iudicantibus idoneus adprobetur. Ita (h) vt quicumque fuerit admissus, non ad (i) priorum numerum statim veniat, sed cum ordinem consequatur, qui cæteris ad priora subuectis, vltimus poterit inueniri: (*) Hisque annonarum compendia, quæ eorum sunt meritis dignitatique præstanda, Tua Sinceritas iuxta dispositionem (k) prius habitam faciat ministrari. Dat. VI. (l) Id. Mar. Valentiniano & Valente III. AA. Coss. [370.]

P. 38.

NOTÆ.

(a) *L. 10. Cod. Iust. eod. tit.* Iungendaque *huic* videtur *lex 1. infr. de studiis lib. V. R.* Imo & *lex 7. Cod. Iust. de postulando.* Huius *leg.* meminit quoque Symmachus *lib. 10. epist. 40* de quo mox. Hanc quoque cum *superiore* intelligit simul & firmat Valentinianus Iun. huius filius *l. 13. infr. hoc tit.* GOTHOFR.

(b) Romæ: huius elogium vid. apud Ammianum *lib. 28. cap. 4.* ID.

(c) Popularis. ID.

(d) Vox hæc *Cod. Iust.* reiecta post vocem *locum* in Edit. vulgat. & in Cuiacian. post vocem *adgregandus*, Enphoniæ studio. *ID.*

(e) An Archiatrorum? an meritorum? *ID.*

(f) Symmachus hæc verba repetit: *vt Primi artis eiusdem de nouorum scientia iudicarent. Primi* autem hic dicuntur omnes, respectu substituti de nouo. *ID.*

(g) Abest hæc vocula a *Cod. Iust. Edit. Cuiacian.* *ID.*

(h) *Ita tamen*, ita *Cod. Iust.* *ID.*

(i) In, *Cod. Iust.* *ID.*

(*) Cætera a *Cod. Iust.* resecauit Τριβων. ceu horum temporum historiæ adstricta. *ID.*

(k) Prætextati, vt existimo: cuius in vniuersum dispositionem probare puto *l. prox. 8. supr.* *ID.*

(l) IV. *Id. Mart.* ita *d. l. 1. Kal. Mart.* ita *d. l. 7.* & quidem vtrobique additus locus *Triueris.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE SVBROGATIONE (1.) seu ORDINATIONE in demortuorum ARCHIATRORVM popularium Vrbis Romæ locum, (2.) deque subrogatorum GRADV, (3.) & COMMODIS, est hæc e duabus altera eiusdem Valentiniani Sen. constitutio: quarum *prior* (puta *lex 8. supr. prox.*) ante biennium processerat, ad Prætextatum P. V. *hac* vero ad Olybrium, illius in Præfectura Vrbana successorem. Ita quidem, vt eum *superioris legis* dispositionem prius habitam cæteroquin ratam esse velit, quod etiam *fine legis* indicat, ac nominatim circa Annonarum compendia, e popularibus videlicet commodis & annonis (Præfecti Vrbis sollicitudine) hic præstanda. Item circa Numerum Archiatrorum, quem *hac leg.* eundem præsupponit, quem *superiore lege*, mox vt ostendetur plenius, item quoad ipsam subrogationem faciendam Archiatrorum ipsorum delectu: In quibus tribus *hac lex* cum superiore concordat, vnde Interpretatio huc arcessenda venit. Attamen hac constitutione idem Valentinianus Senior accuratius de eadem subrogatione recauet in tribus, & quidem aliter, quam *ea lege.*

Primum quidem de *suffragiorum numero* requisito, vt quis in locum defuncti Archiatri subrogatus, his adgregetur. Ex superiore sane constitutione ad delectum hunc, omnium Archiatrorum consensus requiri videbatur: sic enim verba *legis* illius habebant, *horum OMNIVM fideli circumspectoque delectu.* Verum id nunc accuratius explicat Valentinianus: nempe, secundum legem & naturam omnium Curiarum, Collegiorum, Corporum: vbi, *quod maior pars* decreuit, vel *effecit, pro eo habetur ac si omnes egerint*, numerusque adeo maior præualeat; *l. 19. D. ad municip.* addatur & *lex 3. D. quod cuiuscumque vniuers. l. 6. §. 5. D. de Decurion. l. 19. D. de tutor. & cur. dat. l. pen. & vlt. Cod. Iust. de præd. Curial. l. vltim. Cod. eod. de vendendis reb. ciuitat. lex 160. §. 1. D. de Regulis Iuris: & l. 84. 142. supr. de Decurionib.* vbi dixi. Extat & de eo Symmachi locus *lib. 4. epist. 27.* Plinii *lib. 2. epist. 12.* Alludit Seneca *de vita beata, c. 2.* & *epist. 29.* Prudentius *in Symmachum lib. 1. v. 607.* denique huc spectat vetus verbum, *Numera Senatum*, de quo Festus. Igitur & hac parte sufficere ait, si vel septem Archiatrorum calculus accedat, in subrogatione alicuius in locum decedentis. Scilicet hic maior numerus est, Archiatrorum corpore imminuto per alicuius mortem; solemnis enim quatuordecim Archiatrorum popularium numerus fuit Romæ (de quo affatim *l. super.*) Quare satis est si in concursu plurium, vel ita vnico tantum suffragio quis vincat: de quo nil attinet plura dicere.

Secunda quæstio siue controuersia erat, de GRADV, *Ordine seu Præcedentia:* quemnam videlicet gradum & Ordinem subrogatus consequi deberet: Finge enim, eum qui primum locum inter Archiatros obtinebat decessisse, aliumque ei subrogatum: hic quærebatur, num primi illius locum & ordinem subingrederetur, an vero cæteris ad priora subuectis vltimum locum obtineret, vtpote vltimus adscitus? Sane *superiore constitutione 8.* Valentinianus minus accurate dixerat, *in eius locum qui defunctus fuerat, alium subrogandum.* At nunc postremum illud Valentinianus hic amplectitur, nempe vltimo loco habendum subrogatum, denique ordinem successionis seruandum. Quam quidem Valentiniani Senioris constitutionem Symmachus, scribens ad Valentinianum Iuniorem filium eius, *lib. 10. epist. 40.* meminerat, & quidem vtroque eius capite relato, his verbis; *Diuus Genitor vester inter alia quæ in bonum publicum contulit, etiam Medendi Professoribus dedit ORDINEM SVCCESSIONIS, si locum quempiam decedentis fortuna nudasset. Qua lege cautum est, vt PRIMI artis eiusdem de nouorum scientia iudicarent. Hanc formam, quantum asserunt, ætas secuta seruauit.* Cuius quidem *legis* vim Symmachus ideo Relatione sua Valentiniano Iuniori memorauit, imo opposuit, eo quod Valentinianus Iunior defuncto quodam Medico, speciali priuilegio, oraculo, præcepto, Ioannem in Epicteti Archiatri locum subrogasset, magna Medicorum parte refragante. Ad quam tamen relationem, vt alibi pluribus ostendi, idem Valentinianus ad Symmachum P. V. rescripsit, id quod continetur *l. 2. Cod. Iust. de crimine sacrilegii: Disputare de Principali Iudicio non oportere: sacrilegii enim instar esse, dubitare an is dignus sit, quem ELEGERIT Imperator.* Certe postea idem Valentinianus Iun. subreptitiis huiuscemodi rescriptis reuocatis, ad huius *legis* mentem rediit, *l. 18. infr.* Ad rem. Scilicet succedaneus, seu suffectus & subrogatus in alterius decedentis vel recedentis officium siue locum, & vt Græci vocant τάξιν, vltimum inter Collegas vndiquaque pares locum occupat: Quam in rem hic textus singularis est, & alii complures. Eamque in rem tum responsa, tum Senatusconsulta varia extant apud Decium *resp. 161.* Hotomannum *consilio 105.* Langlæum *7. Semestr. 7. p. 360.* Loiseau *lib. 1. des Offices, cap. 7. p. 115.* Chenu *cap. 97. p. 521.* Cothmannum *consf. 95. vol. 2.* Et generaliter inter Collegas & habentes æquales dignitates & officia, promotionis, cooptationis, installationis, *renunciationis* (quo verbo vtitur Tullius) initiationis, consecrationis ratio, ordo, prioritas, antiquitas, matricula, album, præcedentiam regulariter adsignat, sic vt prior tempore potior iure sit: (non attenta forte ætatis ratione) Quam in rem Textus complures Iuris sunt, puta *lex 1. D. de Albo scrib.* Cætera peti velim ex *Diatriba* nostra *de Præcedentia, p. 27. 28.*

Hic

P. 39. Hic interim omittere non possum, eo vsque *huic legi* locum esse, vt neque professionis etiam alibi, & vel in Palatio Principis, anterioritas hic spectanda veniat, vt cæteroquin in materia præcedentiæ *extracollegialis* dignitatis vel anterioritatis ratio non habetur. Quam quidem speciem Symmachus *prædicta epistola* tractat, deque ea ad Valentinianum Iuniorem ambiguus refert, quod Ioannes hoc etiam argumento Palatinæ professionis vteretur, licet vltimum subrogatus, vt summo proximum gradum adipisceretur, scissis ea in re Medicorum Collegii sententiis. *Nunc Ioannes V. P. non eum gradum quem subrogandis dederunt Diualia scripta, sed summo proximum conatur adipisci, fultus PALATINÆ MILITIÆ priuilegio, & Impetratione specialis oraculi*, &c. *Quorum* (Medicorum) *potissimi inter venerationem legis, & noui beneficii reuerentiam iudicare non ausi, eum locum Ioanni V. P. statuerant deferre nudum, quem tenere potuisset, si eo tempore quo Aulæ obsequiis deputatus est, Archiatrorum numero fuisset adiunctus: Et cum ab eo Palatini honoris officia poscerentur, vt Codicillorum prærogatiua monstraret, quis illi inter Archiatros ordo competeret, asseruit, domestica expilatione etiam documenta Dignitatis sibi ablata. At vero pars magna Medicorum munita lege Diuali eorum exempla depromsit, qui e Palatio in hunc gradum seruato ordine transierunt. Quare motus ambiguus*, &c. Vbi vides tres in hac quæstione opiniones: ipsius videlicet Ioannis, summo proximum locum affectantis, quem Epictetus tenuerat: Media, eum locum ei adsignandum, quem tenere is potuisset eo tempore, quo in Palatio Medicus esse cœpit: Postrema, eum postremo loco, seruato ordine successionis hodie collocandum. Quæ omnia ad praxin deduci vtiliter possunt. Tertio loco obseruandum, *hac leg.* non requiri, vt *superiore*, vt de subrogato ad Principem referatur.

Illud vltimum ad *hanc leg.* notandum venit, eam videri prolixioris Valentinianeæ constitutionis ad Olybrium P. V. partem: cuius quoque partes, atque adeo *huic* coassandæ videntur *lex 1. infr. de studiis lib. V. R.* & *lex 7. Cod. Iust. de postulando*; quæ in vniuersum de literarum studio & literatorum meritis sunt. Et quidem *d. lex 1.* de scholarium seu studiosorum profectu & meritis prouocandis, prouehendis: *dicta lex 7.* de Aduocatorum meritis: *Hæc* tandem de Archiatrorum pariter meritis, secundum quæ & promoueri, & annonas eis præberi iubet. At non & ideo pro meritis eis præcedentiam adiudicari: quo hæc proculdubio de Præcedentia *hac l.* controuersia pertinet.

X. (a) Idem AAA. ad Principium P. V. (b)

MEdicis, & Magistris Vrbis Romæ sciant omnes immunitatem esse concessam; ita, vt etiam vxores eorum ab omni inquietudine tribuantur immunes, & a cæteris oneribus publicis vacent: eosdemque ad militiam (c) minime comprehendi placeat: Sed nec hospites militares recipiant. Dat. III. Kal. Maii, Valentiniano & Valente III. AA. Coss. [370.]

NOTÆ

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iust.* Efformata autem ea adinstar *legis 3. supr.* *GOTHOFRED.*

(b) Vnica hæc *lex* occurrit, quæ Principio P. V. inscripta est: nam in *leg. 2. Cod. Iust. de offic. diuers. iudicum*, proculdubio reponendum PP. vide quæ dico in *Chronologia.* *IDEM.*

(c) Militia *h. l.* & *d. l. 3. supr.* & *l. 16. infr.* est Tyronum præstatio, & quidem filiorum *d. l. 16.* *ID.*

COMMENTARIVS.

IMMVNITAS ab omnibus muneribus & oneribus publicis Medicis & Professoribus (de qua ipsa fuerunt quoque iam *supra* tres constitutiones, duæ Constantini M. puta *lex 1.* & *3.* tertia Iuliani, puta *lex 4.*) a Valentiniano Sen. hac constitutione tribuitur, quæ adinstar *d. legis 3.* efficta est. Neque ipsis tantum Medicis & Professoribus, verum etiam eorum *vxoribus*, pariter vt *d. l. 3.* Ac speciatim quidem immunitas a *Tyronum* præstatione (id enim vt *hac leg.* ita & *d. l. 3.* Militiæ appellatione intelligendum venit) & quidem filiorum, *l. 16. infr.* vt & a Metati militaris onere: de qua postrema immunitate est quoque *lex 16. 18. infr. hoc tit.* Quarum duarum immunitatum argumento procliue est statuere, hanc constitutionem omnino pertinere ad procinctus militares, quibus hoc tempore Valentinianus Sen. destinebatur: siue in Gallia, siue in Britannia, de quibus Ammianus *l. 27. cap. 1. 2.* & *8.* & Zosimus *lib. 4. cap. 12.* & dixi ad *leg. 5. supr. de Tyronibus*: *l. 2. supr. de Metatis*: quæ & ipsæ eodem pertinere videntur. Porro est hæc lex nominatim de Medicis & Magistris Vrbis Romæ: qui & ipsi cum possessiones in Prouinciis aliquas possiderent, ad indictam Tyronum & Metati præstationem vocandi videbantur, vna cum cæteris Plebeiis, Vrbanis familiis, quæ per Prouincias possidentes ad Iuniorum delectum sæpe vocabantur, vt docet Symmachus *lib. 6. epist. 58. Iuniorum*, inquit, *delectus Vrbanis familiis imperatus, vsque ad æterni Principis responsa pendebit.*

XI. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus AAA. Antonio (b) PF. P. Galliarum.

PEr omnem Diœcesim (c) commissam Magnificentiæ Tuæ, frequentissimis in Ciuitatibus, (d) quæ pollent & eminent claritudine Præceptorum, (e) optimi quique erudiendæ

P. 40. diendæ præfideant iuuentuti, Rhetores (f) loquimur & Grammaticos, Atticæ (g) Romanæque doctrinæ: (h) Quorum Oratoribus viginti quatuor annonarum e fisco emolumenta donentur, Grammaticis Latino vel Græco duodecim (i) annonarum deductior paulo numerus, ex more præftetur: Vt (k) fingulis vrbibus, quæ *Metropoleis* nuncupantur, nobilium Profefforum electio celebretur, nec vero (l) iudicemus liberum vt fit cuique Ciuitati fuos Doctores & Magiftros placito fibi iuuare compendio. Triuerorum vel (m) clariffimæ (n) ciuitati vberius aliquid putauimus deferendum: Rhetori, vt triginta, item viginti Grammatico Latino, Græco etiam, fi qui dignus reperiri potuerit, duodecim præbeantur annonæ. Dat. X. Kalend. Iun. Valente V. & Valentiniano A A. Coss. [376.]

N O T Æ.

(a) Abeft hæc *lex* a *Cod. Iuft.* GOTHOFRED.

(b) *Antonio* huic PP. Galliarum infcribitur hoc ipfo Anno *lex 2. fupr. de Quæftionibus.* Error eft Scaligeri, qui in *Aufonii* nomen id mutatum voluit: de quo mox plura. *IDEM.*

(c) Galliarum, & quidem vnicam, de quo mox. *ID.*

(d) Metropoleis *infr. verf. vt fingulis*: βαρυτάτας πόλεις vocat Polybius. Sic idem Gratianus *l. 35. fupr. de curfu publ.* aut frequenti ciuitate. *ID.*

(e) An ita interpungendus hic locus, *claritudine præceptorum optimi*, &c. *ID.*

(f) *Rhetores*, mox *oratores*, vt & rurfum *l. 16. infr. & l. vlt. infr. de ftudiis.* *ID.*

(g) De hoc mox in *Commentario.* *ID.*

(h) Vide Interpretationem. *ID.*

(i) An *duo de viginti?* Nam alioquin duodecim ad viginti quatuor dici non poffe videatur PAVLO deductior numerus. *ID.*

(k) Hæc Interpretis, alicui videri poffint, vel certe Gratianeam conftitutionem ad hunc modum *huius Codicis* Conditores concinnaffe feu contraxiffe. Neque enim hæc fuperioribus cohærere videntur: verum mox oftendam, quomodo hæc fuperioribus optime cohæreant. *ID.*

(l) Id eft, *non ideo tamen.* *ID.*

(m) An *vero?* Iftud fuftineri poteft. *ID.*

(n) Non mutem in *clariffime.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE GALLICANIS, feu per Gallias Profefforibus, vt ii optimi quique habeantur (hic enim præcipuus *huius leg.* fcopus eft) eft hæc Gratiani Imp. fingularis admodum conftitutio: data Anno D. 376. Cuius fententiam priufquam edifero, quamplurima quæ ad hiftoriam *Gallicanam* pertinent, excutienda veniunt.

Primum, eft hæc vt dixi Gratiani Imp. conftitutio; qui videlicet ante decennium nouennis adhuc Ann. 367. Ambianis in Gallia, a Valentiniano Sen. patre (qui in Gallia ferme femper agebat) Auguftus renunciatus fuerat, tefte *Ammiano, Hieronymo, Socrate, Chronico Alexandrino, Confularibus Idacianis*: quo ipfo tempore a Valentiniano Sen. datam Ambianis repetio *legem vnic. fupr. de ingratis liberis.* Item qui Aufonio Burdegalenfi præceptore in Gallia vfus fuerat, quem etiam Quæftorem primum fuum, mox Præfectum Prætorio, tandem triennio poft *hanc leg.* ad Confulatum euexit. Rurfus Gratianum quem etiam (feptimum decimum annum agentem) fuperiore proximo Anno 375. patet profectus in Pannoniam aduerfus Sarmatas & Quados TREVERIS morari difpofuerat tefte *Ammiano lib 30. c. 10.* Item qui peculiari affectu Gallias profecutus deprehenditur, qua caufa Aufonius *in gratiarum actione* ad eum, GALLIAS TVAS *inopinatus illuftres.* Tandem qui affidue in Galliis moratus deprehenditur poft patris mortem, non tantum annis fequentibus, verum hoc ipfo Anno 376. quo *hac lex*, feptimo poft patris mortem menfe, data, & quidem TREVERIS: vt docet iuxta hanc leg. *lex 3. infr. de Scænicis: l. 23. infr. de Epifcopis: l. 2. fupr. de Quæftionibus*, quæ quidem etiam eidem Antonio PP. Galliarum infcribitur. Hic tandem Gratianus eft, quem Symmachus *lib. 4. epift. 56.* Mufis in Palatio loca lautia dediffe fcribit.

Secundo loco obferuandum venit, hanc Gratiani conftitutionem datam ad *Antonium PP. Galliarum*: pariter vt *d. l. 2. fupr. de Quæftionibus*: & Anno 377. *lex 6. fupr. de off. Rect. Prouinc.* & initio Anni 378. *lex vnic. fupr. victum ciuil.* & *l. 7. fupr. de fide inftrument.* quem biennio poft Ann. 378. PP. Italiæ factum colligere licet ex *l. 12. fupr. de poenis*: fuffecto ei in Præfectura Prætoriana Galliarum Aufonio: cui infcribitur eo Anno *lex 35. fupr. de curfu publico.* Quare audiendus non eft Scaliger *in Lection. Aufonian. lib. 2. c. 17.* quique eum fecuti, qui loco *Antonii PP.* & hac *lege*, & cæteris, *Aufonii* nomen fubftituebant. Alius enim ab Aufonio hic Antonius eft, qui etiam Ann. D. 382. Conful fuit cum Syagrio: & ad quem plures extant Symmachi Epiftolæ *lib. 1.* puta *Epiftola 83. 84. 85. 86. 87.*

Tertio notandum *hac leg.* Dioecefim (vnicam proinde) Præfecto Prætorio Galliarum tribui:

cum

cum tamen notum sit, vt plures cæteroquin Diœceses Præfecti Prætorio rexerint: quod docet etiam exertè *lex 2. infr. de Episcop iud.* quarum singulæ plures Prouincias complectebantur, & singulæ suos Vicarios habebant: ita tres Diœceses sub Præfecti Prætorio Galliarum dispositione fuisse: vt non tantum ex *Ammiano Marcellino*, *Claudiano*, *Iustino*, *Notitia Imperii* liquet, verum etiam ex nonnullis *huius Codicis* Constitutionibus: puta Gallias, Hispaniam, Britaniam: de cuius rei origine alibi dixi. Quare fuit tempus cum crederem, *Diœcesim* hic accipiendam pro integra διοικήσει, siue administratione etiam Præfecti Prætorio (non eo proprio significatu quo hac tempestate *Diœcesis* pro vnica Prouinciarum aliquot inter se iunctarum administratione accipiebatur.) Quæ notio hac tempestate nullibi occurrit. Fuit etiam tempus cum crederem, ideo vnius Diœceseos *hac leg.* mentionem fieri, quia vni huic Diœcesi Gratianus coosultum iret, & forte ex *inscriptione*, vocem *Galliarum* retrahendam ad ipsam *legem*, ita: *Antonio PF. P. Per omnem Diœcesim Galliarum commissam Magnificentiæ Tuæ.* Verum nihil horum mihi nunc placet. Placet potius, reuera huius Gratianeæ Constitutionis tempore nonnisi vnicam (Galliarum videlicet) Diœcesim sub Præfecti Prætorio Galliarum dispositione fuisse: non Hispanias, non Britannias. Nempe deprehendo, Hispaniam (vt de ea primum dicam) hac tempestate non Vicario paruisse, & sic sub Præfecto
P.41. Prætorio Galliarum non fuisse, (id enim omnino importat *Vicarii* nomen, quod scilicet vices agat Præfecti Prætorio: Verum Proconsulem habuisse quem Præfecti Prætorio imperio subiectum non fuisse, tum aliunde, tum *Eunapii* testimonio liquet *in Maximo*, *p. 106. Edit. Commelin.* (Ἀνθύπατον, inquit, ἐπιστήσας τῆς νῦν ἰδίως Ἀσίας καλουμένης, ἐστὶ δὲ ἀρχὴ ἐνδοξοτάτη καὶ οὐ κατήκοος τοῦ τῆς αὐλῆς ἐπάρχου: *Asia, quæ nunc peculiari nomine sic vocatur, proconsulem creans, est que prouincia illustris & locuples, neque Præfecti prætorio subiecta imperio.*) Porro procunsulem hac tempestate Hispaniæ præfuisse post Ann. D. 370. (quæ paulo post rursum Vicario commissa fuit) docet singularis admodum Seueri Sulpitii locus *lib. 2. Sacra histor. cap. 49.* in gestis Anni 383. agens de Priscillianistis. *Hæretici*, inquit, *suis artibus grandi pecunia Macedonio* (Magistro officiorum) *data, obtinent, vt Imperiali auctoritate Præfecti* (Prætorio Galliarum) *erepta cognitio, Hispaniarum Vicario traderetur: nam iam Proconsulem habere desierant: Missique a Magistro Officiales, qui Ithacium tum in Treueris agentem ad Hispanias retraherent.* Sed & idem nominatim Voluentii Proconsulis Hispaniarum paulo ante meminit. De cuius rei ratione, cur, inquam, modo Vicarius, modo proconsul Hispaniæ datus fuerit? dixi iam ad *l. 14. supr. de Accusationib.* De Britannia quoque idem factum conficere licet post annum 370. quo Theodosius Pater Britanniam pacauit: tum Hispaniæ præiudicio, tum *huius legis* argumento, quæ sane vnicam Diœcesim Præfecto Prætorio Galliarum tribuit, cuius clarissima ciuitas fuerit Treueris, de qua paulo post. Quibus argumentis illud quoque liquet, vnicæ Diœceseos dispositionem non fuisse intra illustrium dignitatem: quo tamen nonnulli magno conatu vellent. Quorum sententiam refutat vel Præfecti Vrbis Romæ administratio, quæ sane intra vnicam pariter Diœcesim Vrbicariam, intra centesimum videlicet lapidem seu suburbicarias regiones consistebat. Sane post hæc tempora dubium nullum est, Præfectos prætorio vna Diœcesi sæpe vixisse contentos: veluti sub Iustiniano Præfectum Prætorio Africæ, Præfectum Prætorio Italiæ, Proconsulem Cappadocianum. Huc adde, quæ de Probi quatuor Præfecturis tum in aliis *veteribus Inscriptionibus*, tum in eius *Epitaphiis* dicuntur.

Nunc de sententia huius constitutionis: cuius non vnum caput est. Primo, iubet Gratianus Professores Rhetores, Grammaticos vtriusque doctrinæ seu linguæ constitui, vtriusque eruditionis & Institutionis, *l. 15. 18. supr. de extraordinar.* Gregorios Nazianzenus *epist. 71. siv. 68. ad Postbumianum PP.* quam scripsit Ann. D. 383. ὑψηλὸς εἶ τὴν παίδευσιν, καὶ ταύτην ἑκατέραν βούλει, καὶ εἰς ὅ, τι βούλει τῶν λόγων εἶδος. τῆς μὲν γὰρ κλέος εἰσακούομεν, οὐ γὰρ Ῥωμαϊκός τις ἐγὼ τὴν γλῶτταν, οὐδὲ τὰ Ἰταλῶν δεινός. τῆς δὲ πεπειράμεθα: *doctrina sublimis es, & quidem vtrouis doctrinæ genere, & vtrauis dicendi facultate. Alterius enim famam solum audimus, (nec enim lingua Romanus sum nec Italicam doctrinam calleo) alterius autem periculum ipsi fecimus.* *Attica* doctrinæ Rhetores & Grammatici *hic*: mox, *Græci* vocantur. Attica doctrina pro Græca: nempe vt olim Athenæ eloquentia semper inclytæ fuere, ita hac tempestate doctrina, studiorumque & literarum mercatu & domicilio censitæ: vt videre est apud huius æui Sophistas, Libanium *de vita sua pag. 5. sqq. in Basilico circa fin. in Antiochico, p. 368. 369. in Panegyr. Iul. p. 177. in orat. funebri in Iulianum, p. 267. Edit. Morell.* Eunapium, *in vitis Sophistarum passim.* Ausonius quoque *in claris Vrbib. carm. 9. v. 4.*

Attica, facunda cuius mera gloria linguâ.

Ibi sane etiam Iulianus sub Constantio institutus: sed & Eunapius *in Oribasio pag. 180. Edit. Commelin.* πολὺς ἄνω χωρεῖ λόγος, ὅτι Ἀττικὴ μοῦσα, καὶ τὸ ἀγαθὸν οἰκεῖον, *fama ferente, Atticam esse musam & domesticum ornamentum.* Hinc Iulianus, Proæresius, Epiphanius, Musonius, Himerius, Libanius, alii, ros hac tempestate in ea clari Sophistæ: consummanda iuuentus eo passim profecta & alligata hac tempestate: etiam Christianorum veluti Gregorius Nazianzenus, vbi & postea publice professus, Basilius Cæsariensis Cappadox (de quo recte Baronius *Annalibus Ecclesiasticis*, sub Constantio, Ano. D. 354. a *num. 25. ad finem Anni.*) Ioannes Chrysostumus, teste Gregorio *aliisque eius vitæ Scriptoribus.* Denique hic σοφιστικοὶ θρόνοι fuere, & exinde accersiti præceptores teste *Symmacho.*

Secundo iubet Gratianus, Professores Rhetores & Grammaticos vtriusque linguæ constitui *in frequentissimis*, per Galliæ Diœcesim Ciuitatibus, seu in singulis vrbibus quæ Metropoles nuncupantur. In quo multa quærenda veniunt. Primum quid causæ sit, cur Gratianus id nunc constituat: cum tamen iam ab antiquo non tantum Galliarum studia celebratissima fuerint, verum liquida fides sit huiuscemodi Professores & Academias in Gallia iam olim fuisse. Vt omittam veteris *Catonis* dictum de Gallia, eam semper studiosissime argute loqui, cum quo concinit Hieronymus *adu. Vigilantium epist. 60. ab init pag. 83. Tom. II. Oper. Edit. Francf. apud Christ. Gensch.* cum ait, *Galliam semper abundasse eloquentissimis Viris.* Item vetus certamen Græcæ Latinæque facundiæ apud Aram Lugdunensem. Item vt omittam recensum Virorum Doctorum, ac potissimum Rhetorum, de quo Pithæus iam *præfat. in Quintilianum* Mitto veterem Massiliensem Academiam, Aduamque, quæ sub Tiberio iam erat, memorare, quæ non adeo huc faciunt. Ad propiora accedo: neque tamen adhuc contingam ea, quæ hac constitutione paulo

posteri

posteriora sunt. Notum iam est Constantii Chlori studium circa Augustodunensem scholam cui Eumenium admouit, de quo videnda ipsius Eumenii oratio *pro scholis instaurandis*. Notum etiam quod Symmachus de se scribit *lib. 9. epist. 83.* pectori suo Praecepta Rhetoricæ senem Garumnæ alumnum immulsisse olim (sub Constantio videlicet, Constantini M. filio) esseque sibi cum scholis Gallicanis per Doctorem iustam cognationem: denique quidquid in ipso esset cœlo, Gallicano se debere, Camœnasque Galliarum sibi lac bonarum artium primum dedisse. Notum etiam, ex eodem *Symmacho*, non tantum post hæc Gratiani tempora, verum etiam sub Gratiano studia Galliarum maxime floruisse, indeque Rhetores Romam excitos, veluti Palladium, vt docet *lib. 1. ep. 9. & 88.* de quo ipso agit & *lib. 3. epist. 50. & lib. 6. epist. 34.* Noti sunt etiam Professores Burdigalenses, quorum commemorationem instituit Ausonius. Nota Tolosa Palladia, cuius & ipse Ausonius meminit, sicut & Narbonensis schola. Nota schola apud Visontionem, Lugdunumque, quarum meminit Ausonius *in Gratiarum actione*. Quæ sane omnia iam in fama erant ante hanc Gratiani constitutionem. Quid est igitur, quod Gratianus id nunc constituit? Nempe vt existimo, quod etsi multæ Scholæ iam essent in Gallia, attamen quod Gallicanam facundiam illa maxime tempestate exerere se videret, quam & ipse hausisset, Gallicanis Viris doctis quamplurimis circumfusus, ipseque in Galliis sedem habens, in maius efferre studuit. Et duplici quidem ratione. Primum, statuendo vt per omnem, seu totam Galliarum Diœcesim, in omnibus frequentissimis ciuitatibus quæ pollerent & eminerent claritudine, Professores optimi constituerentur: *Frequentissimæ ciuitates* hac *leg.* quæ & frequentiores Prouinciarum Vrbes, *l. 12. supr. de Legatis*, frequentes *l. 35. supr. de cursu publ.* opulentiores, *l. 13. de Legatis*, dicuntur: mox hac ipsa lege *Metropoles* vocantur, & sunt non tantum illæ quæ
P. 48. in singulis Prouinciis primæ omnium erant (quo alioquin sensu proprie *Metropoles* nuncupantur) verum omnes frequentissimæ. Cuiusmodi plures in vna Prouincia erant, & quidem per Gallias, vt docent veteres Notitiæ Prouinciarum & Ciuitatum Galliarum. Exempli gratia in prouincia Belgica prima præter *Augustam Treuirorum*, fuit ciuitas Mediomatricum, Tullum, Virdunum. Sic & olim Modestini ICti ætate ciuitates diuidebantur in μεγίςας seu μητροπόλεις. τῶν ἐθνῶν in μείζας, τὰς ἐχέσας ἀγορὰς δικῶν, in ἐλάττες πόλεις, vt docet Modestinus *l. ἐὰν δύο 6. §. 2. D. de excusat.* Igitur cum hactenus non in omnibus Metropolibus istis Scholæ & Professores haberentur, verum in paucis, statuerit *hac leg.* Gratianus in omnibus Metropolibus seu frequentissimis ciuitatibus eos habendos: & quidem ideo etiam forte quod Galliarum Prouinciæ quotidie augerentur, sic quidem vt hac tempestate quatuordecim, tot enim iam Sextus Rufus Festus memorat, cum Ammianus Marcellinus tantum duodecim recenseat, & eo forte plures extiterint, cum antea pauciores essent. Et hæc de prima ratione qua Gratianus *hac leg.* Galliarum studiis consultum iuit. *Secunda* ratio, & quidem, vt censeo, potissima, qua Gratianus hac constitutione studiis Gallicanis consultum voluit, ista est, quod *Annonas* certas Professoribus statasque ex more & iustas iam e fisco præberi velit. De annonis Professorum vide & *l. 1. supr.* E fisco inquam, cum alias a viribus Rerumpublicarum Professores in Prouinciis salaria consequerentur. Quomodo sane etiam Eumenio Oratori Constantium Chlorum e viribus Reipublicæ Augustodunensis salarium constituisse, ex ipsiusmet Constantii epistola & Eumenio constat. Et cæteroquin Ciuitates in Prouinciis Doctoribus suis & Magistris salaria soluisse, ostensum est ad *l. 1. supr.* Quanquam & *hac leg.* mihi *fisci* appellatione reditus ciuitatum intelligi posse videantur. Et quidem argumento *vers. nec vero*, vbi Gratianus non vult, vt liberum sit cuique Ciuitati suos Doctores & Magistros eo quod placuerit salario donare: vt proinde dicendum videatur, Gratianum & *hac leg.* voluisse, vt e viribus ciuitatum salarium Professoribus daretur, verum stabili arbitrio constans, ex MORE, non quale ipsæ Ciuitates vellent, quæ forte nimis modicum dabant, vel dare volebant: verum quale ipse nunc præscribat: ne alioquin vel non optimi, sed deterrimi vilissimique accederent ad docendum, quorum vilis semper annona est, vel sane optimos conductos egere necesse esset. Vnde Ausonius Professores commemorans non *vno loco* exiles & steriles eorum cathedras, paupertatemque eorum & tenuitatem memorat. Sed & Libanius *orat peculiari* ὑπὲρ τῶν ῥητόρων, id queritur de Antiochenia Rhetoribus: qui consulendus. Quare *vers. ut singulis* hæc sententia omnino videatur, liberam quidem singulis Ciuitatibus Professorum suorum electionem relinqui, ad non ideo & modum salarii. Et sane hic præcipuus mihi huiusce constitutionis scopus esse videtur, nempe vt relicta quamlibet singulis ciuitatibus ex more Professorum eligendorum libertate (de quo more dictum ad *l. 5. & 7. supr.*) modus tamen Annonarum in eorum arbitrio non esset, verum statæ essent, ex more fixæque. Quibus opponuntur hic *placita ciuitatibus compendia*, eo quo iam indicaui fine, quo videlicet Optimi quique (vt *hac leg.* præfatur Gratianus) erudiendæ iuuentuti præsiderent. Eodem pertinet, quod Constantius definiuit, *l. vnic. supr. & Cod Iust. de prab. salario*: nulli salarium tribui oportere, ex viribus Reipubl. nisi ei qui iubente Principe specialiter fuerit consecutus: vbi vide quæ dixi plura. Exinde ad vsum & praxin hoc axioma confici potest: vt maxime vectigalia quædam, seu Fiscus quidam sub Principibus Ciuitatum propria sint, modum tamen his vtendi a Principis nutu sæpe pendere, vbi male administratur, vel ne male administrato eo vtilitas Reipublicæ negligatur. Item alterum illud, satius esse stata esse salaria, quam arbitraria. De salario & annonis Professorum Romæ a Senatu decretis & solemnibus, dixi ex Symmacho *lib. 1. epist. 73. & lib. 5. epist. 35.* Antequam adhuc de modo salarii Professoribus constituto a Gratiano agam, nonnulla ante ex *hac leg.* prænotanda. Primo nonnisi duo Professorum genera hic designari, nempe Grammaticos, & Rhetores seu Oratores. Hactenus scilicet Galliarum studia steterunt: nulli Philosophiæ, nulli Iuris Professores in Galliis fuere. Hinc & Professores huius tempestatis Burdigalenses, Narbonenses, Pictauienses, Tolosanos commemorans *singulari libro* Ausonius, paulo post hanc constitutionem, non alios commemorat quam Rhetores seu Oratores, & Grammaticos. Cum Grammaticos vero audimus, non primarum literarum Magistros accipimus, verum tam late eorum pomœria procurrisse scite oportet, vt quicquid humanioris ferme literaturæ est, ambitu suo complecterentur, atque adeo Philologi, quomodo Grammaticos Latinos Burdegalenses quosdam vocat Ausonios, de quo videnda, ne hic prolixior sim, Wowerii *Polymathia*. Igitur Nulli per Galliarum Academias Philosophi fuere, nulli iuris Romani Professores. Verum Iuri addiscendo e Gallia iuuentus ferme Romam commeabat, Grammatica & Oratoria imbuta: testis Rutilius Numatianus *lib. 1. Itinerar. v. 209.* sub Honorio scribens.

Facun-

Facundus iuuenis Gallarum nuper ab aruis.
Missus Romam discere iura fori.

De quo alibi plenius.

Secundo de Grammaticis tria adhuc ex *hac leg.* notanda veniunt. Primum alios Latinos fuisse, alios Græcos: vt *ex h. l.* patet, & *l. 15. 18. supr. de extraord. muner. l. 1. supr. de Professor.* & *l. vlt. infr. de studiis lib. V. R.* & nominatum per Gallias ex Ausonii quoque Professoribus. Secundo Oratorum maiorem dignationem fuisse, minorem Grammaticorum. Tertio, etsi Grammatici Græci, Latinique eadem dignatione forent in commune, excepta tamen vrbs Treuerica, vbi maior honor Grammatico Latino, quam Græco fuit, cuius postremi hæc forte ratio quod ea vlteriore videlicet Galliarum parte, Germaniæ viciniore, non adeo vsus linguæ Græcæ, quam superiore erat: vnde etiam diserte de Græco Grammatico Treuerico agens addit, *si quis dignus reperiri potuerit.* Modus tandem hic salarii Professoribus constituitur a Gratiano per Gallias, nempe Oratoribus *XXIV. annona*: Grammaticis *XII. deductiore paulo*, id est, minore numero. *Annona* est ἡμερήσιον, *annona diurna, diarium vnius hominis.* Ita quoque Ammianus Marcellinus *lib. 22. cap. 4. Tonsor quidam interrogatus, quid haberet ex arte compendii, vicenas diurnas respondit annonas, totidemque pabula iumentorum, quæ vulgo dictitant capita, & annuum stipendium graue.* In Historia Augusta ita Lampridius *Alex. Seuero cap. 42. Medicus sub eo vnus Palatinus salarium accepit: cæteri omnes, qui vsque ad sex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant, ita vt mundas singulas consequerentur, alias aliter.* Et *capite 41.* agens de Aulico ministerio seu castrensibus ministris, *ita vt annonas acciperent, sed*
P.43 *annonas singulas, vix binas.* Porro *Annonarum* appellatione veniebat inter cætera certus frumenti oleique modus, de quo Themistii locus est *orat. 4. pag. 113. 114. Edit. Petau. Flexiæ 1613. in 8.* de quo ad *l. vlt. infr. de frum. vrb. Constantinop.* Et hæc in commune de aliarum per Gallias Ciuitatum Professoribus. At Treuericæ vrbis Professoribus vberiores annonæ deferuntur: nempe Rhetori 30. Grammatico Latino 20. Græco 12. ob eius videlicet ciuitatis claritatem: *Treuerorum*, inquit, *vel clarissimæ ciuitati vberius aliquid putauimus deferendum.* Nota sunt hac tempestate Vrbis Treuericæ elogia, quæ ciuitatum Galliæ maxima erat, Imperatoris Galliarum & Imperii sedes, solium, altera Roma, quæ videre est apud veterem Orbis descriptorem *sub Constantio & Constante, cap. 49.* Athanasium *Apol. 2. in fin. pag. 806.* & *epist. ad solit. vit. ag. pag. 831. Tom. I. Oper. Edit. Colon. siu. Lips. apud Weidm.* vbi & μητρόπολις γαλλιῶν exerte vocatur. Ammianum Marcellinum *lib. 15. cap. 11.* vbi *domicilium Principum CLARVM* dicitur. Ausonium *in Mosella v. 421.* & in *claris vrbibus num. 3.* Zosimum *lib. 3. cap. 7.* Saluianum *lib. 6. cap. 8. 13. 15.* Testes sunt quoque innumeræ *huius Codicis* Constitutiones, sedem hanc ferme Imperatorum in Galliis fuisse. Vt de cæteris Imperatoribus taceam, testes de *Gratiano* huius constitutionis Authore: non de aliis & insequentibus tantum annis, verum de hoc ipso Anno 376. *lex 3. infr. de Scenicis*: *lex 23. infr. de Episcopis*: quæ eodem mense ante sex dies data, & post mense Septembri medio, *lex 2. supr. de quæstionib.* quæ eidem Antonio PP. Galliarum inscribitur. Interim si non aliunde, certe ex *hac leg.* satis constaret, Principem totius Galliarum Diœceseos ciuitatem Treuirim fuisse. Quæ & Principum in Galliis domicilium vt modo dixi, fuit: & per consequens Præfecti Prætorio Galliarum: quod non tantum ex Sulpicio Seuero *lib. 2. Sacræ histor. cap. 49.* clare discimus, quicquid contra nitatur Raynaudus *lucubrat. de Ambrosii patria, puncto 5.* sed & ex variis legum *hoc Codice* subscriptionibus, vbi *leges* ad Præfectos Prætorio Galliarum *data*, ibi *accepta* dicuntur; vel *Data*, pro *Accepta*

Vt ad salaria & annonas Professorum reuertar. Indicat Symmachus *lib. 1. epist. 73.* & *lib. 5. ep. 35.* hoc tempore aliquando Romanæ iuuentutis Magistris & Philosophis subsidia solemnis alimoniæ salariaque detracta, vel denegata.

XII. (a) Idem AAA. (b) Vindiciano........ (c)

ARCHIATRORVM, qui intra penetralia (d) Regalis (e) aulæ (f) totius vitæ (g) probitate, floruerunt, nulla dignitate (h) sequatur expensa, neque eorum fatiget hæredes. Ab his etiam qui Comitiuæ (i) honore donati sunt, (vt consuetudo poscebat,) sordidi (k) muneris interpellatio conquiescat: Nam (l) dilecti a Patribus adque suscepti (m) honoris ac muneris incrementa seruamus. Dat. XVIII. Kal. Octob. Triu. (n) Ausonio & Olybrio Coss. [379.]

NOTÆ

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iust.* GOTHOF.

(b) *γρ. Impp. GRATIANVS, Valentinianus, & Theodosius.* ID.

(c) Comiti Archiatrorum: mox vt ostendam. *ID.*

(d) Penetralia, adita, & similia Palatiis tributa. Sic apud *Claudianum de nupt. Honor. & Mar. v. 260.* Venus inuitans Mariam Stilichonis & Serenæ (quæ filia Theodosii M. erat) filiam ad connubium cum Honorio.

—— & in hæc PENETRALIA rursus
Vnde Parens progressa, redi. ID.

(e) Alii quippe Archiatri Regiarum Ciuitatum erant. *ID.*

(f) Sic iterum Claudianus *in Rufin. lib. 1. v. 124.*

Regalem ad summi perducam Principis Aulam:

de *Regio* nomine, vid. *Imp. Rom.* de *Aula* vid. Glossar. *ID.*

(g) *Vita*, id est conuersationis, vt *l.* 119. *supr. de Decurion.* *ID.*

(h) *γρ. dignitatem*, Archiatrorum. *ID.*

(i) Vid. *tit. singul. supr. de Comitib. & Archiatris S. Palatii, lib. 6.* *ID.*

(k) De sordidis muneribus, vid. *tit. singul. lib.* 11. *ID.*

(l) Versiculus hic obscurus: de cuius sententia mox dicam. *ID.*

(m) Id est, *suspecti*: de quo mox. *ID.*

(n) *Treuiros* hoc tempore venit Gratianus, vid. Ausonium *in Gratiar. act. cap.* 37. & quæ in *Chronico* scripsi *IDEM.*

COMMENTARIVS.

ARCHIATRORVM Palatinorum, duo priuilegia seu duas immunitates hac constitutione firmat Gratianus Anno D. 379. Primum immunitatem a Senatoriis expensis, Archiatris scilicet, licet Senatoria vel Consularis dignitas pro præmio daretur, non ideo tamen Senatoriis expensis subiacebant, id est, Glebali collationi & Præturæ (de quibus *tit.* 2. & 4. *sup. lib.* 6.) Igitur inter *Adlectos* erant, seu immunes: id enim est *Adlectionis* bonos seu *inter Adlectos esse*; nempe, Senatoria dignitate censeri, & nihilominus a Senatoriis muneribus immunem esse: de quo plene dixi ad *l.* 10. *supr. de Prætoribus.* Eoque etiam pertinet Symmachi *epistol.* 95. *lib.* 7. (quam *ibidem* expendi,) vbi agit de Dynamio, Viro bonarum Artium, cultu, ornatu, *Dignumque esse prædico qui nostro Ordini copuletur. Sed adiicienda est ei prærogatiua militiæ, vt beneficio Adlectionis vtatur. His quippe tantum munia relaxari Diualia constituta voluerunt, quos Castrensis honor illuminat. Si igitur & hoc insigne detuleris, quod annonarum & euectionum cumulet adiectio: prono cursu in Consulares legetur.* Pertinet & eiusdem *epist.* 18. *lib.* 10. vbi pariter agit de Philosopho in Senatorium Ordinem cooptando, *cum prærogatiua Consulari, ne sumptus eius, magis, quam magisterium quæsitum videatur.* Ac vt aliis quamplurimis his Adlectionis bonos, seu hæc immunitas data, ita data nominatim Professoribus: quo pertinent duæ illæ Symmachi *epistolæ*: & Archiatris Palatinis, quo spectat hæc *lex*, & *lex* 15. 16. 17. 18. 19. *seu vlt.* Cæterum hanc immunitatem & ad Archiatrorum *heredes* porrigit *hac*
P.44 *constit.* Gratianus, Nempe hæredes Senatorum qui ad Præturam tenebantur, si ante eam editam morerentur, eam edere tenebantur: de quo dixi ad *leg.* 17. *supr. de Prætorib.* vbi *Charonaria* hæc Prætura dicitur.

Altera immunitas est, quod si Comitiuæ honore donati sunt Archiatri Palatini, quæ quidem dignitas eis pro more data, (de quo alioquin Comitiuæ honore dixi plene ad *tit. de Comitib. & Archiatr. S. Pal.*) vt etiam ostendit *lex* 16. 17. 18. 19. *seu vlt. infr. hoc tit.* quod inquam a sordidis muneribus immunes sint: quomodo & alii nonnulli immunes fuere: de quibus consulendum *Paratitlon tituli, de extraord. siue sordid. mun. supr.* Extat quoque eius rei exemplum apud Cassiodorum *II. Var.* 28. vbi quidam ex Principe officii Comitiua primi Ordinis auctus a sordidis muneribus quoque immunis definitur. Igitur & hanc immunitatem firmat *hac leg.* Gratianus, quæ iam obtinebat; & vt loquitur (nam eo referenda sunt hæc verba) quam *consuetudo poscebat*: Ratione reddita, quæ satis alioquin obscura videtur: verum accipiendam & restituendam putet quis, æquum scilicet esse, a se quoque seruari hæc priuilegia, hæc honoris & muneris istius incrementa, quod ea *Patres* (id est, anteriores Principes) dilexerint & suspexerint: *suspexerint*, inquam; nam ita hic legendum fuerit *suspecti*, non *suscepti*. Ita & substantiue Ouidius 5. *Fastor. v.* 31.

Protinus intrauit mentes suspectus honorum.

Et Symmachus *lib.* 4. *epist.* 30. *in fin. Cæteris aggregatus, quorum magnus suspectus in verbis est, nullus cultus in sensibus.* Omitto similia. Possit & hic sensus videri, vt Gratianus dicat, se hunc Comitiuæ honorem seruare, quem ipsi Patres (id est, Senatus V. R.) diligant, suscipiant & suspiciant: id est, sibi conferri lætentur. Ait etiam Gratianus honoris & muneris *incrementa*: id est, Priuilegia, prærogatiuas. Ita Valerianus de Probo Tribuno a se facto, apud Vopiscum *in Probo c.* 4. *Huic igitur dari iubebis, quoniam mediocris fortuna est, vt eius dignitas incrementis iuuetur, tunicas russulas duas, pallia Gallica duo fibulata*, &c. Ita *l.* 5. *supr. de priuil. eorum qui in S. Palatio: Nihil de concessis priuilegiis perdant, sed incrementis dignitatum vtilis augeatur immunitas.* Ita *l.* 57. *supr. de Decurionibus: Non capiant cassi honoris augmentum: nam qui cupiunt incrementum honoris adipisci, perfunctos se esse muneribus debent adprobare.*

Postremum omittenda non est *huius leg.* Inscriptio. Inscribitur scilicet hac lex *Vindiciano.* Hic vero ille Vindicianus est Comes Archiatrorum, cuius ad Valentinianum Imp. *epistola* extat, præmissa *Operi* Marcelli Empirici *tom. vlt. Medicorum auctorum, p.* 248. vbi narrat quædam experimenta Artis suæ: & ex ea discere licet, eum in vsum Valentiniani & posterorum suorum librum *de obseruatione Medicinæ* scripsisse. *Plura ergo*, inquit, *de Medicinæ obseruatione pietati tuæ ac posteris tuis digna memoria tradidi, quæ homines docti & experti remediis prodiderunt, quæ Tua diuina Serenitas oro suscipiat, & ad memoriam cæteris relinquat.* Hæc *epistola* vna cum aliis, *Operi* Marcelli præmissa est: qui Marcellus adiutus a re Medica ab Ausonio patre fuit, vt ipse *in præfat. sua ad filios* scribit, non Vindicianus: cuius *epistolam* cum altera illa *Marcelli* confundit Scaliger. Hic idem porro Vindicianus est, qui Vicarius dicitur, cuique inscribitur Anno superiore 378. *lex* 9. *supr. de metallis.* Sane Archiatris administrationes quoque interdum creditas ostendit quoque *lex* 15. *infr.* imo & ad maiores dignitates eos ascendisse docet *lex* 16. & *lex vlt. infr.*

XIII.

XIII. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcad. AAA. ad Pinianum P. V. (b)

SI quid impetratis subreptitiis (c) in iudicio suo Magnificentia Tua ita viderit actitatum, vt his Legibus * quæ ad Relationes (d) promulgatæ sunt, videatur aliquid imminutum, rescissis omnibus quæ per gratiam gesta videbuntur, eorum tenotem *super Archiatris ordinandis*, quæ a diuæ memoriæ Patre * Nostro constituta sunt, a nobis quoque confirmata, (e) ex huius auctoritatae Rescripti faciet omnifariam custodiri. Dat. XI. Kal. Febr. Mediol. Valentiniano A. III. & Eutropio Coss. [387.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFRED.*

(b) Eidem *Piniano* P. V. inscribitur hoc ipso Anno *l.* 4. *supr. de Princip. Agent.* & Anno superiore 386. *l.* 13. *supr. de priu. eor. qui in S. Palatio.* Ad eundem hunc Pinianum P. V. eiusdem Valentiniani Iun. epistolam super Siricii Episcop. Vrbis Romæ electione, & a se confirmatione ex Codice Vaticano edidit Baronius *Ann. D.* 385. *n.* 6. Quare coniectura Inanis est hic reponentium, *Symmachum*: quibus & ipsa temporum ratio refragatur. *IDEM.*

(c) Rescriptis: & sic vigore istorum subreptitiorum Rescriptorum. *ID.*

* Valentiniani, aliisque: quo etiam pertinent illa sub finem, *a nobis quoque confirmata.* *ID.*

(d) Iudicum, ac nominatim Præfectorum Vrbis, & forte inter alios Symmachi; mox vt tentabo: Imo Senatus: de cuiusmodi lege ad relationem Senatus, vide quæ dico *ad l.* 1. *infr. de expens. lud.* de Relationibus alioquio his in commune, fuit *supra titulus* 29. *lib.* 11. *ID.*

* Valentiniano Sen. puta *l.* 8. & 9. *supr.* *ID.*

(e) Legibus ad Relationes promulgatis. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE ARCHIATRIS ordinandis est hæc Valentiniani Iunioris constitutio Anno D. 387. de Archiatris, inquam, Vrbis Romæ, vt docet etiam Inscriptio *huius legis*, est enim inscripta *Piniano P. V.* Ita quidem vt Patris sui *leges* super hoc sancitas, & a se confirmatas confirmatum eat: in tantum, vt si quid aduersus eas per gratiam gestum fuerit, in ordinando videlicet Archiatro, rescindi iubeat. Contra, leges *ad Relationes* super hoc promulgatas seruari velit: vbi notandum, *impetrata subreptitia* (scilicet rescripta) itemque *per gratiam gesta*, P. 45. opponi legibus *ad Relationes* promulgatis. *Leges* ad Relationes sunt, Rescripta Principum ad Coosultationes Iudicum; si quando in aliquo negotio de iure dubitarent, ad Principes referentium; de quibus affatim dictum ad *l.* 9. *supr. de diu. rescriptis:* & suo peculiari *titulo* 29. *lib.* 11. *supr. de Relationibus:* sed & *tit. de appellat. & consultationibus.* Hæc Rescripta hac tempestate vim legum generalium habebant, vt ex *hac leg.* colligitur, sic vt ad alia oegotia similia porrigereotur, seu similibus negotiis ius facereot. Quod postea immutatum ab Arcadio *d. l.* 9. *supr. de diu. rescr.* & a Valentiniano Tertio *Oratione ad Senatum*, qua iuris ἀνάκρισιν iostituit, *l.* 2. & 3. *Cod. Iust. de Legibus:* (quibus iuogenda *lex vnic. supr. de resp. Prudentum:* quæ & ipsa ad Iuris ἀνάκρισιν pertinet.) Sed enim hac adhuc tempestate Valentinianus Iun. vim legum eas obtinere voluit: quas tamen (vt ex *hac leg.* discere licet) nonnulli rescriptis subreptitiis impetratis perfringere non dubitabaot, paulo fideotius, quam Edicta, seu Constitutiones Generales. Et tamen parem illis vim *hac leg.* tribuit Valentinianus Iunior, quam istis. Et hæc quidem in genere. Mihi tamen mens ea, hic iodicati speciatim *Relationis Senatus* ad Principem, qui a se consulta ad Principem referebat, mox a Principe lege firmanda: de cuiusmodi Senatus relationibus, & Principum legibus, vide quæ noto ad *l.* 1. *infr. de expensis ludorum.*

Nunc ad hypothesim *huius leg.* Cum tales super Archiatris otdinandis *leges*, quas dixi, quidam perfregissent, Valentioianus Iun. rescindi specialia rescripta, quæ aduersus eas impetrauerant, iubet. Leges inquam a patre suo latas: puta *legem* 8. & 9. *supr. hoc tit.* quibus otdinandorum Archiatrorum Vrbis Romæ ratio firmata fuerat; scilicet Electionis vel subrogationis ordinem oouus subrogandus quidam Archiater, elicito rescripto cootutbasse videtur; vel quia Primi Artis eiusdem de eius scientia non iudicauerant, examenque ei remissum fuerat, vel quia ordinem successionis ooo obseruauerat, & rescripto elicito ad priorum numerum statim venerat. Hæc Valentiniani Iun. *hac leg.* sententia est: Cui ceu gemina germana omnino congruit Symmachi Præfecti Vrbis Romæ relatio, ad eundem Valentinianum Iuoiorem ante triennium Anno D. 384. quæ cootinetur *lib. Epistolarum eius decimo, epist.* 40. quam hic totam inserere libet.

Domino Valentiniano semper Augusto Symmachus P. V. Vt vestri Numinis veneror sanctiones, ita obseruantiam iugem saluberrimis DIVI GENITORIS vestri impendo decretis. Quid enim ille CONSTITVIT, quod possit publica cura deserere? Is inter alia quæ in bonum publicum contulit, etiam Medendi Professoribus dedit ordinem successionis, si locum quempiam decedentis fortuna nudasset. Qua LEGE cautum est, vt Primi artis eiusdem de nouorum scientia iudicarent. Hanc formam, quantum asserunt, ætas secuta seruauit, D. Imperator. Nunc Ioannes V. P. non eum gradum, quem subrogandis dederunt Diualia rescripta, sed summo proximum conatur adipisci, fultus Palatina militia priuilegio, & impetratione SPECIALIS ORACVLI, quo Epicteti ARCHIATRI locum tunc adhuc superstitis impetrauit. Sed quia LEGE & more cogentibus, Summates eiusdem professionis par fuit in examen accersi, adhibitum est IVDICIO Collegium omnium Medicorum. Quorum potissimi (Paucissimi,) inter venerationem LEGIS & NOVI BENEFICII reuerentiam, indicare non ausi, cum locum

locum Ioanni V. P. statuerant deferre nudum, quem tenere potuisset, si eo tempore quo Aula obsequiis deputatus est, ARCHIATRORVM numero fuisset adiunctus. Et cum ab eo Palatini honoris officia poscerentur, vt codicillorum prærogatiua monstraret, quis illi inter ARCHIATROS ordo competeret, asseruit domestica expilatione etiam documenta sibi dignitatis ablata. At vero pars magna Medicorum munita LEGE Diuali, eorum exempla deprompsit, qui e Palatio in hunc gradum seruato ordine transierunt. Quare motus ambiguis, & neque DIVI GENITORIS vestri ausus rumpere sanctionem, neque obuiam SPECIALIBVS venire PRÆCEPTIS, diuino arbitrio Numinis vestri, subditis allegationibus partium, summam negotii reseruaui: opperiens quid deliberatio Augusta constituat, cui soli fas est de scitis Diualibus iudicare. Hactenus Symmachi relatio, quæ od *hanc leg.* ita proxime oceedit, vt videri posset *hæc lex* ad eandem hypothesio spectare: oisi toto trieonio distaret *hæc lex* ab illa Relatione.

XIV. (a) Idem AAA. Cynegio PF. P. (b)

EA quæ Principes † veteres Archiatris sacri Palatii, salutaris (f) ac necessariæ artis professoribus, sacro & mansuro in æternum iudicio detulerunt, & antiquorum contemplatione iussorum, & laborum præsentium intuitu, roborata in perpetuum manere præcipimus, nec vlla cuiuspiam improbitate conuelli. Dat. VI. Id. Mart. Constp. Valentiniano A. III. & Eutropio Coss. [387.]

N O T Æ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFRED.

(b) De hoc Cynegio PP. vid. Zosimum, Idacium. *IDEM.*

† Constantinus, Constantius, Iulianus, Valens. *ID.*

(c) Vid. *l. 1. §. 1. D. de extraordin. cognit.* *ID.*

XV. (a) Idem (b) AAA. Rufino PF. P. (c)

ARCHIATRORVM priuilegia, quæ his vetustis sanctionibus attributa sunt, inlibata volumus permanere, ac tenere perpetem firmitatem. Hoc quoque addendum (d) esse censuimus, vt qui egerunt Administrationes, aut earum honore funguntur, vel dimissi e palatio Testimonialium suffragio muniuntur, ad descriptiones Senatorias non vocentur, sed
P.46 ab omnibus muniis absoluti, liberi adque securi, dignitatis præmiis perfruantur. Dat. VII. Kal. Aug. Constp. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393]

N O T Æ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFRED.

(b) Imo *Theodosius, Arcadius & Honorius* hic reponendi sunt. *IDEM.*

(c) Orientis. *ID.*

(d) Imo, id iam quoque constitutum a Constantino *l. 2. supr.* a Gratiano *l. 12. supr.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE ARCHIATRORVM Palatinorum priuilegiis, sunt hæ duæ Theodosii M. constitutiooes: Quibus non tam noua priuilegia conceduntur, quam vetero iamque ab aliis Priocipibus indulto firmantur, aduersus noonullos qui ea perfringere volebant. Ita quidem, vt & illud ipsum, quod *posteriore lege* ait, *sese censuisse addendum*, vetustiores adhuc Auctores habeat, Coostaotinom *l. 2. supr.* Gratianum *l. 12. supr.* puta immunitas ab omnibus muneribus publicis, ac nominatim a Seoatoria seu glebali collatione. Nempe Archiatri Palatini etsi administratiooe aliqua Prouinciarum fuocti siot, vel fuogantur, vel etiam Honorarios administratioois codicillos, seu testimoniales impetrauerint, non ideo tamen ad Senatorias descriptiones cæteraque munia tenentur: de quo iam dictum ad *d. l. 2.* & *12.*

Illud interim obseruetur, Archiatros S. Palatii pro præmio ad Dignitates euectos, etiam administrationes Prouinciarum, Diœceseon, quomodo Vindicianum Com. Archiatrorum Vicarium exercuisse docet *lex 9. supr. de metallis:* vt ostensum od *d. l. 12. supr.* & ad maiores dignitates euectus ostendet *lex 16. & vlt. infr.* Neque tantum Administrationes his reuera commissæ, verum cum e Palatio dimitterentur, honorarii sæpe codicilli & Testimoniales administratioois alicuius eis dati: quod hæc ipsa *lex* docet, vt & *lex prox. 16.*

XVI. (a) Impp. Honor. & THEODOS. AA. Monachio (b) PF. P. (c)

GRAMMATICOS, Oratores, adque Philosophiæ præceptores nec non etiam Medicos, præter

præter hæc quæ retro latarum ſanctionum auctoritate conſecuti ſunt priuilegia immunitateſque, frui hac prærogatiua præcipimus, vt vniuerſi qui in Sacro Palatio inter Archiatros militarunt, (d) cum Comitiuam primi ordinis, vel Secundi adepti fuerint, aut maioris gradum dignitatis aſcenderint, nulla Municipali, (e) nulla Curialium Conlatione, (f) nulla Senatoria, vel Glebali deſcriptione vexentur: ſeu indepta Adminiſtratione, ſeu accepta Teſtimoniali (g) meruerint miſſionem, ſint ab omni functione omnibuſque muneribus publicis immunes: nec eorum domus, vbicumque poſitæ, militem, ſeu Iudicem ſuſcipiant hoſpitandum. Quæ omnia filiis (h) etiam eorum & coniugibus inlibata præcipimus cuſtodiri; ita (i) vt nec ad militiam (k) liberi memoratorum trahantur inuiti. Hæc autem & Profeſſoribus memoratis eorumque liberis deferenda mandamus. Dat. Prid. Kal. Dec. Conſtp Conſtantio & Conſtante Coss. [414.]

NOTÆ.

(a) *L. 11. ſeu vlt. Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungendaque huic, *lex 17. infr. prox.* vbi huius quoque mentio fit. GOTHOFRED.

(b) Ita quoque *Cod. Iuſt.* Sed reſcribendum *Menaxio*, vt *l. 11. ſupr. de Senatorib. & Glebali collat.* Eius mentio apud Auctorem *Chronici Alexandr. Ann. 407. pag. 717. Edit. Raderi.* IDEM.

(c) Ita quoque deinceps dicitur, variis conſtitutionibus Anno 416. 417. 418. 419. At enim & Anno 405. & Anno 409. P. V. tribus *huius Codicis* conſtitutionibus, & apud Auctorem *Chron. Alex. l. c.* Imo & hoc ipſo Anno 414. *d. l. 12. ſup. de Senat.* ID.

(d) *vp. militabunt*: vt docet *lex prox. 17.* ibi, *militant.* ID.

(e) Eadem, *Municipalis & Curialium* collatio: ſicut mox *Senatoria & Glebalis* deſcriptio. ID.

(f) *Conuentione vexentur*, ita Cod. Iuſt. vbi detracta hæc, *nulla Senatoria vel Glebali deſcriptione* ideo quia iam Senatoria & Glebalis collatio ſublata. ID.

(g) De *Teſtimonialibus* ,vid. *Gloſſ.* ID.

(h) *In filiis*, Cod. Iuſtin. ID.

(i) Abeſt hic *verſ. a Cod. Iuſt.* ID.

(k) Subeundam: vide & *l. 3. & 10. ſupr.* ID.

XVII. (a) Idem AA. Helioni Magiſtro (b) Offic.

ARTIVM liberalium (c) Profeſſoribus, ac præcipue Medicis, qui cum Comitiuæ primi ordinis ac Secundi militant dignitate, priuilegia & beneficia a retro Principibus præſtita, nec non etiam noua ipſis eorumque filiis Clementia Noſtra detulit, vt cohærens (d) ſanctio proteſtatur: quæ tenaciter obſeruari oportet. Dat. Prid. Kalend. Dec. Conſt. Conſtantio & Conſtante Coss. [414.]

NOTÆ.

P. 47. (a) Abeſt hæc *lex* a *Cod. Iuſtin.* eique iungenda *lex proxime cohærens ſuperior 16.* quam *hæc* indicat. GOTHOFRED.

(b) Cur hæc *lex* Magiſtro officiorum inſcribatur, mox dicam. IDEM.

(c) Grammaticæ, Oratoriæ, Philoſophiæ. *d. l. 16.* ID.

(d) *Lex 16. ſupr.* ID.

XVIII. (a) Impp. THEOD. & Valentinianus AA. Helioni Magiſtro (b) Offic.

HABENTE propriam firmitatem ſecundo (c) noſtræ maieſtatis Oraculo, quod *De excuſandis, ſiue præbendis his quæ militantibus debentur, hoſpitiis*, promulgatum eſt, illa quæ dudum (d) circa Archiatros, & Magiſtros ſanximus litterarum, obſeruentur: Hos † enim pro neceſſariis artibus & liberalibus diſciplinis (e) hoſpitali moleſtia, quoad viuerent, liberari præcipimus. (f) Inlibata ergo permaneant illa quæ quondam (g) circa Archiatros, quos in Palatio noſtro primi vel ſecundi ordinis Comites militaſſe conſtiterit, & circa liberalium litterarum Magiſtros, videntur (h) a nobis iuſtiſſime conſtituta. Dat. XIV. Kal. Sept. Hierio & Ardabure Coss. [427.]

NOTÆ.

(a) *Lex 8. Cod. Iuſt. de Metatis* hinc deſumpta eſt, pleriſque detractis. GOTHOFRED.

(b) Cur

(b) Cur Magistro officiorum inscribitur? mox dicam. *GOTHOFRED.*

(c) Intelligit *legem* 14. *supr. de Metatis.* Sed quare secundum? Nempe quia editum post *legem* 16. & 17. *supr.* *IDEM.*

(d) Ante 13. annos: Ann. 414. intelligit scil. *legem* 16. 17. *supr.* *ID.*

† *Archiatros Nostri Palatii nec non Vrbis Romæ & Magistros litterarum pro*, &c. Ita Tribon. hæc concinnauit & contraxit. *ID.*

(e) *Nec non picturæ professores, si modo ingenui sunt.* Hæc addidit Tribon. *ID.*

(f) Sequentia omnia recidit Tribon. *ID.*

(g) Ante 13. annos, vt dictum. *ID.*

(h) *Videntur*, pro *sunt.* *ID.*

XIX. (a) Idem AA. Proculo P. V. (b)

ARCHIATRORVM sacri Palatii obsequia cogitantes, id præsenti sanctione decernimus, vt si qui ex his, aut Primi ordinis adepti fuerint Comitiuam, aut maioris gradum dignitatis ascenderint, secundum id quod eis dudum per sacras Constitutiones indultum est, a Glebali Conlatione specialiter (c) immunes sint: non præiudicante eis Nouella lege, (d) per quam iussimus, *exceptis quibusdam dignitatibus*, (quæ illic nominatæ sunt) *Senatoria munera omnes agnoscere.* Dat. III. Id. Iul. Const. Felice & Tauro Coss. [428.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc lex a *Cod. Iust.* *GOTHOFRED.*

(b) *Proculus* P. V. Constantinop. sub Theodosio Iun. v. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) Non tantum a Præturæ onere. *ID.*

(d) Intelligit *legem vlt. supr. de Senator. & Gleb. collat.* *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris postremæ hæ quatuor constitutiones sunt, de priuilegiis Professorum & Archiatrorum: amoris eius & studii in eruditos & studia indices: cui rei fidem præterea faciunt *lex vnic. supr. de Comitib. & Archiatr. S. Palat.* & *l. vnic. supr. de Professorib. qui in V. Const. Comitiuam meruerunt: l. 3. infr. de studiis liberalib. V. R. & Constantinop.* videatur etiam Sozomenus, qui sacram historiam suam ei inscripsit, *præfat. histor.* Vt omittam quæ de eius eruditione summa, fidem faciunt & testantur, de quibus peculiari capite Raderus *Aulæ Theodosianæ cap. 6.* Sane, Ioannes Antiochenus *in Excerpt. Valesian. pag. 850.* quoque Theodosium hunc Iuniorem scribit, ludicris valere iussis, ad liberalium Artium studia animum traduxisse, Paulino & Placito *συναναγνωσκόντων αὐτῷ*, quibus & postea magnas dignitates contulit. Theodosius itaque Iunior iste Priuilegia Professorum & Archiatrorum simul tribus prioribus constitutionibus, *leg.* inquam 16. 17. 18. sancitum it: Archiatrorum tantum, *l. vltim.* Professorum inquam seu Magistrorum & Artium liberalium Professorum, puta Grammaticorum, Oratorum, atque Philosophiæ præceptorum: Hæc tria videlicet ferme Professorum genera fuere, studiorumque, per quæ tria traducta iuuentus, traductus & ipse Theodosius Iun. (qui *legis 16. & 17.* tempore, seu Ann. 414. annum decimum quartum tantum ætatis agebat:) de quo videndus Sozomenus *initio historiæ suæ Eccl.* Posterius enim cæteris Professoribus Constantinopolitanis a Theodosio Iun. additi videntur Iuris Professores: de quibus *l. vlt. infr. de studiis lib. Vrbis Romæ vel Constantinop.* & *l. vnic. supr. de Profess. qui in vrbe Constant. docentes:* quando & alias Theodosius Iun. Iuris ciuilis curam enixe egit non vna ratione: tum
P. 48 *ἀνακρίσεις* illa Iurisconsultorum, quæ extat *l. vnic. supr. de resp. Prudentum*, tum *huiusce Codicis* compositione, quod etiam eius *Nouella, de Theodosiani Codicis confirmatione*, aliunde testatur.

Ergo (vt ad *legis 16. & 17.* sententiam accedamus,) Theodosius Iunior, Professoribus & Medicis seu Archiatris sacri Palatii non tantum priuilegia & beneficia his anteriorum Principum sanctionibus data, confirmatum it, verum etiam noua insuper his eorumque filiis deferre se ait, *d. l. 16. & 17.* quæ eodem die datæ, inter se coniungendæ sunt: quarumque posterior ad priorem sese refert: denique vtraque eiusdem sententiæ, & pro more recepto, proque argumenti diuersitate ad diuersos Magistratus datæ, prior ad Præfectum vrbis, vel Præfectum Prætorio, ad quem summa rerum pertinebat: posterior ad Magistrum officiorum, (pariter vt proxima *lex 18.*) nempe quia de immunitate a metatis *vtraque leg.* agitur: cuius sane metati mensorumque cura sub dispositione Magistri officiorum erat, vt docet *lex 2. 3. 4. 5. 8. 14. 15. 16. seu vlt. supr. de Metatis: lex vnic. supr. de mensoribus.* Quænam igitur noua illa priuilegia? Sane non alia reperio, quam quæ & ipsa *superiorib. constitutionibus* concessa fuerant, iam a Constantino M. *l. 2. & 3. supr.* Valentiniano Sen. *l. 10. supr.* Gratiano, *l. 12.* Theodosio M. *l. 14. & 15.* vbi & ipse Theodosius M. pariter nouitatis famam captat, cum tamen anteriores Principes in eo ipsum quoque præuertissent. Per singulas decurramus: Quid? an non nominatim immunitas a Curialium Conlatione sancitur *d. l. 2.* Non immunitas a Senatoria vel Glebali descriptione *d. l. 2. & 12. & 15.* Non immunitas a metatis seu hospitum recipiendorum onere *l. 3. 10.* Non immunitas filiorum & coniugum *d. l. 2. 3. 10.* Non immunitas a militia *d. l. 10.* Non idem de indepta administratione & accepta Testimoniali *l. 15. supr.* dicitur? Et tamen id Noui his duabus constitutionibus contineri videri possit, quod cum eæ sint proprie de Archiatria

tris & Professoribus, Comitiuam vel maiorem gradum administrationemue vel Testimonialem adeptis, quibus munera quædam citius, quam nno adeptis iniungenda videbantur., propter dignitatis accessionem, hactenus his non plena omnium munerum immunitas competierit; verum quorundam tantum puta Comitiuam adeptis, fordidi tantum muneris *d. l.* 12. administrationem vel eius titulum adeptis, omnium *l.* 15.

Quin & immunitas a metato, sicantea tributa Medicis & Magistris, vt non ab omni hospitalitate immunes essent, verum vt ne hospites *militares* reciperent, vt signate dicitur *d. l. 10. supr.* quo etiam sensu accipienda videatur *d. l 3. supr.* At enim *hac leg.* & a milite & a Iudice suscipiendo immunes isti redduntur. Quid quod non omnes illæ immunitates quæ anterioribus *legibus* continentur, ad *Orientem* pertinent, quanquam eo pertineat *lex 15. supr.* quæ tamen non adeo plena est, vti hæc *lex*. Tandem cum attendo, nullam Arcadii constitutionem super hac immunitate extare, ita videri possit, immunitatem eam, sic vt recentari eam tanquam nouam ferme oportuerit. Vtcumque hæc sint; error est Cuiacii ad *hanc leg. Cod. Iustin.* dum censet, *hac leg.* id Impp. (dicere debuit *Imperatorem*) introduxisse noue, vt quemadmodum Comitibus & Archiatris remissa fuerat Senatoria collatio, ita & liberalium literarum Professoribus eadem Comitiua ornatis remitteretur: atque ea de causa Tribonianum in partes vocat, quod Senatoriæ & Glebalis collationis mentione detracta, falsum reddiderit, quod *initio* Impp. (imo Imp.) edicunt, noua quædam se hac constitutione deferre. Nouitatis enim laudem Theodosius *initio* circa Archiatros ipsos *hac leg.* apertissime captat: mox id ad Professores extendit: *ibi*, *præter hac*, &c. *frui hac prærogatiua censemus*, *vt*, &c. Imo maxime circa Archiatros, vt docet *lex proxime 17. huius leg.* sententiam demonstrans, *Artium liberalium*, inquit, *Professoribus*, *ac* *PRÆCIPVE Medicis*, &c. *nec non etiam NOVA ipsis*, &c.

Et hæc de *l.* 16. & 17. quæ datæ sunt Anno Domini 414. At enim Tredecim & Quatuordecim annis post, nempe Anno Domini 427. & 428. cum de duabus nominatim immunitatibus dubitari cœpisset, occasione aliarum generalium eiusdem Theodosii constitutionum, easdem eidem confirmare visum. Ac primo quidem *l.* 18. immunitatem datam Archiatris & Magistris literarum a Metationcte. Nempe Theodosius Iun. ante bimestre, *l. 14. supr. de Metatis*: præsente Comitatu suo Constantinopolit. vniuersos cuius liber Ordinis & Dignitatis, etiam Illustres a metato immunes esse vetuerat, excepta vnica domo in qua ipsi habitarent. Quare cum de Archiatris Comitiuam adeptis & Magistris dubitari cœpisset, propter generalitatem *d. l.* 14. visum Theodosio Iun. eam immunitatem rursum *hac leg.* sancire.

Secundo, immunitatem datam a Glebali Conlatione Archiatris S. Palatii Comitiuam vel aliam maiorem dignitatem adeptis, confirmat. *l. vlt.* occasione *l. vlt. supr. de Senator. & Glebali collat.* Nam cum ea *l. vltim.* (quam *Nouellam* vocat, eo quod ante quinque vel sex ferme menses lata) nonnisi eos qui ibi nominatim exciperentur, a sententia seu Glebali Coolatione immunes esse iussisset, Archiatrorum porro nullam ibi mentionem fecisset, deque iis mox dubitari cœpisset; hanc eorum immunitatem recentare visum.

P. 49. # DE EXCVSATIONIBVS ARTIFICVM.

TITVLVS IV.

LIB. X. COD. IVST. TIT. LXIV.

De l' Immunité des Excellens Ouuriers & Ouurages, v. *le plaidoyé 15. de M. le Bret. où il employe les Loix de ce Titre.*

PARATITLON.

ARTIFICES, *Rubr.* artium diuersarum, *l. 2. h. t.* veluti Architecti, *l. 1. 2. 3. h. t.* per Africam, *l. 1. h. t.* quique id studium discunt *d. l. 1. h. t.* Mechanici & Geometræ per Orientem, *l. 3. h. t.* aquarum ductus & modos docentes ibidem, *d. l. 3.* picturæ Professores per Africam *l. 4. seu vltim.* aliique quorum breuis subditus est *legi 2. hoc tit.* per singulas Ciuitates, *l. 2. h. t.* quo & docendo discendoque studium maius impenderent, *l. 1. 2. 3. h. t.*; & quia artes eæ sine otio tractari non possent, *l. 2. h. t.* Excusatione, *Rubr* vacatione, immunitate vniuersorum munerum personalium fruebantur, *d. l. 1. 2. 3. h. t.* imo & salario donabantur discentes (docentes) in specie *l. 1. hoc tit.* Picturæ Professoribus nominatim nouem immunitates tribuuntur, *l. 4. seu vltim.*

De

De ARCHITECTONICÆ *discipulorum, eorumque parentum immunitate, & docentium* SALARIO.

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Felicem..... (b)

ARCHITECTIS quamplurimis opus est: sed quia non sunt, Sublimitas Tua in Prouinciis Africanis ad hoc studium eos impellat, qui ad (c) annos ferme duodeuiginti nati, liberales (d) litteras degustauerint: Quibus vt hoc gratum sit, tam ipsos, quam eorum parentes, ab his quæ personis iniungi solent, volumus esse immunes: ipsisque qui discent, (e) salarium competens statui. PP. VI. Kalend. Septemb. Karthag. Optato & Paulino Coss. [334.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iust.* velut κατὰ τὸν κοινὸν ἀνάγκαια. *GOTHOF.*

(b) Eidem *Felici* inscribitur *lex 6. infr. de Nauicular.* Proposita pariter Karthagine *VII. Id. Sept.* his ipsis Coss. Sic vt parum absit, quin eam *huic* coniungendam putem. Necesse est hic *Felix* fuerit PP. cum *sublimitatis* titulus ei tribuatur; & quidem Italiæ, sub qua erat Africa, ad cuius Diœceseos Prouincias *hæc lex* pertinet: quæque Karthagine proposita dicitur, pariter vt *d. l. 6. infr. de Nauicular.* de Africa pariter fidem facit *lex 21. supr. de Decurion.* quæ data Ann. 335. & *lex 5. inf. de Iudæis*, *l. 1. infr. ne Christian. mancip.* quæ datæ Ann. 336. vbi aperte Inscriptiones habent *ad Felicem PP. ID.*

(c) Abundare videatur hæc vox. *ID.*

(d) Mathematicas potissimum. *ID.*

(e) An potius *docent?* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE ARCHITECTIS, & Architectonicæ studiosis, idque per Prouincias Africæ, est hæc Constantini M. coostitutio: quæ non est de Architectorum ipsorum immunitate, quæ aliunde certa est (Architecti quippe inter Artifices, quibus immonitas tributa, nunc & deinceps habiti semper fuere *l. 6. D. de iure immunit. l. 2. 3. infr. hoc tit.*) verum est *hac lex* de Discipulis Architectonicæ, & eorum immuoitate, tum deinde de Architectorum salario.

De discipulis igitur Architectonicæ quatuor *hac leg.* a Constantino M. constituuntur. Primo iubet, ad hoc studium auctoritate Felicis (proculdubio *PP.* de quo in *Notis*) quamplurimos impelli. Quod quidem singulare fuerit, vt quis ad studium aliquod impellatur: si modo *impellendi* vox pro *cogendi* hic accipienda est, quod non puto: Nempe *impelli* est prouocari, & quidem, mox vt apparebit, & sermone & præmio, & priuilegio aliquo proposito. Pariter vt *in l. 3. infr.* quæ *huic* similis est, *in par studium docendi atque discendi nostro sermone perpellimus.* (vt recte habet *Cod. Iust.*) *Secundo* impelli vult ad hoc studium Adolesceotes anoos ferme 18. natos, scilicet plena pubertate ad hoc studium accedi vult: ad quod vtique iu-
P. 50. dicio & ratiocinatione opus: de quo vide *lib. 1. cap. 1.* Vitruuii *de architectura.* Huc aptari potest Pauli Æginetæ *lib. 1. cap. 14.* consilium περὶ διαίτης νηπίων: vbi præcipit, vt tam pueri quam puellæ a sexto vel septimo anno Grammatistis seu Literatoribus tradantur. Pueri vero a duodecimo anno vsque ad decimumquartum Grammaticos & Geometras adeant, cui conuenit quod dicitur, *l. 21. §. vlt. D. de annuis Legatis.* A decimoquarto ad vicesimum primum anoum Mathematicos & Philosophos. Cui conuenit quod dicitur *l. 3. §. 5. D. vbi pupillus educari*; (vt recte indicauit Merillius *obseru. 17.*) cooueuit & quod statuitur *l. 1. infr. de studiis liberalib. V. R.* His qui sedulo operam professionibus nauant, vsque ad vicesimum ætatis suæ annum Romæ licere commorari; ad quam legem vide quæ de ætate discentium plura congero. *Tertio* ad hoc Architectonicæ studiom accedere vult eos, qui liberales literas degustauerint. Nempe vt ingeniosum esse oportet Architectum, ita & literatum: de quo prolixe *d. cap. 1.* Vitruuius, qui ioquam liberales literas degustauerit, quas recenset idem Vitruuius: *degustauerit*, ioquam, proprie vereque: nam quod *ibidem* pluribus exequitur Vitruoius, non oportet in his Architectom excellere, sed in his non imperitum esse, satisque & abunde esse si ex doctrinis singulis partes & rationes earum medioctiter habeat ootas, easque quæ necessariæ sint ad Architecturam, vti si quid de his Artibus, & rebus, iodicare & probare opus fuerit, ne destituatur aut deficiat, &c. Plurimque ad id exemplum Vitruoius passim proponit: Ergo liberales literas degustasse Architectum satis est. *Quarto* loco Constantinus iam *illicium* proponit, quo plurimi adolescentes ad Architectonicæ studium accedant: nempe eos vna cum parentibus immunes esse a muneribus personalibus, & sic illicio immuoitatis eos impelli iubet: tum Parentes, vt liberos suos huic studio applicent, tum ipsos Adolescentes, vt ipsi ad hoc studium accedant. *Tandem* iubet Coostantinus M. *ipsis qui discent*, *salarium* competens statui: vbi mihi mens ea, legendum, *ipsisque qui DOCENT*, noo vna ratione; Primum ex fine huius constitutioois seu proposito Constaotini M. nempe vt Architecti plures suppeterent, & Discipulos impelli opotuit, quo pertioent superiora, & Doctores quo magis docerent. Frustra Discipulorum copia quæritur, & stodium iocenditur, vbi fides & industria docentium non pensatur. Secundo, ex voce *salarium* id colligo: Quis enim disceoti seu aliqoid adquirenti salarium constituit, ac non potius docenti operamque locanti: *Salarium*, vt puto, est oon discipulatus, verum operæ laborisque suscepti compensatio, vicissitudo, remuneratio, adæquatio; denique vt Ambrosius *epist. 1.* ait, *merces est virtutis stipendium, & laboris remuneratio*

neratio. Immunitatibus equidem Discipuli prouocantur, & præmiolis, non salario. Et sane ita quoque non Constantinus ipse tantum, sed & Constantius, In *l.3.* quæ *huic* similis est, Mechanicos, Geometras & Architectos in par studium docendi atque discendi suo ibi sermone perpellens, immunitatem tribuit, vt suscipiant docendos qui docere sufficiunt.

Historicam causam huius constitutionis in genere indicat Constantinus M. *Quod Architectis TVM quamplurimis opus esset, qui non reperirentur*; scilicet hoc tempus est, quo tum Constantinopolis assurgebat, tum variæ Basilicæ & Ecclesiæ a Constantino M. passim excitabantur; de quibus videndum est itinerarium *Hierosolymitanum pag.594. seqq. Edit. Wesseling.* Socrates *lib.1.c.9.* Theodoretus *lib.1.c.16. 17.* vide & Zosimum *lib.2.c.30.seqq.* Et vero Theodoretus *lib.1.cap.17.* exerte scribit, Helenam iussu Constantini ad extruendas Basilicas Artifices cuiuscumque generis vndique coegisse, *παντόθεν δὲ παντο-δαπῆς ὕλης τεχνίτας ἀγείρασα, τὰς μεγίστας ἐκείνας καὶ λαμπροτάτας ναοὺς ἐδομήσατο: artifices deinde cuiusque generis materiæ congregans, maxima illa & splendidissima templa extruxit.* Quo ita constituto ad temporum rationem *hæc lex* valde notanda erit. Cui addi velim *Itinerarium Burdigalense, siu. Hierosolymitan.*

At cur nominatim in Prouinciis *Africanis* hi Architecti quærantur vel requirantur, mihi obscurum est. Alterutrum crediderim, vel in Africa multa opera tum excitata, vel Constantinum M. hoc præmiorum illicio ex Africa Architectos Constantinopolim pertrahere cogitasse, qui solertiore ad Architecturam ingenio fuisse videntur, vt cæteroquio Afri solertiores fuerunt, circa artificia, veluti picturam: de quo ad *l. 3. infr.* & aquarum inuentionem & librationem, de quo insignis est Cassiodori locus *III. Var. vlt.*

II. (a) Idem (b) A ad Maximum ..... (c)

Artifices artium, *Breui* (d) subdito comprehensarum, per singulas Ciuitates morantes, ab vniuersis muneribus, (e) vacare præcipimus: siquidem, *ediscendis* (f) *artibus otium sit adcommodandum, quo magis cupiant & ipsi peritiores fieri, & suos filios erudire.* Dat. IV. Non. Aug. Feliciano & Titiano Coss. [337.]

(g) Architecti, Laquearii, Albarii, Tignarii, Medici, Lapidarii, Argentarii, Structores, Mulomedici, Quadratarii, Barbaricarii, Scafores, Pictores, Sculptores, Diatritarii, Intestinarii, Statuarii, Musiuarii, Ærarii, Ferrarii, Marmorarii, Deauratores, Fusores, Blattiarii, Tessellarii, Aurifices, Specularii, Carpentarii, Aquæ libratores, Vitriarii, Eburarii, Fullones, Figuli, Plumbarii, Pelliones.

NOTÆ.

(a) *L. 1. Cod. Iust. tit.* GOTHOF.

(b) Si dies *legi* subscriptus vitio caret, tum hæc *lex Constantino M.* non fuerit tribuenda: quandoquidem is iam obierat ante duos menses cum dimidio mense Maio, XI. *Kal. Iun.* Sed forte legendum in subscript. *IV. Non. Apr. ID.*

(c) Maximus fuit sub Constantino M. Ann. D. 328. PP. *l. 3. supr. de Numerar.* vt & Ann. D. 333. & quidem Galliarum, vt colligo ex subscriptione *l. 5 supr. de Veteran. ID.*

(d) De hac *Breuis* appellatione, pro *Notitia*, seu *Indice*, vid. *Gloss. Theodos. ID.*

P.51. (e) Personalibus *quæ personis iniungi solent, l. 1 supr. ID.*

(f) *In discendis*, ita *Cod. Iust.* Nostrum id præferendum. *ID.*

(g) *Et notitia est ista*: hoc add. *Cod. Iust.* vel *Et est notitia sic. ID.*

INDICVLVS

Artificum XXXV. qui hac lege memorantur, ordine Alphabetico.

ÆRARII. *Vetus Inscriptio apud Gruterum CCCCLXXVII. 1. DCCCXCVI. 9. MCXVII. 3. 4.*

ALBARII. *Inscript. DCXLII. 11.*

AQVÆ LIBRATORES, *in Inscript. XCIV. 3. sunt* Aquilegi.

ARCHITECTI. *Inscript. XLI. 5. LVII. 7. XCIX. 9. CLXXXVI. 4. CCXXVII. 2. CCCLXXXII. 3. DCXXIII. 1. 2. 3. 4. 5.*

ARGENTARII. *Inscript. CCLXV. 2. DCXXXIX. 2. 3. 5. 6. MCXVII. 2.*

AVRIFICES. *Inscript. XXXI. 11. CCLVIII. 7. DCXXXVIII. 8. 9. 10. MCXVIII. 1.*

BARBARICARII.

BLATTIARII. *In Inscript. MLXXIV. 12 occurrunt*, Bractearii inauratores, *qui cum his iidem videntur.*

CARPENTARII.

DEAVRATORES

DIATRITARII

EBVRARII. *Inscript. DCXL. 8.*

FERRARII. *Inscript. XXXII. 7. XLV. 8. CCXXXV. 7. CCLXI. 4. DCXXX. 1. DCXL. 3.*

FIGVLI.

FVLLONES. *Inscript. CCCXXXIII. 5. DCLI. 5.*

FVSORES, *in Inscript. CCCCLXVI. 7. & DCXXX. 9. occurrit* Fusor olearius.

INTESTINARII.

LAPIDARII. *Inscript. DCXL. 5.*

LAQVEARII.

MARMORARII *Inscript. CCCCLXXIII. 8. DCXIII. 10. DCXXIV. 8. DCXL 6. 7. MLXXXV. 7.*

MEDICI *multis locis occurrunt.*

MVLOMEDICI.

MVSIVARII, *in Inscriptione DLXXXVI. 3. legitur* MVSELAR.

PELLIONES. *Inscript. DCXLVIII. 7.*

PICTORES.

PLVMBARII.

QUADRATARII.

SCASORES.

SCVLPTORES.

SPECVLARII.

STATVARII. *Inscript. DCCCCLXXXVII. 4.*

STRVCTORES. *Inscript. CVI. 8. DCXLVI. 6. MII. 1. MLXVII. 10.*

TESSELLARII. *in Inscript. DCXXIV. 8. occurrunt* Tesserarii.

TIGNARII. *Inscript. XCIX. 9. CXII. 1. CLXIX. 6. CXCIV. 2. CCXXXV. 7. CCLII. 6. CCLXI. 4. CCLXVIII. 1. CCCCXI. 2.*

VITRIARII.

COMMENTARIVS.

De Artificvm, qui trigintaquinque numero hic designantur, Immunitate ab omnibus muneribus, personalibus scilicet quæ personis iniungi solent, (vt loquitur *lex 1. supr.* est hæc constitutio: & quidem Constantini M. si Inscriptioni stamus: nam *mensis Augustus* subscriptus id non patitur, quandoquidem Constantinus iam *mense Maio* huius Anni obierat. Et est quidem (quod secundo loco notandum) *hac lex* in *Codicem* quoque *Iustinianeum* relata; verum pro Triboniani more interpolata, non tantum transpositis ibi passim Artificum nominibus, sed & plurium quæ hic occurrunt, omissis; puta *Blattiarii*, *Intestinarii*, *Lapidarii*, *Mulomedici*, *Scasores*, *Ferrarii*, *Tessellarii*. Et vbi retro quinque memorantur qui hic non extant, puta *Signarii*, *Braccarii*, *Sculptores ligni*, *Dealbatores*, *Cusores*. Tertio monendum, extare Tertiam his similem Artificum recensionem & immunitatem, ex Tarrunteno Paterno *in l. vltim D. de iure immunit.* Verum duplici ratione ab hac diuersa illa est: ibi enim agitur non tantum de Artificibus, sed de aliis quoque muniis, eorumque immunitare a grauioribus muneribus: & quidem *militia*, vt docet Inscriptio *d. leg. vlt.* præter ipsum qui ibi instituitur munium militarium recensum: vt proinde non temere ex *ea leg.* ad *hanc*, argumentum aliquod duci possit: vbi agitur de Artificibus tantum; & quidem, quod expresse hic dicitur, *per singulas ciuitates morantibus.* His adde & Quartam Artificum Notitiam apud Lampridium in *Alex. Seuero cap. 24. Braccariorum*, inquit, *linteonum, Vitreariorum, Pellionum, Plaustrariorum, Argentariorum, Aurificum, & caeterorum Artificum vectigal pulcherrimum instituit.* Tandem adde frequentem plerorumque horum Artificum mentionem apud *Firmicum*, & *in veterib. Inscript.*

Nunc de ipsis Artifirum nominibus, qui *hac leg.* recensentur, circa quorum nomina, vt & in quibus singuli occupati fuerint, variæ extant admodum sententiæ. Ioculares omitto Accursianorum lectiones: interpretationibus felicius in his versati Alciatus, Cuiacius, *ad lib. 10. Codicis tit. 65.* Pancirolus *peculiari dissert. post Notitiam pag. 197.* nam Amaya eam intactam reliquit.

1. De *Architectis* hic non agam, de quibus affatim ad *leg. 1. supr.* & *l. 3. infr.*

2. *Laquearii* sunt qui laquearibus seu lacunaribus (nam vtroque modo dicitur) ædium struendis, ornandis, artem adhibebant: de quibus laquearibus Virgil. quoque *lib. 1. Æneid. v. 729.*

Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis.
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.

vbi vid. Seruium: & VIII. *Æneid. v. 25.*

Erigitur, summique ferit laquearia tecti.

Horat. 2. *Carm. 18. init.*

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Vbi vides etiam luxum eboris & auri in laquearibus seu lacunariis. Seneca quoque notat *ep. 90. versatilia cœnationum laquearia.* Sed & *laqueatum auro templum*, apud *Liuium* memoratur. Hinc igitur *Architectis*, *Albariis*, *Tignariis* hic iunguntur.

3. *Albarii* qui sint? iam notum. Eorum mentio quoque apud Tertullianum *de Idololatr. cap. 8. Scit Albarius tector & tecta sarcire, & tectoria inducere, & cisternam liare:* vbi vides graphicam huius Artis descriptionem, & quidem circa domos etiam; qua causa *Laquaeariis* vicini hic ponuntur *Albarii*; de Tectorum horum (quos Græci κονιάτας dicunt) circa cisternas & lacus, arte, est *lex 27. §. vlt. D. ad leg. Aquil.* ad quam Interpretes iam egere. In Cod. Iustin. *Albini*, loco *Albarii* dicuntur, hoc addito, *quos Græci κονιάτας appellant*: in vniuersum de his Albariis, & opere Albario, vide *Indicem Vitruuianum.*

4. De *Tignariis* res nota est.

5. Sequuntur Medici, qui medio hic loco ponuntur inter Tignarios & Lapidarios. Sed quid hic faciunt Medici in hoc circa ædificia occupatorum Artificum recensu & situ? Imo in totum quid inter Artifices Medici isti, qui non inter Artifices sed Professorum numero fuere; de quibus ideo separatus est *supra* immediate præcedens *titulus*, *de Medicis & Professorib.* ab hoc, *de excusationib. Artificum?* Et tamen ita quoque habet *Codex Iustinianeus*, & Græci, qui ἰατροὺς interpretantur: sed & in recensu qui instituitur *d. l. vltim. D. de Iur. immunit.* Medici quoque *ibi* apparent. Quo postremo tamen non mouemur: Nam vt iam dixi, *lex* illa est non tantum de Artificibus, sed & de aliis muniis in militia occupatis: At nos in solo Artificum recensu versamur. Quare putem ego *Mediacos* hic reponendos, qui scilicet circa *mediale* versati. *Mediale* in re lignaria proprie loquentibus est pars intima arboris, *le cœur de l'Arbre*, quæ Græcis μήτρα, καρδία, & μυελὸς, τὸ μέσον τοῦ ξύλου, τὸ μέλαν δρυὸς, & ἐγκάρδιον: quod ad intestina opera & minutiaria facienda sumebatur: de quo vid. Salmas. *in Solin. pag. 166. 728. 732. Edit. Traiectin. 1689.* Et sic *Mediaci* Tignariis & Intestinariis, de quibus mox, proximi. Quare etiam Cuiacium non audio, qui *Medicos* tuetur hic, & *Chirurgos* interpretatur: neque enim hi inter Artifices recte locantur, quod Accursius quoque odoratus est, qui *Mulomedicos* hic legit. Verum *huius* potissimum *Codicis* respectu, male: postea enim in sequentibus

hac

hac leg. Mulomedici inter Artifices recensentur: & recte.

6. De *Lapidariis*, qui λιθοξόοι, λιθουργοὶ, λατόμοι, λιθοτόμοι, res nota: quorum etiam mentio fit. *l. 5. §. 7. D. Commodati*: quique pariter inter alia munia militaria memorantur, *d. l. vlt. D. de iur. immunit.*

7. *Argentarii*, ἀργυροκόποι, etiam noti, qui memorantur quoque in *Notitia Artificum*, apud *Lampridium in Alexandr. Sever. cap. 24.* & in *l. 39. fin. pen. in pr. D. de Auro & arg. leg. vlt. D. de oblig. & act.* Quorum ars non tantum in vasis argenteis fabricandis sterit, ut Argentarii Vascularii, verum in omnibus vbi argento locus erat. De his vid. Sauaro *ad Sidon. lib. 4. epist. 8.*

8. Sequuntur *Structores*, quos Tribonianus in lege sua hinc interpolata, *Ædificatores*, interpretatur; qui scilicet structuras fundamentorum, parietum, murorum faciebant: id enim est *structura*, & *struere*: vnde & *Substructiones*. Ars structoria οἰκοδομικὴ, τεκτονικὴ, Cicero *ad Q. Fratrem lib. 2. epist. 6. Veni in aream tuam, res agebatur multis structoribus.* Iidem & in militia inter Artifices fuere; vide Vegetium *lib. 2. cap. 11. Habet praeterea Legio Fabros, Tignarios, Structores* (ita enim locum illum legendum iam constat) *Carpentarios, Ferrarios, Pictores, reliquosque Artifices ad hybernorum ædificia fabricanda, ad machinas, &c.*

9. *Mulomedici* quoque recte inter Artifices ponuntur, ἱππιατροὶ, quos & Græci ad *hanc leg.* exprimunt, *Veterinarii*: nam etsi quod Vegetius *lib. de re Veterinaria, siue Mulomedicina* præfatur, Mulomedicinæ doctrina ab Arte Medicinæ non adeo in multis discrepat, imo in multis plurimisque consentit, & Veterina post Medicinam secunda sit: attamen quod idem agnoscit, minus dignitatis habere visa vulgo professio quæ pecudum promittit medelam, & persuasione vulgi, & honestissimus quisque erubescendum ac vile credit iumentorum nosse Medicinam. Idemque tandem concedit, etsi notitia curationis Honestissima conuenit; attamen ipsam operam Mulomedicorum videri abiectiorem. Ergo *Mulomedici* inter Artifices, *Medici* Professorum numero sunt.

10. *Quadratarii*, Lapidicidæ scilicet, qui quadros, quadratos lapides, quadratum saxum & marmor adornabant, qui quadrabant marmora. de quibus *Index Vitruuianus*. Græci, quos sequitur Cuiacius, horum artem in genere fuisse tradunt, lapides expolire. οἱ τὰς διαφανεῖς λίθους ἀκονῶντες: sed nominis ratio ostendit speciatim circa quadros & quadrandos lapides occupatos fuisse. Sidonius *lib. 3. epist. 12.* vbi vid. Sauaro. Cassiodorus quoque *in Psalm. 135. De structoribus cæmentorum, aut saxorum Quadratariis.* Horum & Artis Quadratariæ non vna mentio in *Vitis quatuor Coronatorum, Claudii, Castorii, Nicostratis, & Symphoriani*, quod Accursius & Alciatus iam notarunt: de quo plenius Brisson. *de. V. S.* Artis Quadratariæ mentio quoque *inuento lapide Romæ in æde S. Agnetis.* Vide plura apud Sirmondum, & Sauaronem *in Sidon. l. c.*

11. De *Barbaricariis*, suo *supr.* titulo, *de Fabricensib.*

12. *Scasores*, qui sint? videndum: quorum mentio non fit in *Cod. Inst.* hic medio loco ponuntur inter Barbaricarios & Pictores. An legendum hic *Scansores?* Gloss. *Scansor*, καταστρωτής. An *Stratores*, qui pauimenta sternebant? An *Scansor*, qui circa gradus seu *Scalaria* occupatus erat, per quos scanditur & ascenditur?

13. De *Pictoribus* qui & ipsi Artificum numero censiti, agitur *l. 4. seu vlt. huius tit.*

14. *Sculptores* erant Artifices, qui figuras sculpebant siue in auro, argento, ære, ferro; eorum ars, *Cælatura*; sed & in ligno, ebore, marmore, vitro, gemmis. Tribonianus hic vocem *ligni* adiecit: vnde & Græci interpretantur γλύπτας ξύλων.

15. *Diatretarii*, (sic enim legendum, non *Diatrectarii*) erant fabri Artifices, qui margaritas perforabant, τετρῶντες τὰς μαργαρίτας, Græci ad *hanc leg.* imo & calices, de quo vid. Salmas. *in Vopisc. p. 457. Edit. Parisin. 1620. inf.* Hinc & calix diatretus faciendus fabro datus, *in l. 27. §. 29. D. ad leg. Aquil.*

16. *Intestinarii*, quorum mentio subducta in *Cod. Inst.* sunt Artifices, qui intestinum opus faciebant. Intestinum opus, cuius multa mentio apud *Vitruuium*, proprie dicebatur quod ex ligno fiebat, sed eligantiore fabrica, quam nunc *Minutariam* appellamus, vt recte Budæus *in annotat. prior. ad Pand. dott. pag. 436. 591. Edit. Lugd. apud. Seb. Gryphium.* & *Intestina* dicta, quod intra domum tantum locum habeant, & in interiori ædium parte sita sunt, ad differentiam τῶν ὑπαιθρίων, vt recte Salmas. *in Solin. pag. 728. Ed. Traiectin.* Hinc & plutei intestino opere facti, Vitruuio *lib. 4. c. 4.* Coronæ parietum, *lib. 5. c. 2.* vid. etiam plura in *Indice Vitruuian.*

17. De *Statuariis*, statuarum Artificibus, nil monere vltra attinet.

18. Sequuntur *Musiuarii*, qui in *Cod. Iustin.* male *Musarii*: eorum mentio apud Firmicum *lib. 4. cap. 2.* vbi Inauratoribus iunguntur, qui scilicet opus de musiuo, vt loquitur Spartianus *in Pescennio Nigro cap. 6.* faciebant, nempe opus vermiculatum in varias figuras: *Corona Cinera picturata de musiuo*, Trebellio Pollioni *in Tetrico Iun.* Cameræ autem, trullum, apsis, musiuo huiusmodi picta: non vero pauimentum: vid. quæ Salmas. *in histor. Aug. p. 149. 150. Edit. Parisin.* Alii vero ab his *Tessellarii*, de quibus postea.

19. 20. 21. *Ærarii, Ferrarii, Marmorarii*, qui æris, ferri, marmoris Artifices erant.

22. *Deauratores*, Inauratores *Firmico.*

23. *Fusores*: non Ærarii Fusores, vt quidam accipiunt *Cod. Inst.* qui ab Ærariis *hac. leg.* separantur, tribus aliis interpositis: verum in genere *Fusores metallorum*, & quidem auri, argenti, æris: a quibus & Plumbarii *hac leg.* separantur; contra quam Cuiacius tenuit eum *Græcis*.

24. *Blattarii* (pro quibus *Cod. Iustin.* habet Bractearii) erant qui sericum purpura tingebant: Blatta enim, idest, purpura tinctum: de quo ad *l. 2. infr. de habitu*, &c. Nisi hic malimus *Bractearii*, idest, πεταλουργοὶ, quomodo habet *Cod. Inst.* & in *Notitia Artificum* apud *Lampridium in Alex. Sever. c. 24.* Scaliger restituit, vbi alioquin legitur *Braccarii*. Eorum mentio apud Firmicum, *cap. 15. lib. 8. cap. 28.* & *29.* Bracteatores eidem *lib. 8. c. 5. 6.* & 9. sic & in *Gloss.* πεταλουργὸς *Blattearius*, pro *Bractearius*: vid. de his Sauaro *in Sidon. lib. 8. epist. 8.*

25. *Tessellarii* Artifices, qui Tessellata pauimenta, de quibus Sueton. *in Iulio cap. 46.* conficiebant. P. 53.

26. Quid *Aurifices* fuerint? ipso satis nomine patet, quorum frequens alibi mentio, etiam in *Notitia Artificum* apud *Lampridium in Alex. Seuer. cap. 24.* & in *veterib. Inscriptionib.* vbi Collegium Aurificum memoratur.

27. *Specularii* videntur, qui specula in ornamentum in pariete inserebant. Specula scilicet erant domorum, cubiculorum: specula que & abaci iunctim positi parietibus decorandis: de quibus Pli-

nius *lib. 35. cap. 1.* & *lib. 36. cap. 26.* Vitruuius *lib. 7. c. 3.* Vlpianus in *l. 3. §. 1. D. de tritico:* & in *l. 12. §. 16.* & *25. D. de Instructo:* vid. Salmas. *in Vopisc. p. 442. 443. Edit. Paris.*

28. *Carpentarii* Artifices scilicet Carpentorum, vehiculorum, in vsum publicum conficiendorum. Hinc *Artifex Carpentarius* apud Lampridium *in Alex. Seuero cap. 52.* vbi vid. Salmasium: & in recensu militarium Artificum Paterni, *l. vlt. D. de iur. immun.* Plaustrarii, in *Lampridii* recensu *in Alex. Seuer. cap. 24.*

29. Aquæ *Libratores:* de his *l. 3. prox. infr.* Aquilices, *d. l. vltim. D. de. iur. immunit.*

30. *Vitriarii*, ὑαλουργοὶ, qui & ipsi in recensu apud Lampridium *Alex. Seuero c. 24.* scilicet vitrorum Artifices, quorum vsus, vel ad prospiciendum, vel ad ornamenta parietum: de quibus postremis Plinius *lib. 35. cap. 1.* Vopiscus *in Firmo cap. 3.* & ibi Salmasius: vel in vitra & pocula, calicesque: de quo vid. Salmas. *in hist. Aug. p. 456. 457. Edit. Paris.*

31. *Eburarii*, qui ex ebore supellectilem faciebant.

32. De *Fullonibus* res nota.

33. Et de *Figulis.*

34. *Plumbarii*: in Cod. Iust. *Plumarii*: quod Cuiacius ibi accipit de Plumariis, qui vestimenta ex plumis auium conficiebant, vel qui acu picgentes exprimebant animalium vel hominum figuras: de his plene Salmas. *in histor. Aug. p. 310. 398. 507. 508. 509. 510. 511. 512. Edit. Paris.* Firmicus, Varro, Vitruuius *lib. 6. c. 7.* Sed hic recte *Plumbarii*, nempe Figulis proximi, qui plumbeas fistulas, tubos, conficiebant.

35. De *Pellionibus*, qui & ipsi in recensu Artificum militarium, *l. vlt. D. de iur. immun.* & apud Lamprid. in *Alex. Seuero cap. 24.* res nota.

III. (a) Impp. CONSTANTIVS, & Constans AA. ad Leontium (b) PF. P. (c)

MECHANICOS, & Geometras, & Architectos, qui diuisiones partium omnium incisionesque (d) seruant, mensurisque & institutis (e) operam fabricationi (f) stringunt: & eos, qui Aquarum inuentos (g) ductus & modos docili libratione ostendunt, in par studium docendi adque discendi nostro sermone (h) perpendimus: (i) Itaque immunitatibus (k) gaudeant, & (l) suscipiant docendos, qui docere sufficiunt. Dat. Prid. Non. Iul. Leontio & Sallustio Coss. [344.]

NOTÆ.

(a) *L. 2. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFRED.

(b) Dometius Leontius integro nomine *l. 7. supr. de accusat.* ID.

(c) Orientis. Eidem inscripta *lex 2. supr. de salgamo hosp.* vbi Consules ex *hac leg.* supplendi videntur. Eidem & Anno superiore 343. *lex 5. supr. de fals. monet.* quæ data Antiochiæ *l. 35. de Decurionib.* quæ data Hierapoli, & Anno 342. dignitate omissa *l. 6. supr. quor. appellat.* quæ data Antiochiæ. ID.

(d) Κατατομὰς, ἐγχαράξεις, ἐγκοπὰς, διακοπάς. ID.

(e) Instituti vox hac in re propria, vide & *l. 9. infr. de præd. Nauicul.* ID.

(f) In *Cod. Iust.* mutatum in *fabricationibus.* ID.

(g) Προσθέντων in *Cod. Iust. ductus & inuentos*: forte *inuentores.* Sed nil muto. ID.

(h) *Sermone*, exhortatione, præmio proposito, edicto. ID.

(i) *Perpellimus*, Cod. Iust. Cuiac. Edit. non male. Sic & *l. 1. supr.* quæ *huic* similis est: ad hoc studium vos impellat. ID.

(k) A muneribus personalibus, vt *l. 1. supr.* ID.

(l) An vt? ID.

COMMENTARIVS.

QVATVOR Artificum genera, qui circa opera & ARCHITECTVRAM ferme occupati sunt Constantius Imp. hac Constitutione data ad Leontium PP. Ann. D. 344. ad docendum discendumque studiose hortatur, id vero vt facere possint immunitatem personalium munerum his tribuit. Non alia scilicet opinor ratione, quam qua Pater ipsius Constantinus M. cum & ei quamplurimis artificibus opus esset, *l. 1. supr.* scilicet & Constantio his opus maxime fuit hoc tempore, tum propter sacras ædes, tum propter alia opera publica ab ipso plurima excitata: tum Constantinopoli: de quibus vide quæ Themistius *Orat. 13. p. 303.* 305. 306. 307. *Edit. Petau. Flexiæ 1613. in 8.* tum Antiochiæ, cuius gratia etiam Seleuciæ insignem portum circa hæc tempora magna vi auri extruxit: de quo, vetus Orbis descriptor, *cap. 17. de Syria. §. 6.* Libanius *in Antiochico, duob. locis p. 363.* & *386.* & *Orat. 13. ad Theodosium, p. 410.* &c. *Edit. Morell.* & *epist. 301. ad Anatolium, in Codice Regio* & *ep. 314. Edit. Wolff.* Hieronymus *in Chronico*, & Cedrenus *p. 299. Edit. Reg.*

Quatuor porro Artificum genera circa opera studium nauantium hæc sunt: Mechanici, Geometræ, Architecti, & Aquilices seu Aquæ libratores. De his postremis iam dictum *ad leg. superiorem.* De tribus primis quomodo inter se differant, videndum est: Sane clare mihi eos distinxisse videtur his verbis Constantius ipse: *Qui*, inquit, *diuisiones partium omnium incisionesque seruant*, mensurisque

visque & institutis operam fabricationi stringunt: scilicet Mechanici sunt, qui diuisiones partium omnium incisionesque seruant: Geometræ vero sunt, qui mensuris operam fabricationi stringunt: Architecti, qui institutis operam fabricationi stringunt, qui proportiones & Symmetrias operis faciunt: vide Vitruuium *lib. 6. c. 12. in fin.* Hinc adeo Architectum numeris omnibus absolutum, Geometria quoque eruditum esse vult Vitruuius statim *initio lib. 1. cap. 1. Geometria autem*, inquit, *plura præsidia præstat Architecturæ, & primum euthygrammi & circini tradit vsum, e quo maxime facilius ædificiorum in areis expediuntur descriptiones, normarumque & librationum & linearum directiones:* mox; *difficiles Symmetriarum quæstiones Geometricis rationibus & methodis inueniuntur.* Ergo *Mecha-*
P.54. *nici* sunt, qui diuisiones & incisiones operum seruant, id est, qui fabricationi modum dant, qui curam operis habent: vt docent quoque tres Symmachi *epistolæ, lib. 5. epist. 76. lib. 10. epist.* 38. 39. vbi duos huiusmodi Mechanicos nominat, quibus tum Basilicæ & pontis cura imposita, quos modo *Mechanicos*, modo *Mechanicæ Professores* vocat, & Comitiua Senatoriaque dignitate decoratos fuisse ostendit: denique quos indicat & sumptus seu impensas operis tractasse, & ædificationis curam gessisse. Ergo *Mechanici*, potiores: hos sequuntur *Geometræ*: vltimi *Architecti*, fabrilis artis Magistri, vt eos quoque vocat Symmachus, *d. epist. 38.* Ex his iam apparet, errorem esse eorum non tolerandum, qui in *hac leg.* hactenus, *Mechanicos* interpretantur eos, quorum ingenio & institutione organa Mechanica fiebant, pneumatica, automatopoetica: scilicet Machinarios cum Mechanicis confundunt. De quibus Mechanicis pariter hoc ipso sensu Spartianus *in Caracalla cap. 9. Opera Romæ reliquit, Thermas nominis sui eximias: quarum cellam solearem Architecti negant posse vlla imitatione qua facta est, fieri: nam & ex ære vel cupro cancelli suppositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est: & tantum est spatium, vt id ipsum fieri negent potuisse docti Mechanici.* Suetonius *Vespas. cap. 18. Mechanico quoque grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit: operam remisit, præfatus, sineret se plebeculam pascere.* Interim quod *huic leg.* opponitur ex *l. 22. D. de excusat.* Geometras a tutelis non vacare, ita vulgo dissoluunt: quod immunitas munerum personalium non ideo præstet tutelæ immunitatem, *l. 15. §. 12. D. de excusat.* quodque necesse sit hanc nominatim remitti: *l. 17. §. 2. & §. seq. D. eod. tit. leg. 8. §. 1. & l. 12. D. de vacat. & excusat. muner.* Ego potius putarim, Constantii mentem propius intuens, etiam hanc a tutela immunitatem Geometris, qui mensuris operam impenderent, Constantium dare voluisse.

In *hac* interim *leg.* propria Architectonicæ verba notanda: 1. Diuisiones partium, 2. Incisiones. 3. Seruare diuisiones partium & incisiones: Mensuris & institutis operam stringere fabricationi. *Diuisiones* partium, sic diuisiones arearum intra murum, Vitruuius *lib. 1. c. 6.* Angiportuum, *cap. 7.* ἐικονομία seu distributio, vide Vitr. *lib. 1. cap. 2.* & dispositio. *Incisiones* sunt ἐγκέμματα. De incomma Salmas. *ad H. A. p. 199. Edit. Paris.* Seruare diuisiones partium & incisiones. Forte *secare.* Instituta, vide Vitruu. *lib. 1. cap. 2. p. 18. Edit. Argentoratens. 1550. in 4. ce sont dessems, plans.* Ædificia proprie institui dicuntur Vitruu. *lib. 1. cap. 1. p. 10. & lib. 6. cap. 11. lib. 10. in præfat.* & quidem ab Architecto. *Stringere:* Strigæ quid? vide apud Festum, & Rigaltium *in auctor. fin. reg. p. 64.* & *pag. 323. Ed. Goes.* Indicem Vitruuianum. Stringere operam fabricationi, est ordinare operas fabricæ incumbentes, vel opera. γρ. *opera stringere fabricationi*, id est, *opera casa*, quomodo vocantur apud Auctores *limitum, p. 279. Edit. Rigalt.* & *pag. 273. Edit. Goes. opus*: ex opere fusse mille in alto, apud Auctor. *limit. p. 313.* & *pag. 307. Edit. Goes.* Opera pro ædificiis apud Vitruuium passim. *Murum constringere ex calce & arena*: vide Auctores *limit. p. 313. Ed. Rigalt*, & *pag. 306. Ed. Goes.*

Post Mechanicos, Geometras, & Architectos, ponuntur quarto loco ii, qui *Aquarum inuentos* (forte inuentores) *ductus & modos docili libratione ostendunt*, id est Aquæ libratores, qui & ipsi memorantur *l. 2. supr. prox.* seu Aquilices, vt vocantur *l. vlt. D. de iure immunit.* De quibus est quoque Theodorici R. apud Cassiodorum *epist. vltim. lib. 3.* locus, vbi agit de Aquilege qui ad Vrbem Romam venerat, de partibus Africanis: *Vbi*, inquit, *ars ipsa pro locorum siccitate magno studio semper excolitur, qui aridis locis aquas possit dare vernatiles, vt beneficio suo habitari faciat loca nimia sterilitate siccata.* Comitique Rerum Priuatarum mandatur, vt competentibus annonis de publico deputatis eum iuuet. Tandem Mechanicum ei iungi vult, *Vt vndas*, inquit, *quas iste repererit, ille leuet, & arte subire faciat, quod ascendere non præualet per naturam.* Clauditque epistolam his verbis; *Habeatur ergo*, inquit, *& iste inter reliquarum ARTIVM Magistros.* Ex quibus iam apparet hosce & Artificum numero fuisse, & Mechanicis, Geometris, Architectis vicinos; quod ex *hoc titulo*, & *hac leg.* conficitur. Quare & Vitruuius *de Architectura, lib. 8.* de Aquæ inuentione a *cap. 1.* dein & de productionibus & librationibus aquarum agit a *c. 6.* Tria interim propria huius artis vocabula obserua: Ductuum, Modorum, & Librationis.

Tandem hæc lex proculdubio a Constantio pari occasione qua *lex 1. supr.* a Constantino lata est: nempe quod Mechanicis, Geometris, Architectis, & Aquæ libratoribus multis nunc opus haberet, præter opera publica, quæ passim hoc tempore excitabat: ac nominatim forte ad Thermas Constantianas, quas Auctor *Chronici Alex.* Anno 345. proximo excitari cœpisse ait 17. die Aprilis *pag. 671. Ed. Raderi.* vel ad portum Seleucenum quem hoc ipso quoque tempore excitare cœpit, de quo dixi ad *veterem Orbis descript. p.* 16. 17. & vero effectus Anno 346. ingenti vi auri, & Magnis Reip. expensis, vt Libanius & Hieronymus scribunt; vel denique etiam ad opera Antiochena.

Pictorum *nouem Immunitates.*

IV. (a) Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Chilonem (b) Vic. Africæ.

Picturæ (*) 1. Professores, (c) si modo ingenui sunt, placuit, neque sui capitis censione,

fione, neque vxorum, aut etiam liberorum nomine, tributis esse munificos, 2. & ne seruos quidem Barbaros in censuali adscriptione profiteri: 3. Ad negotiatorum (d) quoque Conlationem non deuocari, si modo ea in mercibus habeant quæ sunt propria artis ipsorum: 4. Pergulas & officinas in locis publicis sine pensione optineant, si tamen in his vsum propriæ artis exerceant: 5. Neue quemquam hospitem inuiti recipiant, (e) Lege præscripsimus: 6. Neue pedaneorum Iudicum sint obnoxii potestati: 7. Arbitriumque ha-
P.55. beant consistendi in Ciuitate, quam elegerint: 8. Neue ad prosecutiones equorum, vel ad præbendas operas, deuocentur: 9. Neue a Iudicibus ad efficiendos (f) sacros (g) vultus, aut publicorum operum expolitionem, (h) sine mercede cogantur. Quæ omnia sic concessimus, vt si quis circa eos statuta neglexerit, ea teneatur pœna, qua sacrilegi coercentur. Dat. XII. Kalend. Iul. Triu. Gratiano A. III. & Equitio Coss. [374.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc Constitutio a *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) Eidem *Chiloni* inscribitur Anno prox. 375. *lex* 16. *supr. de Susceptor.* & *lex* 7. *infr. de præd. Nauicular.* sic vt in illa *officii* nomen penitus absit: in hac vero dicatur *Proc. Afric.* cum hic dicatur *Vic.* (id est Vicarius) *Africæ.* Quod erroneum puto. Fuit equidem antea Chilo Vicarius, teste Ammiano *lib.* 28. *cap.* 1. Verum ex-Vicario iam erat Ann. D. 369. vel 370. sub Olybrio P. V. vt apparet ex Ammiano Marcellino *d. loco.* Et certe, post hæc scripta, reperio Doctiss. Valesium *in Marcellinum* hic reponentem, *Proconf.* ID.

(*) Ex *hac leg.* in *leg.* 8. *Cod. Iust. de Metatis* id vnicum transfusum, *Picturæ Professores, si modo ingenui sunt, hospitali molestia, quoad viuent, liberari præcipimus.* ID.

(c) Vt Mechanicæ Professores apud Symmachum *lib.* 10. *epist.* 38. Medicinæ Professores, *lib.* 3. *epist.* 37. & *lib.* 9. *epist.* 41. & *lib.* 10. *epist.* 40. ID.

(d) Lustralem collationem, de qua *tit.* 1. *supr. hoc lib.* ID.

(e) Recipiant *hac lege* præscripsimus. ID.

(f) Sollicitant hanc vocem Mainardus *in excerptis*, & Fornerius 1. *Quotid.* 15. mutantque *in effigiandos.* Ita Ammianus *lib.* 25. *cap.* 7. dixit *aureos nummos effigiatos in vultum noui Principis.* Minutius *Octau. cap.* 3. *lapides effigiatos & vnctos.* Apuleius 1. *Flor. init. truncum dolamine effigiatum*: & *lib.* ouid. *pag.* 500. *magna vis æris vario effigiatu*, & Apolog. *pag.* 153. *Edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire.* 1623. *statuæ & imagines variis artibus effigiatæ.* Sidonius quoque *lib.* 6. *epist.* 12. dixit; *formauit statuit, effigiauit imaginibus.* Omitto alia. Neque ideo tamen quidquam hic muto. Ita Quintilianus *lib.* 12. *cap.* 10. *Phidias Diis quam hominibus efficiendis melior Artifex.* Imo ne quidem *inficiendos* hic admittam, quod tamen magis blanditur: *inficiendos*, id est, proprio artis vocabulo, *pingendos, miniandos.* &c. ID.

(g) *Sacri* vultus, sunt Principum effigies: vid. *supr. tit. ne quid publ. lætitiæ.* ID.

(h) *Expolitio* operum publicorum proprie, de decore, ornamento, ac nominatim de pictura. ID.

COMMENTARIVS.

PICTORIBVS per Africam nouem immunitates hac constitutione tribuit Valentinianus Senior, Anno D. 374. e quibus vnicam tantum (puta a metati onere immunitatem) in *Codicem suum* transfudit Tribonianus: puta *l.* 8. *Cod. Iust. de Metatis*: ceteris omissis. Sane iam antea quoque Pictoribus vniuersorum munerum vacatio data, *l.* 2. *supr.*

Vt omittam quæ de pictura summo in honore iam olim semper habita scribit Plinius, *lib.* 35. *cap.* 10. Nouem immunitates *hac leg.* Pictoribus tributæ hæ sunt: Nempe 1. *Capitationis* tam pro suo, quam pro vxorum & liberorum capite: de quo onere, *suo titulo, infr. de censu.*

2. Immunitas profitendi in censum, *seruos etiam Barbaros suos*: scilicet regulariter quemlibet res suas, atque adeo seruos, in censum profiteri oportebat, de quo *dicto tit.* At enim *hac leg.* huius censualis professionis immunitas datur Pictoribus: in tantum, vt non Romanos tantum seu Prouinciales, verum etiam Barbaros seruos profiteri non cogantur (de quibus Barbaris seruis actum quoque *l.* vn. *sup. de ædil. actionibus*:) Quæ vero ratio dubitandi hac parte fuerit videndum est. Non tanto scilicet fauore digna videbatur Barbarorum seruorum ratio & possessio; vt eorum nomine a censu immunes essent domini. Et tamen eodem fauore, eadem immunitate eos prosequitur *hac leg.* Valentinianus: scilicet cum de priuilegiis dominis aliquibus seruorum nomine tribuendis vel tributis agitur, non tam seruorum, quam ipsorum dominorum habenda ratio est: quare cuiates illi sint, hac parte nil interesse debet.

3. A *lustrali collatione* immunitas Pictoribus tribuitur, de qua *suo titulo*; scilicet si ea in mercibus habeant, quæ ipsorum artis propria sunt, id est picturas, eius negotiationis nomine nil conferre tenentur: aliud enim fuerit, si in alia merce negotientur: huic quippe immunitati locum fecit sola Pictoria artis & negotiationis ratio: quare si aliam & alienam negotiationem exerceat Pictor, negotiatorio auro subiacet.

4. *Pergularum* & Officinarum publicarum obtinendarum sine pensione ius Pictoribus tribuitur, sub

ſub eadem rurſum taxatione qua ſuperior immunitas, ſcilicet mercibus ſuis exponendis, in locis publicis pergulæ & officinæ quædam & olim fuere, quod *Turnebus* recte obſeruauit: pro quibus certa *penſio* publico dabatur, quod ex *hac leg.* diſcimus: Vt erratum ſit Scaligeri, *ad Propertium lib. 4. eleg. 5. v. 68. & Auſon. lect. 2. cap. 22.* qui ſtatuit, nullas vnquam fuiſſe pergulas publicas. Eodem ſane pertinet immunitas veteranis data a Conſtantino M. *l. 2. ſupr. de Veteranis, vt in quibuſcumque*, loquit, *nundinis interfuerint, nulla proponenda dare debeant.* Sed & illud ex hoc loco clarum, Pictores ſuas in pergulis merces in publico ſpectandas, emandas propoſuiſſe: quod etiam liquet ex *l. 5. §. penult. D. de his qui effud. vel deiec.* vbi Græci vertunt ἐξ ὑπερῴου, & ex Plinio, *lib. 35. c. 10.* & notiſſimo Lucilii verſu apud Lactantium *lib. 1. c. 22.*

Pergula Pictorum, veri nihil, omnia ficta.

Erant autem pergulæ iſtæ nil aliud quam Officinæ, cellæ, & ferme etiam editæ. Quare & liberalium Artium Profeſſoribus pergulæ quoque huiuſcemodi fuere profitendæ Arti: de Mathematicis, teſtis Suetonius, *Auguſto, c. 94.* vbi de *Theogene*; de Grammaticis, idem Suetonius de *Illuſtrib. Gramm.* vbi de *Craſſitio c. 18.* Pergularum quoque Magiſtralium mentio apud *Vopiſcum in Saturnino cap. 10.* Illud ſane de his verum, in huiuſmodi pergulis docuiſſe pro priuato ſalario, quibus & quo tempore de publico ſtipendium non erat, etiam celeberrimos; cuiuſmodi magiſtrationes & cellulæ a Theodoſio Iun. ſublatæ, *l. 3. infr. de ſtudiis lib. V. R. & Conſtantinop.* ob fœdam ſcilicet eorum colluuionem; & vt publice docentium atque adeo Capitolini auditorii maior auctoritas eſſet. Ergo verum, fuiſſe quoque has pergulas celebrium Doctorum: viceuerſa verum, docuiſſe tantum ibi qui de publico ſtipendium non acciperent: Qua tamen vtraque parte, peccatum contrariis erroribus, a Viris doctis.

Immunitas *hac leg.* Pictoribus tribuitur a *Metato* videlicet, id eſt, vt ne hoſpitem inuiti recipiant:
P. 56. quæ & ipſa immunitas aliis nonnullis data, & vero data Medicis & Magiſtris: de quo vid. *tit. ſupr. & tit. de Metatis.*

6. A *Pedaneorum Iudicum* poteſtate Pictores eximuntur. Quæ ſingularis admodum immunitas eſt: cuius aliud teſtimonium *toto hoc Codice* non reperio: Igitur maiorum tantum Magiſtratuum iuriſdictioni obnoxii fuere: puta Rectorum Prouinciarum, Vicariorum: non vero Iudicum pedaneorum. Quinam vero hi Iudices pedanei? De his dixi *ad l. 2. ſupr. de off. Rector. Prou.* vbi eorum fit mentio, vt & *l. 3. ſupr. de repar. appell.*

7. In quacunque ciuitate conſiſtendi, domicilium figendi arbitrium Pictoribus datum. Quod & ipſum ſingulare eſt: neque enim alias regulariter quiſque proprio arbitrio ſedem mutare poterat metœcus.

8. A Proſecutione equorum, & operarum præbitione Pictores immunes præſtantur: de quibus præſtationibus, *ſuis titulis, ſupra.*

Poſtremo a Iudicibus cogi non poſſunt gratuitam operam præſtare ad efficiendos, id eſt, pingendos Imperatorum vultus, vel ad publica opera expolienda, pingenda. Vnde apparet, Iudices ſeu Rectores Prouinciarum ad id audaciæ hac tempeſtate proceſſiſſe, vt quemadmodum, ab aliis hominum generibus ad opera reſque publicas, gratuitas operas, quo iure, qua iniuria, exigerent, de quo *tit. de operibus publicis*, & Libanii oratio περὶ ἀγγαρειῶν, ita etiam gratuitas exigerent a Pictoribus in duos, qui maxime probabiles videbantur, vſus: ad pingenda v.. licet opera publica, (ad quem operum ornatum ..erri quoque poteſt *lex 7. inf. de prædiis Nauicul.* .æ eidem Chiloni inſcribitur) & ad *efficiendos*, ſeu pingendos *ſacros vultus*, id eſt, Imperatorum vultus: quos vel publice proponerent, vel inhiantibus populis inferrent: de quo vid. *l. 4. ſupr. ne quid publicæ lætitiæ:* & dixi quoque ad *l. vnic. ſupr. de his qui ad ſtatuas confug.* & ad *l. vnic. infr. de Imaginib. Imperialib.* Sane Pictorum qui Principum vultus pingerent meminit quoque Synesius *de regno, p. 13. Edit. Petau.* quo loco Principem hortatur, vt eum militibus agat, τί δὲ ἂν αἴσχιον γένοιτο βασιλέως, ὃν διὰ τὰς ζωγραφίας ἐπιγινώσκουσιν οἱ προπολεμοῦντες; *Quid vero indignius eo imperatore, quem propter ſolos pictores cognitum habent imperii propugnatores?* Quod quidem pertinet ad Imagines Impp. in ſignis militaribus. Etiamen & in hos vſus quamlibet probabiles maxime, gratuitas operas exigi a Pictoribus vetat *hac leg.* Valentinianus Sen.

Notanda adhuc quinque ad *hanc leg.* Primo, *hanc leg.* eſſe nominatim *de Pictoribus Africæ*, vbi proculdubio inſignes Pictores fuere, vt exteroquin Afri ingenioſiſſimi fuerunt, etiam circa Architecturam: de quo ad *l. 1. ſupr.* Secundo Taxatio *huius leg.* notetur: nempe Pictoribus iſta omnia tribui vult Valentinianus, ſi modo ingenui ſint; quod & ipſum Tribonianus hinc transfundit in *legem 8. Cod. Inſt. de Metatis:* ſcilicet olim quidem Picturæ ſemper honos hic fuit, teſte Plinio *lib. 35. cap. 10.* vt ingenui eam exercerent, mox vt honeſti, perpetuo interdicto ne ſeruitia docerentur. Sed illa quoque demum ſeruilis facta: quod etiam docet *lex 28. D. de rei vindicat.* Et tamen priſtinæ dignitati tuendæ Valentinianus *hac leg.* ſolis Ingenuis, tot illas immunitates præſtitas vult. Tertio, notanda *huius leg.* ſanctio: ſcilicet pœnam ſacrilegii imponit, has immunitates Pictorum violanti: id eſt eam quæ *legum* violatores manet: id enim *ſacrilegi* appellatione intelligendum. De quo vid. *Gloſſ. Theod.* Quarto ex tot priuilegiis Pictoribus a Valentiniano Imp. tributis tamque ſæua ſanctione, obſeruo, quia & ipſe, (teſte Ammiano Marcellino *lib. 30. cap. 9.*) non tantum ſcripſit decore, ſed etiam *venuſte pinxit, & finxit: finxit vero terra* ſcilicet *ſeu luto ſimulacra*, vt ait alter Victor *in eius vita. c. 45.* Vt mirum non ſit, tot priuilegiis tam ſerio euectos picturæ Profeſſores ab Imp. picturæ artem & ipſo profeſſo. Tandem ex *hac leg.* & *l. 2.* apparet, Pictores Artificum numero fuiſſe.

DE

DE NAVICVLARIIS.

TITVLVS V.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. I.

De Nauiculariis seu Naucleris publicas species transportantibus. Ita recte hunc *titulum* explicat *Tribon.* vide & *Nouellam* Valentin. *inter Theodos. 36. de Nauiculariis amnicis* (annonicis) *vel vrbicis.*

PARATITLON.

NAVICVLARIORVM, *Rubr.* & *omnibus huius tituli constitutionibus* (excepta tantum *l.* 18. 28. 33. 35. *h. t.* & *infr. tit. de prædiis Nauicular.* & *tit de naufrag.* & *l. vnic. supr. de his qui veniam ætatis : l.* 134. 149. *supr. de Decurionibus* (qui & Nauarchi dicuntur, *l.* 32. *h. t.* vnde & Nauarchia, *l.* 20. *h. t.*) Naucleri, *d. l.* 32. *h. t.* & *l.* 1. *infr. de frument. Alex. l. vlt. supr. de lit. & itin. cust.* Nautici, *l.* 2. *infr. de canone frum. V. R* Prosecurores, *l.* 4. *infr. de Naufrag.* certum Corpus fuit, *l.* 9. 14. 16. 20. *hoc tit. l.* 2. 4. *infr. de præd. Nauicul.* Symmachus *lib.* 10. *epist.* 58. Cœtus *d. l.* 32. *h. t.* Consortium, *l.* 11. 14. *h. t.* Concilium, *d l.* 32. *h. t.* Classis, *l.* 27. 32. *h. t.* Ordo, *d. l.* 149. *supr. de Decurionib.* Srolus, *l.* 7. *h. t.* Hæresis, *l.* 6. & *vlt. infr. de præd. Nauicular.* certo numero, *l.* 14. *h. t.* Variis in locis, per orbem Romanum. In *Occidente*, intra Africam siue Diœcesin siue Prouinciam, quo pertinenr, *lex* 6. 10. 12. 14. 21. 24. 25. 30. 36. 37. 38. *hoc tit. l.* 11. *de Curiosis*, *l.* 3. 4. 6. 7. *vlt. infr. de prædiis Nauicul. l.* 2. 3. & *vlt. infr. de naufragiis : l.* 8. *supr. de indulg. debit.* ac P.57 nominatim quoque per Numidiam, *l.* 15. *hoc tit.* si Constantina in *subscript.* Numidiæ est: qui quidem fuere sub dispositione Vicarii Africæ *l.* 36. *hoc tit. l.* 3. 4. *infr. de prædiis Nauicul.* Proconsulis Africæ *l.* 10. 25. 30. 36. *hoc tit. l.* 7. *infr. de prædiis Nauicul.* Præfecti annonæ vrbis & Præfecti annonæ Africæ, *l.* 2. 3. 12. 36. 38. *hoc tit. l.* 1. 5. *de prædiis Nauicul. l.* 2. *infr. de naufragiis: l. vnic. de his qui veniam ætat.* Item per Hispanias, *l.* 4. & 8. *hoc tit.* In *Orientali Imperio :* per, seu intra Orientem, circiter Prouincias Orientis, proinde Orientales Nauarchi, *l.* 7. 14. 32. *hoc tit.* Irem intra Ægyptum seu Ægyptiacas partes, *l.* 14. *h. t.* quo etiam pertinet *lex* 7. 18. 20. *h. t.* Vnde Alexandrinus stolus *d. l.* 7. *h. t.* seu Alexandrina classis, *d. l.* 32. *h. t.* quæ scilicet ex Alexandrinæ ciuitatis conditis frumentum transferebat, *d. l.* 32. *h. t.* qui quidem agebanr sub dispositione Præfecti Augustalis, *l.* 18. 20. *h. t.* & Præfecti Annonæ Alexandriæ, *l.* 3 *sup. de Suscept.* Irem Carpathia classis *d. l.* 32. *h. t.* Vrbis Constantinopolitanæ classes, *l.* 21. *sup. de diu. off.* Munus, *l.* 19. 27. *h. t.* (vnde & munus Nauiculariurn, *l.* 3. & 5. *h. t.* & *l.* 4. *inf. de infirm. his quæ sub Tyrann.*) onus Nauiculariorum, *l.* 149. *sup. de Decur.* (vnde onera Nauicularia, *l.* 2. *h. t.* Oneris Nauicularii munus, *l.* 12. *h. t.* Conditio, (vnde Nauicularii conditio, *l.* 35. functio, *l.* 3. 14. 36. *h. t.*) vnde Nauicularia functio, *l.* 18. 28. 35. *h. t.* & *l.* 3. 4. *infr. de prædiis Nauic. l.* 11. *supr. de Cohortal. l.* 134. *de Decurionib.* Nauarchiæ functio, *l.* 20. *h. t.* Naualis functio, *l.* 13. *supr. de Senatorib.* Hæresis, (vnde hæresis Naualis, *l. pen* & *vltim infr. de prædiis Nauicular.*) Munia, *l.* 11. *h. t.* Obsequium, *l.* 1. *infr. de prædiis Nauicular.* Necessitas, *l.* 16. 22. *h. t.* Inquietudo (vnde Nauicularia inquietudo, *l.* 20. *h. t.*) hæc eorum erant, vt maritimos commeatus frequentarent, *l.* 7. *h. t.* vt commeandi officium agnoscerenr, *l.* 27. *h. t.* id est, vt species, *l.* 8 26. *h. t.* species fiscales, *l.* 33. *h. t.* species annonarias, *l.* 9. *h. t.* subsidia, *l* 6. *h. t.* onus fiscale, *l.* 4. *h. t.* onus frumentarii commeatus, *l.* 32. *h. t.* Item vt lingna ad lauacrorum necessitatem, *l.* 10. & 13. *hoc tit.* suscepta, transferrent *l.* 9. 12. *h. t.* unde nauiculariæ translationis munus *l.* 18. *h. t.* subueherent, *l.* 4 *h. t.* (vnde & subuectionem celebrare, *l.* 2. *infr. de nauib. non excusand.*) deferrent, *l.* 6. *h. t.* luerenr (vnde luitio hoc sensu, *l.* 14. *h. t.*) transueherent (vnde transuectio,

ctio, *l.* 32. *h. t.*) Partim ad vrbem Romam quo pertinet *lex* 1 2. 3. 4. 9. 10. 11. 12. 13. 15. 17. 21. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 34. 35. 36. 37. 38. *h. t.* vnde vrbanus canon, *d. l.* 27. *h. t.* canon sacratissimæ vrbis, *d. l.* 35. *h. t.* Nauicularii videlicet ex Hispania & Africa, de quo *supr.* ad Portum vrbis Romæ, *l.* 4. 10. 38. *h. t.* (de quo *suis titulis*, *lib.* 14.) atque inde mox alii a portu ad vrbem, *d. l.* 38. *h. t.* cura Præfecti vrbi, *l. t.* 2. 9. n. 13. 29. 31. 38. *h. t.* & Præfecti annonæ, *l.* 2. 3. 38. *hoc tit. l.* 1. 5. *infr. de prædiis Nauicular.* sub cuius dispositione Nauicularii erant, *l. vnic. supr. de his qui veniam ætatis*; vid. *supra.* Partim ad vrbem Constantinopolitanam, *l.* 7. 14. 18. 19. 20. 22. 23. 32. 33. *hoc tit.* (ex Orientalibus videlicet Prouinciis, Ægypto, Alexandria, de quo *supr.*) extra ordinem quandoque ex Africa, *l.* 2. *infr. de naufrag.* Partim ad Expeditionalium portuum necessitatem, *l.* 35. *h. t.* & *l.* 2. *infr. de naufragiis.* Idque suis sumptibus & propriis facultatibus, *l.* 7. *in f.* & *l.* 14. *hoc tit.* per vicissitudines, & per succedaneas vices, *l.* 6. & 14. *h. t.*

Ad hanc conditionem tenebantur, qui ex genere Nauiculariorum erant, *l.* 20. *h. t.* originis iure, *l.* 22. *h. t.* filii, *l.* 1. *h. t.* & *l.* 19. *h. t.* hæredes, *l.* 35. *h. t.* Quandoque si Corpus Nauiculariorum imminutum esset, complebatur, restituebatur a Præfecto Prætorio, *l.* 14. & 27. *h. t.* vel ab Honoratis, *l.* 22. *h. t.* aliunde: a quo ne quidem Iudæi & Samaritani facultatibus idonei excusabantur, *l.* 18. *h. t.* (excusabantur tantum Agentes in rebus *l.* 20. *h. t.* & cohortales Syriæ, *l.* 11. *supr. de cohort.*) Plerumque & ordinarie ex Curialibus nauicularii assumebantur *l.* 5. & 16. *h. t.* Itemque qui ex Curialibus ad hanc fundationem sese contulerant ad Curiam non reuocabantur, *l.* 5. 14. 17. 19. 25. *hoc titulo*: *l.* 134. *supr. de Decurionib.* Senatores non item, *l.* 4. *infr. de infirm. his quæ sub. Tyran.* Sed & qui eorum bona, prædia, quocunque iure possidebant, pro rata bonorum ad eandem functionem tenebantur, *l.* 3. 19. 20. 27. 35. *hoc. tit.* & *l.* 149. *supr. de Decurion. l.* 13. *de Senatorib.* de quo *suo* peculiari *titulo* mox, *de prædiis Nauic.* Imo & extra ordinem quoque vacui publico officio in complexum Ordinis Nauicularii applicabantur, *l.* 3. *in f. infr. de naufragiis.* Erantque Nauicularii huic conditioni adeo & perpetuo obnoxii *l.* 14. 19. *hoc tit.* vt eam quocunque honore vel dignitate impetrata, *d. l.* 3. (imò vt excusati reuocarentur, *l.* 12. *h. t.*) nulla præscriptione, vt docet *lex vltim. infr. de prædiis Nauic.* quo tamen quinquagenaria præscriptio inducitur; Naues, item, seu nauigia, *l.* 4. 14. 28. *h. t.* exædificare ipsi cogebantur certæ capacitatis, *l.* 28. *h. t.* sic tamen vt aliquando his ad conficienda ea à Prouincialibus materiæ conferrentur, reparatione his necessario imminente, *l.* 14. *h. t.* Cæterum Nauicularii hi varii loci & dignitatis erant, *l.* 5. 17. *h. t.* alii quippe tenuiores erant: *l.* 6. *h. t.* seu Plebeii, *l.* 5. *h. t.* alii Decuriones, *d. l.* 5. *h. t.* alii potiores dignitate, *dict. l.* 5. *h. t.*

Priuilegia his vicissim varia tributa; a Constantino Magno *l.* 4. 5. 7. 8. 16. *hoc tit.* à Constantio *l.* 9. *h. t.* a Iuliano, *l.* 16. *h. t.* a Valentiniano Sen. *l.* 10. *h. t.* a Valente, *l.* 14. *h. t.* a Gratiano, *l.* 16. *h. t.* a Valentiniano Iun. *l.* 17 *h. t.* a Theodosio M. *l.* 23. *h. t.* ab Honorio, *l.* 30. 31. 36. *h. t.* (sic vt in vniuersum *hoc titulo* sint tredecim *leges* de priuilegiis Nauiculariorum.) Et quidem vel omnibus, *d. l.* 5. *h. t.* vel nominatim Afri-

P. 58. canis, *l.* 14. 16. 24. 30. 36. *h. t.* Alexandrinis, *l.* 7. *h. t.* Hispanis, *l.* 4. & 8. *h. t.* Orientis, *l.* 7. & 14. *h. t.* Primum, Immunitas his tributa ab omnibus oneribus, muneribus, *l.* 5. *in pr.* 7. 17. *h. t.* a Curia, *d. l.* 16. *h. t.* a collationibus, oblationibus, *d. l.* 5. 17. *h. t.* ab honoribus ciuicis damnosis, *l.* 7. *h. t.* a tutelæ administratione, *l.* 7. *h. t.* item tributa vacatio legis Iuliæ & Papiæ, *l.* 7. *h. t.* a vectigali pro subuectione mercium si sibi rem gerant, *l.* 16. 23. 24. *h t.* Secundò à corporali iniuria immunes erant, *l.* 16. *h. t.* Tertio alibi quinquaginta iuga ab annonarum præstatione immunia habebant pro denum millium modiorum luitione, *l.* 14. *h. t.* alibi solidos singulos per singula millia consequebantur, *l.* 7. *h. t.* Quarto Equestris dignitas his collata, *l.* 16. *h. t.* Quinto naues eorum ad aliud munus seu extraordinarium onus & officium teneri non poterant; *l.* 4. 5. 8. *h. t.* Item diametris frumenti, *l.* 38. *h. t.* centesimas consequebantur *lege* 7. *in fine*, & *lege* 36. & 38. *h. t.* Postremo securitate eorum variis constitutionibus quoque cautum; scilicet mora, interpellatio, vis, illis species transferentibus fieri vetita: *l.* 4. 8. 9. *h. t.* concussio, aliudque genus incommodi, *l.* 9. *h. t.* prædæ, *l.* 29. *h. t.* his intentari, vt & sportulæ ab his exigi vetitæ, *l.* 36. 37. *h. t.* Nomi-

natim ab Apparitorum deprædationibus vindicati, *l. 11, supr. de Curiosis:* Breuiter, venientes ac remeantes omni securitate potiri iussi: *l. 9. h. t.*

Viceuersa, variis constitutionibus eorum fraudibus occursum, quo videlicet & stato tempore species subueherent, neque de his quid auerterent. Itaque prohibiti, recta nauigatione contempta, littora deuia sectari; *l. 33. h. t.* sub hyemis prætextu in portubus, prosperiore statu inuitante immorari: *l. 34. h. t.* contra iussi inferre, transmittere, tradere species susceptas, intra biennium; *l. 21. h. t.* annum, *l. 26. h. t.* securitatibus in id eiusdem anni acceptis ab his, quibus cura suscipiendarum ab his specierum, *d. l. 26. h. t.* intra decem dies, *l. 8. h. t.* quæ securitates *relatoriæ* dicuntur, *d. l. 8. h. t.* securitates sane ipsas intra biennium a susceptione specierum reportare tenebantur, *l. 21. 26. h. t.* Alioquin periculum specierum nauiculariis imminebat, *l. 21. 26. h. t.* sicut & in specie *l. 32. h. t.* Nihilominus quandoque debitorum indulgentia his data, veluti ab Honorio, *l. 8. supr. de indulg. deb.*

I. (a) Imp. Constantius (b) A ad Volusianum..... (c)

Si nauicularius, originalis leuamentarius fuerit, nihilominus (d) aput eosdem, (e) aput quos & parentes eius fuisse videntur, (f) firmiter permanebit. Dat. XIV. Kalend. April. Volusiano & Anniano Coss. [314.]

NOTÆ.

(a) Abest a *Cod. Iust. hæc lex.* GOTHOF.

(b) γρ. Ita omnes editiones, pessime. γρ. *Constantinus.* ID.

(c) *PV.* Auctor Notitiæ Præfectorum Vrbis, *Volusiano & Aniano. Rufius Volusianus Præfectus Vrbi.* Eidem his ipsis coss. inscribitur mense proximo dignitate pariter omissa, *lex unic. de Ingenuis qui temp. Tyr.* & anno proximo 315. dignitate expressa *lex 2. sup. quorum appellat.* ID.

(d) Diuisim ita scribendum *nihilo minus*, id est pariter, similiter ac parentes eius. ID.

(e) Nauicularios scilicet. ID.

(f) Id est fuerunt: vid. *Gloss. Theod.* ID.

COMMENTARIVS

CONSTANTINI M. octo Constitutiones ordine sequuntur de Nauiculariis, quæ omnes absunt a *Cod. Iustin.* Quibus addenda & nona, puta *lex 1. infr. de præd. Nauicul.* Præter quas & aliæ passim Constantini de Nauiculariis constitutiones laudantur & firmantur a Valentiniano Sen. *l. 13. infr.* a Gratiano *l. 16. infr.* & *l. 3. infr. de naufrag.* ab Honorio, *l. 26. infr.* imo cuius *constitutionem 5.* in suum nomen Valentinianus Iun. deriuauit, *l. 17. infr. hoc tit.* Vnde apparet, quam enixo studio hanc in partem consultum iuerit Constantinus M. quamque probabiles eius super hac re visæ fuerint constitutiones. Hac prima constitutione LEVAMENTARIVM originalem, qui scilicet parentes habuit leuamentarios, seu cui origo a leuamentariis parentibus, patris conditionem sequi iubet Constantinus M. sicut pariter apud eosdem firmiter permanere velit, apud quos & parentes eius fuerunt. Quod commune & tralatitium ius est in omnibus *originalibus*, id est, qui origine alicui conditioni tenentur. puta vt patris conditionem & nexum sequantur, neque ab hoc ad illum ferantur. *Leuamentariis* nulla alibi mentio mihi occurrit. Neque leuamenta alternantis aux lii quæ dicuntur *l. 6. infr.* huc quicquam faciunt. Illud hactenus ex *hac leg.* liquet, eum inter Nauicularios fuisse, seu Nauicularium. Item origine Nauiculariæ functioni adstrictum fuisse; vnde Originalis *Leuamentarius* dicitur. Tertio, eum *apud quosdam fuisse*, id est, ab aliis pependisse his adnexos. Igitur Leuamentarium accipio eum, qui in lintre seu scapha naui onerariæ maiori adiuncta inseruiebat, vt scaphæ maioribus nauibus adiungebantur, ἐφόλκια καράβια, seu κάραβοι, harum leuandarum gratia. I. C. in *l. 4. D. de leg. Rhodia. Nauis onusta LEVANDÆ causa, si quadam merces in scapham traiecta sunt:* vid. & Paulum *2. sent. 7. § vltim. l. vltim. D. de instructo: l. 44. D. de Euictionibus.* Ideo nos huiusmodi scaphas a *leuando*, seu leuamento, *Alleges* vocamus; quæ opponuntur *aux Basteaux maires*, v. *le Bret, orat. 34. p. 190.* Item mercium, personarum ad littua efferendarum causa: quæ si solæ sint, *Barca* vocantur, & *Carabella*, a Græco: vel Isidoro teste *lib. 19. Orig. cap. 1.* Quare Leuamentarius Nauicularius fuerit, qui in scapha nauis leuandæ gratia seruiebat; a leuamento, *Leuamentarius*, & Auxiliarius: quomodo & in veteri Inscriptione Romæ, *apud Gruterum CCCXCVIII. 7. CORPVS LENVNCVLARIORVM AVXILIARIORVM OSTIENSIVM* memoratur. His non omnino similes sunt, qui *Lamaneury* vocantur, nempe qui naues in portum deducunt, (qui & *Palangarii*, eo quod palangibus seu phalangibus, vectibus, fustibus teretibus, naues ad littus subducerent: quæ palanges vocantur *Leuiers* a leuando pariter: μοχλὸς Græcis, cuiusmodi etiam *Leuiers* habentur in nauibus marinis, leuando alicui oneri: qui & *Pied de Chevre* dicitur: Huic vecti quod subiiciebatur, seu cui vectis innitebatur, dicitur ὑπομόχλιον. Vida Nomium P. 592

cap. 2.

cap. 2. verb. Palanga num. 725. & Pollucem *lib. 7. Onomast. cap. 33. sect. 190. pag. 829. Edit. Hemsterhuis.* vt & Salmasium *in Exercitat. Plinian. pag. 726. Edit. Traiectin.* & e portu educunt: de quibus vid. *Constit. Henrici III lib. 10. Cod. Henric. t. 11.* Item, quos *Tanqueurs* vocant, qui e naui merces & personas ad littus efferunt. Igitur Leuamentarios huiusmodi originales, apud eosdem Nauicularios, easdem maiores naues permanere oportuit, quibus originis nexu tenebantur: non vero aut eam conditionem euitare, aut ad alias naues & nauicularios traduci. Sui denique cuique naui *Leuamentarii* seruandi sunt. Quomodo & communes affectus suis fundis, *l. 1. supr. communi diuid.* coloni suis fundis.

II. (a) Idem A. Amabiliano PF. Annonæ. (b)

NAVICVLARIOS ad consortium Pistorum Vrbicorum nominatos, (c) neque vlla hæreditatis successione pistoribus obnoxios, absolui ab hoc munere oportebit. Quod si hæreditario iure forsitan pistoribus teneantur, facultatem habeant, si forte maluerint, ob vindicias (d) pistorum, hæreditates eidem corpori reddere, aut quibuscumque proximis defuncti cedere, vt ipsi a pistorum consortio liberentur. Quod si hæreditatem amplectantur, necesse est successionis ratione pistorii muneris societatem eos suscipere, & ex propriis facultatibus onera nauicularia sustinere: V. C. PF. Vrbi super hac re videlicet disceptante. Dat. Kalend. Iun. (e) Triu. Constantino A. IV. & Licinio IV. Coss. [315.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex à Cod. Iustin.* Non minus recte in *titulum de Pistorib.* collata fuisset: imo melius, ob præcipuum eius finem. *GOTHOF.*

(b) *Africæ*: quod additum *l. 4. supr. de appellat.* quæ eidem hoc ipso Anno inscribitur, vna cum *l. 3. prox. IDEM.*

(c) A re Præfecto annonæ, vt puto. *ID.*

(d) De hoc loco mox. *ID.*

(e) Vide, quæ de hac subscriptione dicta sunt in *Chronolog. ID.*

COMMENTARIVS.

AD PISTORVM Vrbis Romæ Corpus, nauicularios deuocari vetat hac constitutione Constantinus M. & quia deuocati fuerant, absolui eos iubet: Iis tantum exceptis, qui hæreditatem pistoriam nacti fuerant, nisi ea hæreditate vel Corpori Pistorum, vel proximis defuncti mallent cedere: Idque omne, disceptante Præfecto Vrbis Romæ.

Hæc *huiusce legis* sententia est: Ex qua colligere mihi videor. Primum, reuocari quadamtenus *hac leg.* indiscretam Nauiculariorum ad consortium Pistorum nominationem factam a Præfecto annonæ, Præfectique vrbis disceptationi subiici: vt cæteroquin Præfecti annonæ sub dispositione Præfecti vrbis fuere, atque ab iis acta ad Præfecti vrbis disquisitionem sæpe reuocabantur; non sine æmulatione tamen & liuore; quod docent *duæ* insuper aliæ eiusdem Constantini M. *Constitutiones*, puta *lex 2. supr. de relationibus*: & *lex 4. supr. de appellationib.* quæ hoc ipso Anno data est ad eundem Amabilianum Præfectum Annonæ.

Secundo obseruandum, *huic legi* committendam Constantinianeam constitutionem, cuius fit mentio *l. 12. infr. de Pistoribus*, (de qua exaudienda quoque *lex 17. eiusdem tit.*) scilicet Constantinus M. certo tempore ex Africa Pistores Vrbis Romæ vsibus dirigi iusserat: Igitur cum post eam iussionem, etiam ex Corpore Nauiculariorum quidam nominati fuissent, nominationem hanc in irritum deduxit, nisi iidem facultates Pistorum Corpori obnoxias possiderent.

Postremo loco vindicanda venit *huius leg.* lectio, ibi: *ob vindicias*. Excerpta V. C. Maynardi hic tentabant: *Si forte maluerint obuentitias Pistorum hæreditates eidem Corpori reddere.* Probabiliter equidem, si quid mutandum foret. At enim istud defendi oportet, *ob Vindicias*: nempe Vindiciæ dicuntur, ius quod Pistorum Corpori competit, vindicandarum rerum pistoribus obnoxiarum: sic *l. 5. infr. de præd. Nauicular. Temporis præscriptionem in vindicatione rerum ad Nauicularios pertinentium*: & l. 6. d. tit. *Cui erat ille obnoxius, cuius nomine vindicatio competit.*

III. (a) Idem A. Amabiliano (b) PF. Annonæ.

SI quis nauicularius, per obreptionem, vel quacumque (c) ratione immunitatem impetrauerit, ad excusationem eum admitti in (d) vllo modo volumus. Sed & si quis patrimonium nauiculario muneri obnoxium possidet, licet altioris sit dignitatis, nihil ei honoris priuilegia, in hac parte dumtaxat, opitulentur: Sed, siue pro solido, siue pro portione huic muneri

P.60 teneantur. Nec enim æquum est, vt patrimonio huic functioni obnoxio excusato commune onus non omnes pro virili sustineant portione. PP. V. Kalend. Iun. Constantinop. (e) Constantino A. V. & Licinio Cæs. Coss. [319.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* *GOTHOF.*
(b) *Amabiliano* huic Præf. annonæ inscribitur *lex 2. supr. & l. 4. supr. de appellationib.* *ID.*
(c) Veluti dignitate altiore. *ID.*
(d) *γρ. admissi nullo modo:* ortus error ex littera *I.* præcedentis vocis. *ID.*
(e) Delenda hæc vox: quæ occasione sequentis, vt alibi sæpe, ita & hic infarta. *ID.*

COMMENTARIVS.

REPARATIONI Naviculariorum Corporis incumbens Constantinus M. A. D. 319. duo in eum finem *hac leg.* constituit. Nempe Naviculariorum rescripto Principis impetrata IMMVNITATE a Nauicularia functione, gaudere vetat; quo pertinet quoque *lex 3. infr. de præd. Nauicular.* Neque patrimonium nauicularii possidenti, dignitatis quamlibet altioris obtentum prodesse vult. Scilicet ab vna parte, nauicularii huic conditioni perpetuo ita obnoxii fuere, *l. 14. 19. hoc tit.* sic vt eam quocumque honore vel rescripto Principis euitare non possent, *hac leg.* & *l. 11. 12. infr.* Ab altera parte bonorum nauiculariæ functioni obnoxiorum possessores ad nauiculariam functionem tenebantur, *hac leg.* & *l.* 19. 20. 27. 35. *infr.* & *l. 149. supr. de Decurionibus:* de quo plene *infr. tit. de præd. Nauicular.* cuius tituli *lex 1.* eiusdem Constantini in eodem argumento versatur. Et quidem pro rata bonorum seu pro portione virili, secundum possessionis modum, *d. l. 27.* pro moderatione patrimonii quæ eum ditat, *d. l. 149. de Decurion.* vt ita auctoris sui munus agnoscat *l. 19. infr.* ac nominatim hæredes, *l. 35. d. tit.* Necquicquam ei opitulante honore: qui etsi in cæteris ei prosit, in hac tamen parte duntaxat, vt *hac leg.* diserte dicitur ei necquicquam prodest. Contra, catenus nauiculariæ inquietudinis suspicio ab eo amolienda debitisque honoris priuilegiis frui is debet, vt loquitur *d. l. 20.* quatenus Nauarchiæ obnoxias functioni non retinet facultates. Cæterum, cur Præfecto annonæ *hac lex* (non minus quam superior) inscribatur, præter eius argumentum docet altera illa eiusdem Constantini M. constitutio, puta *lex 1. infr. de præd. Nauic.*

IV. (a) Idem A. Helpidio. (b)

Ex quocunque Hispaniæ litore (c) Portum (d) Vrbis Romæ nauicularii nauis intrauerit, quæ onus dumtaxat (e) fiscale (f) subuexerit, (g) eandem sine interpellatione (h) cuiusquam (i) abire præcipimus, nec vlli extraordinario (k) oneri deseruire, vt facilius iniuncta sibi possit implere obsequia. Dat. VIII. Id. Mart. Thessalonicæ, Crispo III. & Constantino III. Coss [324.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iust.* Concordat vero *huic leg.* proxima eiusdem Constantini, *vers. Naues*, & tertia plane similis *lex 8. infr.* *GOTHOF.*
(b) Eidem *Helpidio* inscribitur Anno 321. *lex 1. supr. de feriis:* (cui iungenda *lex 3. Cod. Iust. eod. tit.*) Anno 323. *lex 5. infr. de Episcopis:* Ann. 329. *lex 4. supr. de falsa moneta.* Nullibi tamen dignitas eius memoratur: etsi *d. l. 1. sup. de feriis* dicatur *PP. Caralis.* Hieronymus *in V. Hilarionis pag* 158. *Tom. I. Oper. Edit. Francf. apud Christ. Gensch.* eum PP. fuisse docet. Vicem Præfecti Prætorio egisse docet *lex 6. C. Iust. de ædific. priuatis*, quæ data est Anno 321. *ID.*
(c) Veluti ex *Portu Albo*, vel *Portu Gaditano.* *ID.*
(d) De Portu Vrbis Romæ affatim *lib. 14. infr. tit. 22.* *ID.*
(e) Hanc taxatiuam mox explico. *ID.*
(f) Fiscales species *l. 33. infr.* v. plura in *Paratitlo.* *ID.*
(g) *Subuehendi* vox hic propria: *v. Gloss.* *ID.*
(h) Vexatione. *ID.*
(i) Forte Iudicum, Vicariorum, Præfectorum annonæ, Præfectorum Vrbis, Præfectorum Prætorio. *IDEM.*
(k) *Extraordinarium* onus *hic*, extraordinarium officium *d. l. 8. infr.* id est, aliud a subuectione specierum fiscalium ad Portum: veluti vt a Portu, ad vrbem ipsam subuehat fiscales species, vel quid aliud: vel vt in ipso Portu quid agat: vel vt in transitu seu reditu quid deferat. *ID.*

COMMENTARIVS.

ANGARIARI naues, quæ fiscales species ad locum debitum iam subuexerunt, in reditu seu REMEANTES vetat hac constitutione Constantinus M. *Angariari*, inquam, id est, cogi ad deseruiendum alicui

alicui alteri seu extraordinario oneri, expleto iam & impleto suo: *Angariandi* & *Angariarum* voce etsi non vtatur *hac lex*; ea tamen vtitur Libanius in similem rusticorum, qui species aononarias Antiochiam subuexerant, ad extraordinarium onus cogendi morem inuehens expresse Oratione *περὶ ἀγγαρειῶν*. Item circa naues priuatorum, Vlpianus *lib. 4. de Offic. Proconsulis*, quo de muneribus publicis egit: *l. penult. §. 1. D. de Veteranis*: & Gregorius PP. *lib. 8. epist 64*. Scilicet mos hic prauus incesserat, vt nauicularii perlatis speciebus fiscalibus, antequam domum redirent, vel dum domum redirent, sæpe a Iudicibus & nonnullis aliis ad subuehenda quædam cogerentur, veluti ad lapides, ornamenta, & materiam ædificiorum transferendam. Hunc morem damnat Constantinus M. & *hac Constitutione*, & proxima *l. 5. infr.* & Tertia huic gemina Germana, quæ eiusdem argumenti est, & ad Nauicularios Hispaniarum pariter pertinet, *l. 8. infr.* Damnat & Constantius
P.81. *l. 9 infr.* Denique moram aut interpellationem aliquam obiici Nauiculariis redituris domum, vetat Constantinus: haud absimili instituto, vt dixi, quo Angarias Rusticorum, quibus Rusticos & Agricolas, post allatas Antiochiam species, domum redituros angariari mos erat, damnat Libanius *orat. περὶ τῶν ἀγγαρειῶν*, & *orat. adu. Icarium*, *p. 464. 465. Edit. Morell.* easque adeo idem constitutione Theodosii M. prohiberi vult. Ac nominatim id vt *hac leg.* ita & *d. l. 8.* de Nauiculariis Hispaniarum, qui ex Hispaniæ litoribus ad portum V. R. fiscales species subuexerint, cauet. Scilicet hac tempestate Vrbs Roma Hispaniensibus commeatibus adiuta, fultaque fuit, vt præter *hanc leg.* & *d. l. 8.* docet quoque Symmachus *lib. 10. epist. 50.* *Edita*, inquit, *est ratio vectigalium, qua Hispanienses atque Alexandrinos inuehere debuit commeatus*; & Claudianus *1. in Eutropium. v. 407.*

——Segetes mirantur Iberas
Horrea, nec Libye senserunt damna rebellis,
Iam Transalpina contenti messe Quirites.

Iustinus quoque iam olim *lib. 44. c. 1.* scribebat, *Hispaniam suffecisse Italiæ, Vrbique Romanæ, ad cunctarum rerum abundantiam, frumenti, vini, mellis, olei.* Extat denique proximo ab hinc sæculo Regis Gothorum *epistola*, qua *restituit Romæ antiquum vectigal seu triticeas copias Hispaniæ*, apud Cassiod. *V. Var.* 35. Plura nunc non addo de Hispaniæ dotibus, quæ aliunde repeti possunt ex *veteri Orbis descript. cap.* 50. ex Pacato *in Panegyr. Theod.* Hoc magis facit, nauis Hispanæ Magister, cuius meminit Horat. *3. Carm. 6. v. 31.* Ad eundem nauium Hispanicarum Romanum commeatum respicit & Symmachus *lib. 4. epist. 59.* Apud Sidonium *Carm. 5. v. 49.* dicitur *Sardinia argentum, naues Hispania deferre*, sed propter *ναυπηγίαν* ipsam, & sparti abundantiam: de quo ad *veterem Orbis description.* Igitur Constantinus M. *hac leg.* & *d. l. 8.* Hispanicas naues vacuas domum redire, neque angariari in reditu vult, vt ita facilius, citius mox redire possint cum nouis speciebus. Porro securitas hæc nominatim nauiculariis & nauibus quæ species fiscales subuexerint, indulgetur. *Quæ*, inquit, *onus DVNTAXAT fiscale subuexerit.* Vnde apparet, angariari iure potuisse naues, quæ ex Hispania non publicas non fiscales species subuexissent, verum priuatas tantum & voluptatibus deseruientes species: veluti inter alia, equos: scilicet ad editiones & ludos Prætorios, Quæstorios priuatorum, equi ex Hispania petebantur (vtpote diuite equini pecoris,) quod testatur Symmachus *lib. 4. epist. 60. 61. 64. lib. 7. epist. 105. 106. lib. 9. ep. 12. 18. 19. 20. 22. 23.* & *lex 1. infr. de Equis curulibus.* Igitur hæ forte naues angariari intra modum aliquem potuerunt.

V. (a) Idem A. ad Ablauium PF. P. (b)

NAVICVLARIOS omnes, per Orbem terrarum, per omne æuum, ab omnibus oneribus & muneribus, (cuiuscumque fuerint loci vel Dignitatis,) securos, vacuos immunesque esse præcipimus: siue Decuriones sint, siue plebei, seu potioris alterius dignitatis, vt a Conlationibus & omnibus oblationibus liberati, integris patrimoniis nauicularium munus exerceant. *Naues* quoque eorum, (quantæcunque (c) fuerint,) ad aliud munus ipsis inuitis teneri non conuenit, ad quodcumque litus accesserint: Litorum custodibus, & vectigalium Præpositis, Exactoribus, Decurionibus, adque Rationalibus, & Iudicibus, sciturus, quod qui hanc legem violauerit, capite punietur. Dat. XIV. Kalend. Octob. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. Coss. [326.]

NOTÆ.

(a) Abest a *Cod. Iustin.* Hinc transcripta a Valentiniano Iun. *lex 17. infr.* *GOTHOF.*

(b) *Ablauio* huic PP. hoc ipso Anno inscribitur *lex 6. infr. de Episcopis*: de eo plene in *Indice.* *ID.*

(c) Quotcunque fuerint. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE IMMVNITATE ipsorum Nauiculariorum est hæc prima plenissimaque omnium Constantini M. constitutio (ad quam pertinet eiusdem *lex 7.*) ex qua repetita & transcripta postea a Valentiniano Iun. *lex 17. infr.* Cui additur & alterum caput de NAVIBVS ipsis non angariandis: de quo iam fuit eiusdem Constantini constitutio *lex superior 4.* vbi vid. quæ dixi: nisi quod illa specialiter ad *Hispanos* Nauicularios pertinet, hæc ad naues & Nauicularios per totum orbem terrarum, & ad quodcumque litus accesserint: sunt & de eodem *lex 8. & 9. infr.* De priore igitur tantum, tum deinde de sanctione *huius leg.* hic videndum nobis erit.

1. Pleniſſimam igitur immunitatem omnibus Nauiculariis *hac leg.* tribuit Conſtantinus M. Et primum quidem ab omnibus oneribus & muneribus: quod & ipſum poſtea tribuit nominatim nauiculariis Orientis pro commoditate Vrbis Conſtantinopolitanæ *d. l. 7.* ſicut hæc ad vtilitatem Vrbis Romæ pertinet: & Valentinianus Iun. *d. l.* 17. Et iam olim immunitas data Nauiculariis annonam Vrbis Romæ iuuanobus: De quo vid. *l. 5. §. 3. 4. 5. 6. 7. 9. D. de. iure immunit.*

Secunda ampliatio eſt, cuiuſcunque loci ſint & dignitatis; *Loci* inquam: id eſt, ſiue Plebeii ſint, ſiue Decuriones: vnde apparet, e Decurionibus etiam nonnullos Nauicularios fuiſſe: quod etiam oſtendit *lex 14. 16. 19. 25. infr. hoc tit.* & *l. 149. supr. de Decurionib. Dignitatis* rurſum, etſi Senatoriæ, etſi Equeſtris, quam poſtremam Conſtantinus omnibus Nauiculariis (poſtea proculdubio) tribuit, vt docet *lex 16. infr.* etſi perfectiſſimatus, etſi honorarios codicillos impetrauerint *l. 15. infr.* Igitur & a Senatoriis & Equeſtribus collationibus, item a collatione luſtrali, oblationibus eos immunes eſſe iubet *hac leg.* Oblationibus, veluti auro
P. 62. oblatitio: de quo *l. 5.* & *9.* & *14. supr. de Senator. & gleb. collat. & auro oblat.* Huc referatur & oblatio votorum: item aurum coronarium, de quo peculiares *tituli* extant *hoc Codice.* Hinc interim apparet, Nauiculariam functionem non ſemper fuiſſe non modo infra dignitatem Curialem, (de quo fidem faciunt aliæ quoque *leges,*) ſed ne quidem infra Equeſtrem & Senatoriam: & ſic etiam Senatores quoſdam aliquando Nauicularios fuiſſe. Sane idem Conſtantinus M. hoc ipſo Anno 326. ante *hanc leg. l. 4. infr. de infirm. his quæ sub Tyr.* teſtatur, Senatores a Licinio Tyranno ad nauiculariorum munus deiectos: ad quorum deprecationem recenſum eorum *ea leg.* Senatui Romano tribuit, Quare rerenti quidam Senatores in nauiculario munere, vt ex *d. l. 4.* & ex *hac* diſcimus: ſic tamen vt Senatoriis functionibus liberos eſſe vellet Conſtantinus. Alioquin & de more, qui de Nauiculariorum bonis quid poſſiderent, pro rata bonorum ad Nauiculariam functionem tenebantur: de quo v. *Paratitlon.*

2. Sanctione *huius leg.* continenentur perſonæ, quæ Nauicularios concutere poterant, & vero ferme concutiebant, vel ad collationes & munera eos vocando, vel naues eorum angariando: quem ipſum perſonarum recenſum habes & *l. 17. infr. Iudices*, id eſt, Rectores Prouinciarum, *Rationales*, qui rationibus Fiſci præpoſiti, quoſque collationum & oblationum cura manebat: *Decuriones*, ad quos ſpectabat munerum ciuilium diſtributio: *Exactores*, qui collationes exigebant: *Vectigalium Præpoſiti*, qui luſtralem collationem & portorium exigebant: *Litorum cuſtodes*, αἰγιαλοφύλακες, qui litoribus præſidebant, ad quorum officium inter alia pertinebat, ne quiſquam commeantium iniuriam pateretur: de quo dixi *supr. tit. de litor. & itiner. cuſtod.*

Illud extrinſecus ad *hanc leg.* notetur, tertiam adhuc & quidem hoc ipſo Anno 326. de Nauiculariis conſtitutionem a Conſtantino M. promulgatam, quæ extat *l. 1. inf. de prædiis Nauicular.* & quartam, puta *l. 1. Cod. Iuſt. de Hæreditat. Decurion. Nauicular.* puta, vt ſi quis Nauicularius ſine teſtamento & ſine liberis vel ſucceſſoribus defunctus eſſet, hæreditas eius non ad fiſcum, ſed ad Corpus Nauiculariorum, ex quo fatali ſorte ſubtractus, deferretur. Quæ *lex* vt obiter id obſeruem, dicitur *PP.* vel potius data *Laſtrona*, vbi reponendum *Latronæ*, quæ Myſiæ inferioris ſeu ſecundæ vrbs erat, (ad *Latrum* fl.) cuius mentio & in *Itin. Peuting* & in *Notitia Imperii*, vbi *Latris* vocatur: Conſtantinus certe huius Anni initio in Myſia inferiore extitit: de quo in *Chronico.* Ex his igitur tandem quatuor conſtitutionibus de Nauiculariis apparet, quam enixe Conſtantinus M. Nauiculariis, & nauiculariæ functioni, ad ſubuectionem annonæ Vrbis conſuluerit hoc Ann. D. 326.

VI. *(a)* Idem A ad Felicem..... (b)

COMMODA (c) nobis viſa eſt ea diſpoſitio, (d) quæ expreſſe nauicularios in hunc ordinem formauit, vt non promiſcue, ſed per viciſſitudines rite ſeruatas, iuges curſus (e) agnoſcerent, & exiguos (f) implerent: quo ita leuamentis alternantis auxilii cunctorum fortunæ & tenuioribus (g) tum potiſſimum confirment, * nec neceſſitas fieret aliquos ſemper (h) longiora luſtrare, ac pleriſque obnoxios caſibus fieri. Quod ne vlterius poſſit accidere, labor omnibus par & iuſtus adiunctus ſit, (i) & ſubſidia (k) pari ratione deferantur, nec tenuiores in querelas infructuoſæ conplorationis (l) incurrant PP. VII. Id. Septemb. Karthagine (m) Optato & Paulino. Coss. [334.]

NOTÆ.

(a) Abeſt *hæc lex* a *Cod. Iuſt.* Parum vero abeſt, quin *huic legi* iungenda videatur *lex 1. supr. de excuſ. Artificum* & eidem *Felici* eodem Anno incribitur, imo eodem menſe, forte & die, emendato die alterutrubi. *GOTHOF.*

(b) *PP.* Quod diſerte præfert Anno prox. 335. *lex 21. supr. de Decurionib.* & Anno ab hinc altero 336. *lex 5. infr. de Iudæis*: *lex 1. infr. ne Chriſt. mancip.* Et quidem Italiæ, in qua Præfectura Africa fuit: inde enim huius *legis* ſubſcriptio præfert eam, *PP. Karthagine*, pariter vt eandem ſubſcriptionem præferunt *d. lex. 1. supr. de excuſ. Artificum*: & *d. l. 5. de Iudæis*, & *d. l. 1. ne Chriſt. mancip.* Et aperte in *d. l. 21. supr. de Decurion.* mentio fit *Afrorum Curialium*: & *in d. l. 1. de excuſ. Artif. Prouinciarum Africanarum. ID.*

(c) Æqua, moderata, vt par & iuſta, & pari ratione, *f. leg.* cæterum *Commodi* vox hæc propria vid. *Gloſſ. Commodus*, εὔμμετρος, *ID.*

(d) *Diſpoſitionis* vox hac in re propria vid. *Gloſſ.* Porro intelligit Conſtantinus diſpoſitionem Felicis PP. *ID.*

(e) Cur

(e) *Cursus*, & *Currere*, de nauigantibus, & nauibus. Virgil. III. *Æneid. v.191.*

——*Vastumque caua trabe currimus aquor.*

& IV. *Æneid. v. 299.*

——*Armari Classem cursumque parari.*

Vbi Seruius interpretatur, *nauigationem*, *vt alibi* : *Ni teneant cursus.* Statius *Syluar. III. 2. v.87.*

Quos tibi currenti praceps ferat Adria mores.

Horatius quoque dixit *Epist. l. 1. v. 45.*

——*Currit mercator ad Indos.*

Propertius *lib. 1. eleg. 14. v. 3.* —— *Mireris currere lintres.*

Ipsæ naues *currus*. Catullus *in Epithal. Thetid. & Pelei v. 9.*

Ipsa leui facit volitantem flamine currum.

& cursus nauium : vid. *Gell.* 10. c. 26. apud Euripidem *Medea*, v. 1122. ναῦν ἀπήνη. Æschylus in Prometheo v. 458. ναυτίλων ὀχήματα dictæ & naues *ambulare*, Catoni *de re rust.* c. 1. itaque & *pedes* pro remis nauibus tributi. *ID.*

(f) An *exagogas*? de quo mox. *ID.*

(g) γρ. & *tenuiarum potissimum confirmentur.* Quod Cuiaciana *Editio* iam indicauit. *ID.*

(h) Iugibus cursibus, *supr.* *ID.*

(i) Pro *adiungatur*, iniungatur. *ID.*

(k) *Subsidia*, pro speciebus fiscalibus & annonario commeatu ad vsum publicum. Quo sensu non semel apud Symmachum. *ID.*

(l) *Comploratio*, pro deploratione, querelis: Lactantius *lib. 7. c. 19. Commotus igitur Deus & periculo ancipiti, & miseranda comploratione iustorum, mittet protinus liberatorem.* *ID.*

(m) Hæc subscriptio ostendit *hanc l.* ad Nauicularios *Africa* pertinere, & Felicis, cui *hac lex* inscribitur dispositioni Africam suppositam fuisse. *ID.*

COMMENTARIVS.

P.63. De Vicissitudine subuectionis & commeandi inter Nauicularios seruanda est hæc Constantini M. constitutio. Nempe cum querelæ exortæ fuissent a parte Nauiculariorum & potissimum a parte tenuiorum, quod *promiscue*, seu identidem iuges cursus agnoscere, & longiora semper lustrare cogerentur, plerique casibus obnoxii, interea dum alii Nauicularii, conniuentia iudicum, domi residerent. Felix P. P. vt videtur, huic teropitulatum iuerat, sua *dispositione* seu ordinatione: qua iam hunc ordinem constituit, vt per vicissitudines iustas Nauicularii cursus agnoscerent, laborque omnibus par & iustus *iniungeretur*, atque adeo *subsidia*, id est, species fiscales, *pari* & æquabili ratione ab his deferrentur: et ita (quod eleganter hic dicitur) *leuamentis alternantis auxilii cunctorum fortuna, & tenuiorum potissimum confirmarentur.* Hanc dispositionem Constantinus M. hac constitutione sue confirmat, ceu *commodam*, id est æquam, æquabilem, iustam, moderatam. Quæ eadem in omnibus aliis Corporibus publico operam nauantibus obtinet, & obtinere debet.

Cæterum pertinet *hac lex* nominatim ad Nauicularios Africanos, vt ex subscriptione eius liquet, *PP. Karthagine*, qui scilicet *subsidia* deferebant, id est, species fiscales in vsus publicos siue Vrbis Romæ, cui alias destinata Africæ subsidia: siue vrbis Constantinopolitanæ, quo *hac lex* spectare mihi videtur (pariter vt aperte spectat *lex 7. prox.* hoc ipso Anno data:) non tantum ex ipsa temporum ratione: Hoc enim tempus est, quo Constantinopolis assurgebat, verum ex his *huius leg.* verbis. *nec necessitas fieret aliquos semper LONGIORA lustrare*; vix enim ex Africa commeatus ad Vrbem Romam longioribus connumerabatur. Neque dubium est, etsi Africa propriе Romæ adsectata a Constantino fuerit, vt Alexandria Constantinopoli, nihilominus extra ordinem sæpe vices mutatas. Fuit autem tempus, cum in his verbis, & *exiguos implerent*, tentabam *exagogas*, vel *exagogios*, (vt *hydragogia* Varroni apud Nonium *cap. 3. num. 114.* & *paragogia* minusculi ductus *l. 10. Cod. Iust. de aquaductu*:) id est euectiones, vt vocantur *l. 6. infr. de prædiis Nauicular.* subuectionem, *l. 2. infr. de Nauib. non excus.* quomodo Eunapius *Ædesio p. 41. Edit. Commelin.* in eadem re ἀπαγωγὴν φόρων dixit (quem alioquin locum Interpres non cepit:) Ita apud Strabonem *lib. 17. pag. 1149. Edit. Almeloueen.* Alexandriæ vectigal ἐξαγωγικὸν pro exportandis mercibus : quod ipsum ἐξαγώγιον vocat Iustinianus *edicto de Alexandrinis 13. cap.* 15. Sane in re Nauicularia Græcæ voces plures vsurpatæ : veluti Stolus *l. 7. infr. hoc tit.* Cataplus etiam apud *Martialem lib. 12. ep. 75. v. 1.* vt emendat Turnebus. Heresia naualis, *l. 9 10. infr. de prædiis Nauicular.* hæresiatæ, *l. 14. infr. hoc tit.* Embola, Embolicæ species, de quibus omnibus ad *l. 1. infr. de can. frum. V. R.* Certe ita quoque Plautus *in Rudent. Act. III. Scen. 2. v. 17. Si speras, eam euenturam EXAGOGAM Capuam saluam & sospitem.* Verum nihil temere hic mutem. Elegans hic antithesis inter *iuges cursus*, & *exiguos*: hoc sensu, vt vniuersi Nauicularii dicantur iuges cursus agnoscere, singuli vero *exiguos implere*; videlicet dum non promiscue, sed per vicissitudines rite seruatas sese mutuo subleuant, leuamentis alternantis auxilii.

VII. (a) Idem A. Nauiculariis Orientis. (b)

PRo commoditate Vrbis (c) quam æterno (d) nomine, iubente (e) Deo, donauimus, hæc vobis Priuilegia credidimus deferenda, Vt nauicularii omnes a ciuilibus muneribus & oneribus & obsequiis habeantur immunes : Et ne honores quidem ciuicos, ex quibus aliquod

quod incommodum sentiant, subire cogantur. Ab administratione etiam Tutelæ, siue legitimæ, siue eius quam Magistratus, aut Prouinciæ Rectores iniungunt, habeantur immunes. Et vacatione legis Iuliæ & Papiæ potiantur, vt etiam nullis interuenientibus lucris, (f) & viri ex testamento vxorum solidum capiant, & ad vxores integra voluntas perueniat maritorum. De proprietate etiam, vel hæreditate, vel qualibet alia ciuili causa pulsati, ne ex Rescripto quidem nostro, ad extraordinarium iudicium euocentur, sed agentibus in suo foro respondeant, et ad exemplum Alexandrini stoli, (g) quaternas in frumento centesimas consequantur. Ac præterea per singula milia singulos solidos: Vt his omnibus animati, & nihil pene de suis facultatibus expendentes, cura sua frequentent maritimos commeatus. Acc. Kalend. Decemb. Optato & Paulino Coss. [334.]

N O T Æ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFRED.*

(b) An Orientis Diœcesis intelligitur: cuius Prouinciæ X. in veteri Prouinciarum *Indice Schönbaniano*, & XV. in Notitia Imperii postea memorantur? An *Orientale* Imperium? illud verum, vt apparet ex *f. legis.* Interim ad eosdem pertinet *lex* 14. & *lex* 32. *infr.* *ID.*

(c) Constantinopolitanæ. *ID.*

(d) *Æterna* vrbs, æterno nomine donata: vid. *Gloss.* *ID.*

(e) De hoc mox dicam: An *iubente*? *ID.*

(f) γρ. *liberis*; de quo mox. *ID.*

(g) Στόλος cum in commune sit commeatus, profectio, iter, copiæ: attamen de naualibus copiis & classe nauali proprie vsurpatur. Hesychius στόλος, πλοῦς, πλοῖα πολλά, καὶ ὁ τῆς νεὼς ἔμβολος λέγεται, τὸ εἰς ὀξὺ συνηγμένον. Apud eundem στολάρχης ὁ τοῦ στόλου ἄρχων, ὁ ναύαρχος. Alias cum epitheto ναυτικός, vel νεῶν στόλος, vel πορευτικός. In Veteri *inscriptione* basis marmoreæ Romæ *apud Gruterum CXIV.* 4.

> ΥΠΕΡ ΣΩΤΗΡΙΑΣ ΚΑΙ ΔΙΑΜΟΝΗΣ
> ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ
> ΚΟΜΜΟΔΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ
> ΟΙ ΝΑΥΚΛΗΡΟΙ ΤΟΥ ΠΟΡΕΥΤΙΚΟΥ
> ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΝΟΥ ΣΤΟΛΟΥ

Meminit quoque Suidas σιταγωγὸς στόλος *frumentaria classis*, in voc. συνωνή. Adde eundem voc. στόλος. Ergo *stolus* est hic *maritimus commeatus*, vt *fine l.* vocatur. *ID.*

COMMENTARIVS

P.64 PRIVILEGIA, Immunitates, Commoda varia Naucularüs Orientis, defert hac constitutione Constantinus M. quo his omnibus animati, maritimos commeatus frequentent: Anno D. 334. Idque omne pro commoditate Vrbis Constantinopolitanæ, a se recenter excitatæ & dedicatæ ante quadriennium ferme. Quæ priuilegia, &c. antequam excutimus, de quibusdem prius videndum est. Primum inscribitur hæc lex, *Naucularüs Orientis*: ad quos pertinet quoque *lex* 14. *infr.* & *lex* 32. *infr.* atque adeo Orientis Naucularii priuilegiis ea comprehensis animantur, ad freqoentandos commeatus maritimos, copiisque necessariis replendam Vrbem Constantinopolitanam: & quidem in nonnullis, exemplo Nauiculatiorum Alexandrinorum, de quibus mox: *Orientis*, id est, Diœceseos Orientalis: cuius sub Theodosio M. decem Prouincias enumerat Ammianus Marcellinus *lib.* 14. *cap.* 8. & in his *Syriam*, *Palæstinam*, imo & *Arabiam*: vt & Auctor vetus *Notitia Prouinciarum pag.* 83. *Edit. Cellar. ad calcem Festi*: qui tamen in numero consentiens, Arabiam omittit, & eius loco, Sofanem ponit. At postea *Notitia Imperii* sub Theodosio Iuniore quindecim Prouincias Orientis recenset *fol.* 71. nempe quia Phœnice, Cilicia, Syria, post Theodosium M. singulæ in duas diuisæ, imo & Palæstina in tres, sic vt quinque iam Prouinciæ additæ fuerint. Quem processum qui minus hactenus attendunt Veteri isti *Prouinciarum Notitiæ* fidem derogant, eiusque oscitantiam arguunt: cuius tamen fides etiam ab Ammiano hac parte ferme sufflaminatur.

Secundo obseruandum valde, quod ait Constantinus M. se Vrbem Constantinopolitanam æterno nomine, IVBENTE DEO, donasse: Quibus verbis non illud indicatur, dicatam a se Constantinopolim Deo, quod alioquin testatur Auctor *Vita Constantini*, *lib.* 3. *cap.* 48. (quod vtique verius, quam quod Nicephorus longo post interuallo scripsit *lib.* 8. *cap.* 26. eam Dei Genitrici Mariæ consecratam: Nam & S. Augustinus sæpe testatur, nonnisi Deo dedicari consueuisse a Christianis Templa seu Ecclesias, *de Ciuitate Dei*, *lib.* 22. *cap.* 10. & aliis locis) verum ex mandato Dei. Quid igitur Sozomenus sub Theodosio Iun. centum fere post annis scribit, *lib.* 2. *cap.* 3. Constantinum M. ad Byzantium ædificandum animum addixisse ex ἐπιφανείας τοῦ θεοῦ, & πεισθέντα θείοις τοῦ θεοῦ λόγοις, cum antea locum prope illum exædificare cœpisset, de quo priore cœpto eius vid. & Zosimum *lib.* 2. *cap.* 30. quanquam & de primo illo recte accipiatur: sic enim & *sacratissimi nominis vrbs* vocatur, *l. vnic. infr. de honorat. vehiculis*: Æternum ita nomen suum Constantinus dixerit: quomodo Theodosius postea *d. l. vnic.* sacratissimum nomen. Alias insuper visiones & miracula ad eundem finem, longo post interuallo memorant Zonatas *Annal.* tom.

tom. 2. pag. 6. Edit. Reg. Glycas *Part. 4. pag. 248. Ed Reg.* Beda *de locis Sanctis, cap. vltim.* Cedrenus *in Compend. hist. an. 18. Constantin. pag. 283. Tom. I. Op. Edit. Reg.* Memorantur & alia *mactis Syluestri*, quæ omnia imposturæ arguit recte Baronius *Anno 324 n. 142.* Imo & Philostorgius *lib. 2. cap. 9.* & ex eo Nicephorus *lib. 8. cap. 4.* suauem historiam memorat circa designandum Vrbis Constantinopolitanæ ambitum, vi aliqua diuina ducente, ὡς δύναμις αὐτῷ τὶς οὐρανία προηγοῖτο, τοῦ πρακτέου διδάσκαλος: *quod cœlestis quadam virtus ipsum manu duxerit, docens eo, qua facienda essent.* Cæteroquin *iubente Deo*, id est, volente ita Deo, dixit: quomodo Optatus Mileuitanus *lib. 1. de Schismat. Donatist. cap. 18. pag. 17. Edit. du Pin. Tempestas persecutionis peracta & definita est, IVBENTE DEO, indulgentiam mittente Maxentio, Christianis libertas est restituta.* Hic sane, Constantinus ipse aperte profitetur se, *Deo iubente* (seu ex iussu diuino) *æterno nomine Constantinopolim donasse.* Nam quod Iustinianus ait *l. 1. §. 10. Cod. Inst. de veteri iure enucl.* Constantinopolim *melioribus auguriis* conditam, futuræ forte magis felicitatis sponsionem continet, quam vt ex Dei iusso eam conditam indicet. Ait autem Constantinus se eam æterno nomine donasse. An quod *Constantinopolim* de suo nomine vocari voluerit? An quod *nouam Romam* dici voluerit? An quod æternum nomen, id est, famam ei donauerit? Istud piætulerit quis.

Tertio obseruandum Constantini M. institutum *hac leg.* quo Vrbis Constantinopolitanæ *commoditati* prospectum fuit, prouocatis nempe Naucularis per varia priuilegia & commoda proposita, ad frequentandos maritimos commeatus, & ad subuehenda necessaria ad Vrbem Constantinopolitanam: de cuius alias institutis ad eundem finem, ad augendam inquam Vrbem illam, fidem faciunt aliæ plures constitutiones *hoc Codice*; fidem facit Zosimus *lib. 2. c. 30. 31.* faciunt Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, & Hieronymus *Chronico.*

Sane fidem facit maxime, quod & Alexandrinum stolum, & Nauicularios Orientis ad subuehendam ad eam vrbem annonam deinceps destinauerit: quod vtrumque ex *hac leg.* discere licet, quod Quarto obseruandum venit. Nempe cum antea & Africana & Alexandrina classis Vrbi Romæ destinata esset: de qua postrema videnda Acta Apostolorum *cap. 28.* Sueton. *Octauio, cap. 98.* Victor *in Epitom. c. 1.* Strabo *lib. vltim. pag. 1142. Edit. Almeloueen.* Martialis, *lib. 12. epigr. 75.* Tacitus *lib. 12. Annal. cap. 43.* Seneca *epist. 77.* Plinius *Panegyrico, cap. 38.* Lampridius *Commodo cap. 17.* Alii. Posteaquam ad Constantinopolim animum adiecit Constantinus, iam diuisæ hæ classes, sic vt Africana regulariter cederet Vrbi Romæ: Alexandrinus stolus, & Nauicularii Orientis, Vrbi Constantinopolitanæ. Eunapius *Ædesio, p. 38. 41. Edit. Commelin.* Ἡ μὲν γὰρ Κωνσταντινούπολις τὸ ἀρχαῖον Βυζάντιον, κατὰ μὲν τοὺς παλαιοὺς χρόνους, Ἀθηναίοις παρεῖχε τὴν σιταπομπείαν, καὶ περιττὸν ἦν τὸ ἐκεῖθεν ἀγώγιμον. ἐν δὲ τοῖς καθ' ἡμᾶς καιροῖς, οὐδὲ τὸ ἀπ' Αἰγύπτου πλῆθος τῶν ὁλκάδων, οὐδὲ τὸ ἐξ Ἀσίας ἁπάσης, Συρίας τε καὶ Φοινίκης, καὶ τῶν ἄλλων ἐθνῶν συμφερόμενον πλῆθος σίτου, κατ' ἀπαγωγὴν φόρου ἐμπλῆσαι καὶ κορέσαι τὸν μεθύοντα δύναται δῆμον, ὃν Κωνσταντῖνος τὰς ἄλλας κενώσας πόλεις ἀνθρώπων, εἰς τὸ Βυζάντιον μετέστησε, quæ ita interpretatur Hadr. Iunius: *Constantinopolis vetusto nomine Byzantium, antiquitus suppeditabat Atheniensibus annonam fidemque omnem excedebat frumenti inde aduecti vis: & nostro seculo neque oneraria naues, quas Ægyptus mittit, totaque Asia, cum Syria & Phœnice, neque frumentaria copia ex aliis prouinciis vectigalibus comportata, explere valent aut saturare circumfluentem & copiosam populi multitudinem, quam Constantinus e debellatis vrbibus Byzantium transtulit.* Themistius *orat. 13.* quæ habita Anno Dom. 351. de Constantinopoli agens, *p. 291. 292. Edit. Petau. 1613. Flexiæ in 8.* καὶ ἐρχέσθαι αὐτῷ εἰς τὸ ἀνάκτορον τοῦτο πάντα ὅσα ἐκ πάσης γῆς ἀναθήματα. καὶ ἀπάρχονται μὲν τῇδε Αἰγύπτιοι τῷ βασιλεῖ ὁπόσα ἔτη, ἀπάρχονται δὲ Σύροι τε καὶ Ἀσσύριοι, καὶ Ἴωνες δὲ καὶ Αἰολεῖς, καὶ σχεδόν τι ἅπαν τὸ ἀνθρώπειον. αἱ δὲ ἀπαρχαί εἰσι νῆες γέμουσαι εὐδαιμονίας, καὶ ὅ, τι ἂν ἡ φύσις ἄριστον τέκῃ, καὶ ὅ, τι ἂν ἡ φύσις ἐντεχνότατον δημιουργήσῃ, συμφοιτᾷ ἄλλοθεν ἄλλα εἰς τὸ ἱερὸν τοῦτο, καὶ συναγείρεται: *quare ad ipsum in hæc penetralia ex vniuerso orbe donaria omnia confluunt. Nam & Ægyptii quotannis eo primitias suos ad imperatorem mittunt, Syri item & Assyrii, Iones, Æoles, vniuersum pene hominum genus. Primitiæ autem sunt naues commodis omnibus refertæ, quicquid aut natura præstantissimum parit, aut hominum ingenium artificiosissimum efficit, hæc vnquam aliunde alia ad illud templum confluunt, ac coacervantur.* Notum etiam Athanasio per calumniam id obiectum, quod Ægyptiacum omne frumentum supprimere statuisset. Vetus quoque *Orbis* Descriptor sub Constantio *Imp.* de Ægypto agens, *Et aliis Prouinciis vtilis est: Constantinopolis enim Thracia ab ea quamplurime pascitur, similiter & Orientalis partes maxima*, &c. Quomodo Himerius Sophista, apud Photium *Cod. CCXLIII. pag. 1143. Edit. Schott. in Propempt. in Flauianum.* de Karthagine πόλις Ἰταλίαν ὅλην τοῖς ἑαυτῆς κάλλεσι βόσκουσα: *vrbs totam Italiam suis ornamentis depascens.* Tandem Claudiani locus insignis *de bello Gildonico v. 52. sqq.* vbi Romam sic inducit loquentem.

Tot mihi pro meritis LIBYAM, NILVMQVE dedere, p. 65.
Vt dominam plebem, bellatoremque Senatum
Classibus æstiuis alerent, geminoque vicissim
Litore diuersi complerent horrea venti.
Stabat certa salus: MEMPHIS si forte negasset
Pensabam PHARIVM, GÆTVLIS messibus annum:
Frugiferas certare rates, lateque videbam
PVNICA NILIACIS concurrere carbasa velis.
Cum subito PAR ROMA MIHI, diuisaque sumpsit
Æquales AVRORA togas, ÆGYPTIA rura
In partem cessere NOVAM: spes vnica nobis
Restabat LIBYÆ: quæ vix, ægreque fouebat
Solo ducta Noto; nunquam secura futuri:
Semper inops, ventique fidem poscebat, & anni.

Et post *v. 113.*

Nunc quid agam? Libyam Gildo tenet: ALTERA, NILVM.

Vbi *par Roma*, item *Altera*, est Constantinopolis, quæ noua Roma. Ergo & Orientis & Alexandriæ classis destinata Vrbi Constantinopolitanæ: Atque hæ sunt Classes Vrbis Constantinopolitanæ, quæ memorantur *l. 21. supr. de div. off.* Nisi quod extra ordinem quandoque in magno defectu Romæ, a

Classe Alexandrina subsidium petitum. Quod testatur Symmachus *lib. 10. epist. 22. & 50.* sicut viceuersa Africana aliquando extra ordinem Constantinopoli subsidio fuit, vt docet *lex 2. infr. de naufragiis.* Porro gratuita quædam pars huius Annonæ Alexandrinæ Constantinopoli data: de quo *infr. lib. 14.* fuse, & Sozom. *lib. 3. cap. 7.*

Iam de Priuilegiis & commodis Nauiculariis Orientis propositis, annonæ Vrbis Constantinopolitanæ seruientibus, *hac leg.* videndum est, quæ septem sunt, & quidem tres immunitates sunt ab Oneribus & Honoribus. Immunitas ab omnibus muneribus & oneribus, & obsequiis, de qua immunitate fuit quoque iam eiusdem Constantini M. constitutio *l. 5. supr.* erit Valentiniani Iunioris *lex 17.* Verum vtraque non ad Vrbem Constantinopolitanam pertinet, verum ad Vrbem Romam potius, quæ quidem Nauiculariorum annonæ Vrbis Romæ seruientium immunitas iam olim fuit, vide *l. 5. D. de iure immun.* §. 3. 4. 5. 6. 9. Verum *hac leg.* Constantinus olim in Vrbe Roma constitutam immunitatem ad Constantinopolim producit.

2. Immunitas ab honoribus ciuicis, seu municipalibus, ex quibus aliquod incommodum sentiant, id est sumptuosis, onerosis: vt etiam.

3. Excusatio a *Tutela*: Quod quidem priuilegium specialiter nisi daretur, immunitate generali munerum ciuicorum non comprehenderetur: vt docet *lex 15. §. 12. D. de excusat.* Ideo nominatim *hac leg.* datur, vt cæteroquin vrbicæ annonæ seruientium immunitates pleniores sunt. Sane, Domini nauium non habebant inter cætera priuilegia, quæ nauim habentibus dabantur, vt a tutelis vacarent, *l. 17. §. pen. D. de excusat.* Sed habent ex *hac leg.* Nauicularii, (& quidem Orientis) qui scilicet ipsi frequentabant commeatus maritimos: sicut & Nauicularii Vrbi Romæ seruientes *l. pen. Cod. Iust. de excusat. tut.* Ergo multum interest inter nudum nauim habentem, & inter nauicularium nauigationem exercentem. Porro excusationem Nauiculariis Orientis dat Constantinus siue a legitima, siue a datiua tutela. An ergo, inquies, non data testamentaria? Imo: nam & testamentaria sub *legitima* appellatione venit: sicut in definitione tutelæ, quæ tutela dicitur *iure ciuili permissa*, testamentariam includit & indicat, vt ostendit *lex 1. D. de test. tut.* & *§. 3. Inst. de tutelis*: descendit enim testamentaria ex *lege*, & verbis *legis XII. Tabul. PATERFAMILIAS VTI* &c. vt docet *d. l. 1.* & Vlp. *fragm. t. 11. §. 14.* Ab hac immunitate excepti postea ab Honorio *d. l. pen. Cod. Iust. de excusat. tut.* minores sui ordinis: quam tutelam Nauicularii amplecti tenentur.

4. Quartum priuilegium est immunitas *legis Iuliæ & Papiæ decimariæ*: scilicet ex *L. Iul. & Papia*, coniux ex suprema coniugis voluntate solidum capere non poterat, sed decimas tantum certis casibus, nisi interuenientibus liberis, id est, nisi liberos communes haberent: de qua *leg.* plene dixi *ad l. Iuliam & Papiam*: eius meminit quoque *lex 2. supr. de iure liberorum*, eodemque pertinet *lex 2. supr. de inoff. dotib.* Verum eius *legis* immunitas data *hac leg.* Nauiculariis Orientis: pariter vt iam olim data a Claudio Imp. Naues mercaturæ causa fabricantibus vacatio *legis Papiæ Poppeæ*, teste Suetonio in *Claudio, c. 18. 19.* Sane huius nominatim capitis, *Legis* inquam *decimariæ* immunitas Nauiculariis Orientis datur iustissima ratione, vtpote frequentantibus maritimos commeatus, quibus ideo nil imputari potest si liberos non suscipiant, vtpote quorum vita salo iactatur, neque domi consistant. Tandem sublata *hæc lex Iulia Papia decimaria* partim in sp. saltem *l. 124. supr. de Decurionib.* in totum a Theodosio Iun. per Orientem *d. l. 2.* (ex qua *l. 2.* desumpta *lex 2. Cod. Iust. de iure liber.* cuius etiam *legis 2.* meminit *lex vltim. supr. de legit. hæredit.*) & *l. 3. supr. de iure liber.* At non & ab Honorio per Occidentem, vt docet *lex vlt. supr. de iure liber.* posterius enim id factum.

5. *Quintum* priuilegium est, Fori, vt ne Nauicularii Orientis ad extraordinarium iudicium seu forum euocari etiam ex rescripto Principis possint, verum vt agentibus, in suo foro (nempe vbi consistunt) respondeant. Scilicet rescripto Principis, petente aliquo ex litigatoribus, quandoque iusta de causa ad extraordinarium Iudicem iis trahebatur: de quo est *lex 2. supr. de off. Iudicum omnium*: quæ hoc ipso Anno 334. data est, *lex 9. supr. de iurisdict. l. 4. 5. de denunt. vel edit. rescript. l. 1. supr. de dilat.* (seu *lex 2. Cod. Iust. eod.*) quibus addatur & Paulus *5. sent. tit. 5. §. 1.* At enim Constantinus M. pro priuilegio, Nauiculariis Orientis id tribuit, vt ne ad extraordinarium Iudicium suum extra forum suum, conuenti etiam rescripto, trahi possint: Quomodo & Sacerdotibus, & Curialibus id priuilegium datum, ne vltra terminos propriæ ciuitatis iubeantur sui exhibere præsentiam: *l. 60. supr. de Decurionib.* imo quomodo idem Constantinus M. hoc ipso Anno 334. pupillis, viduabus, morbo fatigatis & debilibus simile priuilegium dedit, vt ne rescripto Principis, ad Comitatum Principis ex foro suo extrahi possent: *d. l. 2. supr. de off. Iudic. omn.* seu *l. vnic. Cod. Iustin. quando Imperator*: cuius postremi rationem hanc reddebant Græci, quod inhumanum esset huiusmodi personas σκύλλεσθαι ταῖς ὁδοῖς, id est, *vexari & fatigari itineribus*, quo pertinet & quod dicitur *l. vlt. infr. de Episcopali iud.* Quæ ipsa ratio huic Nauiculariorum priuilegio substernenda est, vltimo fine adhuc addito, ne alioquin annonæ vrbicæ detrimentum capiant. Porro priuilegium istud ad P. 66.
causas ciuiles coarctatur. In criminalibus igitur Nauicularius ad extraordinarium Iudicem trahi potuit.

6. Sextum commodum est *Epimetri* quod Nauiculariis Orientis defert *hac leg.* Constantinus M. scilicet vt quaternas Centesimas in frumento consequantur: Nempe Epimetri loco & pro diametris, id est, pro intertrimento frumenti, quod ex Oriente Constantinopolim subuehitur, *pour la descale, pour le deschet*: scilicet circa frumentum publicum susceptum versantibus, pro diametro (quod necessario incurritur, antequam id tradatur vel perferatur) aliquid dabatur, vt dispendium istud sarciretur ad exemplum Nauiculariorum Alexandrini Stoli, vt docet *hæc lex*, & *lex 1. infr. de frum. Alex.* nauiculariis Orientis, de quo est *hæc lex*: Nauiculariis Africanis, de quo est *lex 36. 38. infr. hoc tit.* & *lex 3. & 5. infr. de naufragiis* (ac proinde, in vniuersum de huiusmodi Centesimarum Nauiculariis tributarum Epimetro, sunt *hoc Codice sex leges*:) pariter vt aliis susceptoribus specierum quæ huiusmodi intertrimento obnoxiæ sunt, aliquid Epimetri loco dabatur: puta Suariis, de quo est *l. 4. infr. de Suariis*, & susceptoribus, & aliis *l. 3. 14. 15. 21. supr. de susceptorib.* etiam redituum domus Principis, *l. 11. sup. de iure fisci*: (vt proinde vndecim constitutiones *hoc Codice* de his Epimetris in vniuersum occurrant.) Modus porro Epimetri huius varius fuit, pro itinere scilicet & longinquitate itineris, vt docet *lex 21. supr. de suscept.* Alexandrino sane stolo, seu Nauiculariis Alexandrinis datæ quaternæ Centesimæ, id est, quatuor libræ in Centum libras frumenti: Quod ipsum Nauiculariis Orientis a Constantino *hac leg.* tribuitur: cum tamen Africanis Centesimæ tantum datæ fuerint, *l. 36. & l. 38. infr. hoc tit.* pariter vt susceptoribus annonæ Alexandrinæ, *l. 3. supr. de susceptorib.* & aliis susceptoribus aridorum fructuum, *d. l. 14. 15. supr. de sus-*

de suscept. vel etiam Quinquagesimæ, aut Quadragesimæ, *d. l. 21. supr. de suscept.*

7. Postremum commodum est *Salarii*, superiori proximum; quod Nauiculariis Orientis per singula millia frumenti, quæ Constantinopolim subueherent, (ex Alexandrinæ videlicet ciuitatis conditis, vt docet *lex 32. infr.*) singulos solidos præberi iubet. Quod nullis aliis Nauiculariis præbitum reperio. Quod tamen postea translatum videtur ad Alexandrinos & Carpathios, *l. 32. infr.* Et sane tum ex *principio*, tum ex *fine legis* colligitur satis, instituto, vt existimo, tunc primum a Constantino in Oriente nouo, huic corpori Nauiculariorum ad annonam Vrbis Constantinopolitanæ, ita illum prouidere voluisse, quo videlicet priuilegiis animarentur; atque inter cætera eo, quod nihil pene de suis facultatibus expendere cogerentur. Tandem ex his colligitur, pro commoditate Vrbis Constantinopolitanæ, Constantinum & nouum in Oriente Nauiculariorum Corpus constituisse, & priuilegiis commodisque omnibus ornatum & auctum iussisse, quæ Africanis, quæ Alexandrinis iamdudum competebant: imo etiam in nonnullis, maioribus.

VIII. (a) Idem A. ad Seuerum. (b)

NAVICVLARIOS Hispaniarum, neque ad extraordinaria (c) teneri officia, neque alicubi retentos moras sustinere oportet, sed Relatorias traditarum specierum intra decem dies a Susceptoribus percipere. Cumque ad aliquas Insulas, Portus, (d) Litora, Stationes (e) accesserint, ostensis Relatoriis nullam prorsus inquietudinem sustinere. Dat. XIV. Kalend. Iun. Nepotiano & Facundo Coss. (336.)

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Concordat vero *huic* gemina-germana eiusdem Constantini *lex 4. supra*, & altera *lex 5. supr.* GOTHOF.

(b) *Seuerum* hunc Magistratum Hispaniarum fuisse satis vel ex *ipsa leg.* colligi posset. Sed enim cum *Comitem Hispaniarum* fuisse exerte docent trium aliarum constitutionum Inscriptiones *hoc Codice*: puta *l. 2. supr. de fide test.* *l. 5. supr. de donat. l. 3. supr. de maternis bonis.* ID.

(c) Extraordinaria officia *hic*: extraordinarium onus, *d. l. 4. supr.* vbi vide quæ dixi: aliud munus, *l. 5. supr.* IDEM.

(d) Hæc tria, *Portus*, *litora*, *stationes*, pariter ita coniunguntur *l. 2. supr. de literum & itin. cust.* IDEM.

(e) *Stationes*, nauium scilicet. ID.

COMMENTARIVS.

ANGARIARI naues & nauicularios Hispaniarum, nominatim eos, qui species (fiscales videlicet) subuexerint, vetat rursum Constantinus M. *hac leg.* pariter vt gemina-germana *l. 4. supr.* vbi plura dixi, & quidem etiam de Nauiculariis Hispaniarum. *Angariari*, inquam, (id est, ad aliud munus, vt dicitur *l. 5. sup.* vbi vid. quæ notaui: ad extraordinarium onus seu officium) cogi: siue in ipso loco, vbi species tradiderint, siue in reditu transeuntes in Insulis, stationibus, litoribus, ad quæ accesserint. Quæ & ipsa sententia est Constantini *tertia constit.* circa nauicularios omnes per Orbem terrarum, *l. 5. in fin. supr.* eademque est *l. 9. inf.* Deinque *retineri* eos vetat, moramque iniici: quæ vtique de facili iniiciebatur, interea dum vel relatoriæ his non dantur, in loco ad quem species pertulerunt, vel exhibitæ in loco per quem in reditu transeunt, non inspiciuntur: *Relatoriæ*, sunt apochæ, seu securitates (vt vocantur *l. 21. & 26. infr. h. t.*) quæ nauiculariis dabantur, peracto officio perlatisque speciebus ab iis, qui species susceperant, ceu a susceptoribus, vt vel *hac lex* satis ostendit: quibus denique fides peracti a se officii fiebat, *d. l. 26.* & suscepti oneris, (a susceptore videlicet) *d. l. 21. Relatoriæ* ideo dictæ, quia eas pro delatis traditis speciebus inuicem referebant, seu *reportabant*, qua voce vtitur non semel *d. l. 21. & 26.* non vt quidam censent, quia his relatio fiebat traditarum specierum. Igitur huiusmodi Relatorias nauiculariis tradere iubentur susceptores intra decem dies, neque vlteriorem moram his obiicere: Quæ temporalis decen- P.67. dii præscriptio notanda: Nempe spatium hoc decendii & ipsi ferme Nauicularii perlatis speciebus, domum redituri capiebant, ad reficiendam forte nauem, & apparatum nauticum. Item ostensis istis Relatoriis, in reditu statim a Litorum, per quæ transibant, custodibus dimitti iubentur, vt *hac leg.* ita & *d. l. 5.*

IX. (a) Impp. CONSTANTIVS A. & Iulianus Cæs. Olybrio P. V. (b)

NVLLAM vim oportet Nauicularios (c) sustinere, delegatas (d) species annonarias transferentes, nec concussiones perpeti, nec aliquod (e) genus incommodi, sed venientes ac remeantes omni securitate potiri: decem auri librarum multa proponenda his, qui

qui eos inquietare temptauerint. Dat. Kal. Iun. Rom. (f) Constantio IX. & Iuliano Cæs. II. Coss. [357.

NOTÆ.

(a) *L.* 9. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOF.

(b) Romæ. Quanquam videtur hic reponendum *Orphiti P. V.* nomen, qui sane hoc Anno P. V. fuit, vt docet Ammianus *lib.* 16. *cap.* 10. & *l.* 2. *supr. de Gladiatorib.* Olybrius enim demum sub Valentiniano P. V. fuit. *ID.*

(c) Naucleros, *Cod. Iust.* *ID.*

(d) De hac *delegandi* voce vid. *Glossar.* *ID.*

(e) Aliud quod. *ID.*

(f) Vid. infr. in *Commentario.* *ID.*

COMMENTARIVS.

ANGARIARI, CONCVTI nauicularii a Constantio vetantur, species annonarias transferentes, vel iis translatis remeantes, in itu & reditu: *Angariari* (quod & ipsum iam tribus constitutionibus a Constantino M. vetitum *l.* 4. vbi vid. quæ notaui, *5. 8. supr.*) id enim est quod vult Constantius, eum eos *nullam vim sustinere oportere* præcepit, *nec aliquod genus incommodi perpeti*, item *venientes & remeantes omni securitate potiri:* Item *concuti*; quod & ipsum prohibitum ab Honorio, *l.* 29. 36. & 37. *infr. hoc tit.* nempe variæ prædæ in hos sæpe agebantur a Iudicibus & Apparitoribus, vt docet *d. l.* 37. vbi dicam. Igitur securam vndique ἀνολκὴν καὶ καθολκὴν, nauicularis *hac leg.* parat: siue onustas annona naues adducant, siue e portu soluant. Similiter & naues nauclerique merces transferentes a concussionibus, vindicantur, *l. vlt. sup. de litorum & itin. cust.*

Porro pertinet hæc constitutio ad Annonam Vrbis Romæ, & Nauicularios ei seruientes, vt ostendit ipsa Inscriptio *legis*: inscribitur enim *Præfecto vrbis:* tum subscriptio, dicitur enim hæc *lex*, *Data Romæ:* vbi hoc tempore Constantius agebat; quod præter Ammianum *lib.* 16. *cap.* 10. Themistium *orat.* 13. Symmachum *relat. ad Valentin. ep.* 54. *lib.* 10. Hieronymum *in Chronico*, Auctorem *Chron. Alex. pag.* 682. *Edit. Raderi.* Consularia *Idatiana*, docet quoque subscriptio *legis* 5. *supr. de Numerariis.* Illud tantum mirum, Datam hanc *Kalend. Iun. Romæ*: cum tamen diserte Ammianus scribat Constantium *IV. Kalend. Iun.* inde digressum, trigesimo postquam eo venerat die. *Pæna* obseruanda pecuniaria decem librarum auri: cuius loco capitalis placuit Constantino M. in sp. *l.* 5. *supr.* Valentiniano Iun. cum proscriptione bonorum *l.* 17.

X. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Ampelium Proc. (b) Africæ.

NAVICVLARIOS Africanos, qui idonea publicis dispositionibus (c) ac necessitatibus ligna conuectant, priuilegiis concessis dudum, † rursus augemus. Dat. III. Id. Mart. (d) Hadrianop. Diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTÆ.

(a) Abest hac lex a *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) *Ampelius* (postea P. V.) Proconsul Africæ: Ammianus *lib.* 28. *cap.* 4. *Post hunc, vrbem rexit Ampelius, cupidus ipse quoque voluptatum, Antiochiæ genitus ex Magistro officiorum, ad Proconsulatum geminum, indeque multo postea ad Præfecturæ culmen euectus.* Meminit quoque Himerius Sophista apud *Photium Cod. CLXV. pag.* 354. *Ed. Schotti* Ampelii Proconsulis, eiusque filii. *ID.*

(c) *Dispositionibus*, id est, prouisionibus: vid. *Glossar.* *ID.*

† A quo? *ID.*

(d) 79. *Maii*: Neque enim adhuc Hadrianopoli mense Martio erat Valentinianus; verum decurrente demum ad finem mense Aprilis, & mense Maio: vid. *Consul. Theod.* Et certe hoc ipso die III *Id. Mai.* datæ Hadrianopoli *lex* 8. *supr. de cohortal. l.* 58. *supr. de Decurion. l.* 9. *supr. de exactionib.* quæ vltima data ad Dracontium Vicar. Africæ. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. constitutiones quatuor sequuntur *hoc tit.* de Nauiculariis, vt & sex aliæ *prox. titulo de prædiis Nauiculariorum*, & vndecima, *l.* 2. *infr. de naufragiis:* Quæ Valentiniani studium arguunt, consulendi annonæ vrbicæ, pari instituto quo *de Pistoribus* multa constituit: de quo, *tit. de Pistorib. infr.* PRIVILEGIA Nauiculariis Africanis, qui ligna nominatim ad necessitates, vt puta Vrbis Romæ, conuectabant, dudum concessa, rursum confirmat *hac leg.* Valentinianus Senior, A. D. 364. initio Principatus sui. Qua parte de tribus videndum est.

Primo

P. 68. Primo obseruandum, ex Nauiculariis, (& quidem Africanis,) quosdam lignorum conuectioni ad necessitates Vrbis Romæ obnoxios fuisse: Quod etiam ostendit altera eiusdem Valentiniani constitutio (sexennio ferme post lata,) puta *lex 13. infr. hoc tit.* ex qua & illud apparet, ad lauacrorum, seu Thermarum necessitatem hæc ligna subuecta. Id ipsum etiam ostendit Symmachus *lib. 10. epist. 58.* vbi agens de mancipibus Salinarum, qui & ipsi lignorum functioni obnoxii erant (de quibus *sua titulo, infr. de mancipibus Thermarum:*) ad paucos redactis inter cætera, *Vrgente*; inquit, *defectu, Naucularios aque lignorum abnoxias functiani, ad parem sollicitudinem vacare cæperunt, vt vtriusque Corporis cura coniuncta indiscretum munus agnosceret. At illi nonnullos de turmalibus suis tradere maluerunt, quam in societatem tanti oneris conuenire. Itaque factum est, vt iisdem valentibus certi homines Mancipibus iungerentur*, &c.

Secundo obseruandum, non omnes Nauicularios isti functioni lignariæ obnoxios fuisse, verum certo tantum quodam numero, e corpore illo delectos: cuiusmodi lexagin ta deputantur, *d. l. 13. infr.* cuiusmodi etiam nonnulli a Naucularijs traditi certi homines, in specie quam tractat Symmachus *superiore loco*.

Tertio obseruandum, ex Africa ligna subuecta Romam idonea publicis dispositionibus & necessitatibus.

Quarto notandum, hisce nauicularijs Priuilegia quædam dudum concessa fuisse, iam nlim, verum ea nunc rursum confirmari a Valentiniano: proculdubio quia eis adempta fuerant, & quidem a Iuliano Imp. Nam & alia quamplurima boc ipso Imperii sui principio Valentinianus explosa Iuliani nouitate iuxta priscum morem restitutum ioit, vt docet vel *lex 12. supr. de erog. mil. ann. l. 9. supr. de exactionib.* (quæ & ipsa III. Id. Maii Hadrianopoli pariter data, pariterque ad Africæ Magistratum.) Item *l. 6. supr. de Medicis & Profess. l. 4. supr. de Legat. lex 1. infr. de priuil. Corporat. V. R.* quæ *huic* omnino argumento respondet: ea quippe Valentinianus priuilegia, quibus pro reuerentia Vrbis Romæ varia hominum corpora, vel priscarum *legum* cautione, vel antecedentium Principum humanitate aucta fuerant, pariter confirmat, vel etiamsi in aliqua parte titubassent, restitutum it. Quod *huic leg.* omn no conuenit: sicque ex vtraque colligere licet, Inlianum Corporatorum Vrbis Romæ necessitatibus seruientium priuilegia imminutum iuisse, & io his quidem Nauiculariorum: Valentinianum ea restituisse, vt ita Vrbicæ vtilitati consuleret: cui non melius consulitur quam per priuilegia, iis, qui vtilitati isti consulunt, concessis.

XI. (a) Idem AA. ad Symmachum (b) P. V. (c)

QVISQVIS ex nauiculariorum corpore, defugiens solita munia, ad honores indebitos venit, in corporis sui consortia reuertatur: &c. (d) Dat. III. Id. Ian. (e) Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex.* a *Cod. Iust.* Iungenda huic, *lex 2. infr. de pred. Nauic.* GOTHOF.

(b) Pa er hic est eius Symmachi, qui & ipse Ann. 384. seu vicennio post, P. V. fuit, & cuius Epistolæ hodie extant: De quo mox plura. *ID.*

(c) Romæ. *ID.*

(d) Quæ sequuntur *d. l. 2.* *ID.*

(e) *Ian. d. l. 2.* alterutrubi error. *ID.*

COMMENTARIVS.

REPARATIONI Corporis Nauiculariorum *hac leg.* Valentinianus Sen. incumbit: Nempe, Naucularios, qui ad HONORES indebitos conscenderunt, ad Nauiculariorum Corpus retrahi iubet *hac constitutione sua*: cui iungenda ceu eiusdem constitutionis pars *lex 2. infr. de prædiis Nauicular.* Quibus duabus inter se coniunctis id in vniuersum, agit Valentinianus, vt & personas Nauiculariorum quæ munia solita defugerant, ad Corpus Nauiculariorum retrahat, quæ *huius l.* sententia est: & forte etiam ex parte *legis 3. in pr. infr. de præd. Nauicul.* item vt res seu patrimonia Nauiculariorum, quæ in extraneos transierant, ad corporis Nauiculariorum ius retrahantur, quæ *d. l. 2.* sententia est: Nempe Nauiculariorum Corpus debilitatur, & vero hac tempestate duplici hac ratione debilitatum fuerat: & personis, & rebus alio translatis: Quod vtrumque reuocat Valentinianus Sen. vrbicæ annonæ & vtilitati consulendi studio: quod inter hæc imperii sui initia variis constitutionibus similibus professus est, vt docent *leges* eius *de Pistoribus*, quæ similia his continent: Idque ad suggestionem Symmachi P. V. cui *hac lex* inscribitur: de quo Ammianus *lib. 27. c. 3.* testis, quod *eo instante vrbs sacratissima otio COPIISQVE abundantius fruita sit.*

XII. (a) Idem AA. (b) ad Demetrianum PF. Ann. Afric. (c)

SI quis Nauiculariorum, ex Nostræ Perennitatis indulto, fori translationem potuerit optinere, fructu careat impetrati: Circa fœminarum vero personas Veterum statuta teneantur, vt in quibus foris antiqua eas dispositione constet adscribtas, illic nauicularii one-

 ris

ris munus agnoſcant: Vt enim in litibus cauſiſque priuatis fora eaſdem ſequi conuenit maritorum, ita in publicis neceſſitatibus originis debent ſeruare rationem. Dat. Prid. Id. Maii, Triu. (d) Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

N O T Æ.

P.69. (a) Iungenda huic *lex* 2. *infr. de naufragiis*: quæ eidem *Demetriano* inſcribitur, & ad idem argumentum pertinet: ſubſcriptio tantum variat. *GOTHOF.*

(b) Addatur & tertium *Gratiani A.* nomen, vt ſane etiam additur *d. l.* 2. *ID.*

(c) *Præfectus* Annonæ Africæ peculiaris fuit: veluti Demetriaous & Amabilianus *l.* 2. 3. *ſupr. hoc tit.* Denique peculiaris Præfectus Annonæ (Vrbi Romæ deſtinatæ) in Africa fuit: quod etiam oſtendit *lex* 36. 38. *infr. hoc tit. IO.*

(d) *Ac. Aquil.* (ita enim *γρ.*) *Lollia Aſlis*: Ita habet ſubſcriptin *d. l.* 2. quæ hic addenda. *ID.*

C O M M E N T A R I V S

VBI, ſeu QVO LOCO, QVO FORO, Nauicularii, & Nauiculariæ, Nauicularium munus agnoſcere debeant, *hac Conſtit.* definit Valentinianus Sen. Ann. D. 369. nempe ibi, vbi *antiqua* diſpoſitione adſcripti ſunt, ſiue de viris, ſiue de fœminis agatur: nulla tranſlatione vel mutatione inducta, aut per reſcriptum, aut per coniugium. Scilicet Nauicularii fori tranſlationem impetrare prohibentur ex reſcripto Principis, & ſi impetrauerint, Reſcriptum nullius momenti eſt. *Fori tranſlationem*. id eſt, vt alibi conueniantur, teneantur, & reſpondeant, nauiculariæ functionis numine, quam vbi olim adſcripti fuerunt: Id enim per *forum*, & *fori tranſlationem*, hic accipiendum eſt, quod ſequens caput de feminis clare oſtendit. *Forum* eſt, non tantum in quo quis priuato nomine conuenitur, vel ob delictum, quo ſenſu communiter forum cuiuſque, forique præſcriptio dicitur: verum vbi quis ob publicas neceſſitates conuenitur, ibique publicas functiones ſubire cogitur. Nihil igitur *hac lex* pertinet ad eam fori tranſlationem, qua quis extra forum ſuum trahitur reſcripto Principis, vt aduerſario reſpondeat, de quo dictum, *l.* 7. *ſupr.* Ergo ibi nauiculariam functionem ſubire Nauicularius cogitur, vbi adſcriptus iam olim eſt: ne videlicet alioquin confuſio ſtationum, Corporumque generetur, atque ita vtilitas publica deſtituatur, obtentu huiusce tranſlationis: quam nonnulli ſæpe affectabant, vel priuata aliqua ratione, vel æmulatione, vel odio: Ergo neque reſcripto Principis fori tranſlatio hæc recte fit.

Imo (quod ſecundum caput de feminis) neque *Coniugio*: Nempe, etſi in litibus cauſiſque priuatis mulieres forum maritorum ſequantur (quod vulgatum eſt, de quo etiam *l.* 7. *ſupr. de iuriſdict.*) attamen publicarum neceſſitatum, functionum, & munerum alia ratio eſt: ſcilicet feminæ horum reſpectu, maritorum forum non ſequuntur, verum originali ſuo foro ſemper reſpondent, *hac leg.* & *l. vn. C. Iuſt. de mulierib. & in quo loco munera ſexui congruentia vel honores agnoſcant*: *l. vlt. §.* 3. *D. ad municipal.* Denique alia ratio eſt litium cauſarumque priuatarum, vt aperte hæc differentia hic proponitur, alia publicarum functionum: Harum reſpectu, mulierum forum non mutari publice intereſt: illarum ratione mutari coniugii nexus & vinculum depoſcit, domicilium enim mariti, domicilium matrimonii eſt, *l.* 5. *D. de ritu nupt.* Publicarum inquam functionum, quæ modo patrimonii ſunt: Alioquin quantum ad publica munera, ſeu honores, quæ perſonis cohærent, & horum quoque reſpectu mulier incolatum & forum mariti ſequitur. Quæ duæ differentiæ notandæ ſunt.

XIII. (a) Idem AA. (b) ad Olybrium P. V. (c)

SICVT olim (d) de Linteonibus (e) & Nauiculariis Diuus Conſtantinus inſtituit, ita nunc ex omnibus (f) ſexaginta ad præſentis (g) neceſſitatis teneantur inpenſas. (h) Quos tamen idoneos & communis dilectus (i) adſeruit, & facultatum inſpectio conprobauit, & ſententia Tuæ Sublimitatis adſtrixit. Quibus, ſi quem aut neceſſitas fatalis, aut inopia repentina, aut aliquis caſus inuiderit, ex vocationibus (k) obnoxiis oportebit idoneum ſubrogari: Sed ſollicita inſpectione proſpiciatur, ne a quoquam amplius poſtuletur, quam neceſſitas exegit (l) lauacrorum, vel inſtituta iamdudum forma præſcribſit. Dat. IV. Non. Decembr. Triu. Valentiniano NB. & Victore Coss. [369.]

N O T Æ.

(a) Abeſt & *hac lex* a *Cod. Iuſtin.* *GOTHOFRED.*

(b) Et *huic. leg.* addendum Tertium *A.* id eſt, Gratiani Auguſti nomen. *ID.*

(c) *Olybrius* P. V. Romæ ſub Valentiniano Sen. v. *Proſopogr.* *ID.*

(d) Ita omnes Editiones, Tiliana, Cuiaciana, Lugdunenſis. in Pariſienſi poſtrema, errore editum *enim*, pro *olim*. Et ſane *huic* reſpondent mox illa, *ita nunc*. *ID.*

(e) An *Lintrionibus*? qui iidem ſint cum *Lintrariis*. *Lintrarius*, *Lintrio*: vt *Lintearius*, *Linteo*? De eo mox. *ID.*

(f) Sin-

(f) Lintrionibus & Naoiculariis. *ID.*
(g) Lauacrorum: vid. *fin. leg.* *ID*
(h) An operam? an collationis? ID-
(i) *Delectus.* *ID.*
(k) *ye. ex vacantibus* : de quo mox: Quid si, *aut vacatio ex omnibus obnoxiis.* *ID.*
(l) *Exigit.* *ID.*

COMMENTARIVS

De Lignorvm functione, ad lauacrorum seu Thermarum Vrbis Romæ vsum, est hæc Valentiniani Sen. constitutio, de qua fuit iam *supra* altera *l.* 10. vbi plura de hac functione, quæ sane Naucularijs incumbebat: Eam vero iunctim incubuisse Mancipibus Salinarum & Nauicularis sua tempestate ostendit Symmachus *lib. 10. ep. 58.* P. 70. de Mancipibus quoque testis eiusdem Valentiniani constitutio ad eundem Olybrium P. V. *leg. vnic. infr. de mancip. therm.* Hac vero tempestate & Nauicularios & Linteones, ex Constantini M. instituto ad hanc lignariam functionem obnoxios fuisse *hac lex* testatur: vbi mirum, *Linteones* Nauicularijs hanc ad rem sociari: cum Linteones, seu Lintearii fuerint opifices vestis lineæ contexendæ ad Principum vsus, sub Comite S. L. vt docet *lex 8. 16.* iuncta *l. 6. supr. de Murileguli*: quibus, quid commune esse potuit cum Nauicularijs? Illud, inquam, mirum. Quare, fuit tempus cum crederem, hic *Lintriones*, seu *Lintrarios* reponendos, qui scilicet lintres exercebant: Nauicularijs proximi: Lintriones inquam; quomodo *Linteones*, & *Lintearii* promiscue dicuntur. Sed tamen nil temere hic mutem. Vt vt sit, Constantini M. institutum hac in re sequitur Valentinianus *hac lege* Constantini M. cæteroquin institutorum sequacissimus: vt docent tot aliæ eius *leges*: veluti *lex 4. supr. de Legatis: lex 17. 18. supr. de Pretorib. lex 1. supr. de secundo lapsu: l. 4. infr. de Suarus: l. 12. infr. de Pistoribus: lex 2. supr. de legit. haredit. lex 1. supr. de natural. fil. l. 5. supr. de relation.*

Ergo quatuor de his, de Lignaria hac functione *hac leg.* constituit Valentinianus. Primum, *de Numero* eorum: nempe iubet 60. ex omnibus Linteonibus & Naoicularijs ad præsentis necessitatis impensas teneri, quod ipsum a Constantino institutum fuerat. Secundo de eorum *Delectu*: nempe communi Linteonum & Nauiculariorum delectu eligendos, quomodo sane in hoc ipso argumento Symmachus P. V. *d. epist. 58.* ait, *Nauicularios a mancipibus ad parem sollicitudinem vocatos, nonnullos de turmalibus suis tradidisse*: & sic iis volentibus certos homines, Mancipibus iunctos, denique sui Corporis adiudicatos assensu. Et quidem deligendos idoneos facultatibus sententia Præfecti Vrbis accedente, quæ huic functioni adstringantur: quomodo sane in hoc ipso rursum argumento Symmachus P. V. *d. epist. 58.* ait, *Gesta se disceptante confecta, quibus voluntas Nauiculariorum nonnullos mancipibus deputauit.* Tertio de *subrogatione*: Deinceps scil. subrogandos in deficientium ex his 60. locum idoneos ex *Vacantibus obnoxiis* (ita enim hic lego:) Ita rursum Symmachus, in hoc ipso argumento, *d. epist. 58.* ait, *cum mancipes Salinarum ex magno numero ad paucos redacti, necessitatis publica molem ferre non possent, delata supplicatione meruisse, vt hi qui decreti atque excusati antea fuerant redderentur, & ex aliis Corporibus seu Vacantibus, iusta supplementa incunctanter acciperent.* (Itaque Nauicurios æque lignorum obnoxios functioni, ad parem sollicitudinem vocare cœpisse:) *Vacantes* hi, *otiosi*, dicuntur *l. vnic. supr. de mancipibus*, (quæ ad hoc ipsum argumentum & nominatim ad *epist. 58.* Symmachi pertinet) *Quicunque vel rescripti aduersus veteres sanctiones subreptiua defensione muniatur, vel de minusculis corporibus, aut certe otiosis idoneus adprobatur, functione Mancipatus est addicendus.* Vacui vocantur *l. 3. infr de Naufragiis*, in simili prorsus argumento. *Et quia Ordinem vestrum ampliari etiam hominum adiectione gaudemus, quoscunque Vacuos publico muneri officio, in complexum vestri Ordinis adplicate.* Postremum est de *Modo* impensarum: nempe non amplius a quoquam postulandum, quam necessitas lauacrorum exigit, vel instituta iamdudum forma præscripsit. Nempe, hinc colligitur, maiorem lignorum molem per concussionem quorundam Romæ exactam ab his, quam iustum esset, quamque Thermarum publicarum necessitas Romæ exigeret. Cuius superexactionis Valentinianum Olybrius P. V. commonoerit. Olybrius inquam: *calumniarum* (& sic calumniosarum exactionum) *acerrimus insectator, iustorum distinctor & arbiter plenus, in subiectis admodum temperatus*: quo inter cætera elogio eum persequitur Ammianus Marcellinus *lib. 28. cap. 4.*

XIV. (a) Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Modestum PF. P. (b)

Ivxta eum tenorem, quem a Diuo Principe Constantio, data Musoniani (c) clarissimæ memoriæ PF. P. executione, constat esse roboratum, intra Orientales (d) Prouincias nauiculariorum corpus impleri iubemus. Ea videlicet statutorum ratione seruata, vt per Eminentiam Tuam numerus nauiculariorum designetur, tam intra Orientem, (e) quam intra Ægyptiacas partes, (f) qui præsenti possit intentione (g) compleri: Excusandis (h) videlicet, pro denum millium modiorum luitione (i) quinquagenis numero iugis in annonaria (k) præstatione dumtaxat: ita vt vestes adque equi, (l) cæteræque canonicæ (m) species, ab indictione eadem non negantur. (n) Ad conficienda vero conpetentia nauigia Prouincialibus cunctis primitus materiæ postulentur: reparationem deinceps

ceps per singulos annos hisdem nauiculariis ex concessa iugorum immunitate curaturis. Eorundem autem nauiculariorum, ex fide, nobis nomina, loca, substantiæ nuntientur, breuibus duplici ratione conscriptis: quot videlicet de veteribus, quotque sint & quales recenti adsocietate (p) delecti. His autem nauiculariis qui fuerint instituti, seruari priuilegia Africana (q) decernimus, ita vt facultatibus propriis, per succedaneas hæreditatum (r) vices, perpetuo sint obnoxii functioni. Et (s) sunt Corpora, de quibus nauicularii ex Indictione Quinta (t) decima constituendi sunt, iuxta sacram iussionem. Ita: (v) Ex Administratoribus, cæterisque Honorariis viris (præter (x) eos qui intra Palatium Sacrum versati sunt) de cœtibus Curialibus, & de veteribus idoneis (y) Nauiculariis, & de ordine Primipilario, & de Senatoria dignitate: vt (z) si qui voluerint, freti facultatibus, consortio nauiculariorum congregentur. Dat. III. Id. Febr. Constantinop. Gratiano A. II. & Probo Coss. [371.]

P. 72.

N O T Æ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.

(b) *Modestus* sub Valente Imp. PP. Orientis, vt vel ex argumento *huius leg.* colligere est: vbi agitur de Oriente & Ægypto: vid. de eo *Prosopogr.* *ID.*

(c) γρ. *Musoniano.* *Musonianus* hic PP. Orientis fuit sub Constantio. Ann. 354. vt docet *lex* 5. *supr. de cursu publ.* & A. 356. *lex* 2. *supr. de Legatis.* Meminit quoque eius Ammianus Marcellinus *in Gestis Anni* 355. *lib.* 15. *extremo* : & Ann. 356. *lib.* 16. *cap.* 9. Interim hic reponendum *Musoniano*, vt dixi. *IDEM.*

(d) De Nauiculariis *Orientis* fuit quoque Constantini M. *lex* 7. *supr.* erit Theodosii Iun. *lex* 32. *infr.* Hic vero Orientales Prouinciæ complectuntur, non tantum Orientem seu Orientis Diœcesim, verumetiam Ægyptiacas partes: pariter vt inter Orientis Prouincias, Valentis σύγχρονος Sext. Rufus Festus Ægyptum connumerat *in Breuiar. cap.* 13. *ID*

(e) *Orientis* Diœcesim intelligit: de qua ad *d. l.* 7. *supr.* *ID.*

(f) *Partes* Ægyptiacæ, pro Diœcesi Ægyptiaca: pariter vt Ægypti partes, *l. vlt. infr. de Episcopali iudicio.* Illyrici partes, *l.* 25. *supr. de petition.* seu Illyricianæ *l.* 49. *infr. de operib. publ.* Italiæ partes, *l.* 15. *infr. de Episcopis*: Orientis partes, *l.* 3. *supr de milit. veste*: *l.* 3. *infr. de fide Cathol.* Suburbicariæ partes, *l.* 12. *supr. de extraord. mun.* Alias etiam, partes pro tractu quouis: *l. vlt. supr. de Curiosis.* *IDEM.*

(g) An *intentioni? præsenti intentioni*, pro, ad præsentem intentionem? An *indictione?* vt mox *infra*, *ab indictione eadem.* *ID.*

(h) Immunibus habendis. *ID.*

(i) *Luitione*, id est præstatione: vid. *Gloss.* *ID.*

(k) Annonariarum specierum: hoc sensu *annonæ*, & *annonaria præstatio.* *ID.*

(l) *De vestium*, & de *Equorum* collatione, vid. *tit. de Equorum collat.* & *tit. de militar. veste.* *ID.*

(m) Prima Tiliana Editio, & Cuiaciana & illa in Quarto, habebant *Canica*, vnde recte fecerunt in Editione Parisiensi *Canonica.* *ID.*

(n) γρ. *Non negentur.* *ID.*

(o) γρ. *nauigiA*, id est, *nauigia a Prouincialibus.* *ID.*

(p) *Adsocietas*, pro *adsociatione*: Ita & *adcorporandi* vox apud Ammianum Marcellinum *lib.* 16. *cap.* 8. *ID.*

(q) *Africanorum* Nauiculariorum priuilegia in exemplum trahuntur, ad Orientales, & Ægyptiacos *hac leg.* vt vice versa Ægyptiacorum commoda ad Orientales, *l.* 7. *supr.* *ID.*

(r) An *heresitatum?* de eo mox. *ID.*

(s) Malebat Iuretus *in Symmachum lib.* 10. *ep.* 58. *Et sicut corpora.* Ego vero ita γρ. *Hæc sunt Corpora*, &c. Sequitur enim Breuis Corporum, vnde Nauicularii constituendi: Cuiusmodi breues aliis quoque *legibus* subdici: veluti *l.* 2. *supr. de excusat. Artific.* *ID.*

(t) Id est, Anno D. 372. v quæ semel dixi de Indictionibus *tit. de Indulg. deb.* *ID.*

(v) Interpungendus ita locus, *iuxta sacram iussionem, ita*: *Ex* &c. *ID.*

(x) Id est, exceptis iis: vt *l.* 7. *infr. de scænicis*: *præter Circense certamen*, id est, excepto Circensi certamine: Nisi altera interpretatio, quam ibi teneo, magis placet. *ID.*

(y) *Idonei.* *ID.*

(z) *Et si quis.* *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

DE REPARATIONE Corporis Nauiculariorum, id est, de REPLENDO Corpore Nauiculariorum, qui ad paucos redacti fuerant per Orientales Prouincias, per Orientis, inquam Diœcesim (de quibus fuit lex Constantini 7. *supr.*) & per Ægyptum, est hæc Valentis Imp. constitutio: Reuocato exemplo Constantii Imp. & Musoniani PP. de quo iam in *Notis* dixi, cuiusque semel atque iterum meminit Ammianus Marcellinus, *in rebus Constantii.* Ad supplendum igitur Corpus defectum Nauiculariorum, non vna ratione consultum it Valens.

Primum

Primum scilicet *Numerum* Nauiculariorum sufficientem tam intra Orientem, quam intra Ægyptum, designari iubet a Modesto PP. qui scilicet sufficiat subuehendæ annonæ, siue expeditionali ad castra limitanea: siue Constantinopolitanæ: incertum enim, quo potissimum collineet Valens, quanquam illo potius inclinem, propter ea quæ mox de vestis & Equorum, militarium scilicet collatione dicuntur. Porro, vt ex *hac leg.* ita & *l. 27. infr.* apparet, Præfectis Prætorio reparationem classium, seu Corporis Nauiculariorum impositam.

Secundo *Immunitate* Nauicularios prouocat: nempe quinquaginta iuga immunia iis fore constituit, pro totidem decem millibus modiorum subuectis, translatis. Immunia, inquam, ab annonariarum specierum præstatione, frumento, vino, tritico, hordeo; hæc enim proprie *annonaria* præstatio dicitur: at non etiam ab aliis Canonicis & ordinariis speciebus seu tributis, puta vestium & Equorum collatione: quorum vsus ad rem militarem. De veste fuit *supra*, *lib. 7. titulus de militari veste*: Vbi videnda nominatim eiusdem Valentis *lex 3.* eidem Modesto Præfecto Prætorio inscripta: vbi etiam indicatur modus istius collationis vestium per *Ægyptum & Orientis partes*: nempe vnius vestis seu chlamydis militaris pro triginta iugis: & sic pro quinquaginta iugis (quorum *hac leg.* mentio fit,) vnius chlamydis & duarum Tertiarum; quam & ipsos Nauicularios Valens *hac leg.* soluere iubet. De Equorum collatione fuit etiam *supr. lib. 11. tit. 17. de Equorum collatione*, & *titulus 23. lib. 7. de oblatione Equorum*: item *titulus, qui a præbitione tyronum & equorum excusentur*: qui quidem ad vsum armorum exigebantur, etiam a Nauiculariis, quod præter *hanc leg.* docebit rursum *lex prox. 15. infr.* vbi plenius.

Tertio *huius leg.* capite *Nauibus* ipsis prospicitur; & per eas Nauiculariis: Nempe distinctione facta inter primam earum ædificationem & reparationem: scilicet ad conficiendas eas *materiam* conferri iubet Valens ab omnibus Prouincialibus: de qua *Materia* (vt & lignorum & tabulatorum) collatione videnda quoque *lex 15. 18. supr. de extraordin. mun.* videnda & *lex 55. D. de legat. 3.* At enim Nauiculariis reparationem earum iniungit, ad quod sufficere possit immunitas superior iugorum his tributa. Hæc ita Valens: At enim Honorius Nauiculariis nauium exædificationem iniungit *l. 28. infr.*

Quarto capite Valens iubet ad se referri nomina Nauiculariorum, sedes seu loca, & fortunas eorum: & quidem duplicibus Breuibus: quorum vno veterum Nauiculariorum nomina contineantur: altero nouorum & suppletorum. Quinto capite, *Priuilegia*, quæ Africanis Nauiculariis in Occidente competebant, Nauiculariis Orientis tribuit: de quibus *l. 7. supr.*

Hac conditione (quod Sextum caput esse potest,) vt perpetuo sint nauiculariæ functioni obnoxii propriis facultatibus, per succedaneas vices hæreditatum: *hæreditatum*, quæ vox retineri potest, hoc sensu: vt Nauicularii, quique eorum hæreditatem, facultates adepturi sunt, eam functionem subire cogantur, per succedaneas hæreditatum, & hæredum vices. Nisi putemus id potius indicari his verbis, quod *l. 6. supr.* nempe per vicissitudines rite seruatas nauicularios cursus impleri oportere: vt forte rescribendum videatur, per succedaneas *hæresiotarum* vices. *Hæresiota*, id est, functioni obnoxii: hinc scilicet *hæresis* naualis, pro nauali functione *l. pen. & vltim. infr. de prædiis Nauicular.* αἱρεσιῶται igitur οἱ κοινωνοῦντες τῆς αἱρέσεως ναυτικῆς: non aliter quam θιασῶται apud Gaium *l. vltim. D. de Collegiis & corporib.* & Harpocrationem *voc.* θίασος: οἱ κοινωνοῦντες τῶν θιάσων. Verum nil temere muto. P. 78.

Postremo capite, *Breuis* seu Index & Notitia continetur eorum Corporum, e quibus Nauicularii adsciscí possunt: nempe 1. ex Administratoribus & cæteris Honorariis seu Honoratis Viris, qui scilicet codicillos honorum imaginarios assecuti sunt: de quibus *supr. tit. de honor. codic.* quibus in commune si quid extraordinarium occurreret, indici solitum: Eoque etiam pertinet, quod recensus Nauiculariorum per singulas Prouincias Honoratis incumbebat ex Theodosii M. *lege 22. infr.* Excepti tantum inter Honoratos ii (quod *hac leg.* additur) qui in sacro Palatio meruerunt: Quod priuilegium addendum est cæteris, quæ continentur peculiari titulo, *de priuilegiis eorum qui in S. Palat. mer.* Item Nauicularii allegi potuere ex Decurionibus, & ex veteribus Nauiculariis, qui idonei essent: item ex Ordine Primipilario, seu ex Primipilaribus: de quibus *suo tit. supr. lib. 8. de cohortalibus, Principibus, Cornicularriis, Primipilaribus*: item ex Senatoribus, si qui velint freti facultatibus consortio Nauiculariorum congregari, id est, adsociari. Ex quibus apparet, quam hac tempestate Senatoria dignitas viluerit: e contra, in quantum Nauiculariorum conditio functioque creuerit, non tantum ob Equestrem dignitatem eis collatam, de quo *l. 16. infr.* quam etiam Senatores amplecti voluerint, verum propter summa videlicet eorum priuilegia, vnde & facile honorarios altiorum dignitatum codicillos impetrabant, vt docet proxima *lex 15.*

XV. (a) Imppp. GRATIANVS, Valentinianus & Theod. AAA. ad Hesperium PF. P. (b)

QVISQVIS nauiculariorum (c) Codicillis optauerit ornari, præbitioni equorum intelligat se esse subdendum. Acc. XII. Kal. Aug. Constantinæ, (d) Auxonio & Olybrio Coss. [379.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* GOTHOF.

(b) Italiæ, vt docet *lex 11. supr. de lustral*; & Symmachus *epist. 73. 80. lib. 0.* de quo ad *d. l. 11 supr. de lustrali*: in qua & Africa sub eo, vt probat *lex 34. supr. de cursu publ.* quæ data est Ann. 377. Si modo Inscriptio non fallit. *ID.*

(c) Ambigua constructio. An, *Quisquis Nauiculariorum, Codicillis optauerit ornari?* An *Quisquis, Nauiculariorum Codicillis*, &c. Mox dicam. *ID.*

(d) Quænam hæc *Constantina*? An in Numidia Cirtensium: cuius Constantinæ Cirtensium iam mentio fit Ann. 340. *leg. 29 supr. de Decurionib.* An Valeriæ? cuius Constantinæ siue Constantiæ etiam mentio fit in *Notitia Imperii fol. 168.* Prius verius, argumento Inscriptionis, quia *hæc lex* inscribitur *Hesperio PP.* (Italiæ scilicet, sub quo Africa fuit) Similiter dicitur Accepta Constantinæ *lex 9. supr. de susceptorib.* quæ ad Dracontium Vic. Africæ data est. Accepta igitur *hæc lex* fuerit *Constantinæ*, quo ea transmissa ad Hesperio: Si Africam quoque eius Præfectura complexa est. Alioquin videri possit Constantina Valeriæ, (cuius mentio in *Notitia*) vnde *hanc leg.* Hesperius acceperit, constituto ibi Gratiano Imp. *ID.*

COMMENTARIVS.

CODICILLIS ornati Nauicularii ad equorum præbitionem teneri iubeotur *hac leg.* a Gratiano Anno Dom. 379. *Codicillis* inquam *ornati*, id est, qui honorarios Codicillos dignitatum impetrarunt. Ita enim *lex* hæc intelligenda est. Scilicet Nauiculariorum fauor hac tempestate in tantum creuit, vt non tantum ipsis Equestris Ordinis dignitatas a Constantino & Iuliano Impp. delata fuerit (quod docebit *lex 16. infr.*) rursum, vt non tantum Senatores nonnulli consortio huic congregari vellent (quod docuit *lex prox. 14. supr.*) verum etiam codicillos altiorum dignitatum a Principe nonnulli ex his impetrarent. Absoluta scilicet *Codicillorum* appellatione, *hac leg.* honorarii codicilli, seu codicillares dignitates, significantur; pariter, vt *l. 1. supr. de honor. codicill.* Igitur & huiusmodi Nauicularii codicillis huiusmodi honorariis donati, denique *honorarii* (vt vocantur *l. 14. supr.*) ad equorum præstationem tenentur, pariter cum cæteris Honorariis. Nempe in orbe Romano qui honorarios dignitatum codicillos adepti fuerant, variis & extraordinariis collationibus subiacebant, veluti Tyronum, *l. 15. supr. de Tyron. l. 13. supr. de Agentibus in rebus*: & equorum (ad promptius instruendum vsum armorum) vt præter *hanc legem* docet *lex vnic. supr. de oblat. equorum*: *lex 3 supr. de proximis Comitib. dispos. l. 2. supr. de priuil. eorum qui in sacro Palat. l. 2. supr. de Decurionibus & Silent. l. 138. supr. de Decurionib.* Quomodo & a Curiosis per Africam equi collati, quod docet *lex 29. supr. de annona, & l. 2. supr. de priuil. eorum qui in S. Palatio.* A qua quidem collatione nonnulli Honorati seu Honorarii, qui Codicillos honorarios impetrauerant, immunes erant; nempe inter cæteros ii, qui actu aliquo & obsequio Palatino, intra Palatium Principis functi erant, vt in specie trium ex *dictis* postremo loco *quatuor legibus.* Quod quidem priuilegium inter cætera est eorum, qui in S. Palatio militabant. At enim aliam rationem Nauiculariorum hic esse iubet Gratianus.

Illud interim monendum, si in *huius leg.* subscriptione *Constantina* Numidiæ ciuitas est, tum ad Nauicularios Numidiæ ea pertineret, & equos Numidiæ, vbi præstantissimi erant: de quo vide & *l. 29. supr. de annona & tributis: l. 2. supr de cohortalibus*: & veterem Orbis descriptionem sub *Constantio* a me vulgatam *c. 52.*

73.

XVI. (a) Idem AAA. Corpori Nauiculariorum. (b)

DELATAM vobis, a diuo Constantino † & Iuliano, †† Principibus æternis, Equestris Ordinis dignitatem, nos firmamus. * Quod cum ita sit, si quis, (c) contra interdicta innumerabilium Sanctionum, † corporali vos iniuria pulsare audeat, nisi (d) qui digna expiatione est luiturus aurum (e) inmanis admissi, (f) apparitione quoque sua vitimo supplicio deputanda. Cuius monitio hanc debet sollicitudinem sustinere, vt Iudices praua forsitan indignatione (g) succensos ab inlicitis tempestiua suggestione deducat. Huic ** illud additur, Ne, qui certum ordinem, ex nostra definitione, retinet, (h) is vlli vos alteri hominum generi hærere vereamini, nec timeatis vos Ciuitatium municipibus (i) innexi. Ex nullo itaque nexu, nulla causa, nulla persona Decurionum vos obsequia contingent: cum præsertim priscis Constitutionibus, † quarum series Orationis (k) paginis antelata (l) est, magis illud inualuisse perhibeatis, vt plerumque & ordinarios (m) Curiales nauiculariorum sibi necessitas vindicaret. Quod *** vero ad negotiationis commodum aduehendasque merces spectat ac respicit, in eo solers cura competentium Iudicum prouidebit, vt obtentu nominis vestri non passim ac sine consideratione negotiatorum lateat (n) immunitas, nec (o) ipsi, dudum † delati, beneficii priuilegiis fructuque fraudemini. Dat. VIII. Id. Febr. Triu. Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [380.]

NOTÆ.

(a) Abest a *Cod. Iust.* Iungenda ei *lex 3. infr. de naufragiis.* *GOTHOF.*

(b) Afrorum. Nam ita diserte habet inscriptio *d. legis 3. infr. de naufragiis*: (quæ huic iungenda est:) *Nauiculariis Afris salutem.* *ID.*

† *Constantini* constitutio notanda, qua Equestris dignitas Nauiculariis tributa. Vide quæ tetigi ad *l. 3. infr. de infirm. his quæ sub Tyran.* Altera pariter, Constantini constitutio allegatur & confirmatur *d. l. 3. infr. de naufrag.* quam huic coniungendam dixi. *ID.*

†† *Iulias*

†† *Iuliani* Constitutio obseruanda, qua Equestris dignitas Nauiculariis delata. *ID.*

* *Secundum* caput *huius legis.* *ID.*

(c) *Iudex* scilicet, vt apparet etiam ex prox. *Vers. apparitione.* *ID.*

† Constitutiones innumerabiles, quibus vetitum Equites Rom. vel Nauicularios. quæstioni subiicere, nota. *ID.*

(d) An *quisquis is*? An forte *insigni dignaque*, vel *nisu iniquo digna*, &c. nisi forte *supr.* secunda linea pro *si quis* reponamus *ne quis.* *ID.*

(e) γρ. *ausum immanis admissi*, Virgiliana imitatione *Æn. VI. v.* 624. *Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.* Sic *leg.* 8. *infr. de his qui super Religione:* Ausus grauis atque damnabilis. *ID.*

(f) Hæc vox in *Tiliana, Cuiaciana, Lugdunensi* editionibus extabat: in vltima Pariensi errore interciderat. *IDEM.*

(g) Ita pariter in eadem re *l. 6. supr. de quæstionibus:* indignatio cognitorum. *ID.*

** *Tertium* caput *huius leg.* *ID.*

(h) γρ. eum pulsis literis *retinentis*: quod quidem etiam monuit iam Doctiss Iuretus *in Symmachum lib.* 10. *ep.* 58. *p.* 305. *Edit. Paris.* 1604. *in* 4. qui tamen minus penso consilio *hanc leg.* ad eius *epistolæ* speciem trahebat. *ID.*

(i) Id est, Decurionibus: vide *Paratitlon de Decurion.* *ID.*

† Constitutiones priscæ, quibus ex Curialibus Nauicularii sæpe adsumi iubebantur, notandæ. *ID.*

(k) *Oratio* hic est querela, communi Nauiculariorum nomine apud Imp. vt mox illa probant, *illud inualuisse perhibeatis.* *ID.*

(l) *Antelata* Constitutiones orationibus, relationibus, precibus: de quo fuse *alibi.* *ID.*

(m) Ferri debet, neque mutandum cum, *ordinario.* *ID.*

*** *Quartum* caput *huius legis*, de *Immunitate* Nauiculariorum a lustrali collatione & vectigali seu partorio. *IDEM.*

(n) *Pateat.* *ID.*

(o) *Ne ipsi.* *ID.*

† Constitutio antiqua obseruanda, qua Immunitas Nauiculariis tributa a lustrali collatione & vectigalibus. *ID.*

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIA & IMMVNITATES quatuor Nauiculariis (& quidem Afris, vt docet coniunctio *legis 3. infr. de naufragiis*:) ad eorum Orationem, seu querelam, ad se vna cum variis constitutionibus anteriorum Imperatorum pro tuendis priuilegiis suis, emissam, hac Constitutione sua Gratianus confirmat, singulas iam antea superiorum Principum constitutionibus delatas; pariter vt alia priuilegia tribuuntur *d. l. 3.* quam *huic* coniungendam dixi. Ex quibus inter se coniunctis apparet, quam enixo studio Gratianus Nauiculariis consultum iuerit, & quidem ad eorum querelas, cum eorum priuilegia nonnulli Iudicum imminutum vel labefactatum irent, eosque nimio plus prægrauatos, vellent: vt proinde *hæc lex* sit rescriptum ad Orationem & querelam Nauiculariorum.

Primum priuilegium, *hac leg.* comprehensum, est *Equestris dignitatis*, quam iam antea a Constantino & Iuliano Nauiculariis delatam confirmat: de qua Equestri dignitate fuit *supr. tit.* peculiaris *penult. lib. 6.* Nempe Senatorio Ordini dignitas hæc proxima fuit, qua decorati Nauicularii fuere. Tantum scilicet fauorem Nauicularii meruere: imo tantum, vt & ipsi Senatores huic consortio si vellent adgregarentur: *l. 14. in fine supr.* In tantum rursum, vt Honorarios codicillos altiorum dignitatum quandoque impetrarent, *l. 15. supr.* Omnibus sane in commune Equestris dignitas tributa, iam a Constantino & Iuliano, quorum tamen constitutiones ipsæ super hac re non extant.

Porro vt Equestris istius dignitatis multa προνόμια fuerunt, de quo ad *l. vnic. d. t. de Equestr. dignitat.* ita (quod secundo capite *huius leg.* continetur) inter cætera & istud erat, vt ne Corporali iniuria pulsare auderent. Quod Nauiculariis hic etiam aptatur: *Corporali iniuria*, quæ scilicet a
P.74. Iudicibus indignatione succensis proficiscitur, vt *hac leg.* quoque indicatur, id est, a Quæstione seu tormentis: quo sensu *corporales iniuriæ* quoque dicuntur *l. 6. supr. de quæstion.* & *l. 10. supr. de fide testium:* quo item sensu dicitur *d. l. 6. supr. de quæstion. Nihil sibi deflectens a iustitia indignatio cognitorum intelligat licere.* Igitur Equites Romani, & Nauicularii proinde, a quæstione immunes fuere. Sane Valentiniani Sen. quoque *l. vn. sup. de Equestri dignit.* Equites Romani, hoc priuilegio donantur, vt eos *Corporalium iniuriarum & prosecutionum formido non vexet.* Quanquam ibi malit quis *Corporales iniurias* accipere de muneribus personalibus corporalibus, & operis extraordinariis, argumento eius quod de immunitate *a prosecutionibus* iunctim additur: de quibus *supr. tit. ne opera a Conlatoribus exigantur:* quod non existimo. Atque vt hac constitutionis Gratianeæ parte Nauicularii in totum a quæstione liberantur, ita & altera parte, (puta *d. l. 3. infr. de naufragiis*:) modus adhibetur circa quæstionem de Nautis. Porro Iudici pœnam grauem minatur, verbis etiam atrocissimis ex Virgilio mutuatis, Gratianus, si Nauicularius quæstioni subiectus fuerit: vt & Apparitori, qui Iudicem non cohibuerit: scilicet (quod eleganter hic dicitur) *Apparitorum monitio hanc debet sollicitudinem sustinere, vt Iudices parua forsitan indignatione succensos ab inlicitis tempestiua suggestione deducat.* De quo est etiam *l. vn. si quacunque prædit. potest.* & *l. 59 supr. de appellat.*

Tertio capite Gratianus Nauicularios quod verebantur, a Curiali nexu liberat, id est, vetat eos in Curiam allegi, & ad Curialia munera vocari, solique nauiculariæ functioni adstringi: argumento etiam ducto a Veteribus constitutionibus, quas Nauicularii Orationi suæ & precibus ad Gratianum adiecerint (vti mos erat,) ex quibus apparebat contrarium, nempe necessitate vrgente ex Curialibus potius ordinariis (iis qui iam in Ordinibus Curiarum constituti, qui actu municipibus tenentur obnoxii *l. 137. supr. de Decur.*) Nauicularios adsomptos: quod etiam docuit Constantini M. *lex 5.* & *14. supr.* & docebit *lex 19.* & *25. infr.* & *l. 134.* & *149. supr. de Decurion.*

Postremo capite Gratianus Immunitatem veterem Nauiculariorum negotiantium a lustrali collatione & vectigali firmat: quod priuilegium pau-

eis admodum datum: de quo *tit. suo de lustrali collat.* & vero solis Nauiculariis rursum datum *l. 23. & 24. infr. hoc tit.* Iotet hæc tamen, quia facile huc obtentu Nauicularii alii negotiantibua, mercesque subuehentibus, mantelum & latebram obtendere poterant, & vero obtendere visi fuerant, Iud ces moneotur solicite prouidere, ne id fiat: ooo ideo tamen propter huoc abusum (quod quidam volebant, sua immunitate priuandos credidit Nauicularios Gratianus: Nempe vt beneficio suo ita potiri quisque debet, ne eo fraudem publico faciat: ita versa vice non ideo beneficio suo quis fraudandus venit, quod fraudem ipse facere possit. Quæ *huius leg.* senteotia & cautela est. Eademque prorsus in hac ipsa re Hooorii Imp. *d. lex 24. infr.*

XVII. (a) Idem (b) AAA. ad Principium PF. P. (c)

OMNES Nauicularii, per omne æuum, ab omnibus oneribus & muneribus & Conlationibus, & oblationibus, subleuentur, cuiuscumque loci fuerint, vel dignitatis. Et quicumque contra istam fecerit legem, seu custos Litorum, seu vectigalium Præpositus, (d) seu Exactor, vel Decurio, seu Rationalis, vel Iudex cuiuscumque Prouinciæ exhibitus, sublatis vniuersis facultatibus suis, capitali sententiæ subiugetur. Dat. XII. Kalend. Maii, Aquil. Honor. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTÆ.

(a) Transcripta hæc *lex* e Constantinianea *l. 5. supr.* GOTHOF.

(b) *γρ.* VALENTINIANVS *Theodosius & Arcadius.* ID.

(c) Italiæ, vid. *l. 11. supr. de Murilegulis.* ID.

(d) *Vectigalium* Præpositi, *hac leg. & l. 5. supr.* ID.

COMMENTARIVS.

DE IMMVNITATE Nauiculariorum est hæc plenissima Valentiniaoi Iunioris constitutio: quam ea Constantinianea *l. 5. supr.* totidem pene verbis in oomen suum transcripsit: pœna *proscriptionis* insuper addita.

XVIII. (a) Imppp. (b) Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. Alexandro PF. Augustali. (c)

IVDÆORVM Corpus, ac Samaritanorum, (d) ad nauiculariam functionem non (e) iure vocari cognoscitur: Quidquid enim vniuerso corpori videtur (f) indici, nullam specialiter potest obligare personam: Vnde, sicut inopes, vilibusque commerciis occupati, nauiculariæ translationis munus obire non debent, ita idoneos facultatibus, qui ex his Corporibus deligi poterunt, ad (g) prædictam functionem haberi non oportet inmunes. Dat. XII. Kalend. Mart. Constantinop. Valentiniano A. IV. & Neotherio Coss. [390.]

P. 75.

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* & ab *Ecclesiasticis Annalib.* Baronii. GOTHOFRED.

(b) *γρ. Iidem Imppp.* qui superiore scilicet *l. 17.* ID.

(c) *Alexander* Præf. *Augustalis*, id est Ægypti, seu Alexandrinus. ID.

(d) De his *suo titulo, infr. de Iudæis, Cælicolis & Samaritanis.* ID.

(e) Vox hæc perperam a nonnullis abundare creditur, & ideo expungitur. ID.

(f) Id est, indicitur.

(g) Vel potius, *a prædicta functione.* ID.

COMMENTARIVS.

IVDÆOS & SAMARITANOS, facultatibus idoneos, tantum ad Nauiculariam functionem vocari posse definit *hac constit.* Theodosius M. at non etiam totum Corpus eorum, atque ideo non inopes, vilibusque commerciis occupatos. Scilicet totum Iudæorum & Samaritanorum Corpus ad hanc

hanc functionem vocandum nonnulli censebant: verum id improbat Theodosius M. velut *non iure* factum: quia scilicet, toti Corpori hac functione indicta, nulla specialiter persona obligaretur, atque adeo fieri posset, vt inopes etiam vilibusque commerciis occupati, contra ius & æquum, ad nauiculariam functionem vocarentur: quare satius esse, non totum Corpus obligari, verum idoneos tantum facultatibus deligi: Quæ Theodosii M. inter alias in Iudæos & Samaritanos humanitas fuit: quam & duabus aliis constitutionibus testatam fecit, *l. 8. & 9. infr. de Iudæis*, aduersus quorundam iniurias & nimietatem. Humanitatis itaque Theodosianæ in Iudæos & Samaritanos argumentum & istud est, quod Iudæorum inopum rationem habuerit: qui vilibus ferme commerciis occupati erant. Quare noluit is totum Iudæorum & Samaritanorum Corpus ad nauiculariam functionem vocari, ea, qua dixi, ratione. Alia certe ratione aliquando Nauicularii a Mancipibus Salinarum ad parem sollicitudinem vocati, vt vtriusque Corporis cura coniuncta indiscretum munus agnosceret, nonnullos tantum de turmalibus suis tradere maluerunt, quam in societatem tanti oneris conuenire; & sic certi homines mancipibus iuncti fuerunt, Corporis assensu, quod refert Symmachus *lib. 10. epist. 58.* Nempe vt ita Corpus hac molestia semel liberaretur, atque hac ratione redimeretur. Quæ iam alia ratio est.

Interim de Iudæis, præter *huius leg.* sanctionem duo in *hac leg.* obseruanda obiter. Primo *hanc leg.* pertinere ad Iudæorum & Samaritanorum Corpus in Ægypto & Alexandria, vtpote cum ea inscribatur *Alexandro Præfecto Augustali.* De quo Alexandro Præfecto Augustali est quoque Libanii *Epist. ad Africanum 800.* Ἐπεὶ δὲ ἀδικεῖται μὲν παρ' ὑμῖν, ἀδικεῖται δὲ ἐν Αἰγύπτῳ, δεόμεθά σου καὶ περὶ τῶν δευτέρων, ἵνα τὰ μὲν ἰάσῃ ψήφῳ, τὰ δὲ δι' ἐπιστολῆς, ἣς ἐλθούσης πρὸς τὸν ἄριστον Ἀλέξανδρον, ἔσται τι τῷ Πέτρῳ κἀκεῖ καλὸν, ἡμεῖς δέ σε ἐπ' ἀμφοῖν ἐπαινεσόμεθα, id est, *Quoniam autem tum apud vos, tum in Ægypto iniuriam patitur, oramus te pro vtroque, vt alteri quidem tuo calculo medearis, alteri vero per literas, quæ si ad optimum Alexandrum peruenerint, bene illic etiam Petro erit, nos vero te ob vtrumque laudabimus.* Ad eundem extant eiusdem Libanii plures in *Codice Regio* Epistolæ: puta, *epist. 272. 289. 669. 734. & in Edit. Wolfii ep. 285. 322. 682. 758.* Ad rem. Ad hos eosdem Alexandrinos Iudæos pariter pertinet *lex Arcadii 2. supr. de his qui ad Eccles. confug.* verum qua occasione postea Ann. 415. & 416. a Cyrillo Iudæi, qui magno numero erant, Alexandria pulsi fuerint, videndus Socrates *lib. 7. cap. 13.*

Secundo notandum, quod de Iudæis & Samaritanis dicitur, eos inopes ferme scilicet, vilibusque commerciis occupatos hac tempestate quoque fuisse. Id vero est quod post Iudæam subactam & Hierosolymis euersis, illi ferme fuere & mendici, & vilibus commerciis occupati: quod testantur Martialis *lib. 12. epigr. ad Sparsum 57.* Iuuenalis *Satyra 3. v. 14. & Sat. 6. v. 542. 543.*

A matre doctus, inquit Martialis, *nec* (cessat) *rogare Iudæus.*

Hic pariter *dict. versib.* & mendicantes repræsentat, & in cophino fœnoque supellectilem eorum, & muliercul is fata sua exponentes, & inculta loca syluas conducentes, colentes.

Postremo loco notandum, *hac constitutione*, quam omisit Baronius, Annales Ecclesiasticos augeri deinceps posse: ex qua videlicet patere potest, quo loco Iudæorum res tum fuerint, & apud Theodosium M. Christianissimum cæteroquin Principem, quo item loco Alexandriæ. Sane Synesius quoque *epist. 4.* nauis Ægyptiacæ casum, suumque adeo, enarrans, nautarum qui duodecim erant, dimidio plus numerum, vt & ipsum gubernatorem, *Iudæos* omnes fuisse scribit.

XIX. (a) Idem AAA. Tatiano PF. P. (b)

QVæ de Nauiculariis & Curialibus ordinasti, maneant inlibata, atque perpetua: Sint perpetuo Nauicularii, quia qui merito esse debeant prouidisti: Ac si, cum obierint, subolem non relinquent, quique (c) ille in eorum facultatibus qualibet ratione successerit, auctoris (d) sui munus agnoscet; manebit vero in ordine Curiali, & ei filius in officium Curiale succedat: Nihil hic subripiendum (e) decerpet ambitio: (f) ipsa denique, si quoquo modo Annotatio (g) elicita fuerit, excludatur. Dat. VI. Id. Septembr. Veronæ (h) Valentiniano A. IV. & Neotherio Coss. [390.]

NOTÆ.

P. 76.

(a) Abest & *hæc lex a Cod. Iust.* Eam indicare videtur Honorius *l. 25. infr.* GOTHOFRED.

(b) *Tatianus* sub Theodosio M. PP. Orientis: vt docet exerte *l. 19. supr. de extraord.* v. *Prosopogr.* IDEM.

(c) Id est, quisquis ille sit, qui, &c. *ID.*

(d) Eadem voce in eadem re vtitur *lex 8. infr. de præd. Navicul.* *ID.*

(e) Vel *subrepentium.* *ID.*

(f) Ita locus hic interpungendus, non vt antea, *decerpet, ambitio ipsa*, &c. *ID.*

(g) Speciale Principis beneficium. *ID.*

(h) Ibidem data *lex 28. de Episcopis: lex 122. de Decur. lex 1. de Monachis*, ad eundem Tatianum PP. intra XVII. dies. Quibus addo & famosam, *l. 13. supr. de pœnis*: quæ intra 21. diem data ibidem. *ID.*

COMMENTARIVS

REPARATIO seu supplementum nauiculariorum ex CVRIALIBVS factum a Tanano PP. (vt sæpe fieri solitum & fieri potuisse iam tres aliæ constitutiones ostenderunt, puta *lex 5. 14. & 16. supr.* & ostendet adhuc *lex 25. infr.*) firmat hac constitutione Theodosius M. ita quidem vt & filii eorum, & qui in eorum facultates quoquo iure his mortuis succederent, ad idem munus teneantur, & in ordine Curiali maneant: Adeo quidem, vt speciali Principis annotatione seu beneficio huic statuto nil decerpi possit. Ex *hac* interim *lege*, vt & *l. 4. infr. de naufragiis*, Tariani PP. studium circa nauicularios & nauiculariam discimus: Quo nomine etiam eum inter alia commendat Libanius *epist. ad eum 790.*

XX. (a) Idem AAA. Hypatio PF. Augustali. (b)

EVM qui Agentum (c) in rebus militiam adeptus est, certis & debitis, (eatenus nauiculariæ inquietudinis suspicione (d) submota,) frui priuilegiis non vetamus, si nec genere nauiculariorum corpori cohæret, nec Nauarchiæ (e) obnoxias functioni retinet facultates. Dat. Prid. Id. April. Constantinop. Arcadio II. & Rufino Coss. [392.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc *lex* a *Cod. Iust.* *GOTHOFRED.*

(b) *Hypatius* Præf. Augustalis sub Theodosio M. eidem inscribitur hoc ipso Anno & mense, V. Id. Apr. *lex 31. supr. quorum appellat.* & ante nouennium *lex 27. eod. tit.* Eiusdem meminit & Farrago Alexandrina apud *Scaligerum.* *ID.*

(c) De *Agentibus* in rebus fuit *supra, lib. 6. tit. 27. & 28.* *ID.*

(d) *Suspicione*, id est, metu. *ID*

(e) *Nauarchiæ*, id est, nauiculariæ functioni. *ID.*

COMMENTARIVS.

AGENS in rebus ad Nauiculariam functionem vocari non potest: nisi vel genere nauicularius sit, vel nauiculariæ functioni facultates obnoxias habet. Extra hos duos casus, ex Agentibus in rebus nemo ad nauicularium Corpus vocari potest: Quomodo alias (quæ dubitandi ratio erat) ex variis Corporibus Nauicularii adsumi poterant, veluti, ex Decurionibus, Honorariis viris, ex Primipilaribus &c. vt docent *lex 5. 14. 16. 19. supr. & 25. infr. hoc tit.* Verum hoc in censu non est schola Agentium in rebus, vtpote cum & ipsi iam cursui publico vacent, & peregrinationes obeant ad Principis obsequia: Agentes quippe missionibus Principis parebant, iisque a Principe negotii alicuius executio iniungebatur, velut Tributorum exactio, ad monendum etiam militem, ad literas Principis deferendas, & vicissim ad referenda acta publica & literas Magistratuum: breuiter, Principis iussis obsecundabant, & in vrbem vel ad Prouincias publicæ necessitatis causa dirigebantur: vnde *plenum vigiliarum munus exercere* dicti; denique schola hæc Principibus maxime necessaria fuit: de quo consulendum plene *Paratitlon tit. de Agentibus in reb.* vbi & priuilegia eorum recensentur, quæ hic in genere indicantur. Cæterum cohortalibus quoque & quidem Syriæ, post peractum laborem militiæ, eadem prærogatiua data, *l. 11. sup. de cohort.*

XXI. (a) Idem AAA. Apodemio PF. P. Illyrici & Afric. (b)

VNVSQVISQVE nauicularius nouerit, intra biennium aut securitatem suscepti oneris (c) reportandam, aut periculorum adprobandam (d) esse fortunam. (e) Dat. XV. Kalend. Mart. Constantinop. Arcad. A. II. & Rufino Coss. [392.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iustin.* Hic autem admissum πρωθύστερον a *Theodosiani Codicis* Conditoribus: Nam *hæc lex* superiorem tempore præcedit. *GOTHOF.*

(b) De hac Præfectura vide *Commentarium* mox. *ID.*

(c) *Oneris* vox hic propria: vide *titulum infr. ne quid oneri publico imponatur.* *ID.*

(d) Sustinendam, agnoscendam, subeundam. *ID.*

(e) *L. 3. de Canone frum. V. R. l. 5. de naufrag.* *ID.*

COM-

COMMENTARIVS.

De Tempore ἀνολκῆς καὶ καθολκῆς, & reportandis intra illud Apochis (quæ *securitates* hic vocantur, & *l. 26. infr.* Relatoriæ in *l. 8. supr.*) perlati videlicet a se oneris, seu perlatarum specierum fiscalium, est hæc Theodosii M. constitutio : pariter vt de Apochis his sunt *duæ* insuper illæ *leges*, puta *l. 8. supr.* & *l. 26. infr.* ex quibus videlicet fides fieri poterat, nauiculatium probe species sibi delegatas seu commissas pertulisse : cuiusmodi Apochas a susceptoribus, id est, ab iis quibus species tradiderat accipiebat.

De huiusmodi Apochis varia constituta ab Imperatoribus. 1. *Quando* videlicet, & intra quod tempus post perlatas species susceptores Nauiculariis eas tradere debeant, nempe intra decendium, quo pertinet *d. lex 8. supr.* Item intra quod tempus eas exigere nauicularios oporteret, nempe intra annum, de quo erit *d. lex 26.* Tandem, intra quod tempus eas Nauicularii referre deberent, nempe intra biennium; quo spectat *hac lex.* Ac proinde, qua celeritate vti Nauicularios oporteat in perferendis speciebus : denique quodnam Tempvs eis a die susceptarum a se specierum indulgeatur, ad ἀνολκὴν καὶ καθολκὴν, ad vltro citroque commeandum. Igitur biennium integrum Nauticulariis a Theodosio M. *hac leg.* tribuitur : Quod tamen Constantino M. acceptum fert filius eius Honorius, *d. l. 26. Constantiniana legis*, inquit, *indulto, qua ex bis ex die susceptarum specierum concluso biennio securitates reportare permisit.* Ergo Constantinus M. huius laxamenti seu προθεσμίας Auctor fuerit : quod sequutus etiam Theodosius M. *hac leg.* obliterato vel tacito hic Constantini nomine. *Rationem* autem cur hoc laxamentum Nauiculariis tributum fuerit ? reddit Honorius *d. l. 26. propter aduersa hyemis, & casus fortuitos.* Et tamen mirum cui videri possit, tantum quoque spatium dari *hac leg.* Nauiculariis Illyricianis, species Constantinopolim perferentibus, in tam propinquo sitis. Itaque videri possit *hac lex* pertinere ad Nauicularios Africæ (cuius mentio fit, si modo vitio caret, Inscriptio *huius leg.*) de qua mox, vel ad Alexandrinos. Ergo biennium hoc integrum datum Nauiculariis, intra quod satis commode aduersa hyemis & casus seu moras fortuitas euitare potuerunt, & sic commodum tempus ad vltro citroque commeandum captare. Alioquin si diutius moras nexuerint, & quid periculi deinceps euenerit, id est naufragium passi sint, tam sibi imputare eos oportet : & vt loquitur *hac leg.* Theodosius, *periculorum adprobare fortunam.* Negligentiæ denique suæ expensum ferat Nauicularius, qui tanto biennii spatio commodam nauigandi commeandique occasionem præterlabi passus est, & sic in periculum species coniecit. Biennium porro istud Honorius postea ita diuisit, vt distincte ἀνολκῇ priorem annum tribuerit, posteriorem καθολκῇ *d. l. 26.* vbi dicetur.

Non prætereunda vero est *huius legis* Inscriptio, *Apodemio Præfecto Prætorio Illyrici & Africa.* Mira illa. Nam si de Orientali Illyrico id accipitur, nunquam idem PP. Illyrici & Africæ fuit; vtpote cum Africa Occidentali Imperio, ab Illyrico nimis seiuncta, accenseretur : si de Occidentali, Illyricum cum Italia & Africa ambulabat: si de vtroque iunctim Illyrico quæritur (vt aliquando iuncta fuere) certe non cum Africa verum cum Italia sola ambulauit. Hinc adeo non tantum duobus proximis Annis 390. 391. *Polemius PP. Illyrici* & *Italiæ* dicitur *l. 26. infr. de operib. publ.* & *l. 28. eod. tit.* Flauianus pariter *l. 13. supr. de pœnis* : & *l. 2. supr. de constit. Princip. l. 6. supr. de contrah. empt.* Verum etiam idem hic Apodemius, vel *PP. per Illyricum* simpliciter vocatur hoc ipso Anno *l. 12. supr. de legatis* : vel *PP. Illyrici & Italiæ* Anno proximo *l. 51. supr. de appell.* Quare hoc iam argumento stare non possit istud, *& Afric.* Accedat alterum, quod *hac lex* Theodosio sit tribuenda, vt apparet ex subscript. *Dat. Constantinop.* atquin Africa non Theodosio, verum Valentiniano Iuniori, parebat, vt docet vel *lex 3. supr. de fide & iure hasta.* Quare vel reponendum hic, *& Italiæ*; vel solum legendum *PP. Illyrici*, abdicatis illis, *& Afric.*

XXII. (a) Idem (b) AAA. Rufino PF. P. (c)

Navicvlariorvm vires, ac debitas huic necessitati origines, (d) in ipsis Prouinciis (e) Honoratorum fides lecta pensabit, mansurumque aliquid definiet, vel reuocando excusatos, vel debitos obligando : Quos, compositis omnibus, ad nos referre necesse est : scituros, a nobis de suo iudicio iudicandum. Dat. III. Non. Septemb. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) Male; reponendi hi *Imppp. Theodosius, Arcadius & Honorius.* ID.

(c) Orientis. ID.

(d) *Origines*, id est, eos qui originis iura & nexu ad nauiculariam functionem tenentur. ID.

(e) Orientalibus, Ægypti. ID.

COMMENTARIVS.

Reparationem seu Recensvm Nauiculariorum ab Honoratis per singulas Proincias fieri iubet *hac Constitutione* Theodosius M. Nempe cum ea tempestate partim quorundam Nauicula-

larinrum *vires*, seu facultates, ad alios peruenissent, partim vero quidam ex Nauiculariis a nauicularia functione *excusati*, seu liberati fuissent, atque ita his duabus ratinnibus Nauicularinrum Corpus concidisset, rem eam ad animum reuocandam P. 78. putauit Theodosius M. pro suo videlicet in annonam Vrbis Constantinopolitanæ studin. Igitur Recensum vti dixi fieri iubet, sic vt *excusati reuocentur*: qunmodn & Symmachus ad Valentinianum Iun. Imp. refert *lib. 10. epist. 58.* Mancipes Salinarum impetrasse, vt qui suffragio vel ambitu excusati seu liberati fuissent, reuocarentur, & debiti seu nexi huic necessitati quacunque ratione (siue nriginis iure, siue quia nauiculatiorum vires seu facultates pnssident,) *obligentur*: Atque ita mansurum aliquid definiatur.

Vt autem id mainre fide fiat, duo constituit. Primn, recensum hunc fieri iubet per singulas Prouincias *ab Honoratis*, qunrum fides & industria lecta fuerit; ab *Honoratis* scilicet ideo, vt opinor, quia periculum huius rei eos respiciebat: vtpote cum supplementa Nauiculariorum ex Honoratis seu Honorariis Viris fieri solerent: quod docuit Valentis *constitutio 14. supr. hoc tit.*

Secundo Theodosius recensum, definitinnem, & iudicium factum ab Honoratis ad se referri iubet, ne videlicet dicis gratia seu perfusorie, vel etiam ambitiose aut gratiose hic recensus fieret; atque ita, quod expresse ait, scirent Honorati de ipsnrum iudicio Principem iudicaturum, seu in examen reuocaturum. *Non melius scilicet fidem & officium alicuius in peragendo negotio adstrinxerit Princeps, quam si post eum se quoque iudicaturum denunciet.*

XXIII. (a) Idem (b) AAA. Rufino PF. P. (c)

SOLOS Nauicularios a vectigali præstatione immunes esse præcipimus: Omnes vero Mercatores teneri ad supradictam præstationem in soluendis vectigalibus, absque aliqua exceptione, decernimus. Dat. III. Id. Decemb. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTÆ.

(a) Et *hæc lex* abest a *Cod. Iust.* GOTHOF.

(b) Quos *superiori legi* restituendos dixi. *ID.*

(c) Orientis. *ID.*

COMMENTARIVS,

IMMVNITAS Nauicularinrum negotiantium per Orientem, a vectigali seu portnrio pro aduectis mercibus a Theodosin M. *hac leg.* sancitur: pariter vt a Gratiano per Africam *l. 16. supr.* & ab Hnnorio, *l. 24. prox. infr.* a vectigali inquam; qua appellatione etiam lustralis collatin cnmprehendi possit, a qua certe immunes fuere nauicularii negotiantes, *d. l. 16.*

Porro obseruandum, a Theodosin ῥητῶς *hac leg.* hanc immunitatem tribui SOLIS nauiculariis: (cum tamen & aliis, veluti Veteranis hæc immunitas competierit. Item Clericis quadamtenus, de quo *supr. tit. de Veteranis*: & *tit. de lustrali collat.*) Tanto scilicet fauore Nauicularios prosecutus est Theodnsius M. studin annonæ Constantinopolitanæ, vt solos hns in mercibus negotiantes a vectigali immunes esse voluerit: æquitate ipsa suadente, vtpote qui ipsi laboribus suis efficerent, vt mercibus, & speciebus annonariis Vrbs Constantinopolis abundaret.

XXIV. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Prouincialibus Afric.

NE qua causatio (b) Vectigalium nomine relinquatur, hoc obseruari decernimus, Vt nulla omnino exactio Nauiculariis ingeratur, cum sibi rem gerere probabuntur, sed a præstatione vectigalium habeantur immunes. Dat. VII. Kalend. Iun. (c) Med. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iust.* nisi quod ex *hac leg.* compendiosa hæc sententia exceptionis voce subiexta *legi 6. Cod. Iust. de vectigalib. Exceptis Nauiculariis, cum sibi gerere rem probabuntur.* GOTHOFRED.

(b) *Causatio*, id est, difficultas, dubietas, lis. *ID.*

(c) An *Ian*? vt *l. 25. prox.* *ID.*

COM-

COMMENTARIVS

Honorii Imperatoris tredecim constitutiones sequuntur de Nauicolariis, pro annona Vrbis Romæ subinde laborantis. Inter cætera porro Honorii hac parte instituta & illud fuit, prouidere, vt ab vna parte sua Nauicularis Privilegia constarent: ab altera vero, ne priuilegiorum suorum obtentu Nauicularii fraudem facerent: Ad quod vtrumque spectat *hac lex*, quæ est de Immvnitate Nauiculariorum, & quidem Africanorum, negotiantium, a vectigalium præstatione: Quæ sane iam duabus legibus supra sancita fuit: a Gratiano *l. 16. sup.* & a Theodosio M. *l. 23. supr. prox.* Scilicet Prouinciales Africæ (quibus *hac lex* inscribitur) apud Honorium *causati* seu conquesti videntur de hac Nauiculariorum immunitate, ac maxime quod Nauicularii alii's latebram & mantelium obtenderent. Honorius itaque remedium huic rei adferre *hac l.* instituit; ita quidem vt & porro iubeat Nauicularios a vectigalium præstatione immunes esse, dummodo sibi rem gererent, id est, reuera pro se negotiarentur: quod Tribonianus *legi sua* 6. *Cod. Iust. de vectigalibus*, hinc subtexuit. Quæ ipsa prorsus cautela est, quam in hac re adhibuit Gratianus *d. l.* 16. fraudibus obuiam ire contentus, stante semper priuilegio. De quo plura ad *d. l. 16.*

P. 79. XXV. (a) Idem AA. Ennodio (b) Suo (c) Sal.

De Nauiculariis & Curialibus aliquid sanxissemus, nisi Diui Patris (d) Nostri super his personis processisset auctoritas. † Dat. VII. Kalend. Ian. (e) Med. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTÆ.

(a) Iungenda *huic leg.* est *lex* 149. *supr. de Decurion.* Forte etiam *lex* 141. 142. 143. 144. 145. *d. tit. de Decurion.* itemque *lex* 24. *supr. de annona & tributis*: & *l.* 53. *supr. de appellationib.* etsi dies alibi alius adscriptus. GOTHOF.

(b) *Ennodio d. l.* 141. 142 143. 144. 145. & *d. l.* 53. & *d. l.* 24. & sic omnibus aliis *legibus.* ID.

(c) Proconsuli Africæ, vt docent quoque *leges illa* 141. 142. 143. 144. 145. & *d. l.* 53. ID.

(d) Theodosii M. ID.

† Id est, ronstitutio: & intelligit *legem* 19. *supr.* ID.

(e) Pars & quidem potissima *legum*, quæ *huic* coniungendæ, habent *XVII. Kal. Ian.* vna habet *XII. Kal. Ian.* Præter *hanc leg.* altera, puta *lex* 149. *supr. de Decurion.* habet *VII. Kal. Ian. Lex* 24. *de ann. & tribut.* habet *XII. Kal. Ian.* ID.

COMMENTARIVS.

De Reparatione seu Svpplemento Nauiculariorum, ex Cvrialiavs, Patris sui Theodosii M. constitutionem (vt puto *l.* 19. *supr.*) firmare mihi videtur Honorius, *hac leg.* quæ pars est prolixæ constitutionis Honorianæ ad Ennoium Proconsulem Africæ: qua Honorius in vniuersum vtilitati consultom iuit Curiarum, & Curialium, vt docet *l.* 141. 142. 143. 144. 145. *supr. de Decurionib. lex* 53. *supr. de appellat.* Item Corporatorum, vt ostendit *lex* 24. *supr. de annona & tributis.* Denique Nauiculariorum *hac leg.* (cui coassandæ & committendæ fuot reliquæ illæ omnes) imo & *d. l.* 149. *supr. de Decurionib.* Et sic vno verbo trium Corporum in Africa Reipubl. vtilissimorum vtilitati ea constitutione consultum iuit Hoonrius: si modo omnes *huic* coniungendæ sunt. Certe vt *hac lex* posita est, nihil ea ponit aut desinit: quod inter vitia *huius Codicis* Conditorum pono.

XXVI. (a) Idem AA. Eusebio PF. P. (b)

Comperimvs Nauicularios (c) susceptas (d) species in negotiationis emolumenta conuertere, (e) eo quod abutantur Constantinianæ † legis indulto, quæ his ex die susceptarum specierum concluso biennio securitates (f) reportare permisit. Quod nos quoque non prohibemus, sed tantum sententiæ consultæ definitionis addimus, Vt (g) intra annum, quas susceperint, inferant species, & eiusdem Consulis (h) securitates reportent, quæ etiam diem inlationis edoceant. (i) Biennium autem propter aduersa hyemis & casus fortuitos in reportandis securitatibus non negamus, dummodo intra tempus superius designatum fides peracti constet officii: Quod ad omnium notitiam volumus peruenire, vt cognoscant, transmissionem, vel traditionem intra annum susceptionis esse conplectendam (k) Dat. X. Kalend. Ian. Med. Arcad. III. (l) & Honor. II. AA. Coss. [396.]

NOTÆ.

(a) *L. 4. Cod. Iust. eod. tit.* Concordat huic *lex 21. supr.* GOTHOF.

(b) Italiæ: cui hoc ipso Anno inscribitur *lex 7. supr. de censitoribus*: quæ fidem facit, eum PP. Italiæ fuisse: & superiore Anno *lex 12. infr. de infirm. his quæ sub. Tyr.* ID.

(c) *Nauclerot*, Cod. Iust. ID.

(d) Sibi delegatas, commissas. ID.

(e) Cætera absunt a Cod. Iust. vsque ad illa, *vt intra annum*. ID.

† Constantini M. constitutionem obserua: de qua iam quoque ad *l. 21. supr.* ID.

(f) *Securitates* hic & *d. l. 21.* id est, Apochæ: relatoriæ, *l. 8. supr.* ID.

(g) *Ideoque decernimus vt intra annum*, &c. Ita τελῶν. ID.

(h) *Eiusdem Consulis*, hæc recidit τελῶν: de quo mox. *Eiusd. consul.* id est, anni. ID.

(i) *Vt intra alterum annum eis reddantur, a quibus species præstita sint*: ita *hanc leg.* concludit τελῶν. cæteris resecatis. ID.

(k) Defendi possit: Quanquam probabiliter tentare quis posset, *complendam*: vt *l. 2. supr. de conditis in publ. horr.* *quum omnis canon fuerit completus.* ID.

(l) γρ. *IV.* vt etiam habetur in nonnullis Edit. *Cod. Iust.* Par error in *l. 2. supr. de condit. in publ. horr.* ID.

COMMENTARIVS.

De Tempore ἀνολκῆς καὶ καθολκῆς, est hæc Honorii constitutio, pariter vt Theodosii M. *lex 21. supr.* Quæ quatuor insuper, præter ea inquam quæ *dicta l. 21.* continentur, complectitur.

Primum quidem Historicum est: nempe quod spatium istud seu tempus a Constantino M. Naiuculariis primum indultum fuerit: cuius alibi mentio non extat, imo cuius mentionem suppressit Theodosius *d. l. 21.*

Secundo, *causam* huius spatii indulgendi con-
P.80. tinet, nempe propter aduersa hyemis & casus fortuitos; quod ad *d. l. 21.* iam in antecessum excussimus.

Tertio, indicat hoc spatio seu laxamento temporis abuti cœpisse Nauicularios, in rem suam: Nempe, cum biennium iis indultum fuisset ad reportandas Apochas, seu Relatorias (vt vocantur *l. 8. supr.*) traditarum a se Susceptori specierum, susceptas species in negotiationis emolumentum interim conuertebant: scilicet, cum satis esse putarent, si intra biennium has securitates referrent, species interea sibi commissas, quam tarde possent reddebant: & sic medio hoc tempore species in negotiationis emolumentum conuertebant: forte enim frumenta indigentibus priuatis venundabant, mox viliore pretio aliunde coëmptis modiationem sibi commissam replebant, sicque sub finem ferme biennii demum tradebant, interpreti compendium sibi vindicantes: Cui similem nundinationem memorat Ammianus Marcellinus, *lib. 28. c. 1.* de Hymetio agens; *Cum Africam*, inquit, *Proconsulare regeret, Carthaginiensibus victus inopia iam lassatis, ex horreis Romano populo destinatis frumentum dedit, pauloque postea cum prouenisset segetum copia, integre sine vlla restituit mora. Verum quoniam denis modiis singulis solidis indigentibus venundatis, emerat ipse tricenos, interpretii compendium ad Principis ærarium misit: Ideoque Valentinianus per nundinationem suspicatus parum quam oportuerat missum, cum bonorum parte mulctauit.* De simili auri suscepti nundinatione, negotiatione, est *lex 3. supr. de his qui cum disp. contrax.* Atque hæc *huiusce legis* ferendæ occasio est.

Huic igitur nundinationi (quod argumentum *huius legis* est) seu negotiationi *hac leg.* obuiam it Honorius Imp. id deinceps efficiendo, vt quam celerrime nauicularii species sibi commissas perferant quo debent, laxamento biennii nihilominus stante. Nempe biennium ita deinceps diuidi iubet, vt distincte ἀνολκῇ, id est, subuectioni, traditioni, transmissioni, inlationi specierum annum primum tribuat; alterum vero annum referendæ Apochæ seu καθολκῇ. Quo quidem tam Naiculariis consulit, biennium iam antea consulta definitione concessum his relinquendo: quam Canoni frumentario Vrbicario, distinctionem illam addendo. Denique intra eundem Consulem, seu annum, Apocham Nauicularium accipere necesse est: quæ diem inlationis contineat, vnde fides peracti officii fieri possit: etsi intra biennium tantum eam referat. Atque ita *legi 21. supr.* quodammodo derogatur, vel saltem lux infertur, quæ in eo acquiescebat, dummodo de fide peracti officii a Nauiculariis intra biennium constaret: ac proinde satis erat, vel prope decursum biennii redditas & illatas fuisse a Nauiculario species: dummodo intra biennium de eo fides fieret. At enim *hac leg.* species reddi vult intra primum annum, etsi propter aduersa hyemis alterum annum concedat: quia scilicet non illico vbi species redditæ fuerunt, etiam opportuna tempestas affulgere potest ad redeundum, quin expectanda sæpe diu occasio prosperiorque flatus est. Viceuersa, vnus annus sufficere debet ad reddendas species: Quod quidem Honorii institutum, annonæ vrbicæ fauore, circa tempus reddendarum specierum, notandum est. Cuius & alterum postea institutum eodem intuitu circa *Tempus* continetur *l. 34. infr.*

XXVII. (a) Idem AA. ad Senatum & Populum (b) Post alia.

Naviculario (c) tertiam Vrbani canonis portionem inter prima nauigationis iubemus deferre exordia: Quorum classem in Curiæ (d) vetustatem conlapsam Prætoriana Præfectura (e) restituat, ita vt omnes qui prædia his obligata muneribus, quibuslibet modis, vel contractibus, impetrarunt, (f) secundum possessionis modum ad commeandi

andi (g) vocentur officium: &c. Dat. XVII. Kalend. Maii, Med. Cæfario & Attico Coss. [397.]

NOTÆ.

(a) Iungendæ *huic* fex aliæ *leges*: puta *lex 5. infr. de naufrag. l. 24. fupr. de Sufceptor. lex 3. infr. de Canone frum. V. R. l. 6. 7. fupr. de Senatorib. l. 31. fupr. de Pretorib. l. 3. Cod. Iuft. qua res venire.* ***GOTHOF.***

(b) Vrbis Romæ. *ID*

(c) *γρ. Naucularios*: quibus refpondent mox illa, *quorum claffem*, &c. *ID.*

(d) *γρ. Vel incuria vetuftate*, vel *incuria vetuftatis*, vel (quod malim) *incuria & vetuftate.* *ID.*

(e) Italiæ, id eft, Præfectus Prætorio Italiæ. *ID.*

(f) Vel in fe traxerunt. *ID.*

(g) Id eft, ad Naucleariam functionem: Ita *fupr. f. l. 7.* frequentent maritimos commeatus. *ID.*

COMMENTARIVS.

De Reparatione Claffis Africanæ ad perferendam a Nauicularijs annonam Vrbicam ad Vrbem Romam, & quidem tempeftiue, eft hæc Conftitutio Honorii Anno D. 397. Quæ pars eft prolixioris Orationis Honorianæ ad Senatum ac populum emiffæ, qua Honorius in vniuerfum tum voluptatibus populi Romani, tum Annonæ Vrbicæ confultum iuit: quod docent *leges* illæ, quas cum *hac* coaffindas dixi, ceu vnius Orationis partes: Ac maxime quidem, Annonæ Vrbicæ, quo præter *hanc legem* pertinet ex dictis legibus *d. lex 5. infr. de naufrag. lex 24. fupr. de Sufcept. l. 3. infr. de Can. frum. V. R.* (cuius præfatio in id notanda. *Certum habeatis, Patres Confcripti, quantum Curarum impendimus pro veftris ac populi commodis.* Vbi etiam *commodorum* vox in hac re annonaria σημαντικὴ eft, vt ad eam *leg.* oftendam:) Item *lex 3. Cod. Iuft. qua res venire.*

Cæterum, ideo tam enixam hac Oratione fua, alijfque circa hoc tempus Conftitutionibus, annonæ follicitudinem in fe recepit Honorius, quod *Gildone* & Gildonianis Africæ incubantibus, iam a fine Anni fuperioris 396. reique nauicularíæ & euectionum raritate vel tarditate grauiffima fames Romæ obotta fuerit, maiorque in dies metueretur.

Porro inter alia mala *Tarditati fubuectionis*, per Nauiculariorum paucitatem hac *Orationis fua parte* Honorius occurrit, quo fiebat vt Canon Vrbi-
P. 81. cus ad annonam vrbis neceffarius, tempeftiue non fubueheretur, cum non effent numero fufficienti, qui Canonem fubueherent, atque ita *Reparanda claffi Africana* incumbit. Igitur ftatuit Honorius, vt Tertia Vrbani Canonis portio a Nauicularijs perferatur ftatim inter prima nauigationis exordia. Scilicet exiguis commeatibus, feu cum parua claffe, modicæ, per interualla Canonis Vrbici partes deferebantur: vnde fiebat, vt vix vnquam totus, feu integer Canon Romam perferretur, antequam infanum mare hyemaret, feu ante hyemem, de quo frequentes querelæ hac tempeftate occurrunt, etiam apud Symmachum. Igitur claffem Nauiculariorum ita, eoque numero, reparari & inftrui vult Honorius, vt integram Vrbani Canonis tertiam portionem inter prima nauigationis exordia deferre poffint primo cataplo, prima claffe, menfe videlicet Martio vel Aprili, quo mare aperiebatur, de quo plene ad *l. 3. infr. de naufragiis.* Atque ita accipiendum eft *legis* huius initium. Vt autem (quæ fecunda *huius leg.* cautio eft) fufficiens hanc ad rem Nauiculariorum numerus fuppetere deinceps poffit, Reparationi claffis Africanæ modum imponit. Scilicet collapfum eorum numerum tum incuria tum vetuftate reftitui iubet a Præfecto Prætorio (quomodo & *l. 14. fupr.*) Italiæ fc. in fpecie *huius leg.* fub cuius difpofitione erat Africa, vnde Canon Vrbicus fubuehebatur: vocatis nempe ad hoc fubuectionis munus (quod *commeandi officium*, hac *leg.*) iis, qui prædia nauiculariæ functioni obnoxia poffidebant, pro rata poffeffionis, feu, vt dicitur *l. 8. infr. de prædiis Nauicular.* fecundum agri opinionem, quocunque modo vel contractu ea adquifiuerint: Quod iuris tralatitii fuit, vt docet quoque *lex 3. 19. 20. fupr.* & *lex 35. infr.* & *tit. prox. infr. de prædiis Nauiculariorum.*

Et ita quidem Tarditati tranfuectionis Canonis Vrbicarii occurrit *hac Orationis fua parte* Honorius: qui fraudibus Sufceptorum Nauiculariorum circa eum admitti folitis occurrit *aliis partibus eiufdem Orationis*, puta *d. l. 24. fupr. de Sufcept. l. 3 infr. de Can. frum. V. R. l. 5. infr. de naufr. l. 3. Cod. Iuft. qua res venire.*

XXVIII. (a) Idem AA. Meffalæ PF. P. (b) Poft alia. (c)

Provideatvr, vt naues finguli quique, nauiculariæ obnoxii functioni, ad neceffarium & conftitutum modum exædificare cogantur, vt onera debita & iufta fufcipiant: Qui fcient, fe de propriis periclitaturos effe fortunis, nifi in his præparandis debitæ capacitatis fummam modumque feruauerint. Dat. XIV. Kal. Mart. Med. Theodoro V. C. Coss. [399.]

NOTÆ.

(a) Iungenda *huic* est *lex* 8. *infr. de præd. Nauicular.* GOTHOF.

(b) Italiæ. ID.

(c) Quæ continentur *d. l.* 8. ID.

COMMENTARIVS,

DE CAPACITATE Naoium, seu de Nauibus onerariis, iusta capacitate a Nauicula-riis exædificandis, est *hac* Honorii *constitutio*: Nempe REPARATIONI rei nauiculatiæ prouisurus Honorius Imp. Anno D. 399. (& sic annonæ Vrbicæ subuenturus) constitutione sua ad Messalam PP. Italiæ emissa, cuius hæc *lex*, & *lex* 8. *de prædiis Nauicular.* (quæ proinde *huic* coassaoda venit) partes sunt, duplici remedio consulere in aoimum induxit, sicut duplici malo collapsa fuerat. Primum, *prædiorum*, quæ Nauiculariæ functioni obnoxia sunt, possessoribus ad nauiculariam functionem vocatis, *d. l.* 8. de quo tralatitio remedio iam etiam aliquid ad *leg. super.* Secundo, cum noo iustæ *Capacitatis* naues haberent Nauicularii, atque adeo onera iusta suscipere non possent, eueniebat vt Canon integer, suoque tempore subuehi non posset: Itaque *hac leg.* prouideri cupit Honorius, vt Nauicularii naues exædificent, præparent, habeantque; iustæ, debitæ, necessariæ capacitatis & modi: De quo *capacitatis* modo est rursum *lex* 2. *infr. de naufragiis*: quæ cooiungenda est cum *l.* 12. *hoc tit.* sub pœna bonorum amissionis. Quis autem capacitatis istius modus fuerit non exprimit.

Sane circa capacitatem nauium varia subinde in Republ. Romana reperio. Primum *Lege Claudia Tribunitia* cautum, *Ne quis Senator, quiue Senatorio patre esset, maritimam nauem, qua plus quam 300. amphorarum esset, haberet: Id satis habitum* (inquit Liuius *lib* 21. *extremo*) *ad fructus ex agris vectandos, quæstusque omnis Patribus indecorus visus est.* Ex quo apparet, negotiatorias naues longe plus quam 300. amphorarum capaces fuisse.

Secundo reperio, deportatis ex *Lege Augusti*, non licuisse habere nisi naues actuarias duas, & onerariam nauem vnam, quæ non esset plus quam 1000. amphorarum, de quo Dio *lib.* 56. *ad an. V. C.* 765. Vnde rursum apparet, negotiatorias naues fuisse plus quam mille amphorarum.

Tertio reperio, *edicto D. Claudii* cautum, *Vt nane Latinus Ciuitatem Romanam acciperet, si non minorem quam decem millium modiorum nauem fabricasset, & Romam sex annis frumentum portasset*: teste Vlpiano *fragm. tit.* 3. *de Latinis* §. *vlt.* de quo edicto sensit & Suetonius *in Claudio*, *c.* 18. 19. Id quod etiam ad Nauicularios nostros non pertinet, qui personæ suæ cooditione ad nauiculariam functionem tenebantur, verum ad priuatos alios, naues mercaturæ causa fabricantes, vt diserte ait Suetonius. Interim hinc colligitur, nauium negotiatoriarum capacitatem ordinariam fuisse decem millium modiorum, pariter vt ex eo quod mox notabo.

Quarto igitur disco ex Scæuola *l.* 3. *D. de vacat. & excusat. mun.* iis qui naues marinas (singulas scilicet) fabricauerant, & ad annonam populi Romani præberent, non minores quinquaginta millium modiorum, vel plures, singulas non minores decem millium modiorum, muneris publici vacationem datam. Vnde rursum apparet, communem nauium maritimarum capacitatem fuisse decem millium modiorum. P. 81.

Quinto *Nouell. Theodosii Iun.* 15. *de nauib. vltra duorum millium modiorum*, cauetur; vt ne cuiusquam nauis vltra duorum millium modiorum capacitatem vsque quo felix embola tota aducoerit, publicæque species transuectæ fuerint, excusetur. Vnde appareret maiorem modum & capacitatem nauium onerariarum, frumentariarum, quibus inquam annona publica transuehebatur, quam duorum millium modiorum fuisse.

Sexto, *Nouella Valentiniani Tertii*, inter *Theodosianas* 38. *de nauiculariis amnicis* (Vrbicis) cauetur, Ne nauiculario liceat naoem facere nouam, vel instaurare, iotra *capacitatem* 40. *cuparum*: ibidemque additur, priuatorum naues legitimæ capacitatis necessitatem nauiculariæ functionis singulis cursibus, minores binis solidis adiuuare debere. Igitur ex Valentiniani Placidiæ F. constitutione Nauiculariorum naues maiores esse oportuit, quam 40. cuparum. De Amphoris, *Cupis*, Modiis, quid quantum singulæ hæ mensuræ continerent, intra modum aliquem videndum. Amphora modios tres continebat, vt docet *Volusius Mæcianus in fin. libelli de ponder.* ergo nauis 300. Amphorarum, erat 900. modiorum: Nauis mille Amphorarum, erat trium millium modiorum: nondum iustæ & negotiatoriæ capacitatis, verum quæ triplo & amplius capacior erat, nempe 10000. modiorum.

XXIX. (a) Idem AA. Flauiano P. V. (b)

DEPREHENSÆ (c) fraudes iure puniuntur: Solidos itaque, quos Sublimitas Tua eruere valuit ab his (d) qui in nauicularios (e) prædas egerunt, volumus nauiculariorum commodis reseruari. Et (f) ne, simpli pœna in raptores constituta, crescat audacia in posterum, sancimus, Vt quicumque in rapinis fuerit deprehensus in pœnam quadrupli teneatur. PP. Rom. in Foro Aproniani, IX. Kalend. Feb. Stilichone & Aureliano Coss. [400.]

NOTÆ.

(a) *L.* 5. *Cod. Iustin. eod. tit.* GOTHOF.

(b) Romæ. ID.

(c) Hæc

(c) *Hæc prima sententia recisa a τρίβων, vsque ad Ab his, &c, & deinceps etiam, quæ de simpli pœna adduntur. IDEM.*

(d) *Ab his qui in Naucleros prædas egerunt, volumus eorum commodis satisfieri*, ita τρίβων. *ID.*

(e) *Naucleros*, Cod. Iust. *ID.*

(f) *Et ideo ne crescat*, ita *Cod. Iust.* recisi iis, de simpli pœna. *ID.*

COMMENTARIVS.

De Concvsstontbva, prædis, fraudibusque, & rapinis in Nauicularios exercitis, est hæc Honorii Imp. Constitutio: Neque tamen, vt opinor, de omni prædæ genere: Sane, non de rapina in naufragio (quod recte vidit *Glossa*:) verum de concussionibus, quibus videlicet Iudices, Apparitores, similesque, Nauicularios concutiebant: de quo est insuper *lex 9. supr.* & *lex 36. 37. infr.* vbi specialius de concussionum istarum generibus. Igitur huiusmodi raptoribus pœnam *hac leg.* indicit Honorius. Et quidem in præteritum, vt rapta restituant, solidos inquam, quos per concussionem exegerant, & sic simpli pœnam: in futurum vero quadrupli pœnam: quæ tralatitia Rapinæ pœna est, seu actionis vi bonorum raptorum. De qua vid. plures alios textus congestos in *Indicem* in *v. Quadrupli.* Quare error est Cuiacii, qui hanc *legem* in *Codicem Iustinianeum* paulo aliter relatam, ita accepit; quasi ea iubeatur, rem raptam prius restitui, mox extra rem pœnam Quadrupli præstari: atque adeo hanc actionem propriam quandam actionem non vi bonorum raptorum esse: quandoquidem ea non mere pœnalis sit, seu non Quadruplum extra rem contineat. Quod erroneum est: nam siue *hanc legem*, prout *hoc Codice* habetur, attendimus, quod *initio legis* hic iubetur, commodis Nauiculariorum solidos reseruari, id præteritum tantum tempus respicit: non vero rem indicat pœnæ oppositam. Si, prout in *Codice Iustinianeo* initium *legis* immutatum est: *Ab iis qui in Naucleros prædas egerunt, volumus eorum commodis satisfieri:* non ideo tamen illis verbis nuda rei restitutio indicatur, verum pœnæ, quæ mox subiicitur, præfationem continent. Vnde mox hæc subiiciuntur. *Et ideo, ne* &c. quæ indicant, quomodo rapinam passorum commodis satisfaciendum sit, nempe per Quadrupli pœnam, quod etiam Lucas de Penna recte vidit, & Glossa prætulit, & post eam Pyrrhus & Dynus. Ergo vt *lex* hæc habet in *Codice Iustinianeo* ea tantum in futurum cauet, pœna Quadrupli proposita: immutata tantum priore sententia, (pro more conditorum *eius Codicis*) quæ præteritum respiciebat. Porro siue Simplum siue Quadruplum istud, Honorius *hac leg.* Nauiculariorum commodis reseruari vult non fisco: scilicet quia non in rebus seu speciebus fiscalibus naui commissis, præda admissa est, verum præda acta in nauicularios ipsos: Et tamen Quadrupli pœnam hanc fisco exsolui postea voluit Theodos. Iunior, *l. 36. infr.*

Quatuor interim ad *hanc leg.* notari velim. Primo tres hoc Anno *Flauiano P. V.* Romæ constitutiones inscribi, & quartam Benigno Vic. Vrbis Romæ, & multas alias præterea *leges* ab Honorio hoc Anno latas, *intuitu venerandæ vrbis*, id est, Romæ; inter alias quoque *leg. prox. sequent.* Hoc enim illud tempus est, quo Honorius Imperator, Gildone debellato, Romæ expetitus tandem Stilichone hoc Anno Consule Romam inuisit, vt testatur Claudianus *in 6. Consul. Honorii v. 539. seqq.*

Secundo, neque patior *huic leg.* coniungi *legem penult. Cod. Iust. de excusat. tutor.* (quod Cuiacius tentabat) qua statuitur, excusationem a tutela siue cura hactenus Nauiculariis tribui, vt tamen ad minorum sui Corporis tutelam & curam obligentur: neque enim aut mensis aut dies aut loca quadrant: Et vt maxime hæc *proposita legis* diem contineat, illa *data* (quomodo id conciliare tentat Cuiacius) nihilo magis tamen id ad rem facit: quia attendisse debuit Cuiacius, prius *hanc leg.* Propositam dici, nempe *IX. Kal. Feb.* quam Data, *d. l. penult. III. Non. Mart.* Atquin non aliter conciliari possint, quam si dies Datæ anteuertat, sequatur dies eius Propositæ. Imo ne Consules quidem eosdem habent: hæc enim PP. *Stilichone & Aureliano Coss.* illa data *AA. Coss.* Itaque & hic error est Cuiacii, qui eosdem Consules habere scripsit, nisi forte in MSS. incidit, quod non puto: constans enim hæc lectio est. P. 83.

Tertio & illud *hac leg.* notari cupio, hanc *legem* propositam *Romæ* in foro Aproniani.

Postremo notanda illa: *Et, ne Simpli pœna in raptores constituta crescat audacia*, &c. Quod non omnino abludit ab eo quod dicitur *l. 16. §. vlt. D. de pœnis.*

XXX. Idem AA. Pompeiano (a) Proc. Afric.

Venerardæ Vrbis (b) intuitu, nauiculariis priuilegia certa delata sunt, quæ quicumque temerare temptauerint, nostra auctoritate propositam multam lege, inferre cogantur. Dat. XVII. Kalend. Iul, Med, Stilichone & Aureliano Coss. [400.]

NOTÆ.

(a) Eidem inscribuntur etiam hoc ipso Anno complures aliæ *leges*, e quibus forte nonnullæ huic coniungendæ sunt: & in his quidem *lex 18. supr. de lustrali collat.* & *l. 166. supr. de Decurionib.* *GOTHOFRED.*

(b) Romæ. *ID.*

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIA Nauiculariorum, (Africanorum nominatim,) ab Honorio Imp. confirmantur *hac leg.* pariter vt *l. prox. 31. & 36. hoc tit.* de quibus sunt duodecim præterea *hoc titulo* constitutiones, quæ e *Paratitlo* repeti possunt. Causa saltem priuilegiorum horum, quæ *hac leg.* indicatur, obseruetur: nempe ea concessa intuitu venerandæ Vrbis, Romæ scil. id est, propter famem annonæ Vrbicæ: Quæ forte imminuta fuerat a Gildonianis vrbem fame prementibus.

XXXI. (a) Idem (b) AA. Hadriano PF. P. (c)

VNIVERSA, quæ Consultis (d) nostris, vel decretis Inlustris Præfecturæ (e) indulta sunt nauiculariis, si nulla melior vtiliotque sententia commutauit, vel auctoritas Sanctionis infregit, firma seruari decernimus. Dat. XV. Kal. Septemb. Honorio A. VI. & Aristineto Coss. [404.]

NOTÆ.

(a) Forte *huic leg.* iungenda *lex 4. Cod. Iust. de lucris advocat.* vbi etiam de Nauiculariis agitur. *GOTHOF.*

(b) *γρ. Imppp. Arcadius, HONORIVS & Theodosius. ID.*

(c) Italiæ. *ID.*

(d) Id est, Constitutis, vel constitutionibus. *ID.*

(e) Prætorianæ, & sic Præfecti Prætorio. *ID.*

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIA Nauiculariorum rursum confirmat *hac leg.* Honorius (pariter vt *l. supr. 30. & l. 36. infr.*) cui forte iungenda *lex 4. Cod. Iust. de lucris advocat.* qua Nauiculariis pariter consulitur aduersus apparitorum prædam. Quæ quidem Priuilegia a duobus fontibus manasse ostendit: partim ex Principum Constitutionibus (qui fons ordinarius) partim decretis Præfectorum Prætorio. Tanta scilicet fuit Præfectorum Prætorio dignitas, quæ etiam *ἀπόρφυρος βασίλεια* erat. *Limitationem* etiam addit, dummodo ea non postea vel sanctione contraria infracta fuerint, nempe a Principe; vel meliore vtilioreque sententia Præfectorum Prætorio commutata fuerint.

XXXII. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Anthemio PF. P. (b)

CVM Nauarchorum cœtus, circiter (c) Prouincias Orientis, inopia nauium, titubaret, &, inuestigandæ classis obtentu, Insularum successus (d) obiret, & nauigandi opportunitate transacta, Iudiciorum (e) indignatio sine transuectionis expectaretur (f) effectu, merito Celsitudo Tua, PF. Augustali & Insularum Præside conuentis, Alexandrinæ & Carpathiæ classis Summates, & nonnullos alios (g) Naucleros, eo professionis (h) adduxit, Vt onus frumentarii commeatus, (i) qui (k) per Orientales Nauarchos ex Alexandrinæ ciuitatis conditis (l) censuerat (m) ad Sacratissimam Vrbem (n) transferri, in suam fidem susceptum, ad eadem Augustissimæ Vrbis horrea comportaret; (o) solatiis, (p) pro mercedula, præstitis, ex tributariæ pensitationis immunitate, (q) vel ex eo quod vocatur *filicon*: (r) Necnon etiam alios (s) quæ Tuæ Cognitionis limauit (t) examen: Ita, (*) vt super Naufragiorum, quæ contigerint, casibus, vsitato more habita quæstione, si qui v) calculus (x) modiationis (y) dicatur tempestate maris deperisse, sub Tuæ (z) Sedis auditione nequaquam feratur acceptus, (aa) sed hæc dispendii lacuna (bb) in omne nauiculariorum (cc) concilium, (dd) pro rata scilicet contingentis muneris, deferatur. Hæc (ee) igitur nostra Lege firmamus. Dat. XIV. Kalend. Feb. Honorio VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

NOTÆ.

N O T Æ.

(a) *L. 6. Cod. Iust. eod. tit.* & *l. 6. Cod. Iust. de naufragiis.* Forte *huic* iungenda *lex 1. infr. de frum. Alexandrino.* GOTHOFRED.

(b) Orientis. *ID.*

(c) Id est, *circa*, vt habetur etiam in nonnullis Cod. Inst. *ID.*

(d) γρ. *Secessus*, vt *Cod. Iust.* Abscessus, *l. 2. supr. de itiner. & itin. cust.* *ID.*

(e) Id est, Iudicum. *ID.*

(f) Pro *timeretur.* *ID.*

(g) Aliorum locorum. *ID.*

(h) *Professio* generaliter pro oneris in se susceptione: vid. *Gloss.* In Cod. Iust. vulg. Ed. legitur, *eius professionis.* IDEM.

(i) *Commeatus*, vid. *Gloss.* & Iuretus in *Symm. lib. 10. ep. 49.* *ID.*

(k) Recte, *qui* commeatus scil. in *Cod. Iust. Edit. Cuiac.* editum, *quod*, onus scil. in aliis. *qui.* *ID.*

(l) *Conditu*: vid. *Gloss.* & Iuret in *Symm. lib. 9. ep. 14.* *ID.*

(m) γρ. *Consuerat*: vt Cod. Iust. *consueuerat.* *ID.*

(n) Constantinopolitanam. *ID.*

(o) γρ. *Comportarent*: vt etiam recte habetur *Cod. Iust.* *ID.*

(p) *Salariis* Cod. Iust. verum hoc rectum: vid. *Gloss.* *ID.*

(q) Id est, *immanitate*: de quo mox plura. *ID.*

(r) ... *ID.*

(s) *Alii* Cod. Iust. *ID.*

(t) *Limauit*, id est inuestigauit, rimatus est. Gloss. Philox. *Limatur, rimatur, quærit,* (ita γρ.) ζητεῖ. Quare non mutandum in *librauit.* *ID.*

(*) Lex *6. Cod. Inst. de naufrag.* hinc sumpta est. *ID.*

(v) *Quis*, Cod. Iust. *ID.*

(x) *Calculi* vox hæc in re propria. Vide non vno loco apud Cassiodorum, vt II. *Var. 17. & 25.* *ID.*

(y) *Modiatio*, id est mensura tritici forte vel frumenti quæ fiebat per modios *hac leg.* & Gordiani *leg. 16. Cod. Iust. de vsuris*: & Diocletiani *l. 7. Cod. eod. de rer. permut.* Cassiodorus quoque IV. *Var. 7.* in eadem re: *Modiationem tritici, quam sub hac sorte periisse probauerint, prosecutoribus sine aliqua faciat cunctatione reputari.* Eadem vox restituenda II. *Var. 26. Nam si coëmptam speciem expensis publicis necessariam non habetis, ab officio vestro suscepta modiatio* (vulgo moderatio) *distrahatur*, &c. Ita & Marcianus *l. 2. Cod. Inst. de annon. ciuilib. Ed. Cuiac.* qua *leg.* 125. modios frumenti diurnos nomine parapetesmatis annonæ ciuicæ Vrbis Constantinop. addit: *Quam modiationem*, inquit, *iugiter & in perpetuum ciuibus nostris debere conferri, hac lege sancimus.* Ita *leges nauales*, quæ vulgo sub titulo *Iuris naual. Rhodior.* circumferuntur, *cap. 16. pag. 267. Tom. II. Iur. Græc. Rom. Marqu. Freheri*, μοδισμὸν etiam dixere: δεῖ εἶναι τὴν χιλιάδα τοῦ μοδισμοῦ χρυσίων πεντήκοντα, μετὰ πάσης τῆς ἐξαρτίας αὐτοῦ: *oportet chiliadem modiationis esse solidorum quinquaginta, cum omnibus armamentis suis.* *ID.*

(z) Præfecti Prætorio, non vt Lucas de Penna, *Pref. annonæ.* Nempe ad Præfectum Prætorio referebatur hac de re: dicam *infr. tit. de de naufrag.* *ID.*

(aa) Alias melius, *accepto.* *ID.*

(bb) *Iactura*, Cod. Iust. Verum hoc elegantius. Symmachus quoque non semel, *ærarii & sumptuum lacunam* dixit; *lib 5. ep. 76. & lib. 10. epist. 13.* v. *Gloss.* Lacuna rei familiaris, *Ciceroni Verrin.* 2. c. 55. vid. alia apud Iuretum in *Symm lib. 5. ep. 76.* *ID.*

(cc) *Naucleriorum*, Cod. Iustin. *ID.*

(dd) Id est, Corpus. *ID.*

(ee) Hæc absunt a *Cod. Iust.* *ID.*

COMMENTARIVS.

ORIENTALIVM Nauarchorum loco, Alexandrinis & Insularum Nauiculariis transferendæ ANNONÆ Alexandrinæ ad Vrbem CONSTANTINOPOLITANAM onus iniungit *hac Constit.* Theodosius Iun. Anno D. 409. firmata Anthemii PP. Orientis super hac re dispositione, eiusque conditionibus & legibus, cui iungenda videri possit *lex 1. infr. de frum. Alex.* vbi pariter dispositum ab eodem Anthemio PP. pro tuenda Naucleriorum substantia, firmat idem Theodos. Iun. Scilicet Orientales Nauarchi peculiares fuere intra Orientem seu Orientis diœcesim (a Constantino M. vt puto instituti) ad quos præter *hanc leg.* pertinet insuper Constantini M. *lex 7. supr.* & *lex* Valentis *14. supr.* annonæ videlicet Vrbis Constantinopolitanæ seruientes: (qua causa variis priuilegiis & commodis donati fuere a Constantino M. *d. l. 7.* & Valente *d. l. 14.* item Salario, de quo *fine d. l. 7.*) Ita quidem vt Orientales hi Nauarchi onus frumentarii commeatus ex Alexandrinæ ciuitatis conditis ad Vrbem Constantinopolitanam deferrent, (quod hæc lex aperte testatur) verum sæpe factum, vt hoc Orientalium Nauarchorum Corpus imminueretur, vt docuit *d. l. 14.* Item vt inopia nauium subinde titubaret, (quod *hæc lex* docet) sic vt dum classem seu naues inuestigaret, dum insulas, & earum secessus in eum finem, conquirendarum scilicet nauium, obiret, nauigandi opportunitas interea transiret, neque species Constantinopolim transueherentur; atque inde fames Constantinopoli ingrueret; cuiusmodi sæua hoc ipso Anno exorta fuit, teste Chronici Alexandrini Auctore *pag. 717. Ed. Raderi*, & Marcellino *in Chron.* Cui deinceps occursuri Anthemius PP. & Theodosius Iun. de

remediis

remediis cogitare serio cœperunt; cuiusmodi est illud quod continetur *l. 1. infr. de frum. V. Constantinop.* Est hoc alterum quod *hac leg.* comprehenditur, cuius proinde hæc historica causa obseruanda est.

Anthemius igitur PP. Orientis, ei quod dixi malo, deinceps occursurus transuehendæ annonæ ex Alexandrinæ ciuitatis conditis, sollicitudinem tum ad Alexandrinæ, tum ad Carpathiæ classis Summates, item nonnullos alios Naucleros transferendam credidit. Peculiaris scilicet erat classis *Alexandria*, quæ & ipsa subuehendæ annonæ seruiebat, intra modum aliquem, & iunctim hactenus cum Orientalibus. At Anthemius PP. dispositione sua quod Orientalibus ex parte incumbebat, ad Alexandrinos transtulit, qui Summates classis Alexandrinæ vocantur: nempe quia Nauicularii hi seu Nauarchi summo loco fuere: quomodo Summates Viros, Aulæ, Ciuitatis, & similia passim Symmachus vo- p.85. cat: Primates Ordinis Alexandrini, *l. 190. supr. de Decurion.*

Item transtulit ad Summates pariter *Carpathiæ classis:* Nempe in Insula *Carpatho*, quæ hodie *Scarpanto*, classis peculiaris fuit commodissimo loco inter omnes insulas Sporadas maris Ægæi, a quo & mare ipsum *Carpathium* & Carpathiæ Insulæ. Scilicet *Carpathus* sublimis fuit, ambitu stadiorum CC. de qua vid. Strabonem *lib. 10. pag. 749. Edit. Almeloueen.* Plinium *lib. 4. c. 12.* commodissimo situ inter Rhodum & Cretam Insulas, de qua nil attinet plura notare. Inter nauigationes iam olim famosas, & quidem spe lucri, Carpathiæ: testis Iuuenalis *Satyr. 14. versu 278.* Καρπαθίων ὁλκάδες memorat quoque Synesius *epist. 41.* (qui & tam multus est in laudibus Anthemii, quem & Magnum subinde vocat, cui *hæc lex* inscribitur) vbi ait φήμην ἔχειν διανοίᾳ κεχρῆσθαι, καθάπερ οἱ Φαιάκων τῶν πάλαι, *famam esse eas ratione usas, quemadmodum & veterum Phaacum.* Meminit rursum idem horum Carpathiorum *epist. 51.* (*) Ergo Anthemius & ad huius & ad Alexandrinæ classis Summates, translationis onus transtulit, & ad alios nonnullos Naucleros, scilicet maris Ægæi, qui Constantinopolitanæ vrbi propiores erant: Idque conuentis Præfecto Augustali seu Alexandrino, & Præside Insularum, id est, decreto suo ad hoc misso: nam & *decreta*, & quidem super Nauiculariis a Præfectis Prætorio processisse: docuit quoque *lex supr. 31. Insularum* Præses est Cycladum Præses seu Iudex, atque adeo Insularum omnium maris Ægei: sub Vespasiano hanc *Insularum Prouinciam* factam ait Sex. Rufus Festus *in breuiario cap. 10. in fin.* Deinceps extat Constitutio Diocletiani ad Diogenem Præsidem Insularum, puta *lex pen. Cod. Iust. vbi causa status.* Harum Insularum Prouinciæ fit quoque mentio in Constantii Imp. *l. 23. Cod. Iust. de appellat.* qua cauetur, vt appellatio interposita per Insulas ad P. V. Constantinop. fiat. Item vetus Orbis descriptor sub eodem Constantio *Cyclades Insulas* memorat, *qua omnes suum Iudicem habuere.* Meminit quoque *insularum prouincia* sub Valente Imperatore Sextus Rufus Festus *in Breuiario cap. 10.* Meminit & *vetus Notitia Prouinciarum sub Theodosio, M.* inter duodecim Asiæ Prouincias *Cyclades pag. 82. Edit. Cellar. ad calcem Breuiar. Fest.* Meminit denique *Notitia Imperii sub Theodosio hoc Iuniore fol. 68.* ex qua apparet eam tum sub dispositione Proconsulis Asiæ fuisse. De *Cycladum Præside*, vide & Iustinianum *Nouella 163. cap. 2.* vide & quæ de Quæstore *Nouella 41. 50.* Ergo Anthemius PP. transuectionis annonæ ex Vrbe Alexandrina onus ad Vrbem Constantinop. quod Orientalibus Nauarchis incumbebat, ad Alexandrinos & Carpathios & nonnullos alios transtulit: eosque *eo professionis* volentes scilicet adduxit: propositis videlicet præmiis sequentibus. Nempe mercede eis præstituta (quæ Orientalibus antea dabatur, vt docet *d. l. 7. supr. in f.*) ex vno trium sequentium fontium: vel inquam ex *Tributaria pensitationis immunitate.* Quod ita etiam Cuiacius interpretatur, quasi indicetur, pro mercede eis datam tributorum immunitatem. Male: neque enim id hac formula indicatur, immunitatem eis datam; verum ea de salario & mercede agitur: vnde scilicet ea tribui deberet: *Ex tributaria*, inquit, *pensitationis immunitate:* vbi malim legi. *immanitate*, id est, ex cumulo ingenti tributorum, vel *immensitate:* nempe *mercedula*, *immensitati*, seu *immanitati* hic opponitur. Ergo ex tributis seu auro argento, quod tributorum nomine inferebatur a Prouincialibus, solatium seu mercedulam prædictis Nauiculariis constitui voluit Anthemius, vult Theodosius *hac l. Solatium*, pro eo quod deuorando labori compensato datur; quo ipso sensu accipitur *leg. penult. supr. de Palat. Sac.* Eo quoque sensu Spartianus ait *in Vit. Hadr. c. 9.* Hadrianum, *agros bis terue die visitasse, solatiis refouisse, consiliis subleuasse.* Quod quidem ex mole tributorum sumi voluit Anthemius, vult *hac leg.* Theodosius. Vel secundo loco ex eo quod vocatur Φιλικόν: opponitur scilicet hic tributariæ pensitationi, τὸ Φιλικόν; illa scilicet necessaria pensitatio, hæc ex beneuolentia, amiceque datur, vltronee, vltro tributum: Nempe Alexandriæ pensitationis vltroneæ & beneuolæ genus quoddam vltro tributum illud fuit Φιλικόν. Quale autem id fuerit, a quibus penderetur, qua occasione, in incerto est: Nisi forte grata illa inlatio est, cuius fit mentio *l. 1. supr. de frum. V. Constantinop.* quæ *lex* ad eandem historiam pertinet, quo *hæc* nostra. Interim in *Cod. Iust.* nugas egerunt Interpretes, quia aliam vocem huius loco reposuerunt: qui ridere volet, legat Alciatum & Pyrrhum, quorum ille ἀλεκτρυγίας nomen supponebat. Tertium quoque alium fontem eruerat Anthemius, vnde solatium nauiculariis istis præberetur: verum quis fuerit? diuinare non licet.

Ac vt Nauiculariis *Alexandrinis*, & *Carpathiis*, aliisque solatium seu mercedulam constituit Anthemius PP. & Theodosius, ita viceuersa *Naufragii* periculo eosdem obnoxios facit: non vero ideis accepto ferri in fisci dispendium: Nempe quia hi Nauicularii Vrbi Constantinopolitanæ propiores facile νηνεμίαν & nauigandi opportunitatem captare potuerunt, vt proinde sibi imputare eos necesse sit naufragium, si νηνεμίαν non captarunt, qua captata tempestatem maris euitare poterant. Et hæc quidem est huiusce capitis secundi sententia: Quod diuulsum a priore *Codice* Iustinianeo, & separatim in *l. 6. Cod. Iust. de naufragiis*, coniectum, multis erroribus ansam præbuit. Primum enim non pertinet hoc caput ad Nauicularios Orientis, verum ad Alexandrinos & Carpathios. Secundo non tantum *si* horum Nauiculariorum culpa intercessisse probetur, naufragii periculum ad eos pertinet; verum *quia* semper præsumitur in culpa esse,

(*) Sequebantur hic iterum quædam de insula *Carpatho*, excerpta ex Antonii Magini Patauini Geographiæ Ptolemæi part. 2 quæ in Commentarium Maruillius admisit contra mentem GOTHOFREDI. Ego reieci, cum ordinem turbent, & ipse GOTHOFREDVS supra scripserit, *de insula non attinet plura dicere.* Qui de Scarpanto plura desiderat, facile consulere potest recentiores Geographos.

esse, ex ea, quam dixi, ratione. Tertio consequenter hinc apparet, quam frustra laborent Interpretes in *hac leg.* concilianda cum *l. vlt. §. 1. D. ad Leg. Rhod. de iactu*, vbi de naufragio Nauicularius non tenetur, quando sine vitio eius res commendata perit: Nam & in *huius leg.* specie præsupponitur semper culpa Nauicularii intercessisse, etsi id non expresse dicatur in hoc capite, verum id ex totius *huius leg.* argumento & serie perspicue colligitur. Ergo, casus hic specialis notetur, quo sola, sed iusta *Culpæ præsumptio*, etsi ea non probetur, naufragii periculo obnoxios facit Nauicularios: Et sic vt dixi hæc *lex* componenda est cum *d. l. vlt. §. 1.* & cum aliis quæ occurrunt *infr. tit. de naufragiis*. Et ita quidem, in sp. *huius leg.* vt dispendium hoc ad totum Nauiculariorum concilium, pro rata contingentis muneris pertineat seu recedat; Ad totum *concilium*, id est, ad specialem loci vnius
P 86. classem. Finge Alexandrini nauicularii nauem naufragium passam; Alexandrinorum Nauiculariorum Corpus hinc periculum agnoscet, non Carpathianorum, non aliorum: *Concilium*, hic est Corpus speciale vnius loci, qui Nauarchorum cœtus dicitur *initio leg.* Ita concilium sanctissimum Ecclesiæ Catholicæ, venerabileque, *l. 4. infr. de Episcopis*, seu *l. 1. C. Inst. de Sacros. Eccles.* pro Ecclesia speciali cuiusque loci accipiendum; de quo ibi plenius. Qui casus rursum specialis notetur, quo vel ob præsumptam vnius e Corpore culpam, totum Corpus periculo obnoxium redditur: quod & in aliis nonnullis Corporibus obtinet: de quo alibi. Huic sane proximum est, quod & alias vbi naufragii probatio legitime facta non est, ad eorum iniuriam damnum pertineat, qui minus idoneos nominarunt, *l. 4. infr. de naufragiis*. Et ita quidem in specie *huius leg.* in totum concilium Nauiculariorum naufragii periculum recidit, vt singuli ex eo concilio pro *rata* contingentis muneris, teneantur: id est, pro ea portione, pro qua ad specierum transuectionem tenentur. Finge vndecim naues esse seu vndecim Nauicularios, concilii alicuius; vnum naufragium passum, & eo naufragio mille aureorum species amisisse: Sane decem reliqui sunt, in quos hic casus recidit. Sed finge inæquales naues esse Nauiculariis, alias maioris modiationis, alias minoris. Pro rata sua & modiatione quisque tenebitur.

XXXIII. (a) Idem AA. Anthemio PF. P. (b)

QVI (c) fiscales (d) species susceperit (e) deportandas, si, recta nauigatione contemta litora deuia sectatus, eas auertendo distraxerit, capitali pœna plectetur. Dat. XIV. (f) Kalend. Aug. CP. Honorio VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

NOTÆ.

(a) *L. 7. seu penult. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda videtur huic, *lex vnic. supr. de auri publici prosecutoribus: & lex 3. Cod. Iust. de off. ciuil. Iudic.* GOTHOF.

(b) Orientis. *ID.*

(c) Nauicularius. *ID.*

(d) Annonarias, veluti frumentum. *ID.*

(e) *Suscepit.* Cod. Iustin. *ID.*

(f) Ita quoque *d. l. 7.* At *d. l. 1. & d. l. 2. XIII.* *ID.*

COMMENTARIVS.

AVERSI oneris reo, Nauiculario, capitalem pœnam imponit *hac leg.* per Orientem, Theodosius Iunior, Anno D. 409. cui iungenda est *lex vnic. supr. de auri publici prosecutorib.* quæ & ipsa est de *auerso auro publico*, ab eius prosecutore: Quomodo hæc de auerso onere a *frumenti prosecutoribus*: quomodo etiam Nauicularii vocantur a Cassiodoro *IV. Var. 7.* seu simpliciter *prosecutores l. 4. infr. de naufragiis*. Auersi inquam oneris reo, id est, si fiscales species, quas suscepit transferendas, auerterit, distraxerit, vel vt dicitur *hac leg.* auertendo distraxerit. Cui gemina-germana est per Occidentem Honorii *lex 3. Cod. Iust. quæ res venire non possunt* (quæ iungenda est *legi 27. supr. hoc tit.*) Capitalis igitur pœna auertenti imponitur in hac spec. quam Quadrupli pœna Græci immutarunt, propter *Nouellam 62. Leonis*: In caussis sane priuatorum propria actio fuit oneris auersi in duplum. Porro qua ratione nauicularii onus publicum auerterent, ostenditur *hac leg.* nempe recta nauigatione contempta, litora deuia sectando. De διαμέτρῳ, id est, de parte oneris auersa erit *lex vlt. infr.* Cæterum est *hac lex* Constitutionis Theodosii Iun. prolixioris pars (vt apparet ex *d. l. vnic.* & *l. 2. Cod. Iust. de off. ciuil. Iudic.* quæ huic coassandæ veniunt) circa rem Tributariam occupatæ: qua partim fisci indemnitati consulitur *hac leg.* & *d. l. vnic.* partim collatorum ab iniuriis Exactorum & Iudicum *d. l. 2.*

XXXIV. (a) Idem AA. Faustino PF. P. (b) Post alia.

IVDICES, qui in portubus (c) Diœceseos suæ, (d) onusta nauigia, cum prosperior flatus inuitat, (e) sub prætextu hyemis immorari permiserint, vna cum Municipibus, (f) & Corporatis (g) eiusdem Loci, fortunarum propriarum feriantur dis-

pendiis. Nauicularii (h) præterea pœnam deportationis excipiant, si aliquid fraudis eos admisisse fuerit reuelatum. Dat. XVIII. Kalend. Sept. Varane V. C. Cos [410.]

NOTÆ.

(a) *L. vlt. Cod Iust. eod. tit.* Iungenda huic forte *lex 4. Cod. Iust. quæ res venire.* GOTHOF.

(b) *Faustinus* PP. Italiæ sub Honorio Imp. *ID.*

(c) *Partibus*, Cod. Iust. male: Quod Iuretus quoque notauit *in Symm. lib. 4. ep. 54. ID.*

(d) An *tue? ID.*

(e) Cassiodorus I. *Variar. 35. Quæ ergo talis mora, vt in tantis tranquillitatibus velocia necdum fuerint destinata nauigia? cum stellarum non mergentium lucidum sidus tendi carbasa festinanter INVITET, & aëris sereni fides properantium nequeat vota terrere. ID.*

(f) *Municipibus*, id est, Decurionibus: dixi *supr. tit. de Decurionib. ID.*

(g) De *Corporatis* est *infr. titulus. ID.*

(h) *Naucleri*, Cod. Iustin. *ID.*

P. 87.

COMMENTARIVS.

HYBERNO etiam TEMPORE; dummodo *ευπλοια* sit, (id est, dummodo prosperior flatus inuitet) Nauicularios onus seu species fiscales, denique Canonem Vrbicum, deferentes, mari vela dare iubet Honorius Imp. *hac leg.* Anno D. 410. Hybernum scilicet tempus regulariter nauigationi intercipitur, & vero mare nauigationi olim claudebatur (de quo ad *l. 3, tit. de naufragiis*, plene:) puta ab Idib. Octob. in Kalend. Apriles; & quidem ad transferendum Canonem Africanum ad Vrbem Romam, vt docet Gratiani *lex 3. de naufrag.* quo hæc ipsa lex pertinet: sic vt Nauicularii hactenus nauigare eo tempore non tenerentur, de quo ex parte etiam fidem facit Honorii huius *lex 26. supr.* faciet plenius *d. l. 3. infr. de naufrag.* Et tamen *hac leg.* Honorius hyberno tempore non ita nauigationi mare claudi vult, vt non, prosperiore flatu inuitante, Nauicularii nauigare debeant. Nempe id ita extra ordinem nunc constitutum ab Honorio, propter famem quæ hoc Anno D. 410. Romæ erat, atque in dies maior timebatur: sic vt ad infames escas redactum iri metus esset: de quo Zosimus *Historiæ suæ*, quæ superest, *lib. 6. c. 11.* Igitur inter alia (vt docet *huius leg.* Inscriptio, ibi, *post alia*:) quibus annonæ Vrbicæ consultum propere iuit Honorius constitutione sua, & istud est, quod *hac leg.* continetur: qua iubet, etiam hyberno tempore naues nauigare, si prosperior flatus inuitet: cuius, eodem fine alterum inst tutum circa tempus extat *l. 26. supr.* Et vero notandum XVIII. Kalend. Sept. *hanc leg.* datam, scilicet æstate iam prouecta, & in Autumnum inclinante, & sic iam appetente hyeme, id denunciatum in tempore, voluit Honorius. Pœna seuerissima proposita *Iudicibus*, Decurionibus & Corporatis locorum, nempe proscriptionis bonorum, si permisissent in portubus suis onusta nauigia sub prætextu hyemis immorari, cum prosperior flatus inuitaret ad nauigandum: Nauiculariis vero insuper deportationis pœna, si aliquid fraudis admisissent, ne videlicet vela darent, prosperiore flatu inuitante. *Iudicum* scilicet seu Rectorum Prouinciarum desidia hæc semper plectibilis fuit, si culpa sua paterentur annonam vrbicam vel non transmitti tempestiue, vel alio transferri. Mamertini sub Iuliano locus huc facit *cap. 14. Cum Romani populi victus, & exercitus commeatus esset in nauibus, in media expedienda annonæ trepidatione, nuncius venit, plurimas naues Africano tritico graues litus Achaicum præteruectas, Constantinopolim peruolasse? Permoti omnes, & aduersus eos qui oram maritimam tuebantur irati, venimus ad Principem, desidia Iudicum tantum perisse frumenti, certatim pro se quisque conquerimur:* quo loco male habent vulgatæ *Indicum*, vbi & Rhenanus *in ora* editionis suæ indicum desidiam interpretatur, qui scilicet non indicarint: Quem vnica litera fefellit. Huc etiam facit Symmachi locus *lib. 4. epist. 54. Sed quid mihi insusurras frugis Africanæ tenues commeatus? Intercludes, vt spero, prouidentia tristes casuum vias, sacris auribus edocendis, & castigatione Iudicum, quos alimentaria spectat inuectio. Nec spem dies obstruit: nam mare adhuc iustis cursibus patet, & nondum in hyemem præcipitat Autumnus.* Hinc adeo Symmachus *lib. 10. epist. 31. 48.* Iudices Africanos seuerioribus scriptis dissimulari ab Imp. vult, *vt onera consueta dum tractabilis nauigatio est, victui vrbis exhibeant.* Idem vero periculum respicit quoque *Municipes*, id est, Decuriones, & *Corporatos* vrbium: Quæ duo incolarum præcipue genera erant: de quibus *suis titulis.* De Nauiculariorum ipsorum fraudibus, torpedine, mora, iam alibi dictum: videatur & Cassiodori locus *lib. I. Var. ep. 35. in fin.*

De eo videndum superest, quod *initio legis* Iudicibus *Diœcesis* tribuitur: Iudicibus, inquam, id est, Rectoribus singularum Prouinciarum: cum tamen Diœcesis sit σύστημα plurium Prouinciarum, ἡ ἐν αὐτῇ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα: de quo alibi fuse: Vnde iam ita quidam colligunt, *Diœcesin* hac tempestate etiam pro vnica Prouincia vsurpari. Quod non admitto: neque enim vni Iudici *Diœcesis* hac *leg.* tribuitur, verum pluribus *Iudicibus* iunctim *Diœcesis sua*: quo indicatur, plures iunctos suam habuisse & constituisse Diœcesin: Nempe, si rogasses tum Consularem Numidiæ, quænam ipsius Diœcesis foret, id est, cui Diœcesi responderet, respondisset Africam esse suam Diœcesim: non quod ipse Diœceseos istius totius Rector esset, verum quod Prouincia quam administraret, Diœcesi illi responderet: denique singularium Prouinciarum Rectores iudices plures coniuncti suam habent Diœcesim, iure paris. Ex *hac* interim *lege* politicum σκέμμα efficere licet, Principis extra ordinem necessitati famique publicæ consulentis: Quam proinde *legem* ordinarii iuris perperam nonnulli faciunt, quæ *πρὸς καιρὸν* tantum *ἀναγκαῖα* erat.

XXXV.

XXXV. Idem AA. Seleuco PF. P. (a)

VNiversos, quos nauiculariæ condicioni obnoxios inuenit antiquitas, prædictæ functioni conueniet famulari. Personas igitur memoratas, & eorum hæredes, & prædia, persequenda esse decernimus: vt canon Sacratissimæ Vrbis, vel Expeditionalium Portuum necessitas, impleatur. Dat. Prid. Non. Mart. Rau. Honorio IX. & Theod. V. AA. Coss. [412.]

N O T Æ.

(a) Italiæ, in qua Africa, vt docet *lex 31. supr. de annona & tribut.* & *lex 52. infr. de haeret.* quæ eidem inscribuntur hoc ipso Anno, vna cum quarta; puta *l. 22. supr. de cohortalib.* GOTHOF.

COMMENTARIVS.

REparationi seu supplemento Nauiculariorum, incumbit hac Constitutione Honorius Anno D. 412. Nauiculariorum, inquam, qui per Africam: vt etiam colligere licet ex *l. 31. supr. de annona & trib.* & *l. 52. infr. de haeret.* quæ eidem *Seleuco PP.* hoc ipso Anno inscribuntur. Eo videlicet fine, vt canon tum Vrbis Romæ, tum Expeditionalium Portuum necessitas impleatur, id est, vt annona sufficiens ad vsus Vrbis Romæ, & ad necessitates militum ad expeditionem pergentium subministrari possit. Portus expeditionales *hac leg.* & *l. 2. infr. de naufragiis*, sunt Portus, quo miles ad expeditionem iturus appellebat, indeque mouebat: qua causa huiusmodi Portus annona militari instruebantur, seu condita militaria ibi erant, vnde videlicet miles in expeditionem iturus annonam sumeret a se ferme transuehendam. Quomodo pariter Annona expeditionalis dicitur *l. 4. 5. supr. de erogatione militaris annona.* Annona militum in expeditione degentium & quidem ordinaria, buccellatum videlicet & acetum: cui opponitur panis & vinum. Ita & vsus expeditionalis in eodem argumento apud *Spartianum in Vit. Pescen. Nigri cap. 10.*

P. 88

Hinc interim apparet, duplicem curam *hac leg.* gessisse Honorium, pro temporum videlicet statu, quibus Vrbs Roma haud ita pridem afflicta siue Tyrannide, siue fame, (de quo ad *legem superiorem*) & Occidentale Imperium a Barbaris vastabatur, aduersus quos miles mittebatur. Igitur in vtrumque vsum, & annonæ Vrbis Romæ, & annonæ militaris sollicitudinem gerit *hac leg.* Honorius: reparato videlicet Nauiculariorum Corpore, ad species necessarias tanto facilius & promptius transferendas. In eum itaque finem, & personas Nauiculariorum (forte perperam excusatas) & hæredes, & prædia eorum ad nauiculariam functionem vocari iubet: Quod & alias sæpe factum, vt ostendunt *huius tit.* complures *leges*: & *tit. de præd. Naucul.*

XXXVI. (a) Idem AA. Nauiculariis per Africam.

TRibvta Nauiculariis *Priuilegia* hac interminatione (b) firmamus, vt si quis, cuiuslibet dignitatis, Iudicum, vel Militantum, crediderit neglegenda, & aditus negauerit petitum a se Tuitionis præsidium, patrimonium suum nouerit istius functionis oneribus addicendum, sine vlla spe veniæ, quam de nobis sub Annotationis indulto meruerit. Illud etiam addimus, vt decem librarum auri multa tam Nauiculariis, quam Iudicibus (c) necnon Proconsuli (d) & Vicario, (e) Spectabilibus viris, & V. C. PF. Annonæ (f) Officiisque eorum, proponatur, si vmquam (g) ordine (h) memorato, vel ipsi coegerint, vel sponte cupienti (quod non potest fieri) de centesimis suis auferri permiserint, vel de propria substantia quidquam Sportulæ nomine cuiquam donare, vel offerre personæ: vt à singulis constitutum multæ pondus non ambigant exigendum: Accipientem quoque quadruplum fisco nostro iubemus exsoluere: &c. Dat. XVI. Kalend. April. Rau. Honor. IX & Theod. V. AA. Coss. [412.]

N O T Æ.

(a) Iungenda huic *lex 37. prox.* & *lex 6. seu vlt. infr. de naufragiis.* GOTHOF.

(b) Vid. *Gloss.* de hac *Interminationis* voce. *ID.*

(c) Id est, a rectoribus Prouinciarum (Africæ) vt *l. 34. supr.* *ID.*

(d) Africæ. *ID*

(e) Africæ. *ID.*

(f) Africæ. *ID.*
(g) *γρ. qui quam:* vel vtrumque *vnquam quicquam.* *ID.*
(h) *γρ. Ordinis* (Nauiculariorum scilicet) *ID.*

XXXVII. (a) Idem AA. Nauiculariis per Africam. Post alia.

SI vlla Dignitas (b) vel Apparitio, frumenti curam sustinens dirigendi, a Nauiculario, Magistroue (c) nauis, aliquid accepisse detegitur, probato crimini, pro motu (d) Iudicis, pœna non desit: &c. Dat. XVI. Kalend. April. Rau. Honor. IX. & Theod. V. AA. Coss. [412.]

N O T Æ.

(a) Iungenda huic *lex 36. supr. prox.* & *lex 6. seu vlt. infr. de naufragiis.* GOTHOF.
(b) Veluti *Notarius*: de quo mox. *ID.*
(c) De *Magistro nauis* agitur quoque *l. 5. infr. de naufragiis.* *ID.*
(d) *Motus* Iudicis, *vid. Gloss.* & Furner. III. *Quotid. 3.* *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

INDEMNITATI & SECVRITATI Nauiculariorum (& quidem Africanorum) consulit *his duabus legibus* Honorius: & *tertia* insuper *lege*, puta *l. vltim. infr. de naufragiis*, quæ omnes vnius & eiusdem constitutionis ad eundem illum finem tendentis partes sunt, atque adeo inter se coniungendæ veniunt. Et quidem indemnitati & securitati Nauiculariorum, aduersus Iudicum & Apparitorum, aliorumque ad quos cura frumenti dirigendi spectabat, leuitatem & cupiditatem.

Triplici porro ratione *his duabus legibus*, tum *tertia* aduersus eorum quos dixi, tum negligentiam, tum cupiditatem consulit Honorius. I. PRIVILEGIA Nauiculariorum, ad eorum querelam, non tuentibus Iudicibus hanc pœnam imponit, vt facultates eorum nauicularia functioni addicantur: vult scilicet Hono-
P. 89. rius, si quando de imminutis priuilegiis suis conquerantur Nauicularii, iis *Tuitionis* præsidium tribuere: de quo *Tuitionis* præsidio, a Magistratibus seu Iudicibus tribui solito, siue recte, siue perperam, in simili pro quorumdam securitate aduersus aliorum & potentiorum quidem, imo Magistratuum quandoque, molestias & inciuiles impetus, est *hoc Codice* Theodosii M. *lex vnic. supr. de off. Iudicum militar.* & *l. vlt. Cod. Iust. de off. Com. S. Palatii*, vel secundum *Edit. Haloandrin. l. vlt. de Off. Com. R. P.* Meminit & Symmachus non tantum *lib. 9. epist. 22.* verum *lib. 10. epist. 36.* Et quidem hic: *Causidicus fori mei Celsus tuitionem contra me & Annonæ Præfectum Clarissimum Virum de sede vicaria postulauit.* Nempe (quod *initio epistola* indicat) quasi turbidum aliquid pro potestate Symmachus P. V. fecisset. Et mox rursum. *Hic iam vestra perennitatis est æstimare contumeliam Præfecturæ, cuius Causidicus nihil passus auxilium secundi iudicii* (id est Vicarii) *impetrauit.* Eadem *Epistola* ait, a se petitum datumque Felici tuitionis auxilium: *Felix*, inquit, *cum a me in sequenti tuitionis auxilium proposuisset, & vnius Nomenclatoris, vt in vrbe pacata, amminiculo fretus incederet.* Huius Tuitionis multa quoque mentio apud Theodoricum R. referente Cassiodoro, veluti *lib. 2. epist. 29.* vbi iubet Ecclesiæ Mediolanensis prædiis & hominibus intra Siciliam constitutis, salua ciuilitate præstari ab Adila Comite, vt ab iniuria & oppressione vindicentur. Et *lib. 3. ep. 27.* vbi Consulari Campaniæ aduersum Præfectum Prætorio tuitionem a se postulatam tribuit. Et *lib. 5. ep. 37.* vbi Iudæis Mediolanensibus & eorum Synagogis postulatam tuitionem tradit aduersus Ecclesiæ eorum violentiam. Item *lib. 5. epist. 39 in fin.* damnat tuitionis genus quoddam damnosum in Hispania. Tandem generalis Tuitionis formula extat *lib. 7. epist. 39.* De hoc Tuitionis præsidio expresso capite *1. lib. 1. Var.* egit Caselius *pag. 186. seqq. Tom. III. Fac. Crit.* vbi tamen multa ad hanc rem non pertinentia cumulat. Illud recte, quod ostendit eo non pertinere *legem 1. §. 12. D. de off. P. V.* vt neque *l. 6. §. 2. D. de offic. Præsidis*, quibus in hanc rem abutuntur Doctores, etiam Fornerius *in Cassiodorum lib. 7. ep. 39.*

Ex superioribus interim apparet datam Tuitionem, seu *λόγον ἀσφαλείας* a Principe tuitionis formula: item datam eius iussu: denique datam citra iussum Principis a Magistratibus: & cum daretur a Magistratibus (quod ex Symmacho discimus) datos & adiunctos aliquos ei, cui tuitio daretur, ex officio Magistratus: veluti Nomenclatorem a P. V. qui sane in Officio suo habuit Nomenclatores, vt discere est ex Notitia Imperii. Illud perperam Cuiacius, qui ad eandem tuitionem retulit *legem 16. Cod. Iust. de Dignit. lib. 12. tit. 1* nam ibi omnino recte legitur *sub fideiussione*: scilicet Theodosius *ea leg.* iubet in dignitate constitutos, si grauius aliquod facinus admiserint, extra carceralem custodiam sub fideiussione haberi. Ita quidem Theodosius, etsi mox proxime statim *seq. lege 17.* Zeno *fideiussionis* onus remittat: Præterquam quod Theodosii *lex* illa est, de grauiore facinore admisso, vbi necessaria magis fideiussio, quam in ciuili & priuata causa. Franci tandem veteres hanc Tuitionem *Mundeburdem* dixere: cuius formula extat apud Marculphum *lib. 1. formul. 24.* vbi de ea Bignonius prolixe. Et hæc de prima ratione, tuitionis, inquam, præsidio, qua securitati Nauiculariorum *hac const.* Honorius consultum iuit, aduersus priuilegia eorum imminutum euntes.

Secundo aduersus CONCVSSIONES Nauiculariis pariter consultum it, pariter vt Gratianus *l. 3. infr. de naufragiis*: pœnis propositis, aduersus eos, qui eos concussissent. Ac primum quidem aduersus Iudices quoscunque, puta Rectores Prouinciarum Africæ, Proconsulem & Vicarium Africæ, deotque Præfectum annonæ Africæ (qui omnes Nauiculariis & rei annonariæ præerant;) itemque eorum

rum

rum officiales, si vel aliquid de ipsorum centesimis auferri permiserint: *Centesimis*, id est, epimetro centesimarum (de quibus *l. 7. in fin. supr. l. 38. infr. & l. 1. infr. de frument. Alexandr. & l. 3. infr. de naufragiis.*) Idque siue eos ad id coegerint, siue etiam vltro facientes admiserint: Quod & ipsum tamen fieri non posse dicit reuera, scilicet plena liberaque voluntate. Quia non est vnquam quisquam tam stultus, vt suum iactet, aut iactare credatur: Imo cum accipientis persona terribilis esse possit donanti, etsi qui donat donare videatur, non tamen reuera donatum, sed extortum potentatus ratione creditur. Quæ ratio & alibi obtinet, veluti in sp. *tit. supr. ne quid publ. lætitiæ*: & in sp. *tit. si nuptiæ*, &c. Idemque erit, si de propria substantia quidquam sportulæ nomine cuiquam donauerint, vel obtulerint Nauiculariis. Ergo Iudicibus & Officialibus ad id cogentibus, vel id admittentibus mulctam 10. librarum auri imponit Theodosius: ipsi accipienti, Quadrupli pœnam: sed ita vt ea silen exoluatur: Cum tamen Honorius longe æquius *l. 29. supr.* pœnam Quadrupli Nauiculariorum commodis reseruari voluerit: de quo ad *eam leg.* Et hæc de Iudicibus & Officialibus qui concussioni Nauiculariorum fauerint, & de concutientibus ipsis.

Posteriore *lege* pariter concussioni eorum, qui frumenti dirigendi curam sustinent, occurrit, aliquid accipiendo a Nauiculario vel Magistro nauis. Quo in censu ponit in Dignitatibus constitutos & Apparitores. Dignitates appellatione intelligo Tribunos, Notarios. Nempe cum cæteroquin hi Principum Legationibus ferme destinarentur: id est, hos in Prouincias vrgendi alicuius negotii causa, Imperatores extra ordinem subinde mittere solerent (de quo plenius dixi ad *l. vnic. supr. de mand. Princip.*) his aliquando frumentarii commeatus ab Imperatoribus mandabantur, id est, ad procurandam & accelerandam annonæ vrbicæ subuectionem sæpe mittebantur: quod ex Symmacho discimus *lib. 10. epist. 31. Felicitas quidem vestra æterna Vrbi solemnis alimonia copiam pollicetur, D. Imp. sed re magis quam spe tuti esse debemus: quod facile factu est, si hanc quoque partem Clementia vestra cura respexerit: nam æstate prouecta cum ex Africanis partibus minimum deuehatur, non inani tangimur metu, ne res annonaria in graues cogatur angustias. Et ideo oro quæsoque Perennitatis Vestræ salubre præsidium, vt Iudices Africanos, & NOTARIVM, cui Æternitas Vestra mandauit frumentarios commeatus, seueriora scripta distimulent, missi in hoc negotium strenuis, qui onera consueta, dum tractabilis nauigatio est, victui Vrbis exhibeant.* De huiusmodi igitur dignitate, id est, de Notariis accipiendum est, quod dicitur *hac leg. 37.* Quandoque etiam eodem fine ordi *Apparitores* mittebantur, vt frumenti dirigendi curam sustinerent, nempe missi a Præfecto Prætorio, *Præfectiani* scilicet: ita ad vrgenda negotia quædam a Præfectis Prou. mittebantur, vt Notarii, vt Agentes P. 90. in rebus ab Imp. etsi vetiti hi Præfectiani, & quidem a Valentiniano Sen. *l. vnic. supr. ne Præfectiani.* Exactoris, vel Curiosi, vel Horreorum Custodis officio fungi. Ergo huiusmodi viros frumenti dirigendi curam sustinentes, & aliquid accipientes a Nauiculario vel Magistro nauis, promotu Iudicis puniri iubet. Vbi obseruandum, Nauicularium a Magistro nauis separari; pariter vt separatur *l. 3. infr. de naufrag.* vbi dicam.

XXXVIII. (a) Idem AA. Albino P. V. (b)

DISSIMVLATIONI & corruptelæ Vrbani (c) vel Annonarii (d) Officii exquisitis remediis Mansuetudo Nostra prospexit: vt si quando Nauicularius, extra modum centesimarum (e) diametrum (f) incidisset, intra quinque dies, ex quo Portum Venerabilis Vrbis (g) esset ingressus, adhibitis tribus Inlustribus viris, Vrbana præfectura, præsente quoque Annonario Cognitore, (h) quid euenisset detrimenti inquireret: & quicunque in hac fraude fuisset inuentus, sub elogio, adiuncto idoneo executore, (i) mox ad Africam, adque ad V. C. PF. Ann. (k) iudicium, deduceretur: solutorus instantia memorati, (k) quidquid debere fuerit deprehensus. Hac itaque lege decernimus, Vt si vltra diem præfinitum permiserit (l) Nauicularium protelari, quinque libras auri se, adque Officium suum, sciat ærario nostro debere inferre: Apparitionem quoque Præfecturæ Vrbanæ multa trium librarum auri feriendam esse censuimus: PF. Annonæ duas libras auri sacris largitionibus inferre cogetur, nisi eius præcipue instantia intra diem constitutum fuerit adcelerata cognitio. Huiusmodi igitur inquisitio etiam diebus feritatis & deuotionum, absque vlla obseruatione, peragenda est. Dat. XV. Kalend. Octob. Rau. Constantio & Constante Coss. [414.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) *Albini* huius P. V. meminit Rutilius Claudius Numatianus *Itinerarii sui lib.* 1. v. 168. & Olympiodorus *apud Photium Cod. LXXX. pag. 187. Edit. Schotti. & Tom. I. Script. Rer. Byzant. pag. 9. Ed. Reg.* ID.

(c) Præfecti Vrbis. ID.

(d) Præfecti Annonæ. ID.

(e) De his Centesimis, *l. 7. 36. supr.* ID.

(f) *Διάμετρον h. l. & l. 5. infr. de naufragiis.* Mox *detrimentum* vocatur. De eo mox dicam plene. ID.

(g) De *Porta* Vrbis Romæ, quo Nauicularii species deportabant, dicam plene *infr. lib.* 14. non vno *titulo*. IDEM.

(h) Vrbis Romæ, id est, Præfecto annonæ Vrbis Romæ. *ID.*
(i) Conductore, prosecutore. *ID.*
(k) Africæ. *ID.*
(k) Præfecti annonæ Africæ. *ID.*
(l) Quis ? An Præfectus Vrbi. *ID.*

COMMENTARIVS,

DE DIAMETRO per fraudem videlicet admisso a naviculario, est hæc Honorii constitutio ad cum finem videlicet ne dissimulatione & corruptela Præfecti Vrbis vel Præfecti annonæ, & Officialium eorum, id publico damno cedat. *Diametrum*, vt *hac leg.* ita & *l. 5. infr de naufrag.* (quæ & ipsa est Honorii) est *detrimentum*, vt *hac ipsa leg.* vocatur : *iactura*, vt vocatur *d. l. 5.* specierum susceptarum & Naviculario commendatarum : quoties videlicet de modo, seu calculo modiationis (vt vocatur *l. supr.*) ei in Africa commendatæ, cum eam reddit in Portu Vrbis Romæ, aliquid desideratur ; scilicet διάμετρον est quod τῷ μέτρῳ abest: sicut ἐπίμετρον, quod τῷ μέτρῳ superadiicitur (de quo *l. 3. 14. 15. 21. supr. de Susceptorib.*) Harpocration *voc.* διάμετρον: Διάμετρον, τὸ ἐλλεῖπον ἀπὸ τοῦ δικαίως μετρηθέντος. Δείναρχος ἐν τῇ κατὰ Καλλισθένους εἰσαγγελίᾳ : *Diametrum, quod rei iuste mensurata ad mensuram deest. Dinarchus in accusatione contra Callisthenem.* Sicut contra σύμμετρον, quod μέτριος, & τέλειον. In re monetaria, metallica pars quæ in scoriam abit, *detrimentum* pariter : *intertrimentum* Græcis ἀπουσία vocatur : vid. *Glossar.* Diametrum porro vel casu & inclementi fortuna accidit, quo pertinet *d. l. 5. infr. de naufrag.* vel fraude, cum videlicet ex onere quid per fraudem a naviculario avertitur, intercipitur ; quo spectat *hac lex*, vt docet tum totus *legis* contextus, tum expresse hæc eius verba, *Quicunque in hac FRAVDE esset inuentus : item quidquid debere fuerit deprehensus.* Ergo *hac lex*, est de διαμέτρῳ, id est, de parte oneris aversa: nam de toto onere averso fuit *supra lex 33.*

Huiusmodi igitur diametrum, huiusmodi imminutionem fraudulentam naviculariium restituere oportere certum est. Verum, quia huiusmodi fraudes, & diametra sæpe in dispendium annonæ Vrbis Romæ, Præfectus Vrbi, item Præfectus annonæ (ad quos annonæ solicitudo pertinebat, de *qua mox*) eorumque Officiales dissimulare poterant, vel etiam iam dissimulare visi fuerant per collusionem : huic eorum dissimulationi & corruptelæ, hac constitutione sua Honorius occurrendum putavit : & quidem his exquisitis remediis. Primum scilicet, in hoc Diametrum seu detrimentum inquirere iubet Præfectum Vrbi: sic vt ab Vrbe ad Portum Vrbis Romæ ea de causa se conferre necesse habeat : Qui & alias sane quandoque solemniter annonæ causa eo se conferebat statotempore, de quo ex Ammiano *lib. 19. cap. 14.* & Æthico *in Cosmographia*, dixi ad *l. 2. infr. de canone frument. V. R.* Et ita quidem nunc Honorius : cum tamen antea Præfecto annonæ & Vic. Vrbis tantum hanc cognitionem & Inquisitionem iniunxisset, *l. 5. infr. de naufragiis.* Secundo, præsente quoque Præfecto anoonæ cui iunctim cum Præfecto Vrbis annonæ Vrbicæ cura incumbebat, denique societas muneris erat inter eos: quod præter *hanc leg.* exerte docet *l. 1. Cod. Iust. de Offic. Præ-*
P.91. *fect. Vrb. lex 1. supr. de condit. in publ. horr.* (quæ duæ *leges* inter se coassandæ sunt) & Symmachus *lib. 10. epist. 48.* & Sidonius *lib. 1. epist. 14.* Sane & hac ipsa de causa iam antea appulsis ad Portum Vrbis Romæ navibus, Præfectus annonæ explorare debebat, vtrum incorruptæ species deportatæ essent, seu vtrum nihil in his esset vitii? *L. 2. supr. de canon. frument. V. R.* quemadmodum *hac leg.* inquisitioni, vtrum modiatio integra sit, adesse iubetur : imo & sua præcipua instantia accelerare cognitionem Præfecti Vrbis, vt proinde quasi stimulus additus fuerit Præfecto Vrbi. *Tertio*, inquirere in hoc diametrum iubet Honorius *intra quinque dies*, ex quo Portum Vrbis Navicularius est ingressus. Notum aliunde, ad Portum Vrbis Romæ Navicularios species deportasse: de quo sæpe *infr. lib. 14.* Igitur intra quinque dies illos Inquisitionem hanc fieri vult Honorius ; nempe quia annonæ Vrbicæ favor summam hac in re celeritatem desiderat, & cognitionem accelerari iubet. *Quarto*, huiusmodi Inquisitionem etiam diebus feriatis & devotionum peragi oportere statuit, scilicet annonæ Vrbicæ ratio & favor ferias non admittit, quæcumque illæ sint, etiam *devotionum*, id est, divinæ feriæ, Dei scilicet cultui dicatæ, quomodo etiam agriculturæ favor ferias divinas non admittit, de quo ad *leg. 1. supr. de feriis* plura. *Quinto*, hanc Inquisitionem fieri iubet adhibitis tribus Inlustribus Viris, velut in maximi momenti negotio: quomodo & alias inquisitores adhiberi in specie *leg. 9. de haret.* Et hæc de Inquisitione seu cognitione super διαμέτρῳ. *Sexto*, post Inquisitionem ita factam, post fraudem detectam, naviculariium fraudis compertum mitti iubet, imo deduci ad Africam, & Præfecti annonæ Africæ iudicium, adiuncto idoneo executore sub elogio, *ad Africam & iudicium Præfecti annona Africa :* nempe quia Africæ interest, ne quidquam de canone Africano seu Vrbicario pereat, cui si quid perit, Africæ perit, vnde semper canon explendus venit: *Adiuncta idoneo executore*, id est, addito ei custode, persecutore, vti mos erat in deducendis & exhibendis reis, quod etiam docet *lex 3. supr. de exhib. reis*, vbi *dixi.* Tandem *sub elogio*, id est, titulo criminis, quo continetur crimen, modusque adeo in sp. *huius leg.* seu διάμετρον intercepti frumenti, seu aversi ex parte oneris : ita mitti soliti rei deprehensi seu convicti sub elogio, remissique ad suum Iudicem (vt in sp. *huius leg.*) vel Principem ; quæ vulgaris iam observatio est. E multis pauca hæc : vid. *l. 6. 11. §. vltim. D. de custod. reor. l. 3 D. de re militari:* Tertullianum non semel, inter alia ad Scapulam *cap. 4. Prudens etiam missum ad se Christianum cum elogio, confessione eius intellecta, dimisit : scisso eodem elogio.* vid. & Marcellinum *lib. 14. cap. 7.* Et hæc de deductione seu transmissione Navicularii, qui διάμετρον admisit, in Africam. *Septimo*, cum instantia Præfecti annonæ Africæ ad soluendam lacunam τοῦ διαμέτρου vrgeri iubet. Quod satis mite: cum alias aversi oneris in totum longe gravior pœna sit *l. 33. supr.* Postremo loco sequuntur Pœnæ seu Mulctæ dissimulantium, & intra quinque illos dies, vt dictum est, de διαμέτρῳ non cognoscentium : Præfecti inquam Vrbis, eius Officii 5. librarum auri, Apparitorum trium, item Præfecti annonæ, duarum. Et hæc quidem ita Honorius *hac leg.* de Naviculariorum διαμέτρῳ seu fraude circa διάμετρον : hoc Anno Domini 414. Qui alioquin hoc ipso Anno ante quinque menses & quod excurrit, Naviculariis istis Africæ vicennalem reliquorum indulgentiam (ab Anno Domini 387. ad Ann. 407. tribuit) at non etiam septem postremorum ad hunc

anno-

annorum *l. 8. supr. de indulg. debitorum.* Et hæc rursum ita Honorius, Annonæ Vrbis Romæ fauore: cui hac tempestate enixe consultum iuit: Et vero ad relationem, vt videtur, Albini Præfecti Vrbis, cui *hæc lex* inscribitur: quem hoc ipso Anno memorat Olympiodorus *apud Photium Cod. LXXX. pag. 187. Edit. Schotti, & pag. 9. Tom. 1 Script. Rer. Byzant. Ed. Reg.* redeunte iam Roma (post eam a Gothis captam) in pristinum statum; eum scripsisse, ad Honorium scilicet, non sufficere modum annonæ, quæ ciuibus Romanis distribuebatur, aucto iam numero in ciuitate: addidisseque vno die subductum numerum quatuordecim millium. Ὅτι μετὰ τὴν ὑπὸ Γότθων ἅλωσιν τῆς Ῥώμης, Ἀλβῖνος ὁ τῆς Ῥώμης ἔπαρχος, ἤδη ταύτης πάλιν ἀποκαθισταμένης ἔγραψε, μὴ ἐξαρκεῖν τὸ χορηγούμενον μέρος τῷ δήμῳ, εἰς πλῆθος ἤδη τῆς πόλεως ἐπιδιδούσης. ἔγραψε δὲ καὶ ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ τετάχθαι ἀριθμὸν χιλιάδων δεκατεσσάρων. *Post Romam a Gothis captam, Albinus vrbi præfectus, quod iam eadem ad pristinum rediret statum, scripsit non sufficere præbitam populo partem, multitudine iam aucta ciuitate: adduque vno die numerum initum esse ciuium quatuordecim millium.* Cæteroquin huius Albini P. V. mentionem quoque facit Rutilius Claudius Numatianus *lib. 1. Itinerarii sui v. 168.*

P. 54 # DE PRÆDIIS NAVICVLARIORVM.

TITVLVS VI.

LIB. XI. Cod. Ivst. Tit. II.

Vbi plenior *Titulus* extat, *de Prædiis & omnibus rebus Nauiculariorum.*

Porro ad hunc *Titulum* pertinent quoque quinque constitutiones superioris Tituli *de Nauiculariis:* nempe *lex 3. 19. 20. 27. 35.* quæ non minus bene in hunc *Titulum* coniectæ fuissent: & *lex 13. supr. de Senatorib & Glebali collat.* quæ coniungenda est cum *l. 9. hoc tit.* & *lex 149. supr. de Decurionibus.*

PARATITLON.

PRÆDIA *Rubr.* & *l. 8. 10. hoc tit.* seu possessiones *l. 1. 8. 9. h. t.* fundi, *l. 6. 7. h. t.* domus, *l. 7. h. t.* res *l. 5. h. t.* bona, *l. 4. h. t.* patrimonia, *l. 2. hoc tit.* & *l. 3. supr. de Nauicular.* facultates, *l. 4. hoc tit.* & *l. 20. supr. de Nauic.* Nauiculariorum, *Rubr. l. 1. 2. 3. h. t.* ad Nauicularios pertinentia, *l. 5. h. t.* ad Nauiculariorum dominium pertinentia, *l. 6. h. t.* obnoxia Nauarchiæ functioni, *l. 20. supr. de Nauicul.* Nauiculario iuri *l. 3. h. t.* Nauiculario nomini *d. l. 5. h. t.* Nauiculario muneri, *l. 3 supr. de Nauicul.* adscripta nauiculariæ functioni, *l. 8. h. t.* vendi, alienari quidem potuere (neque enim intercipi contractum emendi vendendi fas fuit, *l. 7. hoc tit.*) Sed cum sua conditione, vt ita Canon Vrbis, & expeditionalium portuum necessitas semper impleri posset, *l. 35. supr. de Nauicul.* Nempe quolibet genere, *l. 2. h. t.* seu titulo, *l. 8. h. t.* iis alienatis, *l. 1. h. t.* translatis, *l. 6. h. t.* transcriptis, *l. 4. h. t.* ad aliorum iura translatis, *l. 6. h. t.* in extraneorum dominia demigrantibus, *l. 2. h. t.* distractis, donatis, venditis, *d. l. 6. 9. h. t.* non ideo id Corpori Nauiculariorum præiudicare poterat, *l. 1. hoc tit.* verum comparatores earum possessionum, *l. 1. hoc tit.* seu bona ea rite retinentes, *l. 4. h. t.* ad quos eæ res peruenerunt, *l. 6. h. t.* emptores, *l. 7. h. t.* mercantes, mercatores, *d. l. 7. h. t.* hi qui fundos eos acceperunt, *l. 8. h. t.* modo ea Corpori Nauiculariorum restituere præcise iussi, seu ea patrimonia in Corporis sui ius proprietatemque remeare iussa, vt a Valentiniano Sen. *l. 2 hoc tit.* vel tum demum, si nauiculariam functionem subire nollent, vt *l. 4. 6. h. t.* alioquin si

ea præ

ea prædia retinere mallent, nauiculariam functionem ſubire, ſuſcipere, tolerare, commeare cogebantur, *l.* 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *hoc tit.* & *l. 3. de nauicul.* vbi ratio redditur, & *l.* 19. 20. 27. 35. *ſupr. de Nauicular.* idque pro rata parte, *l. 4. h. t.* pro modo portionis comparatæ, *l. 7. hoc tit.* ſecundum agri opinionem, *l. 8. hoc tit.* pro portione, *d. l. 3. ſupr. de Nauicular.* pro virili portione *d. l. 3.* ſecundum poſſeſſionis modum *l. 27. ſupr. de nauicular.* ſub quinque his Ampliationibus: Primo. Quicunque vendidiſſet, etiam fiſcus *l. 6. h. t.* ſeu ſubhaſtaria ſorte, *l. 9. h. t.* etiam Reſpublica, *d. l. 6. h. t.* vel Nauicularius, vel alius, *d. l. 6. h. t.* Secundo, Quicunque illi eſſent qui adquiſiuiſſent, licet altioris dignitatis, *d. l. 3. de Nauicular.* licet Agentes in rebus, *l. 20. ſupr. de Nauicular.* licet Domus Principis, *l. 3. & 5. hoc tit.* Tertio, item non obſtante temporis præſcriptione, *d. l.* 3. & 5. *hoc tit.* excepta ea præſcriptione, de qua *l.* 9. & 10. *h. t.* Quarto, non obſtante contraria conuentione inter emptorem & venditorem, *d. l. 8. hoc tit.* Quinto denique, non obſtante Principis reſcripto ſeu permiſſu, *dict. l. 3. h. t.*

I. (a) Imp. Constantius (b) A. ad decretum (c) Nauiculariorum.

Alienationes poſſeſſionum, a Nauiculariis factas, fugiendi muneris gratia, præiudicare vobis non ſinimus: Ideoque volumus, vt comparatores ſupraſcribtarum poſſeſſionum, interpellato PF. Annonæ, ad id obſequium conpellantur, cui ſe obnoxios eſſe fecerunt. Dat. V. Kalend. Nou. Conſtantino A. VII. & Conſtantio Cæſ. Coss. [326.]

NOTÆ.

P. 93.

(a) Abeſt *hæc lex* a *Cod. Iuſt.* Eodem hoc Anno ante menſem data *lex 5. ſupr. de Nauicular.* GOTHOF.

(b) *al. Conſtantinus*, vt Conſulatus ſubſcriptus oſtendit. *ID.*

(c) De hoc dicam mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

Constantini M. hæc & quidem vnica *hoc titulo* conſtitutio eſt, quod Conſulatus ei ſubſcriptus euincit,) de prædiis Nauiculariorum: cuius Principis altera quoque conſtitutio eiuſdem argumenti & ſententiæ *in l. 3. ſup. tit. prox. de Nauic.* quæ data eſt Ann. 319. ante ſexennium, & quod excurrit. Illa *Præfecto annonæ* (cuius etiam *hac leg.* mentio fit) inſcripta, hæc Nauiculariis: vel vt Inſcriptio habet, *ad decretum Nauiculariorum*, id eſt, ad preces Nauiculariorum: *Decreta* ſunt, quæ Legatis ad Principem miſſis dabantur, vt docet *titulus ſupr. de Legatis*, & *decretis Legationum*: non tantum a ciuitate, ſiue a Prouincia miſſis, verum etiam a Corpore aliquo: vt oſtendit *lex 11. eius tit. de Legatis & decretis Legationum.* Igitur Nauicularii hac tempeſtate apud Conſtantinum M. queſti fuerant, de paucitate ſua, atque adeo de onere ſuo, nempe quia quamplurimi ex Corpore ſuo poſſeſſiones ſuas alienaſſent, *fugiendi muneris*, Nauicularii, *gratia*, vt ita inopes a nauicularia functione excuſarentur: quod quidem plurimum reliquis Nauiculariis præiudicabat, recedente in eos communi tranſuectionis ſeu conuectionis onere. Quare, Reparando Nauiculariorum Corpori Conſtantinus M. vt *illa leg.* ita & *hac*, Comparatores, poſſeſſores facultatum ad nauiculariam functionem & obſequium compelli vult, cui ſe ita obnoxios reddiderunt: Ratione ad eam *leg. 3* addita: *Nec enim æquum eſt, vt patrimonio huic functioni obnoxio excuſato, commune onus non omnes pro virili ſuſtineant portione.*

De illo quæri poteſt, num Conſtantinus *hac leg.* poſſeſſores Nauicularios fieri iubeat, an vero pro rata tantum nauiculariam functionem & præſtationem eos ſuſtinere velit? Certe prius illud velle videtur: quæ cauſa inter alias eſt, cur Tribonianus *hanc leg.* abdicauerit, prælata parte *legis 5. & l. 7. & 8. inf.* etſi alias poſterius cautum ſit: de quo ad *leg. prox.* Cæterum interpellari ad id exequendum Præfectum annonæ iubet: ideo quod Nauicularii Annonæ Vrbicæ ſeruirent: quæ ipſa cauſa eſt, cur *d. lex 3. ſupr. de Nauicular.* in eodem argumento verſans, ad Præfectum Annonæ data ſit; & ſub diſpoſitione Præfecti Annonæ eſſent Nauicularii, vt præter *hanc leg.* docet *lex 2. 3. 12. 36. 38. ſupr. de Nauicul. lex 5. hoc tit. l. 2. ſupr. de naufrag.* & *l. vnic. ſupr. de his qui ven. ætat.* Cæteroquin hoc ipſo Anno ab eodem Conſtantino M. data quoque lex de *Nauiculariorum priuilegiis*, eorumque indemnitate: puta *lex 5. ſupr. de Nauicul.* Imo & *lex 4. infr. de infirm. his quæ ſub Tyran.* & quarta inſuper, puta *lex 1. Cod. Iuſt. de hæreditatib. Decurion. Nauiculariorum.* Vnde liquet, quanto ſtudio hoc Anno 326. Conſtantinus Vrbicæ annonæ, ſuſcepta Nauiculariorum cura, conſultum iuerit.

II. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Symmachum (b) P. V. (c) Post alia. (d)

PATRIMONIA Nauiculariorum, quæ, quolibet (e) genere, in extraneorum dominia demigrarunt, in corporis sui ius proprietatemque remeent. Dat. III. Id. Iun (f) Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Iungenda huic *lex* 11. *supr. de Nauiculariis.* GOTHOF.
(b) *Symmachus* hic Pater est Symmachi Epistolographi, qui & ipse postea Ann. D. 384. P. V. fuit. ID.
(c) Romæ. ID.
(d) Quæ continentur, *d. l.* 11. ID.
(e) Quocunque titulo *l.* 8. *infr.* siue donata, siue aliter translata. ID.
(f) *Ian.* in *d. l.* 11 Alterutrubi error. ID.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris sex ordine constitutiones sequuntur: cuius præterea quatuor constitutiones aliæ super *Nauiculariis* relatæ sunt supra *tit. de Naulc.* puta *lex* 10. 11. 12. 13. & vndecima insuper, *l.* 2. *infr. de naufragiis.* Ex quibus elucet, quanto studio, Nauiculariorum Corpus sartum tectum Valentinianus Imp. seruare voluerit Annonæ Vrbicæ consulturus: Ac nominatim REPARATIONE eius Corporis in se susceptia, quod subinde debilitabatur, tum Immunitatibus perperam extortis: quo pertinet *d. lex* 11. *supr. de Naulcular.* (quæ *huic* coniungenda est, ceu vnius & eiusdem constitutionis pars,) tum translato in extraneos Nauiculariorum patrimonio: Quo spectant sex *huius tituli* constitutiones. Et hæc nominatim, ad suggestionem Symmachi P. V. cui *hæc lex* inscribitur: de quo Ammianus Marcellinus *lib.* 27. *c.* 3. testis, quod *eo instante Vrbs sacratissima otio COPIISQVE abundantius soluto fruita sit: Copiis,* id est annona.

Porro *hac leg.* quæ NAVICVLARIORVM fauorem respicit, Valentinianus abscise & simpliciter bona Nauiculariorum in extraneos translata EVINCI, REDDI, atque ad Nauiculariorum ius & proprietatem redire iubet, seu Nauiculariorum Corpori ea restitui: Cum tamen cæteris legibus, siue Constantini M. *l.* 7. *supr. de Naulcular.* siue ipsiusmet Valentiniani: puta, *l.* 4. 5. 6. 7. *infr. hoc tit.* Item Theodosii M. *l.* 19. & 20. *supr. de Naulcular.* & Honorii, *l.* 8. 9. 10. *hoc tit.* & *l.* 27. 35. *supr. de Naulcular.* non ipsa bona retrahi abscise, verum subalternatiue ii, qui ea possident, pro rata seu virili portione Nauicula- P. 94. riam functionem agnoscere seu subire iubentur, nisi ea reddere malint. Et certe diserte Ideo Valentinianus Sen. *l.* 7. definit, intercipere contractum emendi vendendique fas prohibere. Denique hæc quoque causa est, cur Tribonianus & *hanc leg.* abdicarit, prælata parte *leg.* 5. & *l.* 7. 8. *infra.*

III. (a) Idem AA. ad Musufilum (b) Vic. Afric.

ADVERSVS petitionem Nauiculariorum, de suo iure certantium, spatium non præscribat annorum. (c) Etiam illis adsertionibus (d) remotis, quibus nonnulli amplexantur (e) quæ (f) Diuorum Principum consecuti fuere permissu. Sed & si est quidquam nauiculario iuri obnoxium, quod Domus (g) Nostræ proprietatem spectat, tolerare præcipimus Nauicularias functiones. Dat. Prid. Kalend. Aug. Vangionibus; (h) Valentin. & Val. (i) AA. Coss.

NOTÆ.

(a) Et hæc *lex abest* a *Cod. Iust.* GOTHOFRED.
(b) Nullibi *Musuphili* huius Vicarii Africæ præterea mentionem reperio. ID.
(c) Ita interpungendus hic locus: non vt hactenus, *præscribat annorum etiam.* ID.
(d) Allegationibus. ID.
(e) *Amplexantur ea quæ,* id est, iis vectantur, seque defendunt. ID.
(f) Id est, *ea quæ.* ID.
(g) *Ad domus nostræ.* ID.
(h) Id est, *Borbetomagi* Vangionum: Hac tempestate iam populorum seu regionum nomina, Metropolibus indita. Huius Municipii in Germania prima meminit quoque Ammianus *lib.* 15. *cap.* 11. & *lib* 16. *c.* 2. ID.
(i) *77.* II. id est, Ann. D. 368. Neque enim Anno 365. mense Iulio in Gallia substitit Valentinianus, verum Mediolani. Itaque ad Ann. 368. *hæc lex* referenda, quo sane Valentinianus in Gallia constitit, primum Treuiris, mox Vangionibus, inde Agrippinæ, tandem rursum Treuiris: vt docet *Chronicon Theodos.* ID.

COMMENTARIVS

EXCEPTIONES tres, in NAVICVLARIORVM fauorem, quæ Nauicularijs suum, id est, personas Nauiculariorum, eorumque facultates repetentibus oppooebantur, profligat *hac leg.* Valentinianus Sen. REPARATIONI scilicet Corporis Nauiculariorum insistens, & sic annonæ Vrbis Romæ consulens. Primum PRÆSCRIPTIONEM temporis Nauicularijs obesse non posse definit, quod & ipsum rursum idem statuit nominatim in vindicatione rerum ad Nauicularios pertinentium, *l. 5. infr.* (de quo plenius ad *l. 9. 10. infr. hoc tit.*) Secundo, neque IMMVNITATEM a Principibus tributam quibusdam Nauicularijs prodesse: de quo *l. 3. & 11. supr. de Naucul.* quæ postrema iungenda est *leg. 2. supr.* Tertio, neque DOMVM Principis, si quid nauiculariæ functioni obnoxium habeat, a nauicularia functione excusari. Quod & ipsum rursum statuit *d. l. 5. infr.* Breuiter igitur, neque Temporis, neque Principalis rescripti, neque Domus Augustæ præscriptio, quidquam nauiculariæ functioni nocere debet. Vt cæteroquin hæc tria publicis commodis obsistere non solent, non debent.

IV. (a) Idem AA. ad Dracontium (b) Vic. Afric. Post alia.

NAVICVLARIÆ facultates Nauiculario Corpori reddantur, si bona rite retinentes subire eorum onera nolint, quorum possessione fruuntur: Cæterum, si sponte cognoscunt (c) Nauiculariam functionem, sine exceptione potioris, (d) vel cuiuscunque, bona ad se transmissa sine inquietudine possideant: cum pro rata ex parte debitis fungantur officiis: &c. Dat. IV. Kal. Maii, Remis, (e) Lupicino & Iouino Coss. [367.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) *Dracontio* huic Vic. Africæ multæ aliæ constitutiones inscribuntur: *v. Ind. pers.* ID.

(c) *Cognoscere* pro *agnoscere.* ID.

(d) De hoc mox. ID.

(e) *Remis* in Gallia hac tempestate, hoc inquam Anno & superiore 366. Valentinianus Sen. constitit; quod præter alias plures constitutiones docet quoque Ammianus Marcellinus *lib.* 26. vid. *Chronologiam nostram.* IDEM.

COMMENTARIVS.

POSSESSORVM, qui prædia quædam nauiculariæ functioni obnoxia possident, fauorem respicit *hac lex*, periter vt *lex 7. infr.* scilicet ALTERNATIVAM tribuit *hac leg.* Valentinianus nauicularia bona possidentibus, vel ea reddendi, vel nauicularíam functionem subeundi. Nempe vt alijs ferme constitutionibus Nauiculariorum Corpori Valentinianus consultum iuit, submotis exceptionibus, quæ Nauicularijs de suo iure certantibus a possessoribus opponi solebant, de quo ad *leg. super.* ita vicecuersa *hac leg.* (pariter vt *d. l. 7. infr.*) ipsis POSSASSORIBVS bonorum nauiculariæ functioni obnoxiorum consultum it, aduersus nimietatem Nauiculariorum: & quidem duplicem: vel
P.91. enim abscise Bona illa Corpori suo reddi volebant, secuti *legem* ipsiusmet Valentiniani, puta *l. 2. supr.* vel Potioribus ea retrahentibus addici, qui scilicet vel facultates maiores haberent, vel qui propius Nauicularium a quo bona profecta sunt, contingerent, aliisue se in id ingerentibus. Verum Valentinianus Primum (calcata *leg.* sua 2. *supr.*) Retinendi ea bona facultatem possessoribus tribuit, dummodo pro *rata* nauiculariam functionem subeant: Quod tralatitium hac in re ius fuit etiam ante Valentinianum, vt docuit *lex* Constantini M. puta *lex 3. supr. de Naucul.* & deinceps. Secundo, *Retractum* hac in re potioribus denegat. Satis est scilicet & abunde, hac in re dummodo Nauiculariæ functioni satisfiat, neque iusta possessio bona rite retinentium inquietanda, per delicias Nauiculariorum vel aliorum: Delicijs vel inuidiæ hominum indulgendum non est. Vbi interim notandus est casus, quo *Retractus* improbatur, vel certe *potioribus* sese offerentibus locus non datur, etsi forte meliorem conditionem afferant, vel offerant.

V. (a) Idem (b) AA. ad Aurelianum PF. Ann.

TEMPORIBVS (c) præscriptionem in vindicatione (d) rerum ad Nauicularios pertinentium cognoscat Tua Grauitas esse succisam. (*) Domum etiam Mansuetudinis Nostræ in his quæ Nauiculario nomine obnoxia sunt, agnoscere præcipimus debitam functionem. Dat. III. Kalend. Octobr. Lupicino, & Iouino Coss. [367.]

COM-

NOTÆ.

(a) Abest Principium *huius leg.* a *Cod. Iust.* causam mox dicam. *GOTHOF.*

(b) *γρ. Imppp. VALENTINIANVS, Valens, & Gratianus:* Iam enim ante mensem, puta *IX. Kal. Sept.* Gratianus Augustus a patre Ambianis in Gallia creatus fuerat: vid. *Chron. Theod. ID.*

(c) Ferri possit: malim tamen *Temporis. ID.*

(d) *Vindicatio*: vid. & *l. prox. ID.*

(*) *Lex* 1. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est, resecata priore *huius leg.* sententia. *ID.*

COMMENTARIVS.

IN Naviculariorum fauore Exceptiones seu Præscriptiones duas rursum (pariter vt *l. 3. supr.*) quæ Nauiculariis suum vindicantibus opponebantur, profligat *hac leg.* Valentinianus Sen. Primo *Temporis* præscriptionem: pariter vt *d. l. 3. supr.* Quam tamen & Honorius Imp. postea quadamtenus admisit, *l. 9.* & *10.* & Tribonianus proculdubio admitti voluit, abdicata penitus *l. 3. supr.* & rescissa priore *huius leg.* sententia. Secundo, & *Dominum* Principis, quid nauiculariæ functioni obnoxium possidentem, nauiculariam functionem agnoscere iubet: pariter vt *d. l. 3. supr.* vbi plura. Interim ex *huius leg.* inscriptione, collata cum *ipsa leg.* discimus aperte sub Præfecti annonæ dispositione fuisse Nauicularios: quod etiam docet *lex 1. h. t. lex 2. 3. 12. 36. 38. supr. de Nauicul. l. vnic. supr. de his qui ven. atat. l. 2. de naufragiis.*

VI. (a) Imppp. Valentiniavs, Valens & Gratianus AAA. ad Prouinciales Afros.

FVndi omnes, ad Nauiculariorum dominium pertinentes, & ad aliorum iura translati, Fisco, vel Reipublicæ, (b) vel Nauiculario, vel quolibet alio, distrahente, siue donante, vel ad filios, vel propinquos, vel extraneos transferente, etsi ad Nauicularios (c) translati sint, reddantur dominis, actione in rem, & persecutione concessa: nisi maluerint hi, ad quos res peruenerint, onus agnoscere, cui erat ille obnoxius, cuius nomine vindicatio (d) competit euectionis, (e) ac melioratæ (f) rei, perceptorumque fructuum inspectione (g) habita: &c. Dat. VII. Id. April. Triu. Modesto & Arintheo Coss. [372.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iustin. GOTHOF.*

(b) *γρ. Republica. ID.*

(c) Alios scilicet. *ID.*

(d) Vtitur hac ipsa voce *lex 5. supr.* vindiciaś vocat *lex 2. supr. de Nauicul.* actionem in rem *sup. hac ipsa leg. ID.*

(e) Id est, *euictionis*: dicam mox. *ID.*

(f) Vide & *l. 7. prox. ID.*

(g) Æstimatione habita, comparatione facta. *ID.*

COMMENTARIVS.

NAviculariorum fauorem respicit *hac lex.* Scilicet de Evictione seu de Reddendis bonis nauiculariæ functioni obnoxiis, est hoc Valentiniani Sen. edictum ad Prouinciales Afros emissum, quo tamen alternatiuam rursum tribuit Nauiculariorum bona possidentibus; vel oneris in quam Nauicularii agnoscendi, vel ea bona Nauiculariis necessario reddendi. De quo posteriore, de euictione inquam bonorum potissimum hic
P. 96. agitur. Nempe quia rari iam erant, qui vltro vellent onus Nauicularium agnoscere, ideo de euictione, seu de bonorum restitutione accuratius & distinctius cautum, hoc Edicto: *Edicto*, inquam, ad Prouinciales Africæ misso: quorum multi huiusmodi bona possidebant: Itaque monitorio hoc Edicto conuenti iussique omnes ea bona reddere, & Euictioni parere sub diuersis Ampliationibus.

Primo, quocunque tandem distrahente ea accepissent: non tantum si quolibet alio, aut Nauiculario, verum etiam si Fisco aut Repuhl. distrahente: Nempe subhastaria forte (vt loquitur *lex 9. infr.*) seu contractu publico *d. l. 9.* sæpe huiusmodi bona vendebantur: Et tamen vt *hac leg.* a Valentiniano, ita & *d. l. 9.* ab Honorio reuocari ea ad nauiculariam functionem iubentur, aduersus fidem hastæ. Qui casus addendus est aliis nonnullis, quibus fides hastæ rescinditur, neque securus est qui rem sub hasta, vel subhastaria forte quæsiuit; denique res euincitur.

Secunda ampliatio. In *quemcunque* ea translata sint, non tantum si in extraneum, verum etiam si ad filios, vel propinquos, imo etsi ad alios Nauicularios: Nempe cuiusque Nauicularii ab antiquo nexi facultates melius vtilius consectari visæ.

Tertia ampliatio. Dominis seu Nauiculariis ipsis ad hanc euictionem, seu ad hæc bona vindicanda tribuit actionem in rem, vindicationem & persecutionem: & proprie quoque *persecutionem*: quia *persecutionis* verbo, extraordinaria actio continetur, quæ non habet iurisordinarii executionem: *l.* 178. §. 2, *D. de verb. sign.* Sic & fideicommissi persecutio, *l. 7. supr. de testam.* Et hæc de tribus Ampliationibus.

Sequuntur duæ *Limitationes.* Prima, de qua *supra* iam. Altera est, quod modum huic restitutioni istum addit: nempe, vt *Euictionis*, (sic enim restituo) ac melioratæ rei, perceptorumque fructuum inspectio habeatur, id est, ita pretium reddatur, vt simul habeatur ratio incommodi, euictionis, emponematum, seu meliorationis compensatione facta pro modo perceptorum fructuum: quæ omnium huiuscemodi Euictionis lex est, ac nominatim etiam euictis prædiis Curialium, *l. 2. de præd. & mancip. Curial.*

VII. (a) Idem AA. (b) Achiloni Proc. Afric.

IN his quæ Nauicularii vendunt (quoniam intercipere (c) contractum emendi vendendique fas prohibet) emptor nauicularii functionem pro modo portionis comparatæ subeat. Res enim oneri addicta (d) est, non persona mercantis: (e) Neque Nauicularium illico (f) iubemus fieri eum, qui aliquid comparauit, sed eam partem quæ empta est, pro suo modo ac ratione, esse munificam: (g) Nec enim totum patrimonium ad functionem Nauicularii (h) muneris occupandum erit, quod habuerit, (i) qui rei exiguæ mercator accesserit, sed illa portio, quæ ab initio Nauicularii fuit, ad pensionem huius (k) functionis sola tenenda est: residuo patrimonio, quod ab hoc vinculo liberum est, otioso (l) & inmuni seruando. Domos (m) vero, quarum cultu decus vrbium potius, quam fructus adquiritur, vbi a Nauiculariis veneunt, pro tanto modo ad hanc pensionem obligari (n) placet, quantum habebant emolumentum, (o) cum pecuniam mutuarentur. (p) Vbi vero spatia (q) loci & exiguitas nullam habuit (r) pensionem, aut (s) extructio, cuius est ardua difficilisque molitio, (t) aut decus sumptuosum, aut (vt est plerumque liberale institutum (v)) habitationem quis (x) suam ornamento vrbis adiecit, (y) nolumus munificentiam, (z) quæ postea addita est, improbam licitationem æstimationis excipere, (aa) sed vetusta potius loci specie (bb) & pensio cogitetur, quam cultus hodiernus, qui per industriam hominis animosi (cc) accessit. Dat. III. Non. Aug. Post cons. Gratiani A. III. & Equitii V. C. [375.]

NOTÆ.

(a) L. 2 *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOF.

(b) *al.* diuulsis literis, *Idem AAA.* (puta *Valentinianus, Valens & Gratianus*) *Chiloni*: Quod postremum neque Tribonianus videre potuit, qui tamen recte viderat, trium Augustorum nomina *huic leg.* inscribenda. *Idem*, inquit, *AA. & Gratianus A.* Porro *Chilo* hic idem est, cui hoc ipso Anno inscribitur *lex 16. supr. de Susceptorib.* Et qui superiore Anno Vic. Afric. dicitur. *l. vltim. supr. de excusat. artificum.* Chilonis ex-Vicario mentio fit apud Ammianum *initio lib. 28.* ID.

(c) *Intercipere*, & interdicere, annullare, prohibere. Rei scilicet obligatæ & obnoxiæ non est prohibita alienatio, sed res transit cum onere suo. ID.

(d) Id est, obligata. ID.

(e) *Mercatoris*, Cod. Iust. vt infr. *mercator.* ID.

(f) Abest a *Cod. Iust.* male. ID.

(g) *Munificam*, id est, muneri & functioni nauicularlæ obnoxiam: vid. *Gloss. Theod.* ID.

(h) *Nauicularium*, Cod. Iust. ID.

(i) *Habuit*, vulgat. Edit. Cod. Iust. ID.

(k) *Huiusmodi* Cod. Iust. ID.

(l) Pro, immuni a publica functione. ID.

(m) *Domus* Cod. Iust. ID.

(n) Emptorem scilicet. ID.

(o) *Emolumentum* domus, pro pensione, quæ ex domo colligitur seu colligi potest. ID.

(p) *Cum pecunia mutuaretur*: ita *Cod. Iust.* passiue Cuiacius, *cum pecunia mutarentur.* An: *cum pecuniam mutuarentur*, actiue, Nauicularii scilicet? *Mutuari* est, non ex contractu speciali (quod *Mutuum* vocatur) quid accipere, verum *quid mutuo & inuicem accipere*: Quod etiam fit in venditione, vbi pro re seu merce pecunia mutuo & inuicem accipitur. Quod Glossa vidit. An *pecunia mutuarentur*, id est, locarentur? ID.

(q) *Spatium* C. Iust. etsi in aliis etiam *spatia*, vt docet Lucas de Penna. ID.

(r) Cum venderetur. In Cod. Iust. vulgat. est, *habuerit.* ID.

(s) Aut

(s) Aut post emptionem. *ID.*

(t) *Molitio*, κυρίως de ædificia: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

P. 97. (v) *Institutum*, κυρίως de ædificio instituto: vid. & *l. 3. supr. de excusat. artificum.* *ID.*

(x) Emptor scilicet. *ID.*

(y) *Adiecerit*, Cod. Iust. vulgat. *ID.*

(z) Et magnificentiam. *ID.*

(aa) Id est, sustinere. *ID.*

(bb) 74. *species*: vt *Cod. Iustin.* & Edit in 4. *ID.*

(cc) *Animositas* in operibus & ædificiis excolendis: vid. & *l. 46. infr. de operibus publicis.* Sic & Symmachus, *lib. 5. epist. 59. Multum rebus omnibus additurus, quas ciuium voluptati animoso impendio præparamus:* in voluptatibus scilicet publicis exhibendis. Alioquin & animositas in licitationibus, *l. 36. §. 1. D. mandati.* vide plura in *Gloss. Theod.* *ID.*

COMMENTARIVS.

POSSESSORVM, & Emptorum, qui bona quædam, seu prædia nauicularıæ functioni obnoxia possident, fauorem & securitatem respicit hæc pulcherrima, & prædicabilis, omniumque maxime in hac materia, distincta & expressa Valentiniani Sen. constitutio, quam ideo Tribonianus spretis aliis in *Codicem suum* retulit: Aduersus nimietatem Nauiculariorum, imo & Iudicum forte quorundam, plus æquo huiusmodi possessores inquietantium, & vltra *modum* conuenientem.

Prima nimietas hæc erat, quæ hic obiter perstringitur, (& cui contrarium sequentibus *huius leg.* sententiis præstruitur) quod etiam absolute *intercipi* huiusmodi venditionem vellent, id est, interdici, atque adeo absolute res nauiculariæ functioni obnoxias ad Nauicularium redire oportere intendebant, vt cæteroquin multa sunt quorum emptione venditione interdictum est. Et sane id ita a Valentiniano ipsomet in hac specie aliquando constitutum fuisse suadet eius *lex a supr.* At enim contra nunc definitur. *Quoniam*, inquit, *intercipere contractum emendi vendendique fas prohibet.* Nefas est scilicet cuiquam suæ rei commercio interdici, si modo aliunde consultum publicæ vtilitati esse possit: vti hoc casu esse potest, mediis & remediis quæ *hoc titulo*, & *hac leg.* nominatim proponuntur. Sic etiam, etsi *l. 6. supr. de contrah. empt.* cuique liceat emptorem quærere, attamen moribus inductum est, in proximorum fauorem ius Retractus gentilitii.

Secunda nimietas hæc erat, (præsupposito iam illo quod dixi, nempe quod Nauicularius prædia sua alienare posset, sed cum onere suo,) quod huiusmodi prædiorum emptorem seu possessorem ipsum, omniaque eius bona in totum nauiculariæ functioni obnoxia esse vellent, etiam ea quæ ipse de suo haberet: imo & per hoc ipsum, Nauicularium eum prorsus fieri oportere contendebant: Verum definit *hac leg.* Valentinianus, eum, nonnisi pro rata bonorum nauiculariæ functioni obnoxiorum a se quæsitorum, ad pensionem functionis nauiculariæ teneri, neque ipsum Nauicularium cum omnibus suis bonis fieri. Quod & ipsum constituitur *l. 4. supr.* & *l. 8. infr.* & *l. 3. 27. supr. de Nauicul.* Et rationem reddit: *Quia res oneri addicta est, non persona mercantis.* Vnde iam secundum axioma ex *hac leg.* conficitur: Quod res quantumlibet obnoxia alicui oneri ab aliquo empta sit, attamen neque personam emptoris id afficiat; neque vltra modum ipsius rei emptor teneatur.

Tertia nimietas erat circa æstimationem & proportionem, pro qua videlicet emptores huiusmodi prædiorum ad nauiculariam functionem tenebantur: idque duplici ratione; Nempe Domos (nam de his hic agitur) æstimari volebant pro æstimatione pretii, quo emptæ fuissent, non pro modo pensionis: item æstimari volebant, pro decore postea adiecto, cultuque hodierno, qui per industriam emptoris & hominis animosi accessisset. Id quod vtrumque *hac leg.* inhibetur: iubeturque adeo primum ea æstimatio iniri seu modus præstari pro modo pensionis, non vero pro modo pretii dati: hac ratione, quia & in commune, quod hic dicitur, *domorum cultu decus vrbium potius quam fructus adquiritur.* Domus scilicet seu prædia vrbana in ornatu magis quam fructu consistunt. Quare axioma illud hinc conficiatur: Res, & quidem prædia vrbana, æstimanda non secundum valorem, sed secundum eorum reditum: quam in rem quoad censum, & tributorum rationem attinet, vid. quæ Ioan. Philippi *in priscorum nostrorum munerum summa, num. 94. & 95.* Secundo definit Valentinianus Sen. quomodo hæc æstimatio ineunda sit, scilicet pro ratione temporis quo domus comparata fuit: non vero præsenti: quia iniquum foret *exstructionis arduam difficilemque molitionem, aut decus sumptuosum, vel liberale institutum & munificentiam, quæ postea addita est, habitationem suam ornamento vrbis adiicientis & industriam hominis animosi improbam licitationem æstimationis excipere;* vt hæc omnia eleganter hic dicta occurrunt. Satis scilicet ipso sumptu nouus emptor grauatur: Resque publica satis habet, quo emptoris liberalitati, munificentiæ, & industriæ gratias habeat, quam vt domus ita culta *improbam* insuper licitationem æstimationis exciperet: id est, eo plus in præiudicium eius æstimetur taxatione. Denique *vetusta potius loci seu Domus species & pensio cogitanda venit, quam cultus hodiernus:* Vno verbo tempus modusque pensionis, tempore contractus & emptionis domus nauiculariæ functioni obnoxiæ hic attendendus, neque vlterius emptor prægrauandus venit. Quæ omnia singularia admodum sunt, mentique tenenda, si quando de Æstimatione rerum agatur, deque oneribus & collectis publicis sustinendis rei alicuius comparatæ nomine: Tertiumque adeo axioma hoc teneatur; Quod valor rei & quidem Domus alicui oneri vel functioni obligatæ, si in alium transferatur, colligatur & attendatur secundum æstimationem & fructum, quæ erant tempore contractus seu alienationis, non pro modo qui postea accessit extrinsecus ex liberali instituto noui emptoris, munificentiaque & industria eius, seu pro modo cultus vel meliorationis extrinsecæ. Quod quidem Doctores & Interpretes extendunt ad res Minorum comparatas: de quo ad aliquid facit *lex 30. §. 1. D. de minorib.* Extendunt seu applicant ad fundos Vasallorum & rusticorum comparatos. Ponunt & exemplum in Prælatis Ecclesiæ, qui cum res modici pretii alienarunt, postea videntes rem pretiosiorem factam, dicunt Ecclesiam deceptam, & volunt reuocare. Quod non possunt argumento quoque *huius leg.* Sic sane & in Euictione non augetur quantitas

titas euictionis, si res melior fuerit effecta, *l. 64 in pr. D. de euictiomb.*

Ad hanc vero æquitatem pertinent quoque (etsi alia in re) duæ singulares constitutiones, quæ ad æram nostram ferme pertinent. Prima est eiusdem Valentiniaoi *lex 2. Cod. Iust. de fundis rei priuata,* quæ in *hoc Codice* quoque olim fuerat; qua cauetur, quod vnaquæque villa cum eo onere vel forma, cui nunc habetur obnoxia, ad noui domini iura migra-
P. 98. bit, *vt si quid adiecerit sumptus cura vel SOLERTIA, quicquid mancipiorum vel pecoris ACCREVERIT; capitationis aut canonis augmenta non patiatur, sed solis dominis hæredibusque dominorum sit cessura FELICITAS.* Secunda est, *lex penult. Cod. Iust. de omni agro deserto*, in specie de sterilibus fundis, sub certi canonis præstatione susceptis ab aliquibus: vbi definitur, *nullam eos descriptionem siue ADIECTIONEM aut innouationem in posterum sustinere: quoniam nimis absurdum est, eos, qui nobis hortantibus fundos inopes atque egenos, magno LABORE impenso, aut exhausto patrimonio vix forte MELIORARE potuerunt, vtpote deceptos, inopinatum onus suscipere, illudque velut quadam circumuentione deposci, quod si se daturos præscissent, fundos minime suscipere, aut etiam COLERE paterentur.* Addatur & tertia, ex Theodosii *Nouella 10.* cuius pars est, *lex vltim Cod. Iust. de alluuionibus*, vbi pariter definitur, si sumptibus possessorum ad frugum fertilitatem translatæ sint paludes, vel pascua, quasi fertilia censeri, vel functiones exigi non oportere, *ne doleant DILIGENTES operam suam agri dedisse CVLTVRÆ, nec diligentiam suam sibi damnosam intelligant.* Ad eandem inquam æquitatem petinent quoque *hæ leges*, etsi in dispari specie: vnde iam axioma illud conficiatur, cum de caoone vel ooere aliquo agitur: siue ea res postea ab eo, qui functioni illi obnoxius erat vendita fuerit, siue ea lege & spe relicta, æstimationem eius temporis semper ineundam, quo res vendita, relictaque fuit, noo pro modo augmenti seu meliorationis, quæ industria emptoris, vel possessoris accessit. Idemque est extra functiones publicas, & circa venditionem, siue solutum dationem: *industria enim & tuentus venditori prodesse non debet, sed emptori*, vt eleganter loquitur *lex penult. Cod. Iust. de solutionibus.* Hinc & retro, si in sp. *legis nostra*, fundi ipsi euincantur & reddantur Nauiculariis, melioratæ rei respectio habenda est: vt idem Valentinianus definit *l. 6. supr.* Ab hac vero specie diuersa est illa, vtrum Caoon augeatur, aucto per alluuionem prædio? de quo v. præter alios tertium SCtum apud *D. de l' Estang.*

VIII. (a) Impp. Arcad. & HONOR AA. Messalæ PF. P. (b)

HI qui fundos nauiculariæ functioni adscriptos a Nauiculariis acceperunt, quolibet ad se titulo transeuntes, secundum agri opinionem, (c) quæ antiquitus habetur adscribta, nauiculariam functionem suscipere cogantur: Neque eas conditiones sibi æstiment (d) profuturas, quas venditor minus idoneus in se receperit, (e) inpositæ (f) mentis arbitrio. Hac tamen ratione (g) seruata, vt si ad minus idoneum fuerit translata possessio, etiam auctores (h) transscribti prædii teneantur obnoxii: Sitque hoc in promptu, vt damnis fiscalibus primitus ab idoneis consulatur; &c. (i) Dat. XIV. Kalend. Mart. Med. Theodoro V. C. Coss. [399.]

NOTÆ.

(a) *L. vlt. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda autem illi *lex 28. supr. de Nauicular.* GOTHOF.

(b) Italiæ. *ID.*

(c) *Opinio* agri, est census, censualis Professio & æstimatio agri *hac leg.* Eodem sensu *l. vlt. Cod. Iust. de collat. fund. fiscal. Vt omnes species annonarias, cursitationes etiam debitas, atque integram opinionem sciant esse soluendam.* In Glossis: *Opinio*, δόξα, ὑπόληψις, οἴησις, οὐσιότης. Et inde forte *opinatori* nomen, qui vel ἀπαιτητὴς τῆς ἀννώνης στρατιωτικῆς. *ID.*

(d) *Existiment*, Cod. Iust. *ID.*

(e) *Recepit*, Cod. Iust. *ID.*

(f) *Imponentis arbitrio*, ita in *Cod. Iust.* Edition. nonnullis. In vulgatis tamen eadem lectio. At in veteribus, *impositas iamentis arbitrio.* Quod probat Cuiacius, & omnino probum est. *ID.*

(g) *Pactione*, Cod. Iust. male. *ID.*

(h) Eadem voce in eadem re vtitur *lex 19. supr. de Nauicul.* *ID.*

(i) Quæ sequuntur, *d. l. 28.* *ID.*

COMMENTARIVS.

HONORII Imp. tres constitutiones sequuntur, super prædiis & possessoribus prædiorum nauiculariæ fuoctioni obnoxiorum, quibus addendæ sunt duæ eiusdem; puta *lex 27. 35. supr. tit. de Nauiculariis.* Ad id sane argumentum pertioent & THEODOSII M. duæ constitutiones, puta *lex 19. 20. supr. de Nauicul.* cuius Imp. nulla constitutio in *hunc titulum* coniecta est. Hæc NAVICVLARIORVM corporis fauorem respicit, & *vt damnis fiscalibus consulatur*, vt *fine leg.* dicitur. Nempe reparationi rei nauiculariæ prouisurus Honorius Imp. hoc Ann. D. 399. & sic anoonæ vrbicæ consulturus, constitutione sua ad Messalam PP. Italiæ emissa duplici remedio consulere in animum induxit: quorum posterius continetur *l. 28. supr. de Nauicul.* quæ proinde huic coniungenda est, iussis Nauiculariis

riis, debitæ capacitatis naues ædificare: prior continetur *hac leg.* qua indemnitati fisci seu annonæ vrbicæ consulitur, definitis personis quæ alienatis a Nauicularis prædiis conuenire possent, aduersus fraudulentas siue conuentiones siue alienationes. Gemina scilicet fraus in huiusmodi alienationibus sæpe intercedebat: Prior, quod emptor hac conditione emeret prædium a Nauiculario, vt Nauicularius venditor, iam minus idoneus nauiculariæ functionis onus in se reciperet: Altera, quod viceuersa sæpe emptor minus idoneus esset. Igitur Honorius neutrum damno fisci cedere vult. Nam & conuentionem illam prodesse vetat, & pro nulla habet, vt cæteroquin etiam sine censu fundus comparari non potest: de quo *tit. supr.* & *C. Iust. sine censu vel reliquis*: neque idem fundus sine colonis *l. 3. infr. de censu: l. 14. 26. sup. de annona & trib.* vel colonis, sine censu: *l. 2. supr. sine censu*: ac proinde emptorem idoneum conueniri posse. Viceuersa, si non idoneus sit emptor, venditorem idoneum teneri vult: Denique vult hoc esse *in promptu*, id est, hoc vnice spectandum esse, vt damnis fiscalibus *primitus*, quam optimum ab idoneis consulatur.

P. 39 IX. (a) Impp. Honor. & Theod. AA. Sebastio (b) Com. (c) Post alia.

NAVALEM hæresim (d) in omnibus (e) volumus custodiri: vt vsque ante (f) viginti annos quæcunque possessiones subhastariæ (g) sorte distractæ sunt, & propter contractum publicum nauali fuerant hæresi separatæ, si huic oneri ante eas subiacuisse constiterit, rursus ad debitam functionem teneantur obnoxiæ: &c. Dat. Prid. Id. Maii, (h) Rau. Honor. XI. & Constantio II. Coss. [417.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* à *Cod. Iust.* velut temporaria. Iungenda huic *lex 13. supr. de Senatoribus*: (vnde desumpta *l. 15. Cod. Iust. de omni agro deserto*, quæ die & Coss. caret) & *l. 14. 15. 16. infr. de censitoribus.* Imo & *lex 7. seu vlt. supr. de locat. fundorum*, etsi *Vrsacio Comiti R. P.* inscribatur. GOTHOF.

(b) Dicta *lex 7.* inscribitur *Vrsacio Com. R. P.* nempe quia caput illud prolixioris constitutionis ad Com. R. P. officium pertinet, vtpote agens de locatione fundorum iuris emphyt. & reuocatione eorum. *ID.*

(c) *Primi ordinis*, hoc additum *d. l. 14. 15. 16. infr. de censitorib.* *ID.*

(d) Hæresis, *αἵρεσις*, naualis *hac leg.* bis, & *l. prox. vlt.* est condicio naualis. Inde & forte hæreticorum, *l. 14. de Nauicul.* *ID.*

(e) Et per omnia. *ID.*

(f) Ita & *d. l. 16. illa, quæ ante viginti retro annos*: & rursum mox: *quæ ante viginti similiter annos.* IDEM.

(g) *al.* *Subhastaria forte.* *ID.*

(h) Ita quoque *d. l. 13.* & *d. l. 7.* At *d. l. 14. 15. 16.* *Dat. Prid. Id. Mart.* *ID.*

COMMENTARIVS.

NAVICVLARIÆ functionis fauorem enixum respicit hæc Honorii constitutio, qua præcise REVOCARI iubet eas possessiones omnes, quæ nauali hæresi, seu functioni, olim obnoxiæ erant: intra viginti annos distractas, *Vsque ante viginti annos*, id est, intra 20. annos: Quomodo pariter & *l. vlt. infr. de censitorib.* (quæ huic inter alias mox vt ostendam coniungenda est) inspectioni seu peræquationi, de qua *ea leg.* & *d. leg. 13. supr. de Senatorib. seu d. leg. 15. Cod. Iust. de omni agro deserto*: idem terminus ponitur, iisdem verbis *ante viginti retro annos*. *Ante viginti annos*, id est, intra viginti retro annos: Quomodo in comparatione dictum, *Ante diem pridie Kal. Non. vel Id.* Ergo vicennalis præscriptio *hac l.* admittitur: cum tamen simpliciter temporis præscriptio submoueatur in hac re, *l. 3. & 5. supr.* & quinquagenaria tantum admittatur in sp. *l. vltim infr.* verum speciale istud est in specie huius *leg.* vbi agitur de prædiis Naviculariorum sub hasta, vel vt loquitur lex, *subhastaria sorte* distractis. Nempe & cæteroquin qui a fisco quid emit, citius securus est, de quo monent vel *Institutiones* nostræ: *propter contractum publicum*, ait *hæc lex*: scilicet maior fides contractus publici seu subhastationis esse debet quam priuati contractus.

Et hæc quidem ita *hac leg.* Honorius; quæ pars est Formulæ seu Mandatorum datorum *Sebastio* Com. ordinis primi *Peræquatori*, misso in Prouinciam (Africam scilicet) ad inspicienda, peræquanda prædia, ad adiectionem seu ἐπιβολὴν faciendam sterilium cum opimis, denique ad æquandas publicas functiones: vt docent quinque aliæ *leges*, ex iisdem Mandatis desumptæ, huic proinde omnes coniungendæ: puta *lex 13. supr. de Senatoribus & Glebali collat. l. 14. 15. 16. infr. de Censitorib.* Imo & *l. 7. seu vlt. supr. de locat. fundorum.* Quarum quidem publicarum functionum numero fuit naualis hæresis seu functio, & vero omnium maxime Reipubl. annonæ, inquam, vrbis æternæ vtilis. Quare Honorius inter cætera mandata, quibus missum a se generalem illum inspectorem & peræquatorem instruendum credidit, etiam de prædiis Naviculariorum monendum cummaxime duxit *hac leg.* & *l. 13. de Senatorib. & gleb. collat.* & *d. l. 15. Cod. Iust. de omni agro deserto*: quid videlicet hac parte agendum haberet: nempe generaliter primum, *vt naualem hæresim in omnibus custodiret*, id est, vt eius potissimum & semper rationem haberet. Quare si nauiculariæ functioni obnoxium prædium *desertum*, opimo iungeret per ἐπιβολὴν, vt eam ἐπιβολὴν faceret semper, salua functione nauali

nauali: a cæteris tamen functionibus immunem: quæ sententia est posterioris partis *d. legis 13. supr. de Senatoribus & Glebali collat.* quæ melius huc relata fuisset, & *huic leg.* cohæsisset; relata vero est in *dict. l. 15. Cod. Iust. de omni agro deserto.* Item, vt prædia nauicularia *distracta*, ad nauicularium functionem retraheret, si intra XX. annos sub hasta distracta fuissent: quæ *huius leg.* sententia est.

X. (a) Idem AA. Proculo PF. P. (b)

SI quod *Prædium*, in quolibet Africani cespitis (c) loco, per quinquaginta annorum curricula ad naualem functionem nulla sollicitudo reuocabit, (d) nec pulsatum (e) aliquando intra designatam annorum seriem super hac parte constiterit, ac prædictæ annositatis (f) cursum sine vlla naualis hæresis (g) conuectione (h) transcenderit, nullis patimur sollicitudinibus agitari. Illud quoque penitus abolendum esse censemus, vt quem non *Personæ* alicuius super nauicularia functione probamenta (i) confutarant, (k) nulla chartarum post quinquaginta annorum seriem molestia re diuiua (l) conueniat. Dat. XV. Kalend. Iun. Rau. Asclepiodoto, & Mariniano Coss. [423.]

NOTÆ.

P.100 (a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) *Proculus* PP. sub Honorio, Italiæ scilicet, in qua Præfectura Africa. ID.

(c) *Cespes.* Vid. *Glossar.* ID.

(d) Pro *reuocauit.*

(e) *Pulsatum*, id est conuentum: vid. *Gloss.* ID.

(f) *Annositas*, *hac leg.* & *l. 113. supr. de Decurionib.* v. *Gloss.* ita & annosa militia, *l. 16. supr. de Agentibus in reb.* ID.

(g) *Hæresis*, id est, functio *hoc tit.* & *l. supr. prox. 9.* ID.

(h) Tolerari forte posset: sed malim ego *conuentione*, id est reuocatione, pulsatione. ID.

(i) *Probamentum*, pro probatione. ID.

(k) γρ. *Confutarunt*, conuicerunt: Ita & *l. vnic. supr. de quadrim. breuib.* & *l. 1. supr. de superexact.* ID.

(l) γρ. *Rediuiua*: vid. *Gloss. Theod.* ID.

COMMENTARIVS.

PRÆSCRIPTIONE quinquagenaria, seu quinquaginta annorum, a nauicularia functione, & prædia & personas defendi deinceps definit *hac elegantissima leg.* Honorius, *Abolito* antiquo iure, quo ne præscriptioni quidem huic locus erat. De prædiis sane testis *lex 3. & 5. supr.* (excepto casu *l. 9. supr.*) De personis, non est alia *lex* expressa: hæc haoc ad rem singularis est, cuius pars hæc posterior melius relata fuisset in *titulum de Nauicularijs.* Porro quinquagenariæ isti præscriptioni locus est, si videlicet nulla fuerit mota controuersia prædio aut personæ super nauicularia functione intra quinquaginta annos. Interim hinc quoque apparet de processu & vsu præscriptionum in Imperio Romano, quibus sane vt lancinari id cœpit, atque in præceps ruere, magis magisque locus factus est. Vnde etiam a Theodosio Iun. huius Honorii nostri collega, Anno proxim. 324. triennalis præscriptio peremptoria inuenta *l. vnic. supr. de actionib. certo temp. finiendis*: eaque mox in maius a Valentiniano III. aucta *Nouella Valent. 8. de prascript. 30. annorum.* Et sane quo pacatiora sunt tempora, eo præscriptionibus minor locus esse debet; quo Mors, quo Mars magis coniuratus, eo maior etiam. Quo etiam pertinet decennalis præscriptio ab hoc eodem Honorio nostro inducta ante quinquennium in sp. *l. 6. supr. de testamentis*: vbi ratio quæ additur, notanda est. Neque tantum in caussis priuatis, verum etiam in publicis, quo pertinet *hac lex.* Hanc interim quinquaginta annorum præscriptionem addi deinceps velim iis, quæ cumulant Eustathius, *lib.* περὶ χρονικῶν διαστημάτων, *de temporal. præscript.* Cuiacius, & alii.

DE

DE NAVIBVS * NON EXCVSANDIS. **

TITVLVS VII.

LIB. XI. Cod. Ivst. Tit. III.

* Priuatorum. ** ab Angariis, seu ab onere transuectionis publicæ: & quidem, non *Potentiorum patrocinio*, legibus huius tit. non priuilegio vllo, quo pertinet *Nouella* Theodosii 15. *de nauib. vltra duorum mill. capacitatem non excusandis:* (vnde desumpta est *lex 2. Cod. Iust. eodem tit.*) & Valentiniani *inter Theodos. 36. vers. Priuatorum naues*

I. (a) Impp. Arcad. & Honor. AA. Eutychiano PF. P. (b)

Cvnctis (c) per Ægyptum intimetur, (d) viginti librarum auri multæ esse subdendos eos, (e) qui naues, suo nomine vel defensione, a transuectionibus (f) publicis excusare temptauerint: Publica (g) iactura nauium quoque dominis feriendis, qui neglectis necessitatibus publicis, (h) potiorum voluerunt patrociniis excusare. (i) Dat. Prid, (k) Id. Matt. Constp. Theodoro V. C. Coss. [399.]

N O T Æ.

(a) Iungenda huic *leg. 4. supr. de patrocin. vicor.* emendato alterutrubi die. *GOTHOF.*
(b) Eutychianus Pf. sub Arcadio, Orientis scilicet, vid. *Prosopogr.* *ID.*
(c) Cuiuscunque dignitatis. *ID.*
(d) Significetur. v. *Gloss.* *ID*
(e) Potiores *inf. fin. l.* seu potentiores: de quibus mox. *ID.*
(f) Subuectionibus, *l. 2. infr.* annonæ scilicet ex Ægypto, Constantinopolim. *ID.*
(g) Id est confiscatione. *ID.*
(h) Subuectione annonæ. *ID.*
(i) An *excusari*? Nil mutandum: sic etiam supra: *excusare*, naues scilicet. *ID.*
(k) *VI. Id. d. l. 4.* facili transitu vnius ad alterum *PRID.* & *VI. Id.* *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 101 Arcadii & Honorii duæ tantum Constitutiones *hoc titulo* occurrunt in argumento, *de Nauibus*, priuatorum scilicet, *non excusandis* a transuectione annonæ. Quibus addendæ suo præterea duæ *Nouellæ*: vna Theodosii 15. *de Nauibus, vltra duorum millium capacitatem non excusan.* & Valentiniani III. inter Theodos. 36. *de Nauicula-riis amnicis* (vrbicis) *vers. priuat. naues.* Nempe etsi Nauiculariorum corpora certa stataque essent, qui species publicas, veluti annonam, transueherent, subueherent, more solemni: de quo *tit. de nauicul. sup.* & *tit de prad. nauicul.* Attamen extra ordinem, vel vrgente necessitate aliqua publica, vel non sufficiente Nauiculariorum numero, etiam priuati naues suas huic rei commodare tenebantur, ac proinde naues eorum angariari in id poterant, ad felicem videlicet embolam, seu ad transuehendam forte annonam publicam. *Vt necessarium*, inquit Valentin. *d. Nou. 36. corpus saluberrimo prouisionis auxilio subleuatum, deuotionem solitam redintegratis viribus possit agnoscere.* Quomodo etiam si collegiati numero impares essent a priuatis nonnullis ad prosecutionem rerum fiscalium operæ exigebantur: vt docet *titulus sup. lib. 11. ne operæ a collatoribus exig.* *Angariari* inquam, qua voce vtitur diserte Vlpianus *lib. 4. de offic. Procons.* (quo egerat de muneribus publicis) de nauibus pariter non excusandis agens, *lege penult. §. 1. D. de Veteranis*, vbi ex rescripto quodam refert, etiam Veteranorum naues angariari posse. Ita Gregorius *PP. lib. 8 Epistol. 64. Nauem ab omni angaria vel onere exuere excusareque festines, ac si specialiter nostra sit.* Quod ita mox explicat: *Ita se in tuitione supradicta nauis impendat, vt se illic posito, nullam moram vel impedimentum ab aliquo valeat sustinere.* Ergo *Angariare*, est moram & impedimentum loiicere: Neque tamen nudam moram & impedimentum, verum simul ad onus aliquod eas adstringendo. Quo sensu etiam accipienda Libanii *oratio περὶ τῶν Ἀγγαρειῶν, aduersus Angarias*, id est, aduersus eum prauum morem, quo Agricolæ in vrbem commeantes, mox in agrum redituri a Magistratibus detinebantur, ruderis egerendi causa, asinique eorum & muli in id vsurpabantur. *Quæ* quidem de *Angariandi*

riandi voce hanc ad rem nauiculariam, seu Nauium Angarias sufficiant: cætera enim plene *suo titulo supr. de cursu publico, Angariis*: &c. Igitur Angariari poterant priuatorum naues ad publicarum specierum transuectionem. Sicut nemo ab his Angariis excusaretur. Quod satis ostendit vel *huius tituli* Rubrica *de nauibus non excusandis*: & vero id nominatim dicitur *l. prox.* omnes videlicet in commune vtilitatibus publicis obedire, & subuectionem sine dignitatis priuilegio celebrare oportere: codemque pertinet *Nouella* Theodosii, *de nauibus non excus. 15.* sic quidem etiam vt ne Veteranorum quidem naues excusarentur, quod Vlpianus *d. l. penult.* refert. Et tamen potiorum, seu potentiorum patrocinio naues suas ab his Angariis excusare nonnulli conati, in fraudem functionum publicarum: Quomodo & ad alia similia patrocinia fraudandorum tributorum causa alii confugiebant, ac nominatim Rusticani: de quo *tit. de patrociniis vicorum supra*; & Libanii *oratio* περὶ προστασιῶν. Igitur naues suas diuersorum nominibus & titulis tuebantur, vti docet *l. 2. prox.* Vt de his titulis & nominibus nil dicam: Patrocinia nominatim hæc per Ægyptum inualuerant, vt noo taotum de patrociniis rusticorum docet *d. tit. de patrociniis vicor.* verum etium de his Nauium patrociniis docet *hac lex 2.* Nempe in fraudem annonæ Vrbis Constantinopolitanæ, ex Ægypto traosuehendæ. Cui quidem vtrique patrociniorum generi Arcadius constitutione sua occurrere voluit: cuius partes duæ supersunt: nempe *hac lex*, & *lex 4. eo tit. de patrociniis vicor.* quæ proinde *huic* coniungenda venit, velut vnius & eiusdem constitutionis pars: & quidem etiam argumento conuenientes: sic vt hæc patrociniis nauium occurrat, illa vero patrociniis rusticorum, quæ io fraudem *illationis* rei tributariæ vsurpabantur: sicut hæc in fraudem *translationis* seu *transuectionis*.

Interim ex *ea* quoque *leg.* disci potest, quinam per *Potiores* patrocinium præbentes *hac leg.* intelligendi sint, nempe ii, penes quos imperium fuit, quique variis honoribus fulciebantur; veluti Magistri militum, Comites, Proconsules, Vicarii, Præfecti Augustales, Tribuni, &c. Quibus addendi & Duces, quod docet *lex 1. eod. tit. de patrocin. vicor.* & Libanius περὶ τῶν προστασιῶν. Patrociniis igitur istis variis pœnis propositis, & constitutionibus emissis subinde occursum iuere Imperatores, vt *hac leg.* Arcadius, proposita multa 20. librarum auri Patronis: dominis vero nauium, nauium confiscatione, quam confiscationis pœnam pariter imponit Honorius *l. 2. infr.* At *d. l. 4.* proposita multa 40. librarum auri, patronis: rusticis vero susceptis 80. librarum. Scilicet etsi vtrumque patrocinii genus damnandum, velut vtilitati publicæ aduersum, attamen grauius est patrocinii genus illud, quo ipsa illatio tributorum & specierum fiscalium impeditur, quam quo translatio tantum.

II. (a) Idem AA. Longiniano PF. P. (b)

MVLTI naues suas diuersorum (c) nominibus & titulis tuentur: Cui fraudi obuiantes præcipimus, vt si quis, ad euitationem publicæ necessitatis, (d) titulum (e) crediderit adponendum, sciat, nauem esse fisco sociandam: Nam, vt priuatos quoque non prohibemus habere nauigia, ita fraudi locum esse non sinimus: Cum omnes in commune, (f) si necessitas exegerit, conueniat, vtilitatibus publicis obedire, & subuectionem, (g) sine dignitatis priuilegio, celebrare. (h) Nisi igitur intra triginta dies hæc fraus fuerit remota, vniuersa nauigia, quæ ad exceptiones (i) confugiunt, dominis auferantur. Data III. Id. Ian. Rau. Arcad. A. VI. (k) & Probo Coss. [406.]

NOTÆ.

P. 102

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOF.

(b) Italiæ. Eidem Longiniano PP. inscribitur hoc ipso Anno paulo post, *lex 10. infr. de Censitorib.* & *lex 15. supr. de desertorib.* Hic idem est ille, qui Anno 399. Comes S. L. fuerat: cuique inscribitur *lex 17. supr. de Palat. S. L.* & ad quem plures extant Symmachi epistolæ *lib. 7.* vbi male editum *Longimano*. Certe ex *epist. 93.* & *95.* quoque colligitur satis, eum Comitem S. L. fuisse. *ID.*

(c) Potentum. *ID.*

(d) Translationis, vt *l. 1. supr.* subuectionis, *hac leg. infr.* *ID*

(e) Alienum potentis. *ID.*

(f) *In Commune*, vid. *Gloss.* & Sauar. *in Sidonium lib. 7. epist. 14.* *ID.*

(g) Translationem, *l. 1. supr.* *ID.*

(h) Reliqua abscidit Τρίβων. *ID.*

(i) Seu defensiones huiusmodi, & patrocinia. *ID.*

(k) γρ. *VI.* Vt iam quoque recte notauit Iuretus *in Symm. lib. 7. epist. 95.* *ID.*

COMMENTARIVS.

HONORII hæc constitutio est, aduersus patrocinia Nauium; sicut superior Arcadii: eadem confiscationis nauis pœna proposita nauis domino, qui ad patrocinium Potentis ad euitandum onus translationis confugisset; laxamento tamen 30. dierum dato, ad patrocinia hæc relinquenda, si qui ad ea confugissent. Nulla vero ab Honorio *hac leg.* Ipsis Potentioribus, patrocinium præbentibus, imponitur pœna, quod Arcadius fecit, *l. 1. supr.* Satis scilicet id & abunde visum: Nisi forte impositam

tam

tam eam quoque ab Honorio fuisse putamus integra constitutione Honoriana, cujus pars tantum *hac lex* extet.

Quod de *titulis* hac leg. dicitur, id satis explicatum *l. vnic. supr. de his qui potentiorum nomina in lite prætendunt, aut titulos prædiis adfigunt.* Hinc interim discimus, etiam Nauibus, titulos & nomina dominorum inscribi solita, haud aliter ac prædiis: de quo fuit illa *lex vnic.* & sunt insuper varii *Augustini* loci. Sane nomen nauis olim prora nauis inscriptum, ἐν πτύχῃ τοῦ ἀκροστολίου, docet Pollux & Didymus apud Eustathium, & Apollonii Scholiastes, de quo Salmasius *in Plinianis pag. 404. Edit. Traiect. 1689.* Aliud ab hoc fuit parasemon & tutela nauis.

Illud etiam obiter obseruandum, naues vt patrociniis potentum, ita neque priuilegiis dignitatum excusari posse: quo pertinet *lex vnic. infr. de nautis Tiberinis*; & *Nouella* Theodosii 15. *de nauibus, vltra duorum millium capacitatem non excusandis* (vnde desumpta est *lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* & *lex 10. Cod. Iust. de sacrosanct. Eccles.*) Quo loco (vt id obiter moneam) *felix embola*, non est tantum specierum publicarum transuectio, seu ἐμβολή, quæ a priuatorum nauibus exigebatur (de qua *hoc titulo*) verum omnis omnis transuectio, etiam ea, quæ a Nauiculariis, vel prædia Nauicularia possidentibus fiebat: scilicet quod *ea lege* dicitur, non posse vllam nauem (de qua ibi agitur) subtrahi vel excusari ante felicem embolam, vel specierum publicarum transuectionem, hunc sensum habet: vsque quo vniuersus canon Vrbis Constantinopolitanæ subuectus fuerit, tamdiu non posse excusari vllam nauem priuatam: Itaque quamdiu quid transferendum interest, posse *angariari* naues priuatorum.

NE QVID ONERI PVBLICO INPONATVR.

TITVLVS VIII.

Lib. XI. Cod. Ivst. Tit. IV.

Oneris vox hac in re propria, *hic* & *l. vnic. hoc tit.* & *l. 21. supr. de Nauicul.*

I. (a) Impp. Arcad. & Honor. AA. Rufino PF. P. (b)

Oneri (c) publico sarcinam priuatam ne quis inponat: nec audeat portitores frumenti ad suscipiendum onus aliqua necessitate conpellere: Hoc enim facto adque commisso, non in dispendium solum, adque naufragii damnum tenebitur obligatus, verum etiam publicæ cohercitionis experietur vigorem. Dat. V. Id. Ian. (d) Constantinop. Olybrio & Probino Coss [395.]

NOTÆ.

(a) *Lex vnic. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOF.

(b) *Rufinus* PP. Orientis scilicet sub Arcadio: qui hoc ipso Anno decessit: *v. Chronol.* & *Prosopogr.* ID.

(c) Id est, naui oneratæ speciebus publicis seu fiscalibus, φορτίῳ δημοσίῳ. *Onus* proprie de onere nauiculario: *v. Gloss.* ID

(d) De hac subscriptione, vid. *Chronolog.* ID.

COMMENTARIVS.

Prop.

Svperimponi a priuatis aliquid naui speciebus fiscalibus onustæ vetat *hac constit.* Arcadius Anno D. 395. Nempe propter naufragii periculum, vt *fine leg.* indicatur, quod compertum fuisset, naues publicas ideo naufragium passas, dum videlicet plus iusto nauis oneratur, modiatione eius non seruata: & nauicularii, portitoresque frumenti *necessitate* compelluntur, id est, Angariantvr priuatum onus seu priuatas res aliquas in nauem recipere: nam & hoc iniquum *priuatarum* Angariarum genus tum inoleuerat: vt & alterum priuatarum angariarum genus, quod & ipsum damnatur *l. 4. 5. 8. 9. supr. de Nauicular.* & tertium, de quo Libanius *orat. περὶ ἀγγαρειῶν*, quam edidi. Scilicet non vt publice priuatorum naues, ob publicam transuectionem angariari possunt (de quo, *titulo superiore de nauibus non excus.*) ita & publicæ naues a priuatis ob priuatas sarcinas. *Pœnam* igitur huiusmodi onus priuatum superimponenti publicis nauibus, atque ad id nauicularios angarianti, minatur Arcadius, non tantum, quod naufragio admisso (ob onus videlicet immodicum) indemnitatem fisco præstare debeat, verum etiam publice coercendus veniat. Eademque ratio

est vehiculorum, quibus aurum cæteræque species largitionales deferuntur: susceptoribus enim & prosecutoribus capitalem pœnam minatus est Theodosius M. ante decennium Anno D. 385. *l.* *47. supr. de cursu publ.* si quicquam oneris priuati imposuissent. Pariter neque in horreis fiscalibus, nisi fiscalia frumenta constitui potuere: *l. 16. supr. de Susceptorib.*

DE NAVFRAGIIS *

TITVLVS IX.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. V.

Huc etiam pertinet pars posterior *l. 32. supr. de Nauicular.* quæ constituit *l. vlt. 6. Cod. Iust. eod. tit. de naufragiis.*

* Nauium scilicet species publicas transferentium 1. Nam nihil *hoc titulo* agitur de nauibus priuatis, seu de naufragio nauium priuatarum. De quo tamen suæ quædam *leges* fuere. Et quidem iam olim Rhodiæ, quas Imperatores Romani ferme probauere, vt docet famosa *lex* ἀξίωσις *9. D. de leg. Rhod. de iactu.* vbi Imp. Antoninus ad quem perlata fuerat querela naufragorum quorundam, quorum res a publicanis captæ fuerant, rescribit, ius maris *lege Rhodia* iudicari oportere: ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. Τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, vbi perperam nonnemo refingebat nuper, ὁ δὲ ἄνεμος τῆς θαλάσσης: quasi diceret Imp. se quidem maris dominum esse, at, ventum maris. Cum Imperatoris sententia hæc sit, se quidem mundi totius, etiam maris, & quidem Ægæi, in quo Cyclades, dominum esse, atque ita *leges* mari ponere posse: Sed tamen vltro se id concedere, vt ius maris atque adeo naufragiorum *lege Rhodia* diiudicetur.

PARATITLON.

NAVFRAGIO facto, *Rubr. l. 1. 3. 4. 5. h. t.* susceptorum, *l. 5. h. t.* oneris, *l. 6. h. t.* siue naue penitus obruta vel submersa fluctibus, *l. 3. 6. h. t.* vel violentia tempestatis, *l. 3. h. t.* impetu procellarum, *l. 2. h. t.* sic vt vis aduersa naufragii prohibuerit suscepta deferre, *l. 5. h. t.* siue ad periculum euitandum iactura facta, *l. 4. h. t.* Primo nihil de talibus negotiis quisquam accipere potest, *l. 6. h. t.* Deinde Naufragii detrimentum fiscus agnoscere tenetur, *l. 4. h. t.* non vero quæ ita perierunt cum possessoribus vel Senatoribus vel priuatis communia esse: id est, non ad eos redire, qui semel deuoti fuerant, *l. 4 h. t.* Non etiam Nauicularii aut Prosecutores hoc periculum agnoscunt, si modo testis sit periculi, *l. 4. h. t.* alias ad Prosecutorum incuriam retorquetur, qui minus idoneos nominarunt, *l. 4. h. t.* Igitur vt de rei veritate liqueret, vt Nauicularius qui de impetu procellarum causabatur, *l. 2. h. t.* remedium ex indulgentia consequeretur, *l. 1. h. t.* eum oportuit querimoniam
P.104 deferre, *l. 2. h. t.* quidque acciderit iudiciis publicare, probare testibus euentum, *dict. leg. 1. h. t.* Idque intra anni spatium, *l. 1. & 2. h. t.* si nauis in Occidente ad vrbem Romam, vel in Oriente Constantinopolim directa fuisset, *l. 1. & 2. h. t.* si vero ex Occidente longius ad Portus expeditionales vel Constantinopolim intra biennium, *d. l. 2. h. t.* Et simpliciter, intra biennium, ex *l. 6. seu vlt. hoc tit.* Intra vnius vero lustri spatium terminari, *l. 3.*

h. t.

h. t. alioquin *s*uperuacuæ feræque actiones non admittebantur, *l. 1. h. t.* seu omnis posthac deplorationum aditus obstruebatur, *l. 2. h. t.* Idque vel Prouinciæ Iudice, in qua res agitur adito, *l. 1. h. t.* vel Præfecto annonæ & Vicario Vrbis Romæ, *l. 3.* & *5. h. t.* qui examen suum adhibere debebant, *l. 3. h. t.* & leuato velo de istis causis cognoscere, *l. 6. h. t.* Vt autem veritas inquiri posset, *l. 2. h. t.* vt euentus probari posset, *l. 1. h. t.* nautas, quos in naui habuerat Nauicularius, *l. 2. h. t.* quæstioni exhibere oportebat, *l. 2. h. t.* non quidem omnes, verum ex Valentiniani Sen. constitutione medium nautarum numerum, *l. 2. hoc tit.* ex Gratiani *constit.* duos tantum vel tres, *l 3. hoc tit.* quo eorum tormentis, *l. 2 h. t.* seu quæstione districta, *l. 3. h. t.* plenior veritas inquiri posset, *d. l. 2. h. t.* Si autem vniuersos violentia tempestatis obruisset, ne veritas lateret, adsectionibus Nauiculariorum intra iudicia constitutis, super eorum interitu quærebatur, quos Nauicularius naufragio periisse contendebat, *d. l. 3. h. t.*

I. (a) Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. ad Modestum PF. P. (b)

Si quis Nauicularius naufragium sustinuisse (c) adfirmat, Prouinciæ (d) Iudicem (eius videlicet, in qua res (e) agitur) adire festinet, ac probet aput eum testibus euentum: (f) Relatioque (g) ad Sublimissimam (h) referatur Præfecturam, ita vt intra anni spatium veritate relata, (i) remedium (k) ex indulgentia consequatur. Quod si per huiusmodi (l) negligentiam præfinitum anni spatium fortasse claudatur, superuacuas ferasque actiones (m) emenso anno placuit non admitti. Dat. PP. Bersti, (n) Non. Iun. Modesto & Arinth. Coss. [372.]

N O T Æ.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOF.

(b) Domitius *Modestus* vocabatur, vt ex Marcellini *Chronico* liquet Anno D. 369. Fuit hic multis annis PP. Orientis sub Valente, vt docent multæ constitutiones *Ann.* 365. 366. 370. 371. 372. 373. 377. Eius meminit quoque Gregorius Nazianzenus *in monodia Basilii*, *orat.* 20. pag. 348. 349. *seqq. Tom. I. oper. Edit. Lips.* Ad eundem extant Basilii *epistolæ* plures, puta 274. 275. 276. 277. 278. 279. (siv. *ep.* 279. 280. 111. 110. 281. 104. *Edit. Benedictin.*) Meminit & Zosimus *lib.* 4. *c.* 14. & Ammianus Marcellinus *lib.* 29. *c.* 1. & *lib.* 30. *c.* 4. v. plura *in Prosopogr.* IDEM.

(c) *Sustinuisse*, id est, *sustinuisse se*, vt est in Cod. Iust. quanquam & illud sustineri potest. *ID.*

(d) Veluti *Phœnices*: in cuius Metropoli Beryto *hæc lex* proposita fuit, vt docet subscriptio. *ID.*

(e) Vide *Commentar.* *ID.*

(f) *Euentum*, id est, naufragium. *ID.*

(g) Relationis genus ad PP. obserua. In Cod. I. *etiam* additum. *ID.*

(h) Id est, ad Præfectum Pretorio. *ID.*

(i) *Reuelata*, Cod. Iust. *ID.*

(k) *Competens dispositio procedat*: ita immutata hæc *Cod. Iust.* *ID*

(l) Abest hæc vox a *Cod. Iust.* & malim *cuiusmodi*, id est, quæcunque. *ID.*

(m) *Interpellationes*, Cod. Iust. *Actiones* dicuntur etiam querelæ, causationes. *ID.*

(n) *vg. Beryti.* *ID.*

COMMENTARIVS.

Valentis Imp. hæc constitutio est, prima omnium *hoc titulo de Naufragiis*: qua Contestandi, Probandique naufragii forma Tempusque Nauicularis species publicas transuehentibus statuitur: vt ita securitati suæ consulant, neque naufragii periculum in eos recidat, imo *vt remedium ex indulgentia consequantur*, vt *hac leg.* dicitur, id est, vt eis remittatur quod naufragio periit. Quæ verba Tribonianus cum *hanc leg.* in *Codicem suum* transferret, cepisse non videtur; & ideo cum aliis mutauit: *Indulgentia* scilicet proprio vocabulo est remissio reliquationis eius quod fisco debetur, διὰ τὸ λοιπάζεσθαι, vt in hac re ipsa loquitur Isidorus Pelusiota, *lib. 1. epist. 299.* ad Isidorum PP. Quo pertinet *titulus supr. de Indulgentiis debitorum*: pluraque alia quæ Index habet. Tribonianus generaliter hic loco illorum, subiecit, *vt competens dispositio procedat*: Certe, hic præsupponitur, naufragii casus propositus, veritasque eius probata: & exinde indulgentia eius quod ita citra culpam naufragio periit: Quod alioquin in Nauicularios recasurum erat, iis non obseruatis: cuiusmodi species continetur *l. 32. in fin. supr. de Naucul.* & vero *hac leg.* Imperator comminatur. Hæc, inquam, est *huius leg.* sententia, hic scopus: Non ea quam putabat olim vulgus Interpretum, quasi hic agatur de naufragorum rebus, intra quod tempus eas prosequi possent? Indeque iam ad *hanc leg.* alia omnia & absurdissima tractantur, quam quæ oportuit, quæ commemorare longum foret. Ad rem.

Primum igitur super eo adiri iubet Valens Imp. *Iudicem Prouinciæ eius videlicet in qua res agitur.* Quod vulgo etiam a Cuiacio accipitur de eo solo Prouinciæ Rectore, vbi Nauicularius naufraugium passus est: & sic hæc verba, *in qua res agitur*, ita
P.105 interpretantur, vbi naufragium factum est. Verum male. Quidni enim nauicularius Syriæ-Phœnices (vt in sp. *huius leg.*) naufragium passus, vique ventorum in aliam Prouinciam Syriam-Cœlem delatus, vel etiam proximus iam Antiochiæ, imo Antiochiam perlatus, quo species perferendæ erant, naufragii casum allegare, remque adeo ibi agere potuerit? Etsi alioquin certum est, si intra eam Prouinciam vbi naufragium factum est, consistere liceat, de naufragio fidem facilius fieri posse, probationemque eius impleri. Ergo manet, etiam in alia Prouincia, & coram alterius Prouinciæ Iudice, quam vbi naufragium factum est, id allegari, probarique posse, denique & alibi RƎM AGI: & sic ibi nominatim quo commeatus vel species fiscales subuehi oportuit. Sic sane & apud Præfectum annonæ & Vicarium vrbis hæc probatio impleri iubetur: *l. 5. infr.* Sic & apud Præfectum annonæ Africæ a Nauiculariis Afris hæc contestatio naufragii casusque probatio facta *l. 3. infr.*

Secundo, iubet Valens Imp. *hac leg.* naufragii casum probari *Testibus*: credo, vel aliis hominibus de naufragio testimonium perhibentibus, vel nautis quæstioni exhibitis: vt *l. 2. & 3. infr.* vbi plura.

Tertio, ea de re *Referri* iubet ad Præfectum Prætorio: vtpote ad quem rei tributariæ ratio spectabat: quo etiam pertinet, quod cauetur, *d. l. 32. in f. supr. de Nauicul.* Sane, quod Cuiacius quoque iam recte notauit, ideo Isidorus Pelusiota, *d. epist. 299. lib. 1.* ad Isidorum PP. & *epist. 300. d. lib. 1.* ad Sozomenum Domesticum Præfecti Prætorio, scribit, super indulgentia Nauiculario cuidam tribuenda, ob violentiam tempestatis, & ventos qui *σῖτον δημόσιον ἐμεγίσαντο*, id est, qui *imminuerant* frumentum publicum : ita enim ibi vertendum erat non obscurius *vendicarunt*, vt Billius: multo minus, vt Rittershusius, *dissecerunt*: Pars enim tantum vi procellarum imminuta fuerat, seu perierat, non vero naufragium integrum factum fuerat, Ergo ad PP. relationem fieri voluit Valens, & quidem in specie *huius leg.* ad Modestum PP. Orientis, qui tum Antiochiæ vna cum Imp. Valente erat: de quo mox.

Postremo, præfigitur *hac leg. Tempus*, intra quod res hæc agi debet, agitarique. Intra anni igitur metas seu tempus id omne fieri iubet *hac leg.* Valens Imp. neque vltra hoc negotium differri vult, ne alioquin publica vtilitas diutius eludatur. Qua causa etiam, & translatio ipsa intra annum facienda, & translationis factæ Apocha referenda erat: quod sane Honorius expresse constituit, *l. 26. supr. de Nauicular.* explicata ita Constantini *lege*, quæ ad *ἀνολκὴν καὶ καθολκὴν* biennium tribuerat, quod etiam secutus est Theodosius M. *l. 21. eod. tit. de Nauicular.* vbi additur pariter, hoc non facto, Nauicularium periculorum fortunam, id est, naufragii damnum *approbare*, id est, agnoscere oportere. Quomodo & *l. 2. prox. infr.* si intra præfinitum tempus nulla fuerit delata querimonia, omnem posthac deplorationum aditum obstrui cauetur: vbi pariter annus præfinitur Nauiculariis Africæ si ad Vrbem Romam ex Africa nauis directa fuit: biennium vero si longius ad Portus expeditionales, vel Constantinopolim. Pro distantiæ videlicet ratione, breuius, vel longius tempus indultum: In sp. certe *huius leg.* breuius: quia e *Syria-Phœnice*, in Syriam Cœlem proximam nauis denauigabat: de quo mox: quomodo in sp. *d. l. 2.* ex Africa, in oppositam Vrbem Romam. Superuacuas igitur serasque *actiones* emenso anno admitti vetat Valens *hac leg.* vbi *actionum* vox de querela, causatione, deploratione, atque exinde cognitione, effertur: Quod cum Triboniano insolens videretur, *Interpellationes* loco *Actionum* subiecit. Sic igitur huic rei præfinitur *hac leg.* annus: vt & initio *d. l. 2.* biennium vero iam in altera *d. l. 2.* parte: & *l. vlt. infr.* Cum quibus nil commune habet, quod de furti, &c. actione statuitur, intra annum in Quadruplum danda post annum in Simplum. Neque enim hic agitur de actione aduersus fures priuatis competente; verum de naufragii querela & contestatione a Nauiculariis species publicas & commeatus transuehentibus.

Tandem notari cupio, quod ad *huius leg.* illustrationem maxime facit, *Propositam* hanc leg. *Beryti*: Syriæ scilicet Phœnices vrbe: vbi hoc ipso anno & mense pariter proposita *lex 9. supr. de lustrali collat.* & anni proximi initio, *lex 63. supr. de Decurionib.* Et in commune variæ admodum *leges* ibi propositæ, quas in *Topographia* cumulatas habes: & quidem aliæ etiam nonnullæ pariter vt hæc, quæ datæ sunt ad *PP. Orientis*: vt *lex 63. de Decurionibus: l. 2. de Agentibus: l. 1. de Gladiatoribus*, nisi ibi *Pro Præfecta* legendum. Certe ad Consularem Phœnices, & Comitem Orientis datæ leges, ibi quoque propositæ. *Berytus* scilicet vt splendidissima iam ab antiquo vrbs fuit: ita & inde transuectæ iam olim alio merces, de quo fidem facit quoque *lex 122. §. 1. D. de V. O.* deliciosaque adeo fuit teste Auctore *veteris descriptionis*, & specierum delicatarum plena: Indeque adeo variæ species delicatæ ad Comitatum Principis perlatæ, veluti vestes, purpura, vnde & Conchylioleguli ibi & Murileguli extitere, *l. 9. de lustrali collat.* denique inde varia orbis tributa exportata: quo pertinet etiam *lex 2. de publ. compar. l. 4. tributa in ips. specieb. l. 19. de annona & trib.* quæ & ibi pariter *PP.* Ergo pertinet *hac lex* ad Nauicularios Berytienses: cum hoc tempore Valens Imp. Antiochiæ, vel etiam Seleuciæ in Syria-Cœle proxima ferme Antiochiæ positus esset, & quidem hoc Anno, vt docet *lex 19. supr. de Prætorib.* & Libanius *de Vita sua*, *p. 51. in fin. Edit. Morell.* Ammianus Marcellinus *lib. 29. cap. 1.* & Socrates *lib. 4. c. 21.*

II. (a) Idem AAA. ad Demetrianum PF. Ann. Afric.

SI quando causatio (b) est de impetu procellarum, medium ex his nautis numerum Nauicularius exhibeat quæstioni, quos eum in naui, pro modo capacitatis (c) constat habuisse, quo eorum tormentis plenior veritas possit inquiri. De casu (d) autem nauis, quæ ad Vrbem Romam directa fuerit, intra annum quidquid acciderit Iudiciis publicetur: (e) De his vero quæ ad portus expeditionales (f) longius, vel Constantinopolim, sint profectæ,

P.106 profectæ, intra biennium oblato prædicto numero nautarum, super fide casus examen agitetur. Addimus etiam, vti (g) intra præfinitum tempus nulla fuerit delata querimonia, omnis posthac deplorationum (h) aditus obstruatur. Acc. Aquil. (i) Lecta actis.

NOTÆ.

(a) Iungenda *huic* proculdubio *lex* 12. *supr. de Nauiculariis:* quæ eidem Demetriano PF. ann. Africæ inscribitur, & ad idem argumentum pertinet. *GOTHOF.*

(b) *Causatio*, querela, *querimonia*, vt mox vocatur, & *deploratio.* *ID.*

(c) De *Capacitate* nauium fuit & *l.* 28. *supr. de Nauiculariis*: vbi dixi *ID.*

(d) *Casus*, hic & mox *infra*, impetus procellarum *initio leg.* *ID.*

(e) *Publicetur*, id est, publice apud Iudices seu Rectores Prouinciarum allegetur. *ID.*

(f) Expeditionales Portus, *hac leg.* & *leg.* 35. *supr. de Nauicular.* vbi dixi. *ID.*

(g) *vt. vt. st.* *ID.*

(h) *Deploratio hac leg.* comploratio, *l.* 5. *supr. de Nauicul.* subclamatio, *l.* 4. *supr. de Exactionib.* *ID.*

(i) *Lecta Actis* constitutio: Forte *Aquis*, haud procul a Karthagine. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. hæc constitutio est, de naufragus: qua CONTESTANDI, PROBANDIQVE naufragii modus & TEMPVS a Nauiculariis Africa sancitur: quemadmodum & LOCVS subeundæ nauicularii functionis, *l.* 12. *supr. de Nauiculariis*, quæ *huic* proculdubio iungenda est, vtpote cum eandem inscriptionem præferat, & ad idem argumentum pertineat. Igitur (quod primum *huius leg.* caput est,) QVÆSTIONI seu tormentis exhiberi iubet, medium nautarum numerum, vt ita veritas possit inquiri: Et tamen Gratianus postea *l.* 3. *prox. infr.* satis putauit, si duo vel tres quæstioni exhiberentur: de quo ad *eam leg.* Vnde apparet, quam vilis nautarum annona & conditio fuerit, quia & viles personæ erant; & in his Iudæi, gregarii, agricolæ, *ἀγελαῖοι, γεωργοί*, vt exemplo eius quod narrat Synesius *epist.* 4. colligere licet. Cæterum de hoc Nautarum quæstioni exhibendorum, ad veritatem inquirendam super naufragio, more, est quoque Augustini locus *Sermone* 52. *ad fratres in eremo: Homines*, inquit, *ad tormenta daturi erant, quis de subuersione nauium secundum consuetudinem quæreretur.*

Secundum *huius leg.* caput est de TEMPORE, intra quod Nauicularius de naufragio conqueri debeat, vltra non admittendus. Valentia constitutione, puta *l.* 1. *supr.* annus ad id præscriptus: *Hac vero*, annus, vel biennium sub distinctione præscribitur Nauiculariis Africanis. Nempe si nauis ex Africa ad Vrbem Romam directa fuerit, intra annum de naufragio Nauicularius quæri debet: quæ quidem ordinaria Nauiculariorum Africanorum functio erat; nempe vt Romam commearent. At enim extra ordinem quandoque longius commeare naues Africanæ cogebantur, veluti ad Portus expeditionales, vt docet quoque *lex* 35. *supr. de Nauiculariis:* id est, ad Portus, quo miles ad expeditionem iturus appellebat, indeque mouebat, vel quo commeatus militaris, seu *στρατοπεδικά* deferebatur: de quo videndus & Zosimus *lib.* 4. *cap.* 10. vbi de apparatu belli Gothici a Valente suscepti. Quomodo & *annona expeditionalis* dicebatur, *l.* 4. 5. *supr. de erogat. mil. ann.* annona militum in expeditione degentium, & quidem ordinaria: de quo ad *d. l.* 35. Item naues Africanæ aliquando extra ordinem Constantinopolim commeare cogebantur (sicut econtra Alexandrinæ aliquando extra ordinem Romam, vt ex *Symmacho* liquet.) Et vero vtrumque id hac tempestate factum videtur a Valentiniano, Valenti fratri, bello Gothico triennali illigato suppetias ferente: quod fine huius anni 369. post *hanc leg.* finitum, vt docet Ammianus, *lib.* 27. *cap.* 5. (Etsi Zosimus scribat *lib.* 4. *cap.* 7. Valentinianum Valenti fratri aduersus Procopium suppetias non tulisse:) Igitur nauiculariis ex Africa ad Portus expeditionales, vel Constantinopolim missis, ad allegandum naufragii casum biennium datur, *hac leg.* cum alias & olim simpliciter annus, *l.* 1. *supr.* & nauiculariis ex Africa *Romam* commeantibus nonnisi annua detur; vt viceuersa *Veteri lege* indistincte biennium talibus causis præscriptum erat: quod testatur simul & confirmat Honorius *l. vltim. hoc tit.*

III. (a) Imppp. GRATIANVS, Valentinianus & Theod. AAA. Nauiculariis (b) Afris Sal.

QVOTIES, obruta vel submersa fluctibus naui, examen adhibetur Præfecti (c) Annonæ, duorum vel trium quæstione destrictum (d) purgandi in (e) alios nautas licentia offeratur. Quid est enim quod non abunde intra præfinitum numerum solers Quæsitor (f) inueniat? Circa Magistros (g) nauium, quibus est scientia plenior, immoretur: Qui si fatali sorte defuerint, in alios inquisitio transferetur. (h) Sane si vniuersos violentia tempestatis obruerit, ne veritas lateat, sequimur (i) Constantinianæ (†) legis prouidam sanctionem, vt (k) adfectionibus (l) nauiculariorum intra iudicia constitutis super eorum quæratur interitu, quos nauicularius naufragio periisse contendit. Cuius (m) rei examen placuit vnius lustri spatio terminari. Vt (n) omnis in posterum (vt (o) a duarum

rum femicentefimarum, quæ ex hibernis oneribus (p) poftulantur,) a vobis petitio conquiefcat. Placuit (q) fane, vt Nouembri menfe nauigatione (r) fubtracta, Aprilis qui æftati eft proximus, fufceptionibus, (s) adplicetur. Cuius fufceptionis neceffitas ex Kal. Aprilib.
P.107 in die (t) Kal. Octobr. menfura (v) feruabitur: In diem vero Iduum earundem nauigatio porrigetur. Et, (x) quia Ordinem veftrum ampliari etiam hominum adiectione gaudemus, quofcumque vacuos (y) publico inueneritt (z) officio, in complexum veftri Ordinis applicate; dummodo is, qui in municipalibus manet caufis, (aa) nominatione Ordinis non teneatur. Dat. VIII. Id. Febr. Triu. Gratiano vel (bb) Theod. I. AA. Coss. [380.]

NOTÆ.

(a) *L. 3. Cod. Iuft. eod. tit.* hinc interpolata, & decurtata: & iungenda *huic leg.* eft *lex 16. fupr. de Navicular.* *GOTHOF.*

(b) *Corpori Nauiculariorum*, ita *d. l. 16.* *ID.*

(c) *Competentis Iudicis.* Hæc verba fubftituit Trib. loco, *PF. Ann.* *ID.*

(d) γρ. *Deftricta:* id eft, præcife præfcripta, temperata: vel *deftrictum*, examen fcil. Sic etiam *l. 40. infr. de Epifcopis*: *Placet, rationabilis confilii tenore perpenfo, DESTRICTA moderatione præfcribere, a quibus fpecialiter neceffitatibus Ecclefiæ vrbium fingularum habeantur immunes:* Pro qua voce Trib. hic pofuit, *habita.* *ID*

(e) Locus valde corruptus: γρ. *Pergendi in alios licentia auferatur*: vt infra, *in alios inquifitio transferatur*: vel *perurgendi alios*, &c. Pro quibus habet Trib. *cæteri huiusmodi metu liberentur*: quæ illa explicant *IDEM.*

(f) *Quæfitor, hac leg. & l. 2. fupr. de poftulando*, id eft, Iudex. *ID.*

(g) De his Magiftris agitur etiam *l. 37. fupr. de Nauicular.* *ID.*

(h) *Transferatur*: Cod Iuft. *ID.*

(i) Sequentia omiffa *Cod. Iuft.* *ID.*

(†) Conftantini M. *legem* obferua, quæ *hic* confirmatur: pariter vt altera eiufdem, *d. l. 16. fupr. de Nauicul.* quam *huic* iungendam dixi. *ID.*

(k) *A liberis nautarum fiue Magiftrorum intra iudicia conftitutis.* Ita *Cod. Iuft.* *ID.*

(l) Vid. *l. 11. infr. de Epifcopis*, vt ibi reftituo. *ID.*

(m) Cætera refecata a Trib. nifi quod *verfum, fufceptionis neceffitas*, &c. feruauit. *ID.*

(n) γρ. *Et omnis.* SECVNDVM porro iftud *huius leg.* caput eft ab *hoc titulo* alienum, pariter vt *Quartum.* *IDEM.*

(o) γρ. *puta.* *ID.*

(p) Vid. de hac voce *Gloff.* *ID.*

(q) TERTIVM caput *huius leg.* *ID.*

(r) γρ. *nauigationi* *ID.*

(s) Atque adeo tranfuectionibus. *ID.*

(t) γρ. *Diem.* *ID.*

(v) γρ. *Manfura*, vt etiam in *Cod. Iuft.* nonnull. Edit. *ID.*

(x) QVARTVM *huius leg.* caput ab *hoc titulo* alienum. *ID.*

(y) Vid. *Gloff.* & *l. 1. fupr. de Mancipib.* vbi dixi. *ID.*

(z) γρ. *Inueneritis*: nam & mox *adplicate.* *ID.*

(aa) Defendi poteft: *caufæ* funt onera. *ID.*

(bb) γρ. *Gratiano V. & Theod. I.* Quomodo etiam *d. l. 16.* recte editum: cum tamen idem error refideat in *C. Iuft. d. l. 3.* *ID.*

COMMENTARIVS.

GRATIANI hæc conftitutio eft: qua in FAVOREM Nauiculariorum, quatuor fanciuntur; & quidem aduerfus nimia quædam onera quibus hactenus prægrauabantur, idque partim aduerfus apertas Imperatorum Conftitutiones & priuilegia: de quo Nauicularii Africani apud Gratianum conquefti fuerant, antelatis feu iunctis iis conftitutionibus orationi fuæ feu precibus: quod docet *lex 16. fupr. de Nauiculariis*: quæ *huic* noftræ iungenda eft: veluti eiufdem conftitutionis Gratianeæ pars: qua pariter quatuor priuilegia & immunitates nauiculariis tributæ, rurfum a Gratiano fanciuntur, cum eas labefactatum nonnulli irent. Igitur & *hac leg.* quatuor fauore nauiculariorum fanciuntur: quorum primum tantum, & tertium quadamtenus, ad *hunc titulum* faciunt; reliqua enim fugitiua funt, & ab *hoc titulo* aliena; quod inter Conditorum *huius Codicis* errores ponendum eft.

Primum itaque caput eft circa PROBATIONEM, fiue de QVÆSTIONE habenda fuper Naufragio de Nautis. Et primum quidem de PERSONIS: Nempe cum effræni numero Nautæ eius nauis, quæ naufragium paffa fuerat, ad quæftionem depofcerentur: & vero Dimidia pars Nautarum ex Valentiniani Sen. conftitutione Quæftioni exhibenda effet, *l. 2. fupr.* quod id & graue & crudele videbatur: Itaque ad orationem feu querelam Nauiculariorum Gratianus (antiquata illa proinde patris fui *l. 2. fupr.*) modum huic rei *hac leg.* adhibuit: videlicet vt duo vel

vel tres taotum Nautæ quæstioni subiicerentur; interque bunc numerum quæstio *districta* habeteetur, *perurgendi alios*, vel *pergendi in alios* (sic enim hic repono) licentia ablata (ita enim rursum hic legendum *auferatur*, non *offeratur*:) Ratione addita, quod hic numerus apud Solertem *Quæstorem* seu Iudicem ad veritatem indagandam sufficere possit: Ad mentem omnino Oraculi diuini, *In ore DVORVM vel TRIVM stabit omne verum.* Cæterum, ad veritatem facilius indagandam, delectum Nautarum baberi vult, nempe vt Iudex circa Magistros oauium immoretur, id est, hos quæstioni subiiciat, vtpote quibus scientia eius, quod euenit plenior est, vtrum videlicet reuera fluctibus nauis obruta fuerit, an vero aliqua Nauicularii culpa subsit. *Magister scilicet nauis* est κυβερνήτης, *gubernator*, qui naui præest, & cui tota nauis cura mandata est, qui naui a nauiculario seu nauis domino & Exercitore præpositus est, *cuique* adeo (vt *hac leg.* dicitur) *scientia plenior est*: de quo sunt variæ *leges* in *Digestis*, & in *Codice*: Liuii quoque locus *lib. 29. cap. 25. vt ex omnibus nauibus Gubernatoresque & Magistri nauium in forum conuenirent.* Ergo 1. ante omnia *Magister* nauis si sit, & supersit, ex eo primum veritas inquirenda est: 2. Eo deficiente, in alios *Nautas* inquisitio transferenda est. 3. His deficientibus, (id est, si vniuersos violentia tempestatis obruerit, tam Magistrum nauis inquam, quam Nautas,) tum tertio gradu, ne veritas lateat, *ex adfectionibus nauiculariorum* quæri iubet Gratianus super eorum interitu, qui naufragio perierunt: *ex adfectionibus*, inquam, *Nauiculariorum*: quod Tribonianus in liberos Nautarum siue Magistrorum mutauit: cum tamen *hac leg.* & æquius quidem, de *liberis* (nam id *adfectionum* vocabulo intelligendum) *Nauiculariorum* id disponatur. Cæterum, a Constantino M. id ita de adfectibus Nauiculariorum constitutum ait Gratianus *hac leg.* cuius prouidentiam hac in re sequitur, pariter vt P.108 Constanoni eiusdem constitutiones sunt *l. 16. supr. de Naucul.* quæ *huic* vt dixi iungenda est. Et hæc de persoois. De tempore vero, intra quod huius rei examen terminari oportet, statuitur, vt intra vnius *Lustri* spatium id terminetur: id est, iotra quinquennium: Quod quidem laxum admodum tempus est: Sane cognition. suscipiendæ annus vel biennium statutum fuit *l. 1. 2. sup. l. 6. seu vlt. tit.* Et hæc quidem de primo *huius leg.* capite, quod proprie ad *hunc titulum* pertinet.

Secundo capite *Concussioni* Nauiculariorum obuiam it Gratiaous: Nempe eom epimetri loco, pro intertrimento frumenti, seo specierum diametris oauiculariis centesimæ concederentur: (de quo præter *hanc leg.* & *l. 5. infr. hoc tit.* sunt præterea *quatuor leges hoc Codice*, puta *lex 7. 36. 38. supr. de Nauicularis*: *lex 1. infr. de frum. Alexandrina*:) ii qui frumenti curam dirigendi sustinebant, Iudices, inquam, & eorum Officia, (vt docet *lex 36. & 38. supr. de Naucular.*) aliquid ex his degustassent, delibassent stillaturæ nomine, & quidem puta duas semicentesimas ex hibernis oneribus: Nempe hibernum onus noo tanto diametro seu intertrimento obnoxium est, quod inquam hiberno tempore transferendum est: ideo ii ad quos frumenti transmittendi sollicitudo spectabat, cum viderent Nauicularios easdem centesimas ex hibernis oneribus consequi, atque ex æstiuis, aliquid demordendum de his hibernis centesimis putauerunt. Quod *hac leg.* prohibetur.

Tertiom caput est de *Tempore* Nauigationis, a quo videlicet tempore ad quod vsque nauigationi mare pateat. Definitum scilicet tempus semper aliquod fuit, a quo & ad quod vsque nauigationi mare pateret: quorum illud Natalem nauigationis vocare rentat Vegetius *lib. 4. de re militar. c. 32.* Eoque mare aperiri dicebatur, vt ex Plinio *lib. 2. cap. 47.* liquet, seu ὀιγέσθαι θάλασσα, vt in *Epigrammate Græca.* Ita quidem, vt solemni spectaculo & festiuitate mare aperiretur: quod idem Vegetius testatur *d. loc.* Quomodo viceuersa mare claudi dicebatur: Quem quidem diem pariter nauibus omnibus in terram subductis videntur Græci publica festiuitate insigniisse: quas πανδήμως πωλκίας vocat Æneas *Tacticis cap. 17. pag. 13. Edit. Casaub.*

Tempus porro aperiendi maris, seu Natalis nauigationis Nauiculariis ad fiscales species traosuehendas statuitur hic Kalendarum Aprilium; quia hic mensis æstati proximus esset: Cum tamen alias citius mare pateret, nempe Ver aperiret nauigantibus maria, Plinio teste *lib. 2. c. 47. a VI. Id. Mart.* vt diserte Vegetius *d. loc.* vbi & rationem reddit: Sic tamen vt addat, *plurimorum siderum, ipsiusque temporis ratione, vsque in Idus Maias periculose maria tentari*: *non quod*, inquit, *negotiatorum cesset industria, sed quia maior adhibenda est cautela, quando exercitus nauigat cum Liburnis, quam cum priuatarum mercium festinat audacia.* Itemque ait a die sexto Kalendarum Iunii securam oauigationem credi. Ex *hoc* interim Vegetii *loco* liquere potest, cur setius quam alias priuatarum mercium audaciæ, fiscalibos speciebus transmittendis mare & nauigatio *hac leg.* aperiatur; nempe quia ante periculosissime maria tentantur, & quanquam vsque ad Idus Maias adhuc periculose tententur, attamen mediam qoodammodo viam hic sequitur Gratianus, vt neque Martio, neque Maio nauigationem aperiat speciebus fiscalibus transmittendis, verum Aprili, qui æstati propior iam est quam Martius: *Aprilis*, inquit, *qui æstati est proximus, susceptionibus adplicetur*: & mox, *susceptionis necessitas ex Kal. Aprilibus.* Et hæc de Natali nauigationis.

Sequitur Tempus *ad quod vsque* nauigatio porrigi debet, post quod iam mare claudatur nauigationi specierum fiscalium. Igitur Gratianus Nouembrem mensem oauigationi subtrahit: Sane alias vsque in diem 3. Idus Nouembr. seu in vndecimum eius meosis diem oauigatio porrigebatur, mareque eo die *claudebatur.* Vegetius *lib. 4. c. 32. Ex die III. Id. Nouembr. vsque in diem* VI. *Id. Mart. maria clauduntur.* Hyemis scilicet initium 4. Id. Nouembr. ponitur in veteri Kalendario Astronomico. Sed & huc pertinet, quod Actorum 27. *v.* 9. de periculosa nauigatiooe quod iam ieiunium prætertisset, id est, festum expiationis, instante iam mense Nouembri. At enim Gratianus *hac leg.* mensem Nouembrem totum nauigationi subtrahit, imo & partem mensis Octobris: nempe susceptione specierum fiscalium in *diem Kal. Octobr.* porrecta, nauigatione vero quindecim diebus vltra porrecta, puta io diem *Iduum Octobris.* A postrema scilicet susceptione specierum, ad vltimæ transuectionis & redditionis tempus quindecendio computato (tot enim sunt a Kal. Octob. ad Idus Octobris:) Vnde apparet, quindecendio potuisse facile naues ex Africa ad Portum V. R. nauigare: A quo Portu, (vt docet vetus Itinerarium marinmum) *tractus in Africam Karthaginem erat stadiorum quinquies mille*, &c. Ergo istud, quod dixi tempus nauicularis tribuit Gratianus *hac leg.* ad transmittendas species fiscales, cum alias io hyemem ferme nauigare tenerentur, & ante æstatis appulsum: Quod vtique & Nauiculariis ipsis prægraue erat, & ipsi canooi vrbico periculosum. Et tamen Honorio postea placuit Ann. 410. nauicularios nauigare cum prosperior flatus inuitaret, neque prætextu hyemis in portubus immorari: *l. 34. sup. de Naucular.* nempe extra ordinem in specia *illius leg.* vt ad eam demonstratum est. Sed & Symmachi locus extat *lib. 4. epist. 34.* que

qua de hac Nauiculariorum & Canonis vrbici nauigatione & transuectione agens, ait: *Nec spem dies obstruit, nam mare adhuc iustis cursibus patet, & nondum in hyemem præcipitat autumnus.*

Quartum seu postremum *huius leg.* caput pertinet ad *Reparationem* corporis destituti, seu exhausti Nauiculariorum: Nempe ideo, quia hunc ordinem ampliari hominum adiectione intererat, cui similis locutio occurrit *l. vltim. §. 3. D. de bonis damn.* puta vt tanto citius & facilius canon vrbicus subneheretur, qui in tanta Nauiculariorum paucitate serius subuehi poterat. Igitur ad Nauiculariam functionem vocari iubet, *omnes vacuos publico officio*: id est, vacantes, vt nominantur in hoc eodem argumento, *l. 13. supr. de Nauicular.* Otiosi, in eodem reparandi Corporis alterius argumento: *l. vnic. supr. de Mancipibus*: de quo ad *eas leges* iam plene, etiam ex Symmachi *epistolis*.

ℓ.109. IV. (a) Imppp. Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. Tatiano PF. P. (b)

QVÆ (c) in naufragiis (d) pereunt, nolumus nobis cum Possessoribus (vel Senatoribus, (e) vel priuatis (f) esse communia, siquidem (g) naufragii detrimentum fiscus agnoscat, (h) quod interdum non (i) grandis dispendii esse monstratur, si vexatam (k) fluctibus nauem leuis iactura (l) defendat, (m) quam si pondere suo grauatam (n) pelagi vnda submergat. Vbi vero non est testis periculi, restituantur damna naufragii, & dispendia Prosecutoris (o) fraudibus (p) inferantur: (q) vt ad eorum iniuriam (r) retorqueatur, (s) qui minus idoneos (t) nominarunt, non ad eos redeant, quos semel constiterit fuisse deuotos. (v) Dat. XV. Kalend. Aug. Constp. Tatiano & Symmacho Coss. [391.]

NOTÆ.

(a) *Lex 4. Cod. Iust.* hinc interpolata est. GOTHOF.
(b) Orientis. *ID.*
(c) *Pro his quæ semel collatoribus illata, naufragiis perierint, volumus*, &c. ita *Cod. Iust.* *ID.*
(d) Non agitur *hac leg.* de naufragio totius nauis: quod etiam ostendit *versic. quod interdum.* *ID.*
(e) Qui glebalem conlationem semel intulerunt. *ID.*
(f) *Priuati*, Senatoribus oppositi: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*
(g) Quandoquidem. *ID.*
(h) *Agnoscit*, & agnoscere debet. *ID.*
(i) Non tam grandis. *ID.*
(k) *Vexata* fluctibus nauis: *Vexandi* vox hic propria (etsi eam olim carperent Grammatici nonnulli:) Virgilius. *Eclog. VI. v. 76*
Dulichias vexasse rates.
Videndus & Lucretius *lib. 1. v. 277.* Gellius *lib. 2. c. 6.* Macrob. *lib. 6. c. 2.* *ID.*
(l) Iacturisque. *ID.*
(m) Seruet. *ID.*
(n) Etiam *lege prox. infr.* de oneribus *prauitate* submersis: quod quidam mutant in *grauitate*; non ego. *ID.*
(o) De hoc mox. *ID.*
(p) Qui periculum naufragii mentitur. *ID.*
(q) Accepto-ferantur. *ID.*
(r) *Iniuriam*, id est, damnum. *ID.*
(s) *γρ. Retorqueantur* (damna & dispendia scilicet) vt mox: non ad eos redeant: quanquam & hoc sustineri potest. *ID.*
(t) Nauicularios. *ID.*
(v) *Deuotos* in tributis soluendis: vide *Glossar.* *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc Constitutio est: Qua definit AD QVEM seu CVIVS PERICVLO damnum imminuti oneris quod nauiculario commendatum fuit, seu Nauis *minoris facta* (vt loquitur Poeta) pertineat, vel non: Cuius pars tantum relata est in *l. 4. Cod. Iustin. eod. tit.* Scilicet 1. Si quid naufragio de quo fides facta, periit, iacturaque aliqua facta fuerit, eius quod semel a collatoribus illatum fuit (vt hic recte additum a Triboniano) ad solum fiscum hoc detrimentum pertinere vult. 2. Si vero de periculo fides facta non fuerit, tum imminuti oneris periculum ad prosecutorem redire iubet. 3. Neutro vero casu in Prouinciales, qui tributa iam semel soluerunt, damnum istud, damniue partem contributione facta, referri. De singulis videndum paulo specialius.

1. Priore scilicet casu fisco perit quod perit: neque eius iactura, vel etiam iactus facti (ad defendendam nauem ex *leg. Rhodia*) partem sufferre Prouinciales, seu hanc lacunam ex parte farcire tenentur: vt cæteroquin res sua cuique Domino perit: satis quippe est Prouinciales semel fisco *deuotos fuisse*, id est tributa intulisse, neque ad iteratam collationem obtentu naufragii vel iacturæ alicuius

tuius adigendi sunt: qui alioquin vel prima illatione satis prægrauantur. Ad cuius rei æquitatem commendandam hanc rationem subnectit Theodosius M. quod videlicet fiscus sibi gratulandum habeat tali casu, quod non in totum nauis pondere suo grauata periit, sed leuem tantum iacturam, & non grande dispendium passa, a totali submersione defensa fuerit. Igitur non vult Theodosius hunc casum communem possessoribus secum esse, id est, eam lacunam eos ex parte sustinere, siue ii Senatores sint, siue priuati: ex Prouincialibus scilicet collationibus aliæ sustinebantur a Senatoribus (puta glebalis auri collatio) aliæ a priuatis. Et hæc quidem de priore casu.

2. Posteriore casu vero vbi de periculo fides non fit, *Prosecutores* teneri vult, qui scilicet ad onus fiscale transferendum minus idoneos naucularios scilicet nominarunt. (Qui casus interea addendus est aliis nonnullis, quibus *nominatores* tenentur siue tutorum, siue eorum qui ad munera publica vocantur:) At non etiam rursum exigi deuotos possessores, qui tributa semel intulerunt. De his vero *Prosecutoribus* frumenti siue annonæ est, quoque Theodorici R. epistola ad Comitem R. P. apud Cassiodorum *IV. Var. 7.* vbi de naufragii casu pariter agitur, deque prosecutoribus his in eius epistolæ specie liberandis. *Atque ideo Sublimitas tua Prosecutores frumentorum, qui de Sicilia fuerant ad Gallias destinati, lacrymabili nos aditione pulsasse cognoscat, dum susceptum onus promouissent, in pelagus aduersis flatibus fuisse susceptum: vbi fatiscente compage trabium, omnia vis vndarum absorbuit: nec quicquam miseris de aquarum nimietate nisi solas lacrymas restitisse. Vnde illustris Sublimitas tua, præsenti auctoritate commonita modiationem tritici, quam sub hac sorte periisse probauerint, supradictis Prosecutoribus sine aliqua faciat cunctatione reputari. Crudelitatis enim genus est, vltra naufragium velle desæuire: & illos ad dispendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania pericula cessisse.*

P. 110 V. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. ad Senatum & Populum. Post alia.

NAVICVLARIOS, quos vis aduersa naufragii prohibuerit suscepta deferre, vel de oneribus prauitate (b) submersis, vel de diametris, (c) aliisque iacturis (d) (quia excludere casus, (e) & inclementem non possumus cohibere fortunam) Præfectus Annonæ & Vicarius Vrbis (f) fidem probare gestorum congrua iudicatione compellant: moram & negligentiam punituri. Dat. XVII. Kalend. Maii, Mediol. Cæsario & Attico Coss. [397.]

NOTÆ.

(a) Iungenda huic *lex 27. supr. de Nauicular. lex 3. infr. de Canone frument. V. R. lex 24. supr. de Susceptoribus: lex 3. Cod. Iust. quæ res venire.* Item *lex 6. 7. de Senator. & Glebali collat. lex 31. supr. de Prætorib. GOTHOF.*

(b) *vv. grauitate.* Ita *supr. prox. leg. nauem, quam si pondere suo grauatam pelagi vnda submergat.* Verum & hoc sustineri possit. *ID.*

(c) *Diametron,* hac *leg.* & *l. vlt. supr. de Nauicular. ID.*

(d) Ita *l. super. prox. leg. si vexatam fluctibus nauem leuis iactura defendat. ID.*

(e) Ita pariter *d. l. 3. infr. de canon. frum. V. R. Vrbani etiam vsus frumenta si quando vel fortuna vel ratio in Africa coegerit residere littoribus. ID.*

(f) Altera similis cognitio circa canonem Vrbicarium, Præfecto annonæ & Vicario Vrbis imponitur, *dict. l. 24. supr. de Susceptoribus. ID.*

COMMENTARIVS.

COGNITIO super naofragiis vel imminuto onere, Præfecto Annonæ & Vicario Vrbis ab Honorio *hac leg.* imponitur. Quæ quidem pars est prolixæ *Orationis Honorianæ ad Senatum & populum:* qua tum voluptatibus populi Romani consultum iuit, quo ex ea *oratione* pertinet *d. lex 6. 7. supr. de Senatorib. & gleb. collat. lex 31. supr. de Prætorib.* Tum ac maxime Annonæ Vrbicæ populi Romani, quo ex ea *oratione* pertinet *lex 3. infr. de Canon. frum. V. R. lex 3. Cod. Iust quæ res venire: d. lex 27. supr. de Nauicular. lex 24. supr. de Susceptorib.* Quæ *septem leges* huic *nostræ* coniungendæ veniunt velut vnius & eiusdem *Orationis* partes. In tribus igitur Annonæ Vrbicæ ea *oratione* consultum iuit Honorius. Primum quidem circa illationem seu solutionem eius: Scilicet Immunitates annonarum seu remissionem canonis Vrbicarii priuatis concessas reuocat *dict. l. 3. infr. de Canon. frument. V. R.* Secundo circa translationem seu deportationem eius, atque adeo circa Nauicularios varia constituit, variisque fraudibus occurrit. Auerti scilicet, contrectari, vendi, alioue quam oportet transmitti quid vetat *eadem l. 3. infr. de canon. frum. V. R.* & *l. 3. Cod. Iust. quæ res venire.* Celer tali quoque eius tranluehendæ consulit *l. 27. supr. de Nauiculariis.* Item imminutioni eius & iacturæ per fraudes Naujculariorum vel per moram aut negligentiam eorum occurrit *hac l. nostra 5.* Tertio tandem circa *Expensionem,* quæ fiebat a Susceptoribus *d. l. 24. supr. de Susceptorib.* Et ita quidem hæ *leges* omnes inter se vinciendæ sunt.

Hac igitur *lege* Honorius Imminutioni annonæ vrbicæ, quæ vario obtentu per Naucularios perperam accidebat, occurrit: sæpe scilicet naucularii & prauitatem specierum & diametron, denique iacturam, seu casum & inclementem fortunam per mendacium obtendebant, auersa interim oneris parte: sæpe etiam per moram suam & negligentiam in nau-

fragium incidebant. Quare inquisitionem, cognitionem & quidem accuratam super eo indicit Præfecto annonæ & Vicario vrbis: pariter vt cognitionem expeosionis iisdem demandat, *d. l. 24. supr. de Susceptorib.* De Præfecto annonæ res clara: de quo dixi ad *l. vlt. supr. de Nauicular.* Sed Vicarium Vrbis hic iungi in hoc negotio obseruandum est: Sane postea idem Honorius Præfecto Vrbis & Præfecto annonæ hanc cognitionem detulit, *d. l. vlt. supr. de Nauiculariis.* Tres interim Prætextus Nauiculariorum obseruandi: vel enim onera submersa dicebant *prauitate*, id est, cum corruptæ species essent, eas a se in mare iactari oportuisse & iactatas: Item obtendebant, *Diametron* specierum: nempe species per se plurimum imminutas & concidisse: & quidem vltra modum centesimarum, quæ ipsis pro diametro huiusmodi concedebaotur, vt docet *d. lex vlt. supr. de Nauicular.* vbi de his diametris prolixe. Tertio obtendebant *iactaras*, id est, casu & inclementi fortuna delibatas species, veluti vi maiore vel hominum vel fluctuum. Tandem & naufragium passos se: In quæ tamen omnia sæpe per moram suam & negligentiam incidebant: Quare mora semel contracta, & de prauitate onerum, & de diametro, & de iacturis, & de naufragio ipsi tenentur: vt cæteroquin, vbi culpa casum anteuertit, casus præstandus venit.

VI. (a) Impp. HONOR & Theod. AA. Nauiculariis per Africam. Post alia.

DE submersis nauibus decernimus, vt leuato velo istæ causæ cognoscantur: & si quisquam de talibus negotiis (b) aliquid accepisse detegitur, Iudex, apud quem constiterit, his conquerentibus qui nudantur, (c) pro qualitatibus personarum, multandi, remouendi, (d) proscribendi habeat potestatem. Si vero causarum talium Cognitores, libelli (e) aditione, vel plenaria (f) interpellatione commoniti, intra (g) metas temporis P. m. constituti (hoc est, intra biennium causis talibus veteri lege præscribtum,) has causas audire neglexerint, & legitimum (h) tempus fuerit elabsum, præiudicium noceat eatenus Cognitoris, (i) vt, nauiculario propter vitium (k) Iudicis absoluto, mediam oneris eius partem, propter cuius probandam amissionem legitimo dumtaxat tempore cognitio petebatur, Iudex cogatur inferre: Residuam vero, Officium eius exsoluat. Dat. XVI. Kalend. April. Rau. Honorio IX. & Theod. V. AA. Coss. [412.]

NOTÆ.

(a) *Lex 5. Cod. Iust. eod. tit.* Iungendaque huic *lex 36. 37. supr. de Nauicul.* GOTHOF.
(b) Id est, causis, de quo mox. *ID.*
(c) *Nudandi* vox hic propria, pro *spoliandi*: vid. *Gloss.* *ID.*
(d) *Remouendi* voce hic destitutio Officialis indicatur. *ID.*
(e) *Datione* Cod. Iust. Quo nil opus erat: forte *editione.* *ID.*
(f) Mallet Cuiacius, *planaria*: vt *l. 4. Cod. Iust. de dilat.* id est, de plano: quomodo & planarii conflictus Ammiano *lib. 19 c. 5.* verum nil mutandum. *ID.*
(g) *Intra biennium*, ita compendiose *Tilian.* vsque *ad has causas.* *ID.*
(h) *Et hoc tempus*, ita *Cod. Iust.* *ID.*
(i) Forte *Cognitori.* *ID.*
(k) Id est, negligentiam Iudicis, qui in negotium inquirere debuit. *ID.*

COMMENTARIVS

HONORII hæc constitutio est, de COGNITIONE super naufragio tum acceleranda, tum integre præstanda, in fauorem Nauiculariorum. Quæ pars est prolixioris Honorianæ Constitutionis, qua is in vniuersum vtilitati, indemnitati inquam, & securitati Nauiculariorum consulium iuit: vt patet quoque ex *l. 36. 37. supr. de Nauicul.* quæ *huic* coniungendæ veniunt, velut vnius & eiusdem constitutionis partes: & quidem aduersus Iudicum, & Apparitorum, aliorumque, quibus quid negotii cum his intercedit, tum negligentiam, tum concussionem: Ad quem vtrumque finem spectat quoque *hac lex*, pariter vt *dicta dua Leges.*

Duo igitur *hac leg.* de cognitione super naufragio, in fauorem Nauiculariorum, constituuntur. Primum, vt *Leuato velo ista causa* cognoscantur, id est, patentibus Iudicii seu Secretarii foribus, nullo obice, aut impedimento interiecto, & ilico citraque fastidium Apparitorum, qui ingredientes in Secretarium admittebant: vt de velis cubiculariis Templorum aliisque de quibus nunc sermo non est, omittam. Obseruatio iam nota est, vela *Secretarii Iudicum foribus* appensa seu prætensa fuisse, quibus turba excludebatur: quibusque leuatis litigatores admittebantur: vt apparet ex sanctissima Constantini M. constitutione, *l. 1 supr. de offic. Rector. Prouinc.* vbi de his velis plenius. Ergo *leuato velo*, id est, patentibus foribus, patente velo, remoto admissionalium fastidio. Quomodo Lampridius in *Alex. Senero cap. 4.* *Cum amicis*, inquit, *tam familiariter vixit, vt salutaretur quasi vnus de Senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis, aut solis iis, qui ministri ad fores fuerant.* Seneca quoque alludit *epist. 80.* cum de secessu suo literario sibi gratulans; *non crepuit subinde ostium, non alleuatur velum.* Saoe publica & criminalia iudicia agitari velo leuato, testis est Chrysosto-

mus

mus *hom. 56. in Matth. Ed. Sauil. p. 360. & Edit. Benedict. Tom. VII. pag. 571.* καθάπερ γὰρ τοῖς δικασταῖς, ὅτ' ἂν δημοσίᾳ κρίνωσι, τὰ παραπετάσματα συνελκύσαντες οἱ παρεστῶτες, πᾶσιν αὐτοὺς δεικνύωσιν: *nam sicut cum iudices publice sententiam prolaturi sunt, qui adstant remotis velis, sic illos omnibus conspiciendos prabent.* Basilius *Epist. 79. siv. 223. Edit. Benedictin.* οἱ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχοντες, ὅταν τινὰ τῶν κακούργων θανάτῳ καταδικάζειν μέλλωσιν, ἀφέλκονται τὰ παραπετάσματα, &c. *mundi huius iudices, quando facinorosum quempiam morti addicturi sunt, remouent vela.* Ergo Honorii *hac leg.* mens est, vt *illico* admittantur Nauicularii super naufragiis conquerentes: & quidem *gratis* citra *concussionem* vllam: sic vt propter hæc negotia, *de talibus negotiis*, id est, causis naufragiorum nemo quid accipere possit, seu exigere vel ob introitum, aliaque similia, quæ Principes officiorum, Adiutores, Centuriones, aliique Officiales, Exceptores, ab actis, a litigatoribus exigere solebant, vel ab iis quibus quid negotii esset apud Iudicem, vt docet *d. lex 1. supr. de offic. Rect. Prouinc.* Eo scilicet spectat *vers. huius legis: & si quicquam de talibus.* Quem interpretes hactenus, Cuiacius ipse de direpto ex naufragio accipiebant, & alii nonnulli, ad eum morem, qui alicubi obtinuit, vt naufragio amissa fisco vel publicanis cederent, (ad quem morem alludunt *l. 1. C. Inst. hoc tit. l. 12. D. de incend.* Sopater & Syrianus *in Hermog. Rhetor. pag. 107. Ed. Aldin. 1509.* Curius Fortunatianus *1. artis Rhetor. pag. 46. inter Pithæi Rhetores Latinos.* lex ἀξίωσις *9. D. de L. Rhodia de iact.* Paulinus *epist. 36. siu. 49. Edit. Muratorii, ad Macarium in fin.*) Imo enim est hic locus, de concussionibus & exactionibus *ob negotium* super naufragio, quod apud Iudicem peragebatur. Quod patet primum ex *fine constitutionis*, vnde hæc desumpta est: qua Honorius *concussionibus*, quibus miseri nauicularii subiacebant, siue Iudicum siue Apparitorum, aliorumque, occurrere voluit, vt ostendit *d. lex 36. 37. supr. de Naucul.* Patet item ex connexitate *huius versiculi*, cum primo illo, quo leuato velo causæ de submersis nauibus cognosci iubentur, cui statim hoc alterum velut ἐξηγητικὸν subiicitur. Tertio verba ipsa satis id demonstrant, *Si quisquam*, inquit, *de talibus negotiis aliquid accepisse detegitur*: non ait, de *rebus* aut speciebus submersis, *diripuisse*, verum de *talibus negotiis*, id est talium negotiorum nomine, seu pro talibus *causis*, vt *primo versiculo* nominantur: & mox, *si vero causarum talium cognitores.* Quarto non est *hac lex* de naufragio priuatarum specierum, ad priuatos pertinentium; verum de Nauiculariis species publicas transferentibus: vbi sane si ex naufragio quid rapiatur non ipsi Nauicularii nudantur, cum ipsorum periculo species hæ non sint, verum fisco pereant. Quinto, non agitur hic de Nauiculariis, qui suas res ex naufragio antea raptas, verum qui se hodie scilicet nudari conqueruntur, *his conquerentibus qui nudantur.* Postremo id manifestissime ostendit, id quod postea de remouendis iis, qui de talibus negotiis aliquid acceperunt, subiicitur. Ergo huiusmodi concussionibus occurri vult *hac leg.* Honorius pro *motu indicit*, & pro qualitatibus personarum: proui scilicet fuerit persona concutientis, Princeps forte officii, Adiutor, Centurio, ab Actis, Exceptor, alius Officialis (nam hi in officio Iudicum & concussionibus his infames fuere, vt ostendit *d. l. 1. supr. de offic. Rect. Prouinc.*) Hic interim casus addendus est aliis nonnullis, quibus Iudicum potestati & arbitrio pœnæ modus relinquitur: cum regulariter pœnæ constitutæ siue certæ aliquæ, seu pœnæ iuris auctoritati reseruantur: *l. 1. §. 4. D. ad SC. Turpil. l. 15. D. ad Municipalem.* Quamquam neque omnino arbitrio Iudicis pœnæ modus relinquitur *hac leg.* verum pœnæ triplices suo subiecto adaptandæ: quomodo & *l. 43. & l. vltim. D. de muneribus.* Potestas igitur *hac leg.* fit Iudici seu Rectori Prouinciæ, concussores huiusmodi multandi, proscribendi, remouendi, ab officio suo scilicet: Quod omnino arguit, non agi hic de direptis ex naufragio a quocunque, verum de concussione Officialium, qui ideo remouendi ab officio suo veniunt: Viceuersa, Iudici eiusque Officialibus, etsi non concussoribus, pœna *hac leg.* imponitur, si interpellari a nauiculario naufrago, intra tempus legitimum has causas audire neglexerint: nempe, vt mediam partem naufragii, Iudex, alteram Officium exoluat, nauiculario *absoluto*, id est, dimisso. Qua parte duo obseruanda occurrunt. Iudicem adiri vel per libellum tantum, *Libelli*, (id est, per libellum) *aditione*, quod nil necesse erat a Tribon. *in libelli datione*: vel *plenaria* interpellatione, quod mutant Cuiacius & Bissonius in *planaria*, id est, de plano procedente Iudice, pariter vt *l. 4. Cod. Inst. de dilat.* ibi, *non interpellatione plenaria, sed consedente magis Iudice*: Quod hic non admitto: opponitur scilicet hic nuda simplexque *per libellum aditio*, & *plenaria interpellatio*, quæ scilicet fit solemni, plena, interpellatione, in Iudicio pro tribunali. Deinde, quia nisi plenariam hic interpellationem tueremur, iam desideraretur hic Iudicis interpellandi ratio, & quidem maxime solemnis. Tertio, quia & iuris ratio aduersatur: neque enim hæc causa de genere earum esse potest quæ ad planariam interpellationem fieri possint, cum summa causæ cognitio requiratur, arg. *d. l. 4. Cod. Inst. de dilation.* Quarto, quia & ipsa per libellum aditio fiebat in Iudicio, scilicet libellos Iudicibus offerri oportebat in officii conspectu, & sub oculis publicis: *l. 3. supr. de officio Rectoris Prouinciæ. Requeste doit estre presentée au Iuge en pleine Cour.* Tandem igitur per Libellum aditio hic oponitur plenariæ interpellationi, sicut in simili argumento Libanius *orat.* κατὰ τῶν προσεδρευόντων τοῖς ἄρχουσιν, §. 45 opponit γραμματεῖον, id est, Libellos, μακροῖς λόγοις ἐγγύθεν λεγομένοις, prolixo & *pleno* sermone coram habito. Secundo notanda temporis præscriptio, intra quod causa Naufragii audiri, discingi debet: nempe Biennium, ex *hac leg* & *veteri Lege.* Cum tamen antea annus præstitutus fuerit, *l. 1. & 2. supr. hoc tit.* vel etiam biennium certo tantum casu: *d. l. 2.* vbi dixi plenius.

Pœna.

DE CENSV, SIVE ADSCRIBTIONE.

TITVLVS X.

Ex *hoc titulo* & *seq.* conflatus est *Titulus Cod. Iust. lib. XI. Tit. LVII. de Censibus & Censitoribus & Peræquatoribus & Inspectoribus:* Sed & *Tit. LVIII.* peculiaris factus ex *h. tit.* & *seq. de omni agro deserto, & quando steriles fertilibus imponuntur.* Iunge huic *titulum 3. lib. 11. Sine censu vel reliquis fundum comparari non posse.*

PARATITLON.

CENSVS *hoc titulo, & complurimis aliis legibus:* dicitur & *censio* in *l. vltim. de excusat. artific.* census publicus *l. 6. de conlat. donat.* Adscriptio, *Rubr. & d. l. 6. l. vltim. de conlat. donat. l. 12. de indulg. deb. l. 117. de Decurion. l. 1. ne quid publ. læt.* de quo plura in *parat. de annona & trib.* vel publica adscriptio: *l. vlt. ne conlat. transl.* vnde & παραλληλισμὸς in Rubrica *de Censu siue Adscriptione:* indeque censibus adscripta mancipia: *l. 2. supr. sine censu:* iugatio adscripta, *l. 2. ne conlat. transl.* Serui adscripti censibus, *l. 3. de re milit.* Dicitur & Descriptio, *l. vnic supr. de impon. lucrat. descript. l. 1. ne quid publ. lætit. l. 2. 15. de indulg. deb. l. 173. de Decurion.* Item distributio, *l. 17. de lustrali conlat. l. 3. ne quid publ. lætit.* Tandem & *Capitatio:* de qua mox. Et est Census censitio, æstimatio, taxatio, qua modus continetur tributi, seu tributariæ functionis, functionum publicarum, munium, pensitationum, obsequiorum, quæ fisco a singulis inferri debent (vnde & Censuales functiones, *l. 12. de indulg. debitor.* sors censualis *l. 1. de Protostasia:*) Pro modo scilicet possessionis, capitum seu iugorum, sortiumque, vt vocantur *l. 15. infr. de annona & trib.* & centuriarum, vt *l. 10. d. tit de annona & trib. l. 13. de indulg. deb.* Quæ & ideo Capitatio terrena dicta, *l. 6. de conlat. donat.* Huic rei vacabant *Censitores*, de quibus *tit. proximo:* qui & Censores, *l. vltim. hoc titul.* (a quibus diuersi Censuales, de quibus *l. 4. de Tabular. l. Omnis 5. de iis quæ administr.*) Hi scilicet modum cuiusque possessionum inquirebant (vnde Census inquisitio, *l. 6. hoc tit.*) agitabant, vnde agitari census dicitur, *l. 5. hoc tit.* per singulas ciuitates & earum territoria, *l. 1. ne conlat. transl.* Apud hos possessores profitebantur modum possessionum suarum, iugorum seu capitum: hinc professio, *l. 1. hoc tit.* & *l. 2. ne conlat. translat.* capitationis pro- P.113 fessio, *l. vlt. de patrociniis Vicor.* professio publicæ functionis, *l. 3. ne conlat. transl.* iugorum capitationes & professiones, *l. 1. de immunit. conc.* glæbe professio. *l. 12. de Annon. & trib.* professionis modus, *l. 10. eod. tit. de annon. & trib.* censuales professiones, *l. 3. sine censu: l. 1. de protostasia: l. 3. de priuil. eor. q. in S. P.* Iuga & professio eorum quæ ad quemque pertinebant: *l. 15. de Episcopis.*

Professionem sequebatur Descriptio; pro capitatione aut iugatione, *l. 1. ne quid publ. læt.* seu *Adscriptio*, de qua iam supra. Ipsique descripti & adscripti dicti censiti, *l. 3. d. Numerar.* censibus inserti, *l. 6. de Tyronibus:* censibus inditi, *l. 4. de Veteranis:* Terræque, censibus insertæ, *l. 28. de annon. & tribut.* pro modo Iugorum & Capitum: quæ hac in re propriæ appellationes, *l. 6. 7. de Tyronib. l. 3. de milit. veste: l. 4. de Veteranis: l. 5. de itin. mun. l. 4. 6. de extraordin. l. 1. ne conlat. transl. l. 6. seu vlt. de conlat. donatar. l. 1. de protostasia: l. 1. de immun. concessa: l. vnic. de imponend. lucrat. descript. l. 15. de Episcopis:* ζυγῶν Theodoreto, *epist. 42.* Indeque Capitatio, *l. 2. & l. vlt. hoc tit. l. 11. de exactionibus: l. 2. de excoctione: l. 1. de fugit. colon. l. 6. 7. de Tyronibus: l. 3. de Numerar. l. 1. 2. de immunit. conc. l. vltim. de patrocin. Vicor. l. 15. 33. de annona & tribut. l. 11. de exactionib. l. 33. de Episcopis: l. 1. ne quid publ. læt.*

l. vlt.

l. vlt. fine censu: *l. 9. Cod. Iust. de act. empt. l. 16. Cod. eod. de Episcopis*: Plebeia capitatio, *l. 4. hoc tit. l. 2. de protostas. l. 36. de Decurionib.* exactio plebis, *l. 6. hoc tit.* (quæ & duplex, humana atque animalium: *l. vltim. de conlat. donat.*) Indeque modus capitationis, *l 15. 33. de annona & tribut.* & sortium. *d. l. 15. de annon. & trib.* Alia vero ab hac est capitatio, de qua *l. 8. 11. supr. de erog. mil. ann.* Inde pariter *Iugatio* & iugationis modus, *l. 2. 3. ne conlat. transl. l. 23. de Susceptoribus*: *l. 3. de milit. veste*: *l. 5. de conlat. donat. l. vnic. si per obrept. l. vnic. ne conlat. per logogr. l. vltim. de equorum collat. l. 4. de indulg. debitor. l. 40 de Episcopis*: *l. 7. de Tyronib l. 49. de operib. publ.* Quam vocem vsurpat etiam Theodoretus *epist. 42.* Iugatio vel capitatio *l. vltim. hoc tit. l. 1. ne quid publ. læt. l. 11. de exactionibus*: quia pro modo capitum & iugorum fiebat: de quibus iugis & capitibus paulo ante iam dixi: quæ capita seu iuga aliis quoque nominibus vocabantur *d. l. vlt. de conlat. donat.* vbi vid. quæ dixi. Neque possessiones tamen ipsæ tantum (vnde iugatio terrena *l. vnic. Cod Iust. de colon. Thrac.*) sed & mancipia seu serui in iisdem locis adscribebantut *l. 2. fine censu. l. 3. de re militari*: *l. 12. de annona & trib.* Coloni item, *l 14. 26. de annon. & trib.* (vid. dicta ad *l. 3. hoc tit.*) quæ capitatio humana dicebatur, terrenæ iugationi opposita *l. 6. de conlat. donat.* vel capitationis humanæ census, *d. l. vnic. Cod. Iust. de colon. Thrac.* descriptio animarum, *d l. 6.* Denique & animalium *d l. 6.*

Et hæc omnia scribebantur, seu scripto comprehendebantur. (Vnde scriptum *l. 7. hoc tit.* indeque *Adscriptio* pro censu: hinc scripti, adscripti, descripti, subscripti, conscripti) referebanturque in libros censuales, *l. 14. de annon. & trib.* qui & publici libti: *l. vlt. hoc tit.* Codices *l. 4 infr. de Censitorib.* censuales paginæ, *l. 5.* seu *vlt. fine censu*: volumina censualia, *l. 3. de priuil. eor. q. in S. Palat.* quæ & polypticha dicebantur: *l. 2. de discussorib. l. 13. de indulg. deb.* item, Encautaria ciuitatum & Prouinciarum, *l. vlt. hoc tit.* denique & Vasaria publica *l. 12. de Censitorib.* In Gallia aliquibus in locis a capitibus vel capitatione, *Capdastra*, vel *Catastre* vocatur, Capitationis scilicet registrum. In quibus singulorum nomina adnotata erant *l. 14. de annon. & trib. l. vlt. fine censu*: sic vt si prædium alienaretur, professio quoque censualis transferebatur, *l. 3. fine censu*, id est, nouus possessor censualibus paginis numen suum postulabat adnotari, & spondebat se soluturum, *l. vltim. eod. tit.* Et hæc fides censuum dicebatur, *l. 5. ne conlat. transl.* Vbi notandum neminem ab hac capitatione immunem fuisse, *l. 4. 6. hoc tit.* de quo *supr. tit. de immunit. canc.* & *tit. de annona & trib.* Contra, plebs vrbana ab ea immunis erat, *l. 2. hoc tit.* vbi census clausus renunciatusque erat, seu census inquisitio completa, certum tempus dabatur his, qui se grauatos crederent, apud Rectorem Prouinciæ conquerendi, *l. 5. hoc. tit.* vt census seu adscriptio repararetur: de qua census reparatione, & Adscriptitiis in locum deficientium substituendis videnda *lex vlt. hac tit.*

Et hæc quidem de ptimo Censu: Exæquatio enim censuum sæpe extra ordinem facta, Peræquatoribus & Inspectoribus in id missis, ad emendandum censum, *tit. prax.* Ad hunc denique titulum pertinentia alia plura vide *in Paratitlo de Annona & trib.*

P. 114 *Aduersus* Tabvlariorvm *fraudes censu alios prægrauantes.*

I. (a) Imp. Constantinvs A. ad Populum. (b)

Qvoniam (c) Tabularii ciuitatum, per conlusionem, potentiorum sarcinam (d) ad inferiores (e) transferunt, iubemus, Vt quisquis se (f) grauatum probauerit, suam tantum pristinam ptofessionem (g) agnoscat: &c. PP. (h) XV. Kalend. Feb. Rom. Constantino A. IV. (i) & Linicio III. Coss. [313.]

Interpretatio. *Si Tabularii, aut hii quibus exactionis libri traduntur, potentiores voluerint releuare, & quod releuauerint inferioribus addiderint, is qui grauatum se probauerit, non amplius dissoluat, quam secundum censum se ostenderit suscepisse.* (k)

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda huic *lex 1. supr. de petitionibus & delatoribus.* GOTHOF.

(b) Vrbis Romæ. *ID.*

(c) *Omnes tabularii* MS. G. *RITTER.*

(d) Quæ a summis ad infimos vsque decurrere debet *l. vlt. de equor. collat.* & *leg. 49. de operib. publ.* seu *l. 1. Cod. Iust. de quib. munerib.* GOTHOF.

(e) *Infirmiores*, Saluianus. Vid. *Comment.* *ID.*

(f) *Vt qui se*, Sichard. *RITTER.*

(g) Id est, suum tantum modum census: Ita professio censualis, *l. 3. supr. de priuil. eorum qui in S. Pal. l. 3. supr. sine censu vel reliquis*: vid. plura in *Gloss.* GOTHOF.

(h) *Data*: C. Iust. quanquam Cuiaciana *trium librorum Codicis* editio, habeat quoque *PP.* Et sane hoc tempore Constantinus M. Romæ amplius non fuit, quod tamen putauit Baronius *Ann. 313. n. 1.* *ID.*

(i) *Constantino A. III. & Licinio Coss.* ita partim *d. l. 1.* *C. Iust.* & Sichard. & MS. G. Sane cum *Licinio III. Consule*, in *Fastis Consularibus*, & *hoc Codice* semper componitur *Constantinus A. III. Cos.* Et tamen hic componitur *Consulatus Constantini A. IV. & Licinii* III. Quod etiam facit Auctor Chronici Alexandrini: vt & idem postea componit Constantinum A. V. & Licinium IV. Quomodo etiam Augustinus post *collat. c. 33.* ex Libellis consularibus, quos citat, tertio Constantini consulatui, secundum Licinii iungit. *ID.* Vide quæ de Consulatu huius anni scripsit *ANT. PAGIVS in Critic. ad Annal. Baron. an. 313. n. 1.* ex eo sua habet *RELANDVS in Fastis.* *RITTER.*

(k) *Possedisse*, MS. G. & alter Codex Sichard. *ID.*

COMMENTARIVS.

CONSTANTINI M. hæc lex est: qua inferiores, infirmiores & tenuiores a TABVLARIORVM fraudibus & census iniquitate, vindicat. Quæ quidem *lex* edicti Romæ propositi, paulo post Maxentium deuictum, pars est, quo etiam *Delatoribus* occurrit: est enim eiusdem Edicti para altera *lex 1. supr. de petitionibus & delatoribus*: quæ proinde *huic leg.* coniungenda venit, Nempe Tenuiorum facultates, vt hac duplici tempestate cæteroquin maxime percelluntur, Delationibus, inquam & Census iniquitate, ita & sub Maxentio Tyranno in Italia perculsæ fuisse videntur. Vtrique igitur malo eodem Edicto, θεσμῷ δικαιοσύνης, *lege iustitia*, occursum voluit Constantinus M. Et quidem hac parte, Census iniquitati: Quæ quidem vt alios subinde auctores habebat, ita Tabularios quoque ciuitatum. *Tabularii ciuitatum* (de quibus plene actum *suo titulo, libro octauo tit. 2. de Tabulariis:*) de quibus agitur rursum *l. 8. seu vlt. hoc tit.* computationibus vacabant, *l. 2. Cod. Iust. de iure fisci*; circa tributa versabantur. Sidonius *lib. 4. epist. 11.* *Habens procuratorem in negotiis, vilicum in prædiis, Tabularium in tributis*: chartas publicas seu ratiocinia tractabant, vt ostendit clare *lex vlt. d. tit. de tabulariis*, chartulas administrabant, *l. 2. d. tit.* chartas quibus nomina debitorum & debita continebantur, *l. 3. supr. de indulgent. debit.* Chartas igitur censuales. Quare recte Interpretatio *huic leg.* subdita, *eos quibus Exactionis libri traduntur*, explicat. Scilicet hi breues debitorum (id est, tributorum) conficiebant, & Exactoribus tradebant, vt docet *lex 1. supr. de Exactionib.* nomina debitorum prodebant, *l. 16. d. t. de Exactionib.* Atque ideo cuiusquam immunitatem admittere vetiti, *l. vlt. infr. hoc tit.* *Greffiers des Tailles qui expedioient les Roolles des Tailles.* Eosdem manebat & translationis annonæ seu tributorum tempestiua cura, *l. 9. 11. supr. de annona & tribut.* viceuersa cautiones siue Apochæ debitorum solutorum ad hos deferebantur, vt docet *l. 2. supr. de annona & tributis*: & *l. 27. supr. de Susceptoribus.* Et hæc quidem pauca de Tabulariis, plura enim de iis ad *l. 1. supr. de Tabulariis.*

Horum Tabulariorum fraudes variæ fuerunt: quibus subinde occursum, vt docet *hac lex.* Potissima eorum fraus, quod potentiorum sarcinas ad inferiores transferrent, id est, infimos prægrauarent, aliis liberatis vel releuatis: quod *hac lex* ostendit: & Symmachus *lib. 9. epist. 10.* *Principalibus*, inquit, *& Tabulariis liberum est alios a dispendio vindicare, aliis indebitum munus imponere.* Huc facit in genere querela Saluiani *lib. 5. cap. 7.* verbis *huic leg.* respondentibus. *Illud indignius ac pœnalius, quod omnium onus non omnes sustinent, imo quod pauperculos homines tributa diuitum premunt, & INFIRMIORES ferunt SARCINAS FORTIORVM*, &c. vid. & *l. 3. 4. supr. de extraordin. mun.* Igitur *hac leg.* quisque suam tantum professionem, id est, suum census *modum* agnoscere iubetur, τὴν παλαιὰν ἀπογραφὴν, *antiquam descriptionem*, vt in simili loquitur Basilius *epist. 228.* siu. *ep. 36. Ed. Benedictin.* καὶ μηδὲν ἐκ τῆς ἐξισώσεως ἐπηρεασθῆναι, *& vt ex peræquatione nemini iniuria inferatur*, atque adeo Constantinus *hac leg.* prouidet, vt tributa æquabili proportione imperentur & æqualiter tolerentur. De pœna Tabulariorum, qui per collusionem inferiores prægrauassent, nihil hic adiicitur: Quod tamen adiectum a Constantino fuisse non dubito in ipsomet Edicto, cuius particula tantum hic proponitur: sicut idem *l. 1. supr. de Delatorib.* (quæ *huic* iungenda est,) pœnam delatoribus minitatur, a se iam antea statutam. Porro *huic legi* omnino conuenit, quod Auctor vitæ Constantini *lib. 4. c. 3.* scribit; Constantinum, cum quidam quererentur superiores Imperatores iniquas census adscriptiones fecisse, Censitores seu Exæquatores misisse qui censum reformarent: ἐπεὶ δὲ ἕτεροι τὰς τῶν προτέρων κρατούντων τῆς γῆς καταμετρήσεις κατεμέμφοντο, βεβαρῆσθαι αὐτῶν τὴν χώραν καταιτιώμενοι, πάλιν κἀνταῦθα θεσμῷ δικαιοσύνης ἄνδρας ἐξισωτὰς κατέπεμπε: *iam vero cum nonnulli terræ descriptiones & iugationes a superioribus principibus factas reprehenderent, agrosque suos nimium oppressos esse quererentur, hic etiam princeps iustitiæ legibus obtemperans, peræquatores mittebat.*

VRBANA

P.89 Vrbana *plebs a censu immunis.*

II. (a) Idem AA. (b) ad Eusebium (c) V. P. (d) Præsidem Lyciæ & Pamfyliæ.

PLebs Vrbana, sicut in Orientalibus quoque Prouinciis obseruatur, minime in censibus pro capitatione sua conueniatur: Sed iuxta hanc iussionem nostram inmunis habeatur: Sicuti (e) etiam sub Domino & Parente Nostro Diocletiano, Seniore A. eadem plebs Vrbana inmunis fuerat. Dat. Kal. Iun. Constantino A. III. & Licinio III. Coss [313.]

N O T Æ.

(a) *Lex vnic. Cod. Iust. de Capitatione ciuium censibus eximenda.* GOTHOF.

(b) *Imp. Constantinus A.* Cod. Iust *d. l. vnic.* Verum retinendum istud: de quo mox. *ID.* Tuetur *inscriptionem, & subscriptionem* etiam aduersus Card. Norisii sententiam, *ANTON. PAGIVS* in *Crit. ad Annal. Baron. an. 314. num. 10.* qui & alia ibidem habet, quæ ad illustrationem eorum, quæ in Commentario scripta sunt, faciunt. *RITTER.*

(c) *Eusebius* Præses Lyciæ & Pamphiliæ sub Constantino Ann. D. 313. *GOTHOF.*

(d) *P. V.* id est, Virum Perfectissimum: de quo plene *tit. de perfectiss. dign.* Error enim est Accursii manifestarius, qui *Vrbis Præfectum* interpretatur: & Ioannis Baptistæ Vicecomitis, qui *Virum Prætorium* accipit. *ID.*

(e) Sequentia recisa à *Cod. Iust.* velut Historica tantum. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

VRbanam plebem immunem à capitatione seu Censu esse iubet *hac leg.* Imperator Ann. D. 313. per Lyciam & Pamphyliam nominatim in sp. *huius leg.* Duobus in id exemplis propositis: priore Prouinciarum orientis, intra quas *huius constit.* tempore plebs vrbana à censu immunis erat: item præiudicio Diocletiani Imp. sub quo eadem plebs per Lyciam & Pamphyliam immunis fuerat. Scilicet sola rusticana plebs extra muros posita capitationi seu censui obnoxia erat, vt colligi potest ex Maximiani (non Diocletiani, mox vt ostendam:) *leg. 1. Cod. Iust. ne Rusticani ad ullum obsequium deuocentur*: contra (vt habet *titulus Cod. Iustin.* sub quo hæc *lex* nostra pro parte posita est) capitatio ciuium censibus eximebatur: Quod etiam metrocomis, id est, vicanis metrocomiæ seu primariis vicis inter vicos eiusdem ciuitatis tributum: *l. 8. Cod Iustin. de exactorib. tributor.*

Est autem *hac lex* velut singularis admodum obseruanda. Primum in eo, quod cum *Cod. Iustin.* vnus tantum *Constantinus A.* inscribatur, *hoc Codice* duo Augusti *huic leg.* inscribuntur: *Idem AA.* vbi reponi nolo, *Idem A.* Vt maxime etiam solius Constantini nomen *superiori legi* 1. inscribatur. Recte enim duo Augusti *huic leg.* inscribuntur, quod de *Constantino & Licinio* accipiendum est: Quomodo & *Codice Iustinianeo* nonnullæ aliæ *leges* vtriusque, Constantini, inquam & Licinii nomina diserte præferunt: puta Ann. D. 314. *lex 8. Cod. Iust. de Iudæis*: & *lex 3. Cod. eod. de longi temporis præscript.* quæ datæ sunt ad Dionysium vice Præfectorum agentem: & Ann. D. 319. *lex 2. Cod. Iust. si ex pluribus tutoribus*: quæ ad Achaiam pertinet: (cum tamen soli Constantino ea *lex* hoc *Codice Theodosiano* inscribatur, vnde illa desumpta est: puta *lex 1. supr. de denunciat.*) Item, non adscripto Consulatu, *lex 41. Cod. Iust. de liberali causa*: quæ inscribitur Eutychiano Præsidi Cappadociæ. Atque ita quatuor constitutiones occurrunt *Codice Iustinianeo*, quæ *Constantini A. & Licinii* nomina præferunt: Quibus hæc nostra *Quinta* adiungenda est: Ita quidem, vt quemadmodum illæ omnes, aut saltem tres (nam de *l. 2. Cod. Iust. si ex pluribus tutorib.* ambigo:) ita & *hac* proprie *Licinio* tribuenda sit: quandoquidem ad Prouincias Orientalis Imperii, quod Licinio cesserat, & quidem ad Prouincias Asianas pertinet: Cappadociam inquam, Lyciam, Pamphyliam, adde & Achaiam, quæ hac tempestate nondum Constantino parebant: Sic sane & apud Eusebium *lib. 10. cap. 5.* extat horum Imperatorum edictum pro Christianis, quod & ipsum Licinio magis tribuendum est.

Secundo obseruandum, quod *Diocletiani* Imp. (qui hac tempestate abdicato imperio priuatus agebat,) *hac leg.* a Licinio mentio fiat; & ita quidem, vt & de superstite agi appareat: *Sub domino*, inquit, *& Parente nostro Diocletiano Seniore A.* postea enim demum Anno 316. mortuus, atque inter Diuos relatus est, vt ex Eutropio liquet *lib. 9. c. vlt. lib. 10. c. 2.* Rursum ita de Diocletiano agi, vt appareat cum summa veneratione Licinium eius meminisse, *sub Domino & parente nostro*: scilicet Licinius ante septennium ferme a Galerio Maximiano equidem Cæsar ad munimentum Illyrici & Thraciæ creatus fuerat; verum ascito in consilium Iouio, id est Diocletiano, vt diserte Sex. Aurel. Victor Schotti testatur *cap. 40.* Quare *Dominum & Parentem suum* vocat. Parentes scilicet suos vocare soliti Imperatores, per quos imperium accepissent, vt ostendi prolixe ad *l. vnic. supr. de action. certo temp. fin.* & in commune Victor Schotti *cap. 39.* testatur Diocletianum alios Collegas, vt parentem, seu Dei magni modo suspexisse. Sane hoc ipso Ann. 313. Diocletianum a Constantino atque Licinio vocatum ad festa nuptiarum, per senectam, quominus interesse valeret, se excusasse ait alter Victor *in Epitom. c. 39. in fin.* At quod idem subiicit, eum rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio fauisse, ac Maximino fauere, suspectantem necem dedecorosam, venenum hausisse

dici, alibi nuſpiam legitur; neque verum eſt, quandoquidem quadriennio ferme poſt tantum, Diocletianus obiit.

Tertio obſeruandum *hac leg.* indicari, poſt Diocletianum ſeu poſt abdicatum ab eo imperium Anno D. 304. * per Lyciam & Pamphyliam mutationem aliquam factam: *Sicut*, inquit, *etiam ſub Diocletiano eadem plebs vrbana immunis fuerat.* Nempe a Galerio Maximiano poſt Diocletianum per Lyciam & Pamphyliam (Diœceſeos Aſianæ Prouincias) vrbana plebs capitationi ſubiecta fuiſſe videtur; nam hic Galerius Maximianus in Imperii partitione Anno 304. poſteaquam Diocletianus Imperium abdicaſſet, Illyricum, Aſiam, & Orientem
P. 116 obtinuit: mox Galerium Maximinum Orienti præfecit vt docet Eutropius *lib. 10. cap. 2.* qui Cæſar quadriennio, dein per Orientem triennio Auguſtus fuit. Qui paulo ante *hanc legem* a Licinio victus primum in Illyriis, mox in Aſiam profugus, fuſus in Cilicia fuit, teſte *Euſebio*, *Eutropio*, *Zoſimo*, *Chronico Alexand.* ſic imperium penes ſolos Conſtantium & Licinium remanſit. Igitur poſt Diocletianum ab alterutro vel Galerio, inquam, Maximiano, vel Galerio Maximino, *Vrbana* plebs per Lyciam & Pamphyliam ad capitationem vocata fuerat. Quod nunc Licinius *hoc tit.* abolet, reuocato iure quod obtinebat ſub Diocletiano Imp. & aduocato exemplo Orientalium Prouinciarum.

Qua parte *Quarto* obſeruandum, Lyciam & Pamphyliam ab Orientalibus Prouinciis ſeparari: nempe Orientales Prouinciæ erant Syriæ, Iſauria, Cilicia, Cyprus, Meſopotamia, Euphratenſis, Oſdroena, vt ex Ammiano Marcellino, *lib. 14. cap. 8.* diſcere licet, & *Veteri Prouinciarum notitia*, quam primus Schonhouius edidit, & Cellarius ad calcem Feſti adiecit, vbi vide *pag 83.* & ex *Imperii Notitia fol. 71.* Lycia vero & Pamphylia *Aſianæ* Diœceſeos Prouinciæ erant, vt ex duabus illis *Notitiis* liquet.

Quinto notandum, iunctam hoc tempore *Lyciæ & Pamphyliæ* adminiſtrationem fuiſſe atque vni Præſidi paruiſſe, cum tamen poſtea ſub Theodoſio Iuniore & Iuſtiniano adminiſtrationes diuiſæ fuerint, ſic quidem vt Conſularis Pamphyliæ, Præſes Lyciæ præeſſet, vt teſtatur *Notitia Imperii fol. 3.*

Sexto notandus titulus Præſidis Lyciæ & Pamphyliæ: nempe *Perfectiſſimi*, quod his notis indicatur *V. P.* quo eodem titulo ante 12. ferme annos ſub Conſtantio Chloro, Conſtantini M. patre, Eumenius *orat. pro ſcholis inſtaurandis initio*, affatur Præſidem Lugdunenſis primæ. Quare iocularis lapſus eſt Accurſii, qui *Vrbis Præfectum* interpretatur: cum aperte Præſes Lyciæ & Pamphyliæ vocetur: vt & Ioannis Baptiſtæ Vicecomitis *ad hanc leg. p. 7.* qui *Virum Prætorium* interpretatur: ſimili errore quo hanc notam *V. C.* Virum Conſularem ſignificare ait: cum tamen *Virum Clariſſimum* denotet.

Nunc de ſententia *huius legis*: vbi primo erroneæ circa *hanc leg.* ſententiæ profligandæ ſunt. Prima eſto Cuiacii: putabat is poſtrema *huius leg.* parte, quæ de Diocletiano agit, indicari *legem 1. Cod. Iuſt. ne Ruſticani ad vllum obſequium deuocentur*: eo quod *illa leg.* quæ Diocletianum & Maximianum inſcriptos habet, caueatur, ne quis ex ruſticana plebe, quæ extra muros poſita capitationem ſuam detulerit, & annonam præſtat, ad vllum aliud obſequium deuocetur; quibus verbis indicat Diocletianus, nolle ſe Vrbanos capitationem præſtare. Perperam; neque vna de cauſa. Primum enim, nullam *Diocletiani* legem Licinius *hac leg.* indicat, ſed tantum praxim & obſeruantiam ſub Diocletiano, quam Licinius opponit mutationi poſtea factæ. Secundo, ſi *lex* aliqua Diocletiani indicaretur hic, vtique expreſſam ſuper eo *legem* præceſſiſſe oporteret; non vero ſatis eſſet id a contrario tantum colligi, ex eo quod obiter in aliqua lege indicaretur. Tertio, quod vel potiſſimum, etſi lex illa Diocletiani & Maximiani nomina præferat, attamen *Maximianum* ſolum authorem habet, neque ad Lyciam & Pamphyliam pertinet, verum ad Gallias: Data ſcilicet *lex* illa ad *Cariſium*, id eſt ad *Caranſium*, quo Maximianus in Galliis vſus ad compeſcendum Ruſticanorum Bagaudarum in Galliis tumultum, qui poſt Carini e Gallia diſceſſum, Æliano & Amando ducibus exortus fuerat: de quo Mamertinus in *panegyrico*, dicto *Maximiano, cap. 4.* Eumenius *pro ſcholis inſtaurandis*, *cap. 4.* Victor, Eutropius, Hieronymus *Chronico*. *Quo* ſane *bello*, ait Victor Schotti *cap. 39. Carauſius Menapiæ ciuis factis promptioribus enituit.* Itaque profligato eo iam Ruſticanorum Bagaudarum in Galliis, tumultu, qui exortus fuerat proculdubio propter Exactorum & tributorum acerbitatem, (quod de ſua quoque tempeſtate Saluianus teſtatur) *ea leg. vnic. Cod. Iuſt. ne Ruſticani*, &c. opera data, ne quid in poſterum tale oriretur, prohibitis ruſticorum angariis. Qua obſeruatione hiſtorica deinceps *legem illam vnic.* illuſtrari cupio, & ab *hac leg.* ſeiungi. Ad rem. Ergo Licinius *hac leg.* Vrbanam plebem, quæ ſub Galerio Maximiano, vel Galerio Maximino, ad capitationem vocata fuerat per Lyciam & Pamphyliam, priſtinæ veterique immunitati reſtituit, ad quam proculdubio Chriſtianæ potiſſimum Religionis odio atque occaſione deuocata fuerat. Sane Euſebius *lib. 8. cap. 14.* Galerium Maximinum omnes Prouincias imperio ſuo ſubiectas, auri argenti & ingentium pecuniarum exactionibus attriuiſſe ſcribit: neque contra Chriſtianos hæc tantum acta, ſed & contra alios omnes. Quem locum refert Baronius *Anno 307. n. 28.* de Martyribus in Lycia & Pamphylia nominatim, & quidem Bergæ, Sidæ, hoc tempore videnda Martyrologia. Quomodo & Iulianus Apoſtata Chriſtianæ Religionis odio poſtea Cæſarea Cappadociæ ciuitatum numero expuncta (de quo videndus Libanius *orat. nondum edita*: Sozomenus *lib. 5. cap. 4. & 11.* & Gregorius Nazianzenus *orat. 3. adu. Iulian. p. 91. Tom. I. Oper. Edit. Lipſ.*) plebem Chriſtianam Cæſarienſem vna cum vxoribus & liberis cenſeri voluit: & quemadmodum in pagis tributa ſoluere, *καὶ τὰ πλῆθος τῶν χριστιανῶν σὺν γυναιξὶ, καὶ παισὶν ἀπογράψασθαι, καὶ καθάπερ ἐν ταῖς κώμαις φόρους τελεῖν προσέταξεν*: *vulgus vero Chriſtianorum vna cum vxoribus & liberis deſcribi, & perinde ac in pagis tributa pendere præcepit*: vt refert Sozomenus *d. cap. 4.*

Videamus igitur quid per *Capitationem* hic intelligendum ſit? Vulgaris ſane ſententia eſt *hanc legem* eſſe de *capitis cenſu*, ſeu tributo capitis, ſeu perſonæ: cuiuſmodi cenſus, tributi capitis, a quo immunis eſſe iubeatur plebs vrbana, *φόρου τῶν σωμάτων*, frequens mentio in Iure, apud Appianum, Tertullianum, alios: Quæ facile concidet, vbi intellexerimus, quid per *Capitationem* intelligendum ſit: quanquam id iam ex *Paratitlo*, vt & ex dictis ad *leg. 15. & 33. ſupr. de Ann. & tribut.* ſatis liquere poteſt. *Capitatio* igitur (quæ eadem & *Iugatio*) erat modus ſeu canon, qui in cenſu publico a ſingulis præſtan-

* Factum id demum anno ſequente 305. probante *ANTON. PAGIO in Critic. ad Annal. Baron. ad an. cit. n. 6. ſeqq.*

præſtandus erat, pro modo Capitum ſeu Iugorum qua quis poſſidebat. Mentio eius vt apud Ammianum Marcellinum, ita quoque apud Saluianum *lib. 5. de gubernat. Dei cap. 8. Cum poſſeſſio ab his receſſerit, Capitatio non recedit: proprietatibus carent, & vectigalibus obruuntur.* Dicta *Capita*, & *Capitatio*, non quæ pro capite humano vel colonorum dabatur, verum quæ pro poſſeſſione, quam quis poſſidebat, ſoluere tenebatur: id enim *Capita* dicuntur, nempe prædia ex quibus vt fructus colliguntur ſeu emolumenta prædii quis conſequitur, vt dicitur *l. 25. ſupr. de annon. & tribut.* ita & functiones tributariæ, annonæ, & tributa præſtantur, tanquam capitis & ſortis ſtricturæ. Hinc & *modus Capitationis & ſortium*, παραλλήλως dicitur: & *annonaria ſpecies pro modo Capitationis & ſortium præbere*: *d. l. 15. ſupr. de annon. & tribut.* Sic ſane vt in re pecuniaria & fœnebri *caput* eſt id, cuius nomine fœnus præſtatur, & ſic ſors; Ergo & in ra tributaria, ἐν τῇ λογαρικῇ τῶν δημοσίων, *capita* ſunt poſſeſſiones & quaſi ſortes, quarum nomine tributa penduntur ſeu canon infertur: atque exinde *Capitatio*, quæ capitum nomine ſeu
P. 117. pro modo ſortium præſtari debebat: pro modo iugorum vel capitum: Et vt Capita & Iuga hic ſociantur, ita & Capitatio & Iugatio: nempe functio pro capitum & iugorum modo tributa, ſeu functiones; non vero tributum capitis ſeu pro capite κατὰ κεφαλὴν, vt Plutarchus. Et vero hoc ipſo ſenſu, exteri quoque Scriptores. B. Hilarius *contra Conſtantium Imperatorem, num. 12. pag. 569. Tom. II. Oper. Edit. Veronens. Cenſum CAPITVM remiſit, quem Chriſtus, ne ſcandalo eſſet, exoluit.* Eodem ſenſu Eumenius in *Panegyr.* Flauienſium nomine ad Conſtantinum *cap. 11. Septem millia capitum remiſiſti, quartam amplius partem noſtrorum cenſuum.* Eodem ſenſu Ammianus Marcellinus *lib. 16. cap. 5.* vocem *Capitum* vſurpauit. Imo idem *lib. 17. c. 3.* Capitationis bis meminit: verba eius iam conſignaui ad *leg. 15. de annon. & tribut. ſupr.* Error enim eſt Interpretis Valeſii, Viri alioquin doctiſſimi, qui priorem Marcellini *locum*, de pecunia, quæ pro hominum capitibus ſoluebatur, accepit: eoque teferebat *Tertulliani* locum, *hominum capita ſtipendio cenſa, ignobiliora.* Quo etiam trahit locum *Eumenii*, & *legem 10. Cod. Iuſt. de Agricol.* imo & *legem 4. 6. hoc tit.* & *leg. 4. ſupr. de excuſ. artific.* Quod tamen omne inane eſt. Nam vt Eumenii locus, ita & leges illæ ſunt de capitatione poſſeſſionum. Eodem pertinet vulgatum iam illud Sidonii Apollinaris *carm. 13. ad Maiorianum v. 19.*

Geriones nos eſſe puta: monſtrumque TRIBVTVM:
Hic CAPITA, vt viuam, tu mihi tolle tria.

Græci vna voce vtrumque & iuga & capita exprimunt ζυγοκέφαλον. Iuſtinianus *Nouell. 8. cap. 2.* vt & Zonaras *in Leon. Iſaur. lib. 15. Annal. pag. 105. in fin. Tom. II. Oper. Edit. Reg.* & Cedrenus *in Compend. hiſt. anno 16. Leonis, pag. 457. Tom. I. Oper. Edit. Reg.* vocem κεφαλητίωνα habent. Προφάσει inquit Iuſtinianus, ἀπόρων τε καὶ καπιτατιώνων, ἤτοι κεφαλητιώνων, καὶ συντελειῶν, Theodoretus etiam *epiſt. 42.* vocem ζυγῶν & ἰυγατίων℗ vſurpauit: vt & Iuſtinianus *dict. Nouell. 8. cap. 2.* vocem καπιτατιώνων, & *Nouella 17. cap. 8.* ἰυγων ἢ ἰυγαλίων. Ergo Capitatio eſt modus collationis pro iugorum ſeu capitum numero, non pro capite hominis, vt vulgo creditum, etiam Cuiacio. Neque nupera Heraldi interpretatio melior eſt, *lib. 1. Quotidianarum cap. 9.* qui Capitationem interpretatur eam, quæ imponebatur pro mancipiorum & colonorum adſcriptitiorum cenſitorum numero, & ſecundum mancipiorum capita. Ex tot enim legibus liquido conſtat, Capitationem pro numero modoque iugorum ſeu capitum impoſitam; denique terrena hæc *capitatio* ſeu *iugatio* fuit, & vero dicitur *l. vltim. de Conlat. donat.* hic tamen terrena fuit, vt ratio haberetur quoque hominum & animalium, velut quæ paris *capitis* ſeu ſubſtantiæ & facultatum eſſent: vnde & Capitatio humana, *d. l. vltim.* ſeu Capitationis humanæ Cenſus, *l. vnic. Cod. Iuſt. de colon. Thrac.* Capitatio animalium, *d. l. vltim.* vbi male Heraldus *animalis*, de quo ad eam *leg.* deſcriptio denique animarum, *d. l. vltim.* qua comprehenduntur & capitatio humana & animalium terrenæ oppoſita, *d. l. vltim.* non quaſi pro capitibus eorum ſeparatim capitatio vel iugatio fieret aut præſtaretur, verum quia in cenſum veniebant referebanturque omnia, quæ poſſeſſionum, capitum, ſortiumque & iugorum æſtimationi accederent. Vtraque ergo tributariæ ſortis & nexus pars: *d. l. vnic. Cod. Iuſt. de colon. Thrac.* Quandoque tamen ex indulgentia, conceſſo ſublatoque humanæ capitationis cenſu, ſeu colonis tributariæ ſortis nexibus abſolutis, iugatio tantum terrena ſoluebatur, *d. l. vnic. Cod. Iuſt.* & *l. vlt. ſupr. de collat. don.* Et hæc quidem eſt illius *l. vnic.* ſententia; non quaſi in locum capitationis pro colonis adſcriptitiis iugatio ibi *ſubrogata* fuerit: non enim ibi vlla ſubrogatio fit, ſed duplex capitatio, vna ſublata, ad vnam redigitur. Quæ cum ita ſint, apparet quid iudicandum ſit de nupera Heraldi interpretatione ad *hanc leg.* Sententia eius hæc eſt, plebi Vrbanæ id *hac leg.* non tribui, vt a capitatione immunis habeatur, ſed ea moleſtia liberetur, quæ poſſeſſoribus alioquin incumbebat, vt exactam & collectam capitationem a Colonis adſcriptitiis ipſi fiſco ſoluerent: quod his graue erat. Additque non idem ruſticanæ plebi remiſſum: eam quippe capitationem ſuam deferre debuiſſe: allegata in id *l. 1. Cod. Iuſt. ne ruſticani*: ſubiicitque ideo in *l. 11. Cod. Iuſt. de Epiſcopis*: Clericos, iuberi, in ea poſſeſſione vel vico ordinari, vbi res ſuas poſſident, *vt propria capitationis onus & ſarcinam agnoſcant*, ait *lex*, id eſt, vt tributum terris ſuis impoſitum pro colonorum cenſitorum numero a colonis ſuis exigant & fiſco inferant: vnde ſe excuſare potuiſſent, ſi in Vrbe, vel etiam fortaſſe in alia poſſeſſione fuiſſent ad Clerum promoti. Quæ omnia plane inania ſunt. Nam quod aït, de capitatione quam poſſeſſores exigebant, mox ipſi fiſco inferebant, merum eſt commentum. Et quod ad *d. l. 1. Cod. Iuſt. ne ruſticani*: attinet, eſt ea omnino de capitatione ſeu iugatione quam ruſtici poſſeſſionum ſuarum nomine deferebant, præſtabant: non de imaginatia illa pro capitibus colonorum tantum. Et *d. l. 11.* diſerte agitur de *propria* capitationis onere & ſarcina: eaque modus inicitur promiſcuæ Clericorum ordinationi, per quam alioquin tributa concidebant, videlicet vt in eo vico ſeu ea poſſeſſione ordinentur, vbi res ſuas poſſident: *vt ita propria capitationis onus & ſarcinam agnoſcant*, ait *lex*. Ergo *huius leg.* hæc perſpicua ſententia eſt, *plebem vrbanam*, ſi modicum forte quid poſſideret iugorum ſeu capitum ruri a capitatione immunem eſſe: *Plebem*, inquam, *vrbanam*, non & Senatores inque dignitatibus conſtitutos, qui pleraſque poſſeſſiones velut agrarii mergi ad ſe traxerant & quotidie trahebant.

Ad capita & ad capitationem redeamus. *De eadem*, vt eam interpretatus ſum, eſt quoque *lex 10. Cod. Iuſt. de agricolis*: & quidem de capitatione humana: Nempe Theodoſius M. *ea leg.* Seruorum & ancillarum cenſualem æſtimationem imminuit, hac peræquatione, vt ipſe ait: idque definis, vt deinceps per binos ac ternos viros, id eſt,

colonos adſcriptitios, per quateroas molietes, vnius capitis pendendi forma ſeruetur, cum antea per ſingulos viros, per binas mulieres capitis forma eſſet cenſa. Ergo agricolarum, colooorum adſcriptitiorum, cenſum qui pro his pendebatut, ſeu capitationem bumanam, quæ poſſeſſoribus pro his imminebat, hoc *temperatæ peræquationis modo*, vt ipſemet loquitur, imminuit Theodoſius Imp. Quomodo & alias Principes qui ſeſe commendare volebaot a moderatiooe, cenſum, & capitationem imminuere ſoliti. Ita narrat Ammianus Marcellinus *lib. 16.* de Iuliano Cæſare *cap. 5. Ad vltimum*, &c. *quod profuerit anbelantibus extrema penuria Gallis, binc maxime claret, quod primitus eas partes ingreſſus, pro CAPITIBVS ſingulis tributi nomine, vicenos quinos aureos reperit flagitari, diſcedens vero ſeptenos tantum, munera vniuerſa complentes*, &c. Ex quo etiam *Ammiani* loco, eaque ſiogulorum capituni capitatione, colligimus *Capita* maiotis alicuius modi poſſeſſiooes fuiſſe, quando pro illis tot aurei anoui tributi oomine flagitarentur. Paritet vt iuga, quæ eadem erant: vt oon tantum ex eo liquet, quod paſſim hæc παραλλήλως ponuntur: ve. Pag. rum etiam quod idem modus capitationis & tributi in vtroque etat: vt docet *lex 3. de militari veſte: l. 5. de impon. lucrat. deſcript.* Caue autem *iuga*, a quibus *iugatio*: & *iugum* iugeris, uode *iugeratio*, confundas: ſi quid in te obſcura iudicii mei eſt, ego iuga putem dicta, tertæ modum, cui coleodo pet annum iugo boum opus eſt: ſicut iugum iugetis, quantum in die iugo boum exerceri poteſt.

COLONOS *a prædiis auelli nulla pactione poſſe.*

III. (a) Imp. CONSTANTIVS A. ad Dulcitium Conſ. Æmiliæ. (b)

SI quis prædium vendere voluerit, vel donare, retinere ſibi, transferendos ad alia loca (c) Colonos, priuata pactione non poſſit: Qui enim Colonos vtiles credunt, aut cum prædiis eos tenere debent, aut profuturos aliis derelinquere, ſi ipſi ſibi prædia (d) prodeſſe deſperant. Dat. III. (e) Kal. Maii, Med. Conſtantio A. IX. & Iuliano Cæſ. II. Coss. [357.]

NOTÆ.

(a) *Lex 2. Cod. Iuſt. de Agricolis, Cenſitis, & colonis.* GOTHOF.

(b) *Æmiliæ* Conſularis hac tempeſtate ſub Conſtantio Imp. peculiaris fuiſſe hinc videri poſſit: verum non ita eſt: de quo ad *l. vnic. ſupr. de vectigalib.* ID.

(c) *Locorum* appellatio hic propria: vid. *Gloſſ.* ID.

(d) *Prædium.* Cod. Iuſt. vt *initio Legis.* ID.

(e) De hac ſubſcriptione vid. *Chronolog.* ID.

COMMENTARIVS.

COLONI originales (de quibus vid. *Paratitl. de colonis fugitiuis:*) qui cum prædiis vtiqua cenſebantur a prædiis diuelli, puta venditis, donatis, prædiis, atqoe a venditore vel dooatote retineri, a Conſtantio Imp. *hac leg.* prohibentur, per Italiæ Prouinciam Æmiliam: pariter vt a Valente per Orientem, *l. 14. ſup. de annona & trib.* ab Honorio per Gallias, *l. 26. ſupr. de annona & tributis*; cum tamen antea ſub Conſtaotioo M. potuiſſeot, vt docet *lex 2. ſupr. ſine cenſu*: etſi & tum cum ſuo ooere. Vtilius ſc. viſum adhuc eos ne quidem a prædiis diuelli. Coloni ſcilicet quidam in orbe Romaoo certis locis ſeu prædiis adſtricti eraot, qui Colooi Origioales dicuntur, *d. l. 14. ſupr. de annon. & tribut.* maocipia adſcripta cenſibus, *l. 2. ſupr. ſine cenſu vel reliquis*: homologi coloni *l. vltim. ſupr. de patrocin. vicorum*: ſeu certus plebis oumerus prædiis ſingulis adſcriptus, vt ait *d. lex 26. ſupr. de annona & tribut.* id eſt, vna cum prædio cenſebaotur: oon tam hominibus quam prædiis adſcripti, *d. l. 26.* ac proiode & eorum nomioe cenſus a dominis prædiorum illorum inferebatur: denique in fundis illis ſeu locis cenſi erant: *d. l. 14.* Ergo cum fundis eos ambulare iam neceſſe erat, ſic vt veoditor, aut donator prædii, ſibi eos eorumque onera ſeu cenſum reſeruare non poſſet. Semperque poſſeſſor prædii eorum oomioe tenebatur, ex *hac leg.* & *dict. l. 14. 26.* Denique priuata pactio in contratium non valebat, quomodo & quo tempore ſub Conſtaotino M. mancipia hæc adſcripta cenſibus, ſeparatim vendi potueront, eorum cenſum emptor agooſcere tenebatur, *l. 2. ſupr. ſine cenſu.* Sic & alias ſine cenſu, fundus comparari non poteſt: de quo fuit *ſupr.* peculiaris *titulus 3. ſine cenſu vel reliquia fund. comp. non poſſe: lib. 11.* Ooera denique poſſeſſionum a poſſeſſionibus diuelli ooo poſſuot. Sic neque venditor nauicularii prædii, nauiculariam fuoctionem in ſe recipere potuit, *l. 8. ſupr. de prædiis nauicular.* vt neque viceuerſa, commoda ædium veoditarum ſibi venditor retinere potuit, puta aonooas ciuicas ſeu paoem gradilem, *l. 1. infr. de annonis ciuicis.* Plura qui volet de coloois, eotumque conditiooe, conſulat *Paratitlon de fugitiuis colonis.*

De

De PERSONIS *immunibus a censu.*

IV. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Viuentium (b) PF. P. Galliarum.

IN Virginitate perpetua (c) viuentes, & eam Viduam, de qua ipsa maturitas pollicetur ætatis nulli iam eam esse nupturam, a Plebeiæ (d) capitationis iniuria vindicandas esse decernimus: Item Pupillos in virili sexu vsque ad viginti annos ab istiusmodi functione immunes esse debere: mulieres autem, donec virum vnaquæque sortitur. Dat. X. Kalend. Decemb. Valentiniano & Valente AA. (e) Coss.

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Concordat huic *lex* 6. *infr.* quæ eiusdem Valentiniani est ad eundem Viuentium PF. P. Inseruit *hanc leg.* Annalib. suis Baronius *Ann.* 365. *n.* 44. GOTHOF.

(b) *Viuentius* PP. Galliarum sub Valentiniano: vid. *Prosopogr.* ID.

P. 119. (c) *Quæ se sacræ Legis obsequio* PERPETVO *dicarunt: d. l.* 6. ID.

(d) *Exactio plebis* vocatur *d. l.* 6. ID.

(e) Credo supplendum II. vt sic ad Annum 368. referatur *hæc lex.* Viuentius enim cui *hæc lex* inscribitur adhuc An. 367. Præfectus Vrbi erat, vt docet *lex* 11. *supr. de pœnis*, & *lex* 3. *supr. de indulg. crim.* & Ammianus Marcellinus *lib.* 27. *c.* 3. Vnde demum PP. Galliarum factus est, eamque Præfecturam administrauit Ann. 368. 369. 370. 371. ID.

COMMENTARIVS.

DE IMMVNIBVS tribus personarum generibus a censu seu *a* plebeia capitatione, est hæc Valentiniani Sen. constitutio, & quidem per Gallias, quod notandum: pariter vt altera *l.* 6. *infr.* quæ eundem Valentinianum auctorem habet, & ad eundem Viuentium PP. data est: sic tamen vt illa ab hac in nonnullis recedat: mox vt ostendetur. Et sic pertinet hæc lex ad Censum Gallicanum, pariter vt *duæ Leges proximæ* 5. 6. & *lex* 1. *supr. sine censu:* & *lex* 1. *supr. de fide & iure hastæ.* *Plebeia capitatio*, quæ *hac leg.* dicitur, vocatur pariter d. l. 6. *plebis exactio.* Plerique vero Interpretum id de tributo capitis, seu *capitis censu*, quod pro capite dabatur, accipiunt. De quo est sane *lex* 3. *D. de censibus:* vbi similis quoque immunitas continetur. *Ætatem in censendo significare necesse est: quia quibusdam ætas tribuit, ne tributo onerentur: veluti in Syriis a quatuordecim annis masculi, a duodecim feminæ vsque ad sexagesimum quintum annum tributo capitis obligantur: Ætas autem spectabatur censendi tempore.* Verum cum nullum iam amplius hoc æuo capitis seu pro capite libero tributum vsurparetur: est omnino *hæc lex*, vt & *d. l.* 6. accipienda de Capitatione & Iugatione pro capitibus & iugis seu possessionibus. Ergo Valentinianus *hac leg.* vt & *l.* 6. *infr.* quæ *huic* concordat, Capitationem tribus hominum generibus remittit. Primum in Virginitate perpetua degentibus, seu quæ se sacræ legis obsequio perpetuo dedicarunt: quod & ipsum rursum constituit, *l.* 6. *infr. hoc tit.* ad eundem Viuentium PP. sic tamen vt indistincte id de iis, quæ se sacræ *legis* obsequio perpetuo dedicarunt, sanciat. De huiusmodi virginibus sanctimonialibus præter *hanc leg.* & *d. l.* 6. sunt insuper quinque *hoc Codice* Constitutiones: puta Constantii *lex* 1. *supr. de raptu vel matrim. sanctim.* Iouiani *l.* 2. *d. tit.* Valentiniani Senioris *hæc lex*, & *l.* 6. *infr.* & *l.* 22. *de Episcopis:* Theodosii M. *l.* 12. *infr. de Scænicis.* Honorii *lex* 3. *d. tit. de raptu vel matrim. Sanctim.* Qua *leg.* Valentinianus fœdis earum captationibus occurrit: nam & ipsæ ex viduarum liberalitate aliquid consequi vetantur: vt viceuersa *hac leg.* priuilegio immunitatis a censu decorantur, quod deuotionis Valentiniani Sen. fuit: quod ipsemet indicat *d. l.* 6. *infr.* *Simili deuotione habeantur immunes, & si quæ se sacræ Legis obsequio perpetuo dedicarunt.* Alia enim immunitas his non data: Quod etiam indicat satis Ambrosius, *libello* 2. *contra relationem Symmachi, ad Valentinianum Iun. pag.* 325. *ad calcem Symmach. Edit Paris.* 1604. vbi agens de immunitate Virginum Vestalium in genere; *non esse virginitatem quæ pretio emitur: non esse integritatem, quæ tanquam in auctione, nummario ad tempus eliditur compendio: primam denique castitatis victoriam esse, facultatum cupiditates vincere, quia lucri studium tentamentum pudoris est.* Quibus haud absimilia & alibi scribit.

Interim ex *hac leg.* & *l.* 6. *infr.* obseruandum, Deuotas virgines hac tempestate per Gallias peruasisse: vid. & Hieronymum *Tom.* 1. *pag.* 146 *Edit. Francf. de vitando suspecto contubernio:* Quæ sane ante 30. ferme primum annos exemplo Ægypti Romæ inualuerant, teste Hieronymo *epist.* 16. *ad Principiam de Marcella vidua*, de quo dixi ad *l.* 1. *supr. de raptu vel matrim. sanctim.* A qua exemplum in Gallias iam hoc æuo propagatum. Et hæc quidem de sacris Virginibus.

Secundo, eadem immunitas capitis censûs *hac leg.* & *d. l.* 6. tribuitur & *Viduis.* Et *hac* quidem *lege* iis quas ipsa ætatis maturitas pollicetur, nulli iam eas esse nupturas. At *lege* 6. Viduis in genere: de quo ad *eam legem.* Ita quoque iam olim in Syriis fœminæ vsque ad 65. ætatis annum censu obligabantur, post hæc non item: vt testatur *d. l.* 3. *D. de censibus.*

Postremo, eadem Immunitas tribuitur *hac leg.* a Valentiniano Sen. *Pupillis*, virilis scilicet sexus vsque ad annos 20. fœminei, vsquequo virum sortitæ sint. At enim idem Valentinianus biennio post, *leg.* 6. *infr.* Pupillis hanc immunitatem tribuendam credidit, donec eos ingrederentur annos, qui iam Tutoribus Curatoribusue publicis non egerent, id est, vsque ad annum ætatis 25. De quo plura ad *eam leg.* 6. *infr.* Certe Basilius quoque hanc ob ætatem a censu immunitatem obiter memorat *Epist.* 279. siu. *Epist.* 104. *Edit. Benedictin.* ad

Modestum PP. vbi queritur Presbyteris & Diaconis censum indictum, πλὴν εἰ μή πω τινὲς ἄλλως ἦχον ὑπὸ τῆς ἡλικίας τὴν ἄφεσιν, *nisi qui alioquin forte per ætatem immunitatem haberent*. In Gallia sane minores a triburis immunes sunt: de quo vid. Brenii *Orat.* 41. vbi hanc ipsam *leg.* allegat, *p.* 240. *b.*

V. (a) Idem AA. ad Florentium PF. P. Galliarum. (b)

SI quis, census Inquisitione completa, grauatum se esse credat, apud Prouinciæ Iudicem pulset (c) quem mauult, (d) ex die clausi (e) renuntiatique (f) census spatia præstituta dinumerans: (g) vt si, necessitatibus publicis occupatus domesticis commodis defuit cum census agitatus (h) est, intra anniuersarii temporis curriculum (i) fiducia competitionis (k) adsistat: Si vero præsentem sciat se esse censitum, intra quinque menses, quibuscunque viribus fultus immineat, (l) vltra non habeat huius vocis (m) arbitrium. Dat. III. Non. Iun. Remis, (n) Lupicino & Iouino Coss. [367.]

INTERPRETATIO. *Si aliquis in causa publica occupatus, cum descriptio agitaretur, per absentiam suam se esse grauatum queratur, intra anni spatium apud Iudicem loci querelas suas allegare debebit: nam si præsentem fuisse constat, non plusquam quinque menses ad exequendas querelas suas nouerit sibi fuisse concessum, quibus transactis agendi copia denegetur.*

NOTÆ.

P.120.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Huic concordat Theodosii M. *lex* 4. *infr. de censitoribus.* GOTHOF.

(b) *Florentii* huius PP. & quidem in gestis huius ipsius Anni, meminit Ammianus *lib.* 27. *cap.* 7. Hic idem antea quo tempore Iulianus Cæsar in Galliis fuit, PP. fuit: de quo idem Ammianus *lib.* 16. *cap.* 12. *lib.* 17. *c.* 3. *lib.* 18. *cap.* 2. *ID.*

(c) *Pulset*, id est, conueniat, vid. *Gloss.* accuset: vt *d. l.* 4. *ID.*

(d) Ex iis penes quos census distributio est: Tabularium *l.* 2. *supr.* Peræquatorem, vel eum qui per gratiam releuatus est: vid. *l.* 4. *infr. tit. prox.* *ID.*

(e) *Claudi* census dicitur, cum perficitur; cum peræquatio completur, vt loquitur *lex* 4. *infr. tit. prox.* cum finis est operis consummati: *l.* 4. §. 9. *D. de censibus.* *ID.* Ab Editione Sichardin. absunt hæc verba, *quem mauult*: in MS. G. vero legitur, *quem vult.* RITTER.

(f) *Renunciari* census dicitur, cum completus, clausus in libros Censuales refertur: cum Codices traditi, vt loquitur *dict. lex* 4. GOTHOFR.

(g) *Enumerans*, MS. G. *ID.*

(h) *Agitari* census dicitur. *ID.*

(i) *Circulum* in *Edit.* Sichard. MS. G. Edit. in 4. & prim. Cuiac. *ID.*

(k) *Competitio* est (vt Interpres recte quoque vidit) querela, *hac leg.* & *l.* 4. *infr. tit. prox. de Censitorib.* (quæ in eodem argumento versatur, & Gratianum Valentiniani *huius leg.* Auctoris, filium auctorem habet:) & *l.* 15. *seu pen. eod. tit.* *ID.*

(l) *Emineat* tentet quis: verum illud non temere muto. *ID.*

(m) Id est, querelæ. *ID.*

(n) *Remis* hoc Anno constitutus Valentinianus: vid. *Chron. Theod.* *ID.*

COMMENTARIVS.

QVERELÆ aduersus iniquum censum siue adscriptionem, vt libertatem *hac leg.* relaxat aduersus Censitores, siue Peræquatores, ita certi temporis metas huic rei ponit Valentinianus Sen. Anno D. 367. in Gallia ipse constitutus, hac constitutione ad Florentium PP. Galliarum: quæ proinde ad Censum Gallicanum pertinet: pariter vt *superior.* 4. & proxime *sequens* 6. Quo etiam spectat *lex* 1. *supr. sine censu vel reliquis.* Pariter vt Theodosius M. *l.* 4. *infr. de censitor.* Scilicet ei qui Absentem se grauatum dicit, annum ad querelam suam proponendam tribuit: absentem inquam, *qui necessitatibus publicis occupatus domesticis commodis defuit*: qui Reipubl. causa abfuit, vt *lex* 4. *infr. de censitorib.* aperte loquitur, præsenti vero & scienti, quinque tantum menses tribuit ad querelam suam proponendam. Hæc ita nunc Valentinianus. At enim Theodosius M. postea *d. l.* 4. prolixius tempus tribuit: nempe præsentibus & maioribus annum integrum continuum, minoribus vero & absentibus Reipubl. causa, annum vtilem, ex eo videlicet tempore computandum, ex quo agere potuerunt, id est minori, maiores effecti, absentes domum reuersi. Porro diserte Absentibus Re publ. causa tantum tempus tribuitur; sui negotii causa absentibus non item: horum non tanta vt superiorum ratio, quibus imputari potest tanti temporis taciturnitas, rerumque suarum negligentia: illis vero non item.

Notanda interim ex *hac leg.* & *d. l.* 4. *Præscriptionis* legitimæ species, pro censu siue adscriptione: nam vt ab vna parte census iniquitatem sæpe emendari æquum est, ita viceuersa non quouis

tempore

tempore conuelli oportet. De praxi *huius leg.* vid. quæ ad *l. 4. infr. de Censitorib.* Porro a quo tempore præscriptio *huius leg.* currat, definitur hic, ex *die clausi renuntiatique census*: pariter vt *d. l. 4. cum fuerint traditi Codices, & completa peræquatio.* De quo vid. quæ Claperius *causarum fiscalium c. 42. q. 2. n. 1.* Similis vero est dispositio *legis 173. supr. de Decurionib.* vnde desumpta est *lex 1. Cod. Iust. de Apochis public.*

VI. (a) Idem AA. & Gratianus A. ad Viuentium PF. P. (b)

NVLLA Vidua, nemo Pupillus ex vtroque sexu, donec eos ingrediatur annos qui iam Tutoribus, Curatoribusue (c) publicis non egeant, exactionem plebis (d) agnoscat. Similiautem deuotione habeantur immunes, & si quæ se Sacræ Legis obsequio perpetuo dedicarunt. Dat. III. Kalend. April. Triu, Valentiniano & Valente III. AA. Coss. [370.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Retulit eam Baronius *Ann.* 370. *n.* 131. Concordat ei *lex* 4. *supr.* GOTHOF.

(b) Galliarum: vt *d. l. 4. supr.* ID.

(c) *Curatoribus vel publicis*: apud Baronium & in Edit. Quartan. male editum. ID.

(d) Capitationes plebeiæ, *l. 4. supr.* ID.

COMMENTARIVS.

DE IMMVNITATE tribus personarum generibus a plebeio censu, est hæc altera Valentiniani Sen. ad eundem Viuentium PP. Galliarum constitutio, pariter vt *lex 4. supr.* puta *de viduis pupillis, & Sanctimonialibus*: Magno tamen inter hanc & illam discrimine I. *Vidua* a censu immunis præstatur *illa lege*, cum hac taxatione, *Eam viduam*, inquit, *de qua ipsa maturitas pollicetur ætatis, nulli iam eam esse nupturam.* At enim *hac leg.* indistincte, *Nulla vidua exactionem plebis agnoscat.* est proinde *hæc lex* iam generalior & plenior hac parte.

II. Plenior quoque est circa *Pupillos*: Nempe *illa l. 4.* Pupillis immunitas datur masculis vsque ad 20. annos, fœminis vsque quo virum sortiantur: At enim *hac leg.* pupillis ex vtroque sexu ea immunitas præstatur, donec eos annos ingrediantur, qui iam non tantum Tutoribus vt in *l. 3. D de censib.* curatoribusque publicis non egeant, id est, fœminis vsque quo virum sortitæ fuerint (tamdiu enim tutela in fœminis perdurabat, de quo *l. 2. supr. de tutorib. & cur. creandis*:) masculis ad annum vsque 25.

3. Laxius tandem accipiendum est *hac leg.* id ?.m. quod de Sanctimonialibus dicitur, si quæ se Sacræ Legis obsequio perpetuo dedicarunt: quam quod *illa l. 4.* In *Virginitate perpetua viuentes.* Nempe Diaconissæ quoque hac parte comprehenduntur; cum *superiore l. 4.* comprehendantur Viduarum appellatione: sed satius nunc visum Valentiniano a Viduarum appellatione eas secernere, cum ea viduarum appellatione *hæc lex* promiscue comprehendat quascunque viduas. Vt his omnibus inspectis ita censeam, exortis post *leg. 4. supr.* dubitationibus nonnullis ad relationem Viuentii PP. Galliarum, *hanc legem* tanquam *superiore* accuratiorem a Valentiniano emissam.

VII. (a) Idem AAA. ad Modestum PF. P. (b)

SICVBI subscriptorum (c) modo forte fatali morientibus (d) describto (e) aliquid fuerit imminutum, contraque (f) in vicina, (g) vel contermina (h) eius, vel in eodem, (i) vel vbilibet, similis substantia (k) ratione nascendi vltra conscribtorum (l) numeris (m) adcreuerit, modus censuum intraque (n) seruetur, vt ex eo qui superest, (o) ille qui defuerit (p) suppleatur. Hoc autem vt rite celebretur Auctoritas Tua Iudicibus tantum, id est, Rectoribus Prouinciarum, permittat potestatem: ita vt idem, (q) cum querimonia (r) Defensorum, vel Plebeiorum ad eos fuerit nuntiata, exhibitis partibus, secundum fidem rerum, coram cognoscant, ac stabilitatem census finita altercatione componant: Eos tantum qui mortui videbuntur, (s) ex adcrescentibus repleturis. (t) Cæterum illos, qui relictis censibus aufugerunt, ad excusationem pertinere non est æquum; quandoquidem eum qui videbitur aufugisse, constat esse reuocandum. Dat. XVII. Kalend. Febr. Constp. Gratiano A. II. & Probo Coss. [371.]

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustinianeo.* GOTHOF.

(b) *Modestus* PP. Orientis sub Valente: vid. *Prosopogr.* ID.

(c) *Sicubi de subscriptorum modo*, vel *si quibus de*, &c. id est, si morientibus nonnullis & numero eorum qui censibus adscripti erant, aliquid fuerit imminutum de modo census. *Subscripti* porro infra *Conscripti* dicuntur: adscripti scilicet censibus. ID.

(d) Aliquibus. ID.

(e) Ita γϱ. *de scripto* diuisim: Scriptum vocat modum & numerum libris censualibus adscriptum. ID.

(f) Et vicissim. ID.

(g) Absolute, vel reponendum *viciniæ*: ἐν τῷ γείτονι ἢ ὁμόρῳ αὐτῆς. ID.

(h) De hac voce vide Iuretum in *Symmach. lib. 10. epist. 13. p. 265. Edit. Parif. 1604.* ID.

(i) *Loco*, scilicet qui generaliter designatur *initio legis*, voce *sicubi.* ID.

(k) An *substantiæ*? Substantia hic pro fœcunditate, copia, modo, existentia, præsentia, extantia, vt sic locus hic ita interpungatur, *similis substantia*, *ratione nascendi*; vide *Gloss.* in *v. Substantia.* Et sic in effectu hic pro *homine substante*, seu *subsistente*, ὑπόστασις, ὕπαρξις: ὑπόστασις denique pro persona: quo sensu in Sacratissimæ Trinitatis mysterio accipitur: vide apud Gregorium Nyssen. *de eo, quid sit ad imagin. Dei & similitudinem, pag. 864. Tom. I. Oper. Edit. Morell.* & Basilium passim, θεὸς τρισυπόστατος, τριπρόσωπος. ID.

(l) Conscripti hic & *l. 14. de annona*: adscripti alias, & subscripti *supr.* ID.

(m) γϱ. *numerum.* ID.

(n) γϱ. *integre.* ID.

(o) Ex adcrescentibus *infr. circa fin.* ID.

(p) Et defecerit. ID.

(q) Pro *iidem*, Iudices scilicet. ID.

(r) De imminuto numero eorum qui censibus adscripti erant. ID.

(ſ) Id est, mortui erunt. ID.

(t) γϱ. *repleturi.* ID.

COMMENTARIVS.

DE SVPPLENDO, INTEGRANDO, REPARANDO censu, est hæc Valentis Imp. constitutio, ad Modestum PP. Orientis Ann. D. 371. emissa: pariter vt duæ aliæ strictim eiusdem Valentis, ad eundem Modestum PP. puta *lex 6. 7. supr. de Tyronibus*, & Constantini M. *lex 3. supr. de priuil. cor. qui in Pal.* Subinde scilicet censum reparari oportuit ac nominatim propter capite censos, qua deficientes, qua fugitiuos. Igitur cum hac tempestate census imminutus fuisset, Valens eius reparandi curam suscepit *hac leg.* vt erat Princeps Prouinciarum, & plebis æquissimus tutor, vt docet Ammianus *lib. 31. cap. 14.* fidemque facit *lex 11. supr. de iure fisci: l. 3. Cod. Iust. de defens. ciuit.* Themistius *orat. 10. p. 242. 243. Edit. Petau. Flexiæ 1613. in 8.*

Obseruandum interim ex *hac leg.* in singulis Legionibus, fuisse certam matriculam, quæ *Scriptum hac leg.* vocatur: professio Censualis, *l. 3. supr. de priuil. cor. qui in S. Pal.* volumina censualia *ibid.* fasces publicæ, *d. l. 6. supr. de Tyronib.* quibus continebantur nomina & numerus eorum, quos censum inferre oportebat: qui *inserta capitationis numerus* vocatur eiusdem Valentis constitutione ad eundem Modestum, *d. l. 7. sup. de Tyronib.* matriculis comprehensi dicuntur *hac leg.* vt & subscripti, conscripti, vt ita sciretur quinam immunes essent & incensiti: Immunes inquam priuilegio aliquo, vel status personæ, vel conditionis, cuiusmodi plures fuere. Eo sane numero fuere inter alios filii Palatinorum & serui castrensi peculio ab his conquisiti: *d. l. 3. supr. de pecul. eorum qui in S. Pal.* Præter hos censitos, & immunes fuit & tertium genus eorum qui nondum censiti erant, verum suo tempore censendi veniebant, subrogandi vid. in locum deficientium & mortuorum ex matricula: Hi Adcrescentes dicebantur, *hac leg.* & *d. l. 6. 7. supr. de Tyronib.* & *d. l. 3. supr. de priuil. cor. qui in S. Pal.* quomodo & in militia Adcres-
P.121. centes quidam fuere, *l. unic. supr. de Classic.* &c. & in officiis. Ex superfluo venire, *d. l. 6. in fin.* subpetesse *hac leg.* Ergo cum certus numerus esset censitorum, reparari eum subinde oportuit censitis morientibus. Ea vero reparatio seu integratio fiebat ex his Adcrescentibus: qui, inquit, Valens *hac leg.* erant *vel in vicina, vel in contermina* regione, *vel in eodem* (loco,) *vel vbilibet.* Igitur si nulli, aut non sufficiente numero Adcrescentes essent in ea ipsa regione, *in eodem loco*, ad reparandum numerum conscriptorum, alii Adcrescentes alibi constituti ad id deuocabantur: vbicunque essent, forte in vicina regione, vel in contermina, imo etiam remotiore: vt ita semper integer seruaretur numerus subscriptorum, seu conscriptorum, & sic census συντέλεια fieret.

Formam porro huius subrogationis faciendæ Valens *hac leg.* hanc præscribit: nempe, vt soli Rectores Prouinciarum hanc subrogationem seu reparationem faciant. Eumque in finem vt 1. Querela Defensorum & plebeiorum ad eos perferatur; id est, vt apud eos Defensores plebis: vel plebs ipsa censum soluens numerum demortuorum seu deficientium profiteantur, quorum vtique intererat numerum integrari, ne in eos alioquin census deficientium recideret. *Defensorum* horum meminit idem Valens Imp. *l. 3. Cod. Iust. de Defens. ciuitatum*: vbi quod eorum munus fuerit, diserte explicat: 2. Post hanc querimoniam Rectorem Prouinciarum coram cognoscere iubet, *exhibitis partibus*, vt scilicet decernat, quinam proxime ex Adcrescentibus ad censum vocandi iure sint, atque ita *altercationem finiat*, siue inter Defensores duarum Regionum siue inter Adcrescentes, sui subrogationem defugientes. Ergo Rectori Prouinciæ hæc integratio seu reparatio incumbebat; vt ita gratiæ via præcluderetur, si ea Defensorum vel Plebeiorum arbitrio procederet.

Et hactenus quidem de Reparatione census & censitorum, imminutorum per mortem. At enim, quæ secunda huius leg. pars est *in fin.* Valens

lens Imp. *hac leg.* hanc Integrandi census rationem non admittit, seu subrogandorum aliorum ex Adcrescentibus in locum fugitiuorum: eos enim reuocari a fuga iubet ad agnoscendum censum. Tandem obseruari cupio, hanc Valentis *legem*, vt alias eiusdem plures, totam de vero *Hellenismo* sapere.

Contra Immvnitates *a censu.*

VIII. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianvs & Theod. AAA. ad Populum. (b)

Nemo aliquid inmune possideat, sit irritum, si quid Domui Nostræ tale concessimus: Exæquationes Censuum, quas consensus Prouinciarum, quas nostra Responsa, quas Censorum (c) & Peræquatorum (d) officia, quas auctoritates denique Ordinariorum & Amplissimorum Iudicum, necessaria emendatione vel constitutione probauerant, (e) inconcussa æternitate permaneant. Immunitates (*) vero specialiter datæ, iugatio (f) vel capitatio, libris publicis, & ciuitatum ac (g) Prouinciarum encautariis, (h) sine aliqua probatione, (i) factæ, penes fruentes erepta, (k) in functionem pristinam redeat. His (**) nostræ Serenitatis Edictis ciuitatum Tabuariis erit flamma supplicium, si cuiusquam fraude, ambitu, potestate iniusta (l) cuiuspiam profiteretur (m) inmunitas: ac non, secundum præcedentem (n) definitionem, omnes omnino, abolita specialium inmunitatium gratia, necessitas tributariæ functionis, firmata Censitorum, Peræquatorum, (o) Prouincialium Iudicum, peræquatione, constrixerit. (p) Dat. III. Non. Mart. Med. Merobaude II. & Saturnino Coss. [383.]

NOTÆ.

(a) Abest prima pars *huius legis* a *Cod. Iust.* Relatæ enim in Codicem Iust. duæ posteriores tantum sententiæ, & adhuc diuisæ, scilicet *in leg. 9. Cod Iust. de agricol.* & in *l. 1. Cod. eod. de Immun. nem. conced.* Concordat et eiusdem Valentiniani Iun. *lex* hoc ipso Anno data, extremo mense Ianuario, puta *lex vnic. supr. si per obrept.* & *lex 20. supr. de annona & tribu.* seu *lex 7. supr. de diu. rescriptis.* GOTHOF.

(b) *Edictum* hoc est ad populum: quod etiam expresse dicitur, *vers. his nostræ.* ID

(c) *Censitorum*, vt *infr. fine leg.* & *tit. prox.* & *l. 2. 3. supr. de præd. Senator.* ID.

(d) De his *titulo prox.* ID.

(e) *Probauerunt.* ID.

(*) *Lex 9. Cod. Iust. de Agricolis*, hinc desumpta est ID.

(f) *Et iugatio & capitatio*, Cod. Iust. γρ. *iugationis vel capitationis.* ID.

(g) *Aut*: Cod. Iustin. ID.

(h) *Encautaria*: de his dixi ad *l. 4. supr. de extraordin.* & *l. 1. supr. de Veteranis.* ID.

(i) Vt *supra* expressum. ID.

(k) *Irrita*: & mox *redeant*, vt Cod Iust. Quicquid sit, in vitio cubat hæc tota sententia. ID.

(**) *Lex 1. Cod. Iust. de Immunitate nemini conced.* hinc desumpta est. ID.

(l) *Iniustam cuiuspiam profiteatur immunitatem*, ita *Cod. Iust.* rationem istius mutationis sequens nota edocebit. IDEM.

(m) Passiue hæc vox insolenter effertur, quæ causa fuit immutandorum horum verborum *Cod. Iust.* Porro *profiteretur immunitas*, id est, publice admitteretur, atque in libros publicos & censuales referretur. ID.

(n) Hæc quoque habentur *Cod. Iust. d. l. 1.* quæ Triboniani incogitantia est, omisisse quippe ea debuit, vtpote reiecta, vel resecta prima *huius leg.* parte, quo hæc verba referuntur. ID.

(o) *Peræquatorumque*, Cod. Iustin. ID.

(p) *Constrinxerint*, Cod. Iust male: *constrinxerit, necessitas scilicet tributariæ functionis.* ID.

COMMENTARIVS.

P. 123. Immvnitates omnes a censu (de quibus, & aduersus quas vide peculiares Titulos *supr. de immunitate concess.* & *tit. si per obrept. fuer. impetr.*) irritas esse iubet *hac leg.* Valentinianus Iun. pariter vt hoc ipso Anno ante mensem, quodque excurrit, *l. vnic. d. tit. si per obrept.* imo & *l. 20. supr. de annona & tribut.* seu *l. 7. supr. de diuers. rescript.* In tantum (quæ *Ampliatio* hic notanda est) vt Domui suæ, seu rebus priuatis Principis concessam immunitatem in irritum deducat: quod & ipsum facit *d. l. vnic.* ratione *ibi* elegantissima addita. Proposita pœna (quæ sanctio obseruanda) & quidem sæuissima, ignis, *Tabulariis* Ciuitatum, si cuiusquam immunitatem admiserint: Nempe Tabularii Ciuitatum, vt censuales tabulas seu Chartas tractabant & exacto-

P.131 DE CENSITORIBVS PERÆQVATORIBVS ET INSPECTORIBVS.

TITVLVS XI.

Ex hoc *Titulo* & *ſuperiore* conflatus *Cod. Iuſt. Tit. LVIII. Lib. XI. de Cenſibus* & *Cenſitoribus*, & *Peræquatoribus* & *Inſpectoribus*.

PARATITLON.

I. Censitores: de his *hoc tit.* nihil occurrit præter *Rubricam*: Eorundem mentio & *l. vlt. ſupr. de cenſu*: & *l.* 2. 3. *ſupr. de prædiis Senator.* qui & Cenſorea (ſi recta lectio eſt) *d. l. vltim.* Sed & aliquot Baſilii *Epiſtolæ* Κηνσίτορι inſcriptæ, ex quibus facile colligitur quid muneris fuerit. Eam vocem retinet quoque, Κηνσιτόρων ſcilicet, Iuſtinianus *Nouella* 17. *cap.* 8. Erant qui terras & poſſeſſiones cenſebant, æſtimabant, taxabant: quo ſenſu Heſychius τὴν γῆν μετρέντας interpretatur: & Iſidorus *in Gloſſ.* Cenſores, *Agrimenſores*: agros ſcilicet meriebantur, ad modum Capitationis ineundum. Hinc & Κηνσιτωρία Iſidoro Peluſiotæ 1. *epiſt.* 275. quam *ibi* Interpres male *Quæſtoriam* interpretatur.

II. Peræqvatores: *Rubr. hoc tit.* & *l.* 2. 4. 7. 10. 15. *l. vltim. ſupr. de cenſu*: *l.* 2. 3. *ſupr. de prædiis Senator. l. vltim. ſupr. de locat. fund. iur. emphyt.* (a quibus ipſum munus, ſeu actus, *l.* 5. & 10. *h. t.* Peræquatio dicitur, *l.* 4. 5. 6. 13. *hoc tit.* & *l.* 13. *ſupr. de Senatorib. l.* 1. *ſupr. de Primicer. & Notariis*, & Peræquationis ſors, *d. l.* 13. *de Senatorib.*) Exæquatores, *l.* 5. (vnde Exæquatio *l. vltim. ſupr. de cenſu*:) Inquiſitores, *d. l. vltim. ſupr. de locat. fund. iur. emphyt.* ſæpe neceſſitate cogente, *l.* 6. *h. t.* vel etiam a Curiis poſtulati, *l.* 2. 3. *ſupr. de prædiis Senator.* mittebantur, *l.* 2. *h. t.* dirigebantur, *l.* 5. 9. *h. t.* electi ad id a Præfectis Prætorio, *l.* 6. *hoc. tit.* Cuiuſmodi aliqui nominantur, veluti ſtrator, *l.* 5. *hoc. tit.* Agapius *l.* 13. *h. t.* viri cogniti ac probati, *l.* 6. *h. t.* Ita quidem vt munus hoc electi ex neceſſitate ſubire tenerentur, *d. l.* 6. *h. t.* Nempe, vt, cenſuum modum adponerent, *l.* 2. *hoc tit.* vt loca quæ præſtationem ſuam implere non poſſent, adæquarent, vt quid præſtare poſſent, mera fide & integritate ſcriberent, & id quod impoſſibile eſt, e vaſariis publicis auferrent, *l.* 12. *hoc tit.* vt cenſum retractarent, vnde Retractatio, de qua *l.* 2. *hoc tit.* & quidem generali retractatione; vnde generalis Peræquator, Inſpectori ſpeciali opponitur, *l. vltim. ſupr. de locat. fund. iur emphyt.* vt dominis priſtinis poſſeſſiones reſtituerent, *l.* 5. & 12. 15. *hoc tit.* vel his deficientibus nouis dominis vicinis & peregrinis idoneis, *d. l.* 12. & 15. *h. t.* Hinc adeo Peræquatores iunguntur Cenſitoribus, *l.* 2. & 3. *ſupr. de prædiis Senatorum*, *l. vltim. ſupr. de cenſu*: Itemque Diſcuſſoribus, *l.* 7. 10. *hoc tit. l.* 5. *ſupr. de his quæ adminiſtr.* Et tamen ſæpe idem & Peræquator & Inſpector fuit, vt Sebaſtius *l.* 14. 15. 16. *hoc tit.* Querelæ autem de his ſæpe exortæ, vt docet *l.* 4. 7. 10. *h. t.* nempe quod alios grauarent iniuncto oneri impares, *d. l.* 4. *h. t.* quod quædam remitterent gratia, fraude quædam interciperent, quod per deformia & crimino ſa commercia aliis demerent, aliis imponerent, *d. l.* 4. *h. t.* quod culpam negligentiæ incurrerent, vel gratiæ; *l.* 7. *hoc tit.* in damnum Prouincialium quædam acciperent, *d. l.* 7. *h. t.* quod negligentes iniuncta curaſſent, quod rapacitate a Prouincialibus aliquid abſtuliſſent, *l.* 10. *hoc tit.* Quare eorum actus diligenti examinatione perpenſi a PP. *d. l.* 10. *h. t.* pœnæque his impoſitæ, de quibus *d. l.* 7. & 10. *h. t.*

III. Inspectores: *Rubr.* & *l.* 3. 9. 12. *hoc tit.* & *l. vnic. in fin. ſupr de Saturianis*, & *l.* 31. 33. *ſupr. de annona & tributis*: *l.* 2. *ſupr. de indulg. debitorum*: *l. vltim. ſupr. de locat.*

cat. fund. iuris emphyt. (vnde munus ſeu actus ipſe, Inſpectio, *l. 11. 14. hoc tit.*) ſæpe in Prouincias mittebantur, ſi quando e Republ. ab Adminiſtratoribus videretur, *d. l. 11. h. t.* vel diuerſis petitionibus, *l. vltim. h. t.* priuatis etiam id petentibus, *l. 3. in pr. h. t.* vel Ciuitatibus & Curiis miſſis in id Legationibus ad Principem, *l. 3.* & *8. hoc tit.* vel etiam integra Prouincia, vt docet *lex 2. 12. ſupr. de indulg. debit.* veluti ſi qui fundos velut afanticorum mole depreſſos cuperet aliquatenus releuari, *l. 3. hoc. tit.* ſi defectorum leuamen expoſceretur, *d. l 3. h. t.* ſi ſuccisi ſe nonnulli conquererentur, infœcundis fundis tantum, ſibi reliquis vel relictis, *l. 8. h. t.* ſi deſertum prædium ſuum inſpici poſſeſſionum domini vellent, de deſertis poſſeſſionibus conquerentes, *l. 14. hoc tit.* ne proinde remedia poſtularent, & reciſionis beneficium, *l. vltim. hoc tit.* In eum igitur finem *Inſpectores* mittebantur: P. 125. Qui partim conquerentium ſiue omne priuatorum patrimonium, ſiue ciuitatum omne territorium cenſebant, *d. l. 3.* & *l. 14. h. t.* vt ita ſqualidiora & ieiuna, culta atque opima compenſentur, *d. l. 3.* & *l. 14. h. t.* Partim cogebant eos qui per impotentiam fundos opimos ac fertiles occuparant, cum quæſtuoſis vberibuſque pro rata portione, infœcundos ſuſcipere: *l. 8. hoc tit.* Partim vicinis & peregrinis idoneis defectas poſſeſſiones adſcribebant *l. 12. hoc tit.* Mittebantur & Inſpectores aliquando, vt terras Læticas inter Gentiles iuſta ratione diſtribuerent, & reuocarent, ſi maiorem aliqui quam ratio poſceret, occupaſſent: *l. 9. hoc tit.* Mittebantur & Inſpectores ad loca ab hoſtibus vel latronibus occupata & infructuoſa reddita, veteribus Dominis reſtituenda ſi vellent: ſi vero recuſarent, ad ea ad idoneos poſſeſſores transferenda, ſalua tributorum præſtatione, *l. vnic. ſupr. de Saturianis.* Paucis igitur *Cenſitor* erat, qui primus cenſus modum definiebat: poſt quem, & ad eum emendandum, Peræquatores & Inſpectores mittebantur. *Peræquator* erat, qui Quantitatem ſeu modum cenſus æquaret, vt æquabilitas inter Tributarios ſeruaretur. *Inſpector* vero ferme, qui Agrorum Qualitatem inſpiceret, ſterileſque vel releuaret, vel opimos poſſidentibus adiiceret.

De CENSITORIBVS. Baſilius ad Cenſitores ſex Epiſtolas ſcripſit: puta *epiſt. 304. 305. 352. 353. 426.* & *427.* ſiu. *Ep. 284 85. 299. 313. 312.* & *83. Edit. Benedictin. Epiſtola* 304. rogat Cenſitorem vt iuxta *leges* Monachos ab omni cenſu & corporali miniſterio immunes præſtet. *Epiſtola* 305. hortatur Cenſitores & ſub his poſitos, ne iuramentum exigant a colonis ſuper modo facultatum, περὶ τοῦ μὴ ὁρκίζειν, vt Inſcriptio eius præfert. *Epiſtola 352.* Cenſitorem inſtituit, ad cenſum æquabiliter gerendu m. *Epiſtola* 353. inter alia, domum in Galatia ſitam a Cenſitore ſubleuari petit. *Epiſtola 426.* commendat aliquem ne iniquo cenſu prægrauetur: vt & *Epiſtola* 427. vt poſſeſſionis, circa Chamanenem, rationem ita habeat, ne propter cenſus grauitatem deſtituatur. De Cenſitoribus agit quoque Caſſiodorus *IX. Var. 11.*

PERÆQVATORES, ἐξισωταὶ Græcis. Baſilius *epiſt. 263.* ſiu. *198. Edit. Benedictin.* meminit Leontii ἐξισωτοῦ τῆς Νικαίας. Idem *epiſt.* 278. ad Modeſtum PP. (Orientis ſcilicet) eum rogat, vt Helladium πρωτεύοντα Principalem τῆς ἐπὶ τῇ ἐξισώσει φροντίδος αὐτὸν ἀναθέντα, liberatum iam ad interceſſionem ſuam, magis magiſque liberet. Extat quoque Gregorii Nazianzeni *oratio 9. in Iulianum*, ἐξισωτὴν Iulianum in Cappadociam miſſum; & ad eundem *Carmen 48.* Eiuſdem *Carmen 47. ad Hellenium Peræquatorem*, vbi inter alia *ſub fin. v. 358. 359.* eum ad æquabilitatem exhortans ſubiicit:

Εὖχος Ἀρμενίης, Ἑλλήνιε, ὅς λάχες αὐτὴ
Στῆσαι ἡμετέρῃ μέτρα δίκαια φορῶν.
O decus Armeniæ nobis cui lance tributum
Vt ſtatuas æqua, ſors bene fauſta dedit.

Ad Iulianum idem *epiſt.* 166. & 168. ſcribit: vbi τὸ κατὰ τὴν ἐξαίσωσιν σχέμμα vocat Peræquationem, Interpres minus recte *conſiderationem de componendis tributis*, cuius & hic error, cum *initio epiſt.* μονὴν *Monaſterium* vertit, cum *manſionem* debuerit, vbi tum Iulianus erat: denique *illa epiſt.* memorat, quantæ curæ meritique fuerit hoc munus, ſed & quid horum muneris fuerit, ſcilicet male adſcripta emendare, καὶ εἴ τι περὶ

πρὸ τούτου διετέθη κακῶς, καὶ τοῦτο ἐπανορθωσάμενος : ac, si quid antehac male constitutum est, id quoque correxerit.

INSPECTORES, Ἐπόπται τῆς χώρας : ipsa res ἐποψία. Ad hos pertinet Theodoreti *epistola* 42. 43. 44. 45. 46. 47.

I. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AAA. Eutropio PF. P. (b)

SI (c) quis sacrilega vitem falce succiderit, aut feracium (d) ramorum fœtus hebetauerit, (e) quo declinet fidem (f) censuum, & mentiatur callide (g) paupertatis ingenium, (h) mox detectus capitale (i) subibit exitium, & bona eius in fisci iura migrabunt: Illo videlicet vitante (k) calumniam, (l) qui (m) forte detegitur laborasse, pro copia (n) ac reparandis (o) agrorum fœtibus, non sterilitatem, aut inopiam procurasse. Dat. Prid. Non. Iun. Constantinop. Eucherio, & Syagrio Coss. [381.]

NOTÆ.

(a) *L. 2. Cod. Iust. de de Censib. & Censitorib.* vbi tamen plurimum interpolata ea extat. Non minus recte imo melius hæc *lex* sub. *tit. super. de Censu*, locata fuisset: Et vero recte locata *Cod. Iust.* sub *tit. de censu & censitorib.* GOTHOF.

(b) *Eutropius* sub Theodosio M. PP. Orientis: vid. *Prosopogr.* *ID.*

(c) In *Cod. Iust.* hæc ita immutata, *Quisquis vitem succiderit.* *ID.*

(d) Ita *feracia cultu*, Ammiano *lib. 14. p. 13.* *ID.*

(e) *Vetauerit*, Cod. Iust. Cuiacius tentabat, *amputauerit*, quomodo Græci *lib. 56. βασιλικῶν tit. 14.* ἐάν τις κρυπτόμενος ἀστέρησιν ἢ ὕβρεως ἐκκόψῃ κλάδους. verum eleganter hic dictum *hebetauerit*, pro *succiderit*, hebetes fecerit. *ID.*

(f) *Fidem* censuum, id est, verum modum, vel simpliciter pro *Censu*: quomodo etiam rursum *fides censuum* vocatur *l. vlt. supr. ne conlat. transl. postuletur.* Sic *fides hastæ*, & similia. *ID.*

(g) Ita recte: male Cod. Iust. *callidæ paupertatis.* *ID.*

(h) *Ingenium paupertatis.* Ita doloris ingenium 6. *Metamorph. v. 574.*

P.126 *—— grande doloris*
Ingenium est, miserisque venit solertia rebus.

Sic & gula *ingeniosa.* *ID.*

(i) *Competenti indignationi subiiciatur*: ita hoc immutatum *Cod. Iust.* vsque ad, *Illo*: resecatis cæteris. *ID.*

(k) *Euitante*, Cod. Iust. *ID.*

(l) Calumniam euitare, id est, accusationem: eaque re crimen, & exinde pœnam. *ID.*

(m) *Quem*, Cod. Iust. *Edit. Cuiac.* Hoc nostrum melius. *ID.*

(n) Gregorius Nazianz. *Tetrastichо 39.* ὄγκος κολαιόμενος φυτὸν εἰς εὐκαρπίαν, quod vertit interpres: *putata vt arbor redditur fecundior.* *ID.*

(o) *Pro reparandis*, Cod. Iust. Hoc nostrum melius. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. quatuor ordine constitutiones sequuntur: partim ne fraus censui seu rei tributariæ fiat; quo pertinent tres priores *leges*: partim ne censu lædantur Tributarii, de quo est *lex* 4. Hac prima FRAVDI seu CALLIDITATI cuidam *ἀπάτης ὅπλῳ καὶ ἀναβολῆς ἀφορμῇ fraudis instrumento & dilationis ansa* (vt loquitur de alia specie calliditatis Basilius *epist. 305.* siu. *Ep. 85. Edit. Benedictin.* de qua ad *leg. prox.*) in fraudem census, occurrit Theodosius M. Imp. quæ elegantissimo stylo conscripta cothurno ferme Gallicano assurgit: verum a Triboniano in *Codicem suum* relata omni decore ceu veste spoliata, & vt huius ipsius *legis* verbis vtar, *sacrilega falce succisa & hebetata* legitur.

Fraus porro seu Calliditas isthæc est: quod nonnulli, quo declinarent fidem censuum, & mentirentur callide paupertatis ingenium, id est, vt pauperiores sese fingentes euitarent censum, & vt loquuntur, minus soluerent in Collectis, vites & arbores in possessionibus suis excidebant; quia ex forma censuali sic agri in censum referebantur, vt diceretur, quot vinea vites, quot arbores ager haberet: vt diserte docet Vlpianus *lib. 3. de censibus: l. 4. in pr. D. de. censibus.* Imo idem hanc ipsam fraudem qua de *hac leg.* agitur, memorat §. *1. in fin.* cuius verba mox subiiciam. Ergo fraudem hanc seu calliditatem atrocissima pœna, puta capitali & bonorum proscriptionis persequitur *hac l.* Theodosius M. quam tamen seueritatem displicuisse Iustiniano ostendit *huius legis* interpolatio a Triboniano facta, vbi *competens pœna*, & sic arbitrio Iudicis, id puniri iubet. Aliam autem rationem esse addit Theodosius M. quæ differentia notanda est, eius qui probabili de causa, vites vel arbores succidit luxuriemque earum compescuit, non vt procuraret sterilitatem aut inopiam, verum vt ne nimia fertilitate hebetentur & euanidæ fiant. Quibus

 omnino

omnino conuenit Vlpiani sententia, quam dixi, *d. l. 4. §. 1. in fin. Quod si*, inquit, *exciderit arbores, vel vites, nihilominus eum numerum profiteri iubetur, qui fuit census tempore: nisi CAVSAM excidendi Censitori probabit*: Scilicet pro copia ac reparandis agrorum fœtibus sæpe vites & arbores succidi, *hac leg.* ostendit Theodosius M. εἰς εὐκαρπίαν. Quod Plinius *lib. 18. cap. 22.* de Tacapensi in Africa solo scribit. *Nisi*, inquit, *multiplici partu exinaniatur vbertas, pereunt luxuria singuli fructus: nunc vero toto anno metitur aliquid, constatque fertilitati non occurrere homines.* Vide & Philonem περὶ Φιλανθρωπίας *p. 713. Edit. Francf. apud Ierem. Schrey.* Interim & hæc *lex* utiliter in vsum seu praxim deduci potest: vbi videlicet ad functiones & præstationes debitas euitandas, quid callide fit, & paupertas simulatur.

II. (a) Idem AAA. Cynegio PF. P. (b)

SI, Peræquatore (c) misso, aliquis, aut Procuratorem (d) suum retraxerit, aut Colonum ad (e) contumaciam retractationis (f) armauerit, (g) ad eum censuum modum quem vel eo, vel Procuratore illius, absente, Peræquator adposuerit, ad (h) nostræ sanctionis auctoritatem, tenebitur. Dat. VI. Kalend. April. Constantinop. Honor. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTÆ.

(a) *Lex 3. Cod. Iust. de censu & censitoribus.* Iungenda videtur huic leg. *lex 10. Cod. Iust. de Agricolis*: quæ & ipsa est de modo Census. *GOTHOF.*

(b) *Cynegius* sub Theodosio M. PP. Orientis. De quo etiam Libanius non *vno loco*: Inter alia *orat.* κατὰ τῶν ἀσεβῶν, *p. 97. & 100. Edit Gothofred.* & *pag. 434. Operum minor. Gothofred. Edit. Cl. Trotz.* Zosimus *lib. 4. cap. 37. 45.* Idacius *Chron. A. Theod. 10.* id est, *Ann. D. 388.* Fuit PP. ab Anno 384. ad A. 388. vt docent constitutiones *huius Codicis*: vid plura, *in Prosopogr. ID.*

(c) De *Peræquatore*, semel dictum in *Paratitlo*, & *ad Rubr. ID.*

(d) Fundi scilicet. *ID.*

(e) *Per contumaciam retractationis*, ita *Cod. Iust.* male; de coloni quippe contumacia hic agitur, ad quam Dominus eum armauit. Verum de hoc mox. *ID.*

(f) *Retractionis*, Cod. Iust. male. *Retractatio* est ἐπανόρθωσις, quod Peræquatoris munus fuit: vid. Gregor. Nazianz. *ep. 168.* Quid si legamus *Refractationis. ID.*

(g) *Fugauerit*, Cod. Iust. quod hic ineptum: de quo mox. *ID.*

(h) *Nostra Sanctionis auctoritate*, Cod. Iust. Verum nostrum istud sustineri debet: nisi malis reponere, *hac nostra sanctionis auctoritate. ID.*

COMMENTARIVS.

VT altera hæc *hoc tit.* Theodosii M. constitutio est: ita & alteri fraudi, qua census inhibebatur ea occurrit, de CONTVMACIA scilicet dominorum seu possessorum, retractationem, ἐπανόρθωσιν census a peræquatore faciendam, impedientium. Scilicet, cum Peræquator in Prouinciam missus aliquam esset, ad retractandum censum (Peræquator enim nihil aliud est quam *Retractator census*, quod etiam Gregor. Nazianz. *epist.* 168. indicat, vbi ἐπανορθωτὴν pariter vocat,) po-
Ep. 127. tentiores, quorum sarcina seu census augendus veniebat, ne Peræquator modum patrimonii noscere posset, quod vtique vel ex Procuratoribus fundorum, vel ex Colonis discere poterat, vt qui modum patrimonii dominici nossent, vel Procuratores suos retrahebant, & a fundis ad se vel alio euocabant, vel Colonos armabant ad contumaciam retractationis, id est, id agebant vt sese contumaces præberent Peræquatori, & retractationi, & quibuscunque tandem artibus id agerent, ne Peræquator modum patrimonii noscere posset, imo sese ei opponerent, vbi etiam quis, loco *retractationis*, legat *refractationis*. Igitur Theodosius M. *hac leg.* contumaciam hanc dominorum ita plectit: vt velit censitionem a Peræquatore μονομερῶς fieri *absente* licet domino, vel procuratore eius, eamque peræquationem omnino valere, & sic dominum fundi ad eum modum census teneri, quem Peræquator apposuerit.

Hæc est huius constitutionis sententia, quam Tribonianus non *vno loco* deformauit: ac maxime ea parte qua de colono agitur: sic enim interpolauit, *aut colonum per contumaciam retractionis fugauerit*: quasi id indicetur, colonum a domino contumace a fundo retractum & fugatum: nam imo hoc vult Theodosius, colonos non quidem retractos aut fugatos a fundo, verum a domino armatos, incitatos, vt Peræquatori venienti censumque retractanti & patrimonii modum excutienti sese contumaces præberent: & sic contumacia retractationis est contumacia ad impediendam retractationem census. Notandus igitur hic casus quo census μονομερῶς factus valet: cum alias vt census recte celebretur, modum discuti oporteat præsente domino vel procuratore eius.

Illud omittere non possum, quod *huic legi* vicinum est, Censitores, vt modum patrimonii nosse possent, eo nomine a *Colonis* iusiurandum exigere hac tempestate solitos: aduersus quem morem, quia periuriis & calliditatibus viam aperiret, est expressa in id epistola dehortatoria Basilii, ad Censitorem quendam περὶ τοῦ μὴ δεῖν ὀμνύειν, *ep. 305.* seu. *Ep. 85. Edit. Benedictin.*

III. (a)

III. (a) Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Rufino PP. F. (b)

QVi fundum aliquem, velut afanticorum (c) mole depressum, cupit aliquatenus releuari, omne nihilominus patrimonium suum admisso patiatur Inspecto (d) recenseri. Quod quidem etiam ad singularum Ciuitatium Legationes (e) conuenit custodiri, vt scilicet Omne (*) territorium censeatur, quotiens defectorum leuamen exposcitur, vt squalidiora (f) adque ieiuna, inculta (g) adque opima conpensent. Nemini (h) autem, citra nostram conscientiam, in quantolibet modo tributariam suspendere (i) liceat functionem: *Quod* enim *ad tempus differri iubebit, aut perpetuo amittitur, aut sub acerbiore reliquorum* (k) *mole repetendum est.* Dat. III. Non. April. Constantinop. Theod A. III. & Abundantio Coss. [393].

N O T Æ.

(a) Vnica tantum *huius leg.* sententia relata in *l. 4. Cod. Iust. eod. tit.* nempe illa, *omne territorium*, &c. cæteris resecatis. Concordat huic *lex 14. infr.* GOTHOF.

(b) *Rufinus* PP. Orientis: de eo vid. *Prosopogr.* Eidem inscribitur lex *prox. 4.* ID.

(c) Ἀφαντικῶν, *Afantica*, mox dicuntur defecta, squalida, ieiuna. Verum de hoc mox. ID.

(d) γρ. *Inspectore censeri.* De hoc Inspectore est quoque *lex 9. 12. infr. hoc tit. l. 31. 33. supr. de annona & trib.* vnde munus ipsum *Inspectio l. 11. 14. hoc tit.* ID.

(e) De Hierapolitanæ ciuitatis Legatis *v. l. 8. infr.* De Legationibus ciuitatum supra suo titulo. ID.

(*) Lex 4. *Cod. Iust. eod. tit.* hinc desumpta est. ID.

(f) *Sterilia* Cod. Iust. ID.

(g) γρ. *culta*, quomodo etiam Codex Iust. recte habet: vbi etiam clarius, *vt sterilia atque arema, his quæ culta vel opima sunt, compensentur.* ID.

(h) Hæc huius legis sententia, ab hoc titulo *fugitiua* est. ID.

(i) Id est, *differre ad tempus*, vt infra. ID.

(k) *Reliqua* sunt *les restes & arrerages.* De quo *tit. de indulg. debit. supr.* ID.

COMMENTARIVS.

TRibvtariæ rei, ne ei fraus fiat per *Releuationes* aut dilationes ad Qvarelam priuatorum, vel Ciuitatum, duobus capitibus hac tertia huius tituli lege occurrit Theodosius M. Primum igitur caput est de Relevando censu eiusque forma, denique de Alleviations censuum, vt loquuntur. Quod quidem Theodosianæ huius constitutionis vt primum, ita potissimum caput est: Quid inquam *Inspector*, (de quo est insuper *lex 9. 11. 12. 14. infr. h. t. & l. 31. 33. supr. de annona: l. 2. supr. de indulg. deb. l. vltim supr. de locat. fund. iuris emphyteut.*) faciendum habeat: quid contra releuari cupiens pati debeat: cui omnino concordat *lex 14. infr. hoc tit.* siue priuatus sit is, qui releuari atque imminui censum sibi adscriptum velut nimis grauem postulat, siue tota ciuitas id postulet: De vtroque enim diserte hic agitur quod a Triboniano interpolatum ancipites reddidit Interpretes, num in priuato an vero in ciuitate casus hic ponendus esset. Eo quod defectos, squalidos, ieiunos fundos sibi esse dicant; vt hæc lex loquitur: vel vt *d. lex* 14. desertos, destitutos: Imo, vt hæc lex initio legis vocat, *Afanticorum mole depressos.* Qua *Afanticorum* voce liquet iam vel ex *hac leg.* designari fundos squalidos, ieiunos, defectos; sed vox ipsa negotium facessit: Itaque Mainardus in excerptis tentabat *Ansariarum* vel *Ansartorum*, quod vectigalis genus fuit *l. 1. Cod. Hermogen. tit. 3. de iure fisci.* Verum quid cum hoc vectigali nunc, quod etiam non fundorum tributum, verum mercium vectigal fuit? Tentabat alius *emphyteuticorum.* Tentabat
P.288 quis aliquando *Aphoricorum*, quasi ἀφορικοὶ fundi sint, steriles qui fructus nullos edunt, nullius reditus aut prouentus, vel etiam qui φορῷ seu tributo & censui impares sunt. Verum vox *Afanticorum* omnino retinenda est, vt ἀφαντικοὶ fundi sint *euanidi*, id est steriles, inanes, caduci, fœnei, vt quoque vocantur *l. 3. de indulgent. debitor.* defecti mox *infr.* Nempe a voce ἀφάντυ, quod *euanidum* significat: quæ etiam *euanidi* vox propria hac in re rustica, & vbi de fructibus agitur. Columella *lib. de Arbor. c. 17. Nam quæ in proceritatem extenduntur, euanida sunt, parum fructus ferunt:* vel ab ἀφάνταις, quæ sunt apinæ, afanium res nihili: (de quibus Salmasius, *in Trebell. Pollion. Gallien. c. 8.* Theodoretus *epist. 42.* vocat ψιλὰ παντελῶς, vel ἀκάρποις φυτοῖς σκιαζόμενα: vocat & τῆς χώρας ἄπορον: & ἀπέρας ζυγὸς: item ἄπορον ἰυγατίανα. Ergo si quis priuatus, vel si qua Ciuitas, releuationem petat defectorum & euanidorum fundorum nomine, totius patrimonii ad priuatum illum pertinentis, & totius territorii χώρας ad ciuitatem spectantis census agitari debet, & fertiles cum sterilibus *compensari*: Iis enim demum absoluta leuamenta præstanda sunt, qui nonnisi deserta & sterilia euanidaque prædia habent. Quod diserte rursum cauetur *d. l. 14. infr. hoc tit.* Atque id est, quod tot aliis *legibus* cautum, vt qui opulentas simul & desertas centurias possidet, ad integrum possessionis modum seu censum teneatur: puta a Valentiniano Sen. *l. 10. 17. supr. de annona & tributis.* Theodosio M. *hac leg.* Honorio, *l. 14. infr. hoc tit. & l. 31. supr. de annona & trib. l. 12. supr. de indulg. debitorum*: Quod tamen aliquando improbauit Honorius *l. 12. infr.* Hinc interim apparet, non priuatos tantum, verum etiam integras ciuitates de desertis agris subinde conquestas: quod etiam docet *l. 8. infr.* Imo & integræ sæpe Prouinciæ, quod de Campania docet *lex 2. & 12. in fin supr. de indulg.* debito-

debitorum: eaque de causa Iospectores missi iospiciendæ χώρᾳ, quod ex Theodoreti epistolis etiam discimus.

2. Secunda *huius leg.* parte vetat Theodosius SVSPENDI seu DIFFERRI ad tempus solutionem census: id est, ex singulari aliquo priuilegio moram aliquam & dilationem concedi tributario ad tributum soluendum: De quo ipso est quoque *lex* 5. *infr.* Ratione subdita vt elegantissima ita & verissima; *nempe quod Dilatum ad tempus, aut perpetuo amittatur, aut sub acerbiore reliquorum mole repetatur.* Hoc sensu, Dilationes huiusmodi vel in præiudicium fisci cedere, quandoquidem, quod ita differtur, ferme in perpetuum aufertur: vel in ipsiusmet tributarii cui dilatio tribuitur, quandoquidem reliquis ita cumulatis, acerbior exactio redditur: cuius contra interest cumulum debiti non nutriri, suaque potius die debitum exigi. Tandem, non inani coniectura ducor *huic leg.* coniungendam alteram Theodosii *l. vnic. Cod. Iust. de colonis Thracensibus:* quæ & ipsa ad Rufinum PP. data est sine die & Consule: nam & *ea leg.* agitur de *releuatis possessionibus* a capitatione humana: de qua dixi ad *l. 6. de collat. don.*

IV. (a) Idem AAA. Rufino PF.P. (b)

QVI grauatos se (c) a Peræquatoribus conquesti (d) sunt, & iniusto oneri impares esse (e) proclamant, (f) competitionis (g) habeant facultatem, vt quid remissum gratia, quid (h) interceptum fuerit fraude, conuincant: & ex eo leuamen accipiant, quod per desormia & criminosa commercia sibi impositum esse deplorant, vt aliis demeretur. Sed (i) in eo tempus placuit definiri, *Ne plures frustra litibus premerentur, si nullis intercepta rectis actio tolleretur.* Quare cum fuerint traditi codices, (k) & completa peræquatio, intra annum, cui (l) videbitur, de iniusto onere conquetatur, iniquitatem Peræquatoris accuset, ac præstitam gratiam habita competitione (m) conuincat: vt quod ei fuerat superfusum, (n) ille cognoscat, (o) quem debitæ functioni fraus clandestina subtraxerat. Emenso autem eo tempore, actio denegabitur: Sequestratis (p) Minoribus qui fuerint indefensi, his etiam qui aberunt (q) causa Reipublicæ: Qui tamen ex eo tempore quæ sunt statuta (r) custodient, ex quo ad agendum habere potuerint (s) facultatem. Dat. III. Kalend. Decembr. Constantinop. DN. Theod. A. III. & Abundantio V. C. Coss. [393.]

N O T Æ.

(a) *Lex 5. Cod. Iust. eod. tit.* Concordat. *lex 5. supr. de censu.* GOTHOF.

(b) *Rufinus* PP. Orientis sub Theodosio M. vid. *Prosopogr.* Eidem inscribitur *lex 3. supr.* ID.

(c) *Se esse*, Cod. Iust. Quo nil opus erat. ID.

(d) *Conqueruntur*, Cod. Iust. vt ita perpetui iuris *hac lex* fit. ID.

(e) Forte *sese.* ID.

(f) *Proclamant*, deplorant, conqueruntur, vt infr. ID.

(g) *Competitio*, *hac leg.* duobus locis; *l. 15. infr. hoc tit.* & *l. 4. supr. de censu*: est querela, deploratio, de iniquo censu. ID.

(h) *Quidue*, Cod. Iust. ID.

(i) Hæc sententia recisa a *Cod. Iust.* his eorum loco subditis: *quod intra annum post codicum oblationem quo videbitur, de iniusto onere, conqueratur* &c. ID.

(k) *Codices* sunt Censuales libri. ID.

(l) Grauatum scilicet se existimante: in Cod. Iust. *quo videbitur.* Male quod ipsum tamen de Tribunali Iudicis cuiuscunque Cuiacius perperam accepit. ID.

(m) Male qui substituunt *compensatione*, quamuis ita habeat Cod. Iust. ID.

(n) *Superfusum*: id est, supra quam æquum erat, impositum. ID.

(o) *Cognoscat*, pro agnoscat: vid. *Gloss. Theod.* ID.

(p) *Exceptis* vocem, loco *sequestratis* substituit Tribonianus, in *Cod. Iust.* Sequestrare est peculiariter semouere. ID.

(q) *Absfuerint* Cod. I. ID.

(r) Et sic annum. ID.

(s) *Habuerint* Cod. Iustin. ID.

C O M M E N T A R I V S.

P. 129. DE QVERELIS, seu ACTIONE, imo Accusatione & *Competitione*, vt *hac leg.* bis vocatur (dicamus vt hodie loquuntur APPELLATIONE) aduersus iniquitatem PERÆQVATORVM, & sic aduersus iniquum censum siue adscriptionem, iniustum onus ab his impositum, est hæc constitutio Theodosii M. Scilicet his querelis *hac leg.* vt Prouincialibus grauatis libertatem relaxat, ita & certas temporis metas huic querelæ ponit. pariter vt Valentinianus Sen. *l. 5. supr. de censu*: Nempe vt Censitores Inspectores (de quo sunt epistolæ *Theodoreti*;) ita & Peræquatores sæpe quid per gratiam remittebant, vel

vel per fraudem intercipiebant, alios iniusto onere grauabant, eisque aliquid *super fundebant*, fraude clandestina, per gratiam, perque deformis & criminosa commercia, vt loquitur *hac lex*: de quo sunt præter *hanc leg.* & *d. leg. 5.* duæ insuper *leges hoc tit.* puta *lex 7.* & *10. infr.* Itaque subinde de his, vt & Inspectoribus Querelæ Prouincialium exortæ, accusationibusque eorum voces relaxatæ: Actus eorum aboliti, vt *l. 5. infr.* Pœnaque in hos sancita, *l. 7. 10. infr.* Etsi non iustæ semper de his querelæ, vt patet exemplo Philippi Inspectoris apud Theodoretum *in Epistol 1.* Quibos contra opponenda sunt monita Gregorii Nazianzeni *orat. 9. ad Iulianum* ἐξισωτὴν: & Basilii *epist. ad Censitorem quemdam 352.* siu. *Ep. 299. Edit Benedictin.* de officio Censitoris: *μηδὲ ὥσπερ ἀνδραπόδων ἀγορὰν εἶναι τὴν ἀποτίμησιν, ἀλλ᾽ ὡς ἐστι δίκαιον, ἕκαστον ἀπογράφεσθαι: καὶ μήτε δυναστείαν ὑπεκπλήξῃς, μήτε πενίας καταφρονήσῃς, ἀλλὰ τὰ τῶν λογισμῶν ἀρρεπὲς τρυτάνης πάσης ἀρρεπέστερον παράσχῃ τοῖς διοικουμένοις: neque mancipiorum fora descriptionem similem esse, sed vnumquemque, vt æquum est describi: neque potentiam formides, neque paupertatem contemnas, sed animi æquitatem trutinis, quos reges, trutina omni æquiorem exhibe.* Ergo querelis Prouincialium & accusationi, vt *hac leg.* vocatur, κατηγορία, vt Theodoretus, locum dat Theodosius M. sic tamen vt certas temporis metas, certam temporis præscriptionem hisce querelis ponat, prolixiores etiam, quam Valentinianus sua constitutione, *d. l. 5. supr de censu.* Nempe præsentibus & maioribus ætate, annum tribuit a die completi census seu peræquationis; Minoribus vero & Absentibus Reip. causa, itidem annum: verum ex eo tempore, ex quo agendi facultatem habere potuerint, seu habuerint, id est, ex quo minor ætate maior esse cœperit, absens reuersus fuerit. Quæ duæ Exceptiones hic notandæ sunt, pariter vt ratio præscriptionis huius annalis, quæ alioquin omnium præscriptionum est: *Ne frustra plures litibus premantur, si nullis intercepta metis actio tolleretur:* Quam elegantem rationem Tribonianus sustulit *leg. 5. Cod. Iust. eod. tit.* quæ hinc alioquin desumpta est. Cæterum ad practicam *huius leg.* adde & *l. 5. supr. de censu*: vide Claperium, *causarum fiscalium causa 42. quæst. 2.*

V. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Herodi...... (b).

ACTVS Stratoris, qui possessores iuris Emphyteutici sub Peræquationis colore, turbauit, iubemus aboleri, alio ad id negotium dirigendo; Quem obseruari (c) conueniet, vt pristinis dominis, si quidem idonei (d) comprobantur, cuncta restituat: Nobis (e) vero ad rethibenda (f) omnia quæ per eum vel suspensa, vel minuta, vel dilata sunt, strenuus excator (g) incumbat. Si quid etiam latioribus (h) ac fecundioribus fundis addi in præstatione potest, tenax (i) Inquisitor incumbat. In omnibus vero, subsignationem facultatium, quæ in huiusmodi Locationibus (k) prima est quærenda, suscipiat. Dat. XVI. Kalend. Mart. Arcad. IV. & Honorio III. AA. Coss. [396.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) De hoc vide mox *Commentarium. ID.*

(c) *vel observare. ID.*

(d) Facultatibus: argum. etiam *vers. vltim. hac leg. ID.*

(e) Pro *Nouis*, dominis scilicet, quibus *pristini domini* opponuntur *supr. ID.*

(f) Restituenda, præstanda. *ID.*

(g) Hactenus reponunt nonnulli, *Exactor*: puta Iuretus, *in Symmachum lib. 2. epist. 37. p. 59. Ed. Paris.* 1604. Imo in Editione Quartan. *exactor* editum. Aliusad marginem huius leg. *Exceptor.* Excerpta Mainardi *Executor.* Primum illud malim: nisi forte magis placeat *executor*, pro *exæquator*: namde *Peræquatione* hac leg. agitur. Quod tamen mihi non placet. *ID.*

(h) *Latioribus. ID.*

(i) *Tenax* pro accurato. *ID.*

(k) Fundorum emphyteuticorum: de qua locatione fundorum iuris Emphyteutici est *supr. lib. 10. Tit. 3. peculiaris. ID.*

COMMENTARIVS.

HONORII Imp. decem constitutiones sequuntur circa censum & peræquationem. Hæc est de EMPHYTEVTICORVM priuatæ rei Principis fundorum locatione, (de qua alioquin est *Titulus* peculiaris *lib. 10. supr.*) Qua stratoris cuiusdam Peræquatoris per Africam iniquis actibus circa id abolitis, qui *possessores* iuris emphyteutici, sub peræquationis colore turbauerat, alium ad id negotium dirigi iubet ab Herode (Africæ Proconsule, de quo mox:) Forma seu formula nouo Peræquatori præscripta, eaque quadruplici. I. *Primo* iubet, pristinis dominis seu conductoribus eas possessiones restitui, dummodo facultatibus idonei sint: Scilicet semel locatæ hæ possessiones, penes eos iugiter manere debent, qui priore conductionis iure eas meruerunt, quod a Valentiniano Sen. & Theodosio M. constitutum *l. 3. supr. d. tit. de locat. fund. iuris emphyt.* si modo idonei sint facultatibus, de quo mox.

II. *Secundo* iubet, a nouis dominis seu conductoribus, quibus Strator emphyteuticas possessiones pristinis ereptas locauerat, exigi, quicquid de Canone seu pensione debita dilatum vel minutum ab eo per gratiam fuerat. III. *Tertio* iubet, vt nouus Peræquator, lætiorum & fœcundiorum fundorum si fieri possit Canonem seu præstationem augeat. IV. *Quarto* iubet, eorum quibus locandæ sunt hæ possessiones Emphyteuticæ, facultates potissimum discuti, subsignationem facultatum in omnibus primum quæri, & suscipi: vtrum videlicet idonei sint conductores, per quos rei priuatæ Principis consultum esse possit. Eo sane fine etiam fideiussores a nonnullis exactos docet *lex vnic. supr. qui conductores rei priuatæ fideiussores exigi non possunt.* Quod idem obtinuit in conductionibus possessionum, vt ex publico, ita ex Templorum iure descendentium, *l. 4. supr. de locat. fund. iuris emphyt. & Reipubl. & templorum*: vid. & *l. 3. Cod. Iust. de omni agro deserto.* Notandum vero, hanc *legem* inscribi *Herodi*, qui Herodes Proconsul Africæ fuit, vt docet Augustinus *contra Cresconium lib. 3. cap. 56.* qui eius meminit in Donatistarum negotio: & quidem initio iam anni superioris 395. post Consulatum Arcadii ter, & Honorii iterum, 6. Nonas Martias: *In memorato concilio Bagaensi dies & Consul adscriptus est, non solum quo decretum Concilii conditum est, verumetiam ipsius dilationis, Ergo a die octauo Calendarum Maiarum Post Consulatum Theodosii A. ter, consulatu Augustorum Arcadii ter & Honorii iterum* (*ter* delendum) *qui dies est Concilii Bagaensis, vsque ad octauum Kalendarum Ianuariarum, qui dies est dilationis, octo menses ferme numerantur. Inuenitur autem postulatio apud Herodem Proconsulem, vide quanto post dicta aduersus Felicianum & Prætextatum de Mustitanis & Assuritanis locis excludendos: cuius pauca subiunxi. Post consulatum Dominorum Arcadii ter & Honorii iterum* (*ter* hoc del.) *Augustorum sexto Nonas Martias, Carthagine in Secretario Prætorii Titianus dixit,* &c. Idem Augustinus ostendit Theodorum in Proconsulatu Herodi huic successisse, anno sequente 397. De quo Theodori Proconsulatu Claudianus quoque *in Theodori Consulatum:* si modo is Theodorus est. Verum huic temporum rationi obstare videtur & inscriptio *huius leg.* & Subscriptio. Nam & *Arcadio & Honorio* ea tribuitur: & consulatus Anno 396. subscribitur. Herodi quoque inscripta Synesii *epistola* 19. qua is ei commendat aliquem qui ad auri prosecutionem missus fuerat a Curia. Illud ad vltimum monendum errare Loiselium *lib. du desguerpiss. t. 1. cap. 4. num. 22.* cum ex *hac leg.* colligit emphyteuticas possessiones peræquationi obnoxias non fuisse. Quod *hac leg.* non dicitur. Verum peræquatio tantum Stratoris improbatur, imo alius ad id mitti iubetur.

VI. (a) Idem AA. Hilariano. (b)

PERÆQVATIONEM omnibus necessariam (c) esse non ignoramus: Ideoque præcipimus, vt nullus electus, contra iudicium Culminis Tui, Rescripti se priuilegio (d) alicuius auctoritate defendat: quoniam per cognitos, ac probatos viros, compendia Prouincialium Iudicum (e) volumus ordinari. (f) Dat. XIV. Kalend. April. Med. Arcad. IV. & Honor. III. AA. Coss. [396.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iustin.* GOTHOFRED.

(b) Ex ipsa *lege* satis patet in Illustri dignitate hunc Hilarianum positum fuisse: ait etiam lex, *contra iudicium Culminis tui.* Forte an hic idem *Hilarius PP.* est, cui hoc ipso Anno 396. inscribitur *lex* 22. & 23. *supr. de erog. mil. ann.* quinimo & *lex* 2. *supr. de conlat. æris.* ID.

(c) Id est, necessario subeundam. ID.

(d) *Rescripti se aut priuilegii alicuius auctoritate defendat.* ID.

(e) Irrepsitia vox, de quo mox. ID.

(f) *Ordinari*, propria voce. ID.

COMMENTARIVS.

DE ELECTIONE, seu ORDINATIONE PERÆQVATORIS est hæc Honorii *lex*, qua ab hoc Munere quenquam electum a PP. excusari Rescripto, aut priuilegio aliquo vetat. Rationibus duabus additis tum *initio* tum *fine legis.* In qua quatuor de Peræquatorum munere & electione obiter obseruanda. 1. Peræquationis munus necessario obeundum fuisse ab omnibus qui electi fuissent: quod his verbis significari existimo, *Peræquationem omnibus necessariam esse non ignoramus.* Id quod ipsum etiam colligere licet ex *epist.* Basilii 278. siu. *281. Edit. Benedictin. ad Modestum PP.* vt & de censitoris officio ex eiusdem Basilii *epist.* 352. siu. *299. Edit. Benedictin.* de Discussoris & Inspectoris ex *l. 11. infr.* 2. *Electos* Peræquatores iudicio Præfecti Prætorio: vt docent illa, *contra iudicium Culminis Tui.* Quod etiam diserte docet Theodoretus *ep.* 47. nempe quia & totius census reique Tributariæ ratio ad curam Præfecti Prætorio spectabat, quod etiam ex Zosimo liquet. *Quare* & si quis ab hoc munere electus excusari vellet, excusari eum a PP. oportuit: quomodo sane Basilius *dicta epist.* 278. siu. *281.* Helladium quendam πρωτεύοντα liberari petit ab hoc munere, ὥστε τῆς ἐπὶ τῇ ἐξισώσει φροντίδος αὐτὸν ἀπολυθέντα, *vt exæquandi cura liberatum* &c. eoque nomine literas a PP. ad Rectorem Prouinciæ (nam ita locus ille verti debuit,) dari postulat: καταπεμφθῆναι πρόσταγμα τῷ ἄρχοντι τῆς ἐπαρχίας συγχωρῆσαι αὐτῷ τὴν ἀνοχλησίαν, *mandatum ad prouinciæ rectorem mittas, vt ei hanc molestiam condonet.* 3. *Cognitos ac probatos* maxime Viros electos ad peræquationis munus; Et vero meminit quoque Basilius *dicta epist.* 278. siu. 281.

titu. 281. ad Modestum PP. Helladii istius τοῦ πρωτεύοντος constituti ἐπὶ ἐξισώσει, vt dixi, id est principalis Curiæ. Quod & ipsum de *Censitoris* munere, colligere est ex eiusdem Basilii *epist. 352. & 353. siu. Ep. 299. & 313. Edit. Benedictin.* Tandem 4. Peræquatores ideo electi, & per Prouincias destinati, vt *compendia Prouincialium ordinent*, id est, vt prægrauatos leuent, alios non satis grauatos graueut: Quare vox *Iudicum* hic prorsus irreptitia est: neque enim Peræquatores mittuntur, vt ordinent compendia Iudicum, verum, vt miserorum Prouincialium.

P. 131.

VII. (a) Idem AA. Eusebio PF. P. (b)

Peræquatores, ac Discussores, (c) quorum (d) nobis data sunt nomina, si incurrerint culpam negligentiæ, vel gratiæ, non solum honorum (e) iacturam, verum etiam annonarum (f) in quadruplum multæ (g) subire debebunt: Ea vero quæ in damnum Prouincialium fuerint accepisse conuicti, in quadruplum cogentur exsoluere. Dat. IV. Kalend. April. Med. Arcad. & Honorio III. AA. Coss. [396.]

NOTÆ.

(a) *Lex 6. Cod. Iust. eod. tit.* Concordat *huic leg.* omnino altera Honorii *lex* 10. *infr.* GOTHOF.
(b) *Eusebius* PP. sub Honorio: vid. *Prosopogr.* ID.
(c) *De Discussoribus* fuit *supr. titulus lib.* 11. *t.* 26. est & *lex* 10. *infr.* ID.
(d) Hæc absunt a *Cod. Iust.* quia ad historiam horum temporum pertinent. ID.
(e) *Bonorum*, Cod. Iust. ID.
(f) An perperam exactarum, impositarum? Non: nam de iis mox: Verum annonarum, quas ipsi de publico acceperant: de quo mox plura etiam ex *l.* 10. *infr.* ID.
(g) *Multam*, Cod. Iust. Quanquam istud ex huius æui Latinitate videatur sustineri posse. ID.

COMMENTARIVS.

De Poena negligentis vel gratiosi Peræquatoris & discussoris, qui scilicet peræquationem aut discussionem non ex fide gesserunt, est hæc Honorii constitutio, vt & altera similis *lex 10. infr.* Nempe triplici pœna eos persequitur: 1. *Honorum* iactura, seu Codicillorum ablatione: Nempe Comitiua fere, & quidem primi ordinis Peræquatores & Discussores decorari soliti, de quo fidem faciunt *tres postremæ huius tit. leges*, vbi plenius dicetur, & *lex vltim. supr. ad leg. Iul. de ambitu.* 2. Annonas in quadruplum soluere iubet: id est vt explicatius habet *d. lex 10. refundere quæ perceperunt emolumenta*, nempe quæ e publico acceperunt: Vnde apparet, etsi Peræquatoris munus necessarium esset, attamen emolumenta seu annonas & salaria quædam eos e publico accepisse. Porro *d. l.* 10. Honorius non iam quadruplas has annonas restitui iubet vt *hac leg.* verum duplas tantum. 3. Tandem accepta in damnum Prouincialium, in quadruplum exsoluere iubet *hac leg.* & *l.* 10. si videlicet rapacitate plectenda a Prouincialibus aliquid abstulerint; vt loquitur *d. lex 10.* si Prouinciales concusserint, dum videlicet a miseris illis pecunias exigunt & accipiunt, alias eos prægrauaturi. De quo ipso concussionis genere est & Valentiniani Sen. *lex 5. supr. de iis quæ administrantib.* De discussorum nominatim concussione, eiusque pœna, dixi semel plene ad *l. 1. supr. de discussorib.* Notanda interim hic duplex Quadrupli pœna, & quidem in eodem facto: Quadrupli inquam annonarum acceptarum, in fisci commodum; & Quadrupli emptorum, in priuatorum vtilitatem.

VIII. (a) Idem AA. Eutychiano PF. P. (b)

Qui per inpotentiam (c) fundos opimos ac fertiles occuparunt, cum quæstuosis vberibusque pro rata portione suscipiant infœcundos. (d) Quoniam itaque Legati Hieropolitanæ ciuitatis (e) succisos (f) esse (g) profecuti (h) sunt, huiusmodi possessionum retentatores cum opimis fundis & (i) minus idoneos suscipiant: quo eiusmodi æqualitate seruata, & antedictæ Curiæ vires possint in posterum respirare, & fisci (k) indemnitas custodiri. Dat. Non. Mart. Constantinop. Honorio A. IV. & Eutychiano Coss. [398.]

NOTÆ.

(a) *Lex 10. Cod. Iust. de omni agro deserto, & quando steriles fertilibus imponantur*: ad hunc *Titulum* non male refertur: pariter vt *lex 4. 31. supr. de annon. & trib.* quæ in eodem ἐπιβολῆς argumento versantur: quia scilicet Inspectore misso id fiebat, & ob tributorum præstationem. *GOTHOF.*

(b) *Eutychianus* PP. sub Arcadio; Orientis scilicet vid. *Prosopogr. ID.*

(c) *Impotentia* est, impressio, violentia quam adhibent & intentant Potentiores infirmioribus. *Potentiam* legitur in Cod. I. *ID.*

(d) *Ex eadem substantia*: hoc additum *Cod. Iust.* cæteris omnibus resecatis. *ID.*

(e) Et nominatim *Curia*, vt docent extrema *Legis*. *ID.*

(f) Debilitatos, attritos. *ID.*

(g) γρ. *sese*. *ID.*

(h) Id est, allegarunt. *ID.*

(i) Id est, etiam. *ID.*

(k) Id est, tributorum præstatio, *l. vnic. in fin. supr. de Saturianis*. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE Ἐπιβολῇ est hæc Arcadii Imp. constitutio: de qua plene dixi ad *l. 4. supr. de annona & tributis*: id est, de Addicendis, adiiciendis, sœneis, defectis, sterilibus, infœcundis fundis iis, qui opimos & fertiles ad se traxerunt per *impotentiam*; vt ita illorum quoque nomine fisco censum seu tributum præstent: Nempe *Potentes* quidam, captatis aliorum necessitatibus optimos & opimos fundos ad se petrahebant, relictis sterilibus penes P. tj veteres dominos, vnde fiebat, vt defectos tantum fundos habentes, censum præstare non possent. Igitur collapsa exinde quoque re tributaria sæpe ad hanc ἐπιβολὴν deuentum, seu *Æqualitatem*, vt *hac leg.* vocatur, qua steriles quoque fundos, eorumque adeo onera & tributa in se suscipere opimorum domini cogebantur. Id quod *hac* quoqua *leg.* fit ab Arcadio: Idque ad Legationem & querelam ciuitatis (de cuiusmodi Legatione fuit quoque *lex 3. supr.*) *Hieropolitanæ*, (Quod de Hieropoli in Syria accipio, quæ & *Hierapolis*, & *Hieropolis* teste Stephano: de eadem est & *lex 2. infr. de venat. ferarum*: & *lex 1. supr. de Numerariis*:) ad Legationem inquam Hieropolitanæ ciuitatis & *Curiæ*, vt docent *extrema Legis*: non tantum, quia Legati de Curia missi, de quo *tit. de Legatis, supr.* verum quia Curiæ & Curialium fundi opimi proculdubio per impotentiam in potentiores transierant, atque ita Curiæ vires succisæ & attritæ fuerant: simul & in fraudem rei tributariæ. Ob quam causam hæc ἐπιβολὴ nunc fieri iubetur, pariter vt Anno proximo 399. ab Honorio, *salua tributorum præstatione*, *l. vnic in fin. supr. de Saturianis*.

IX. (a) Idem AA. Messalæ, PF. P. (b)

QVONIAM ex multis Gentibus (c) sequentes Romanam felicitatem se ad nostrum Imperium contulerunt, quibus terræ Læticæ administrandæ (d) sunt, nullus ex his agris aliquid, nisi ex nostra Adnotatione mereatur. Et quoniam aliquanti (e) aut amplius quam meruerant occuparunt, aut conludio Principalium, vel Defensorum, vel subrepticiis Rescriptis, maiorem quam ratio poscebat terrarum modum sunt consecuti, Inspector idoneus dirigatur, qui ea reuocet quæ aut male sunt tradita, aut inprobe ab aliquibus occupata. Dat. Non. April. Med. Theodoro V. C. Coss. [399.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* *GOTHOF.*

(b) *Messala* PP. sub Honorio Italiæ scilicet, Illyrici, & Africæ. vid. *Prosopogr.* *ID.*

(c) Alamannis, Sueuis, Francis, Gothis, de quo *mox*. *ID.*

(d) Distribuendæ & distributæ colendæ; vel legendum, *a quibus*. *ID.*

(e) *Aliquanti*, pro *aliquot*, *aliqui*: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

COMMENTARIVS

DE æquabili terrarum LÆTICARVM DIVISIONE, est hæc Honorii constitutio. In quem finem is Inspectorem nunc mitti iubet, qui videlicet maiorem terræ modum nonnullis traditum, vel ab iis occupatum reuocaret. *Terra Lætica*, sunt agri qui *administrandi* seu colendi dabantur iis, qui ex *Gentibus*, seu Gentilibus (de quibus vid. *l. vnic. supr. de nupt. Gentil.*) Romanam felicitatem sequentes, sese ad Imperium Romanum, ac nominatim Occidentis contulerant, vt vel *hæc lex* ostendit: Qui & ipsi *Læti* dicebantur: a quibus & *Lætica terra dicta*, quas quidam male Læticas, dictas aiunt, desertas, incultas, *Ledich*. Horum *Lætorum* mentio fit in Valentiniani Senioris constitutione Anno 369. puta *l. 10. supr. de Veteranis*: vbi de his *Lætis* dixi plene: & in altera *Honorii* constitutione, puta *l. 12. d. tit. de Veteranis*: quæ quidem proximo anno 400. data est ad Stilconem Magistrum vtriusque militiæ. Igitur Gentiles hi coloni *Læti* dicti: Quorum meminit quo-

qua

que Eumenius *in Panegyr. Constantio Cæs. dicto, cap. vlt. Tuo Maximiane Auguste nutu, Neruiorum & Treuirorum arua iacentia Latus postliminio restitutus, & receptus in leges Francus excoluit.* Sub hac vero conditione hi Læti fuere, hisque terræ Læticæ administrandæ dabantur, vt delectibus obnoxii essent, & Legionibus insererentur: seu sub lege seruitii militaris, vt docent *d. lex 10.* & *12.* & Ammianus Marcellinus *lib. 21. c. 13.* & variis locis *Notitia Imperii*: ita quidem vt velde Gentis suæ nomine hi Læti internoscerentur, & denotarentur: hinc *Læti-Alamanni*, Sarmatæ, *d. l. 12. supr. de Veteranis*: Læti Teutoniciani, Sueui, Franci: de quibus *Notitia Imperii.* Vel de regionis nomine, in quam Læti translati, hinc Læti Batauí, Lingonenses, Neruii, in eadem *Notitia Imperii.* Porro huiusmodi Læti potissimum fuere in Gallia, vt ex *Eumenio*, *Ammiano Marcellino*, *Notitia Imperii* liquet: Quæ causa est, cur Zosimus dixerit, Λετὸν ἔθνος Γαλατικὸν *lib. 2. c. 54.* de quo Zosimi loco plura dixi ad *d. l. 12.* Et aliqui tamen etiam in Italia fuere, de quo mox.

Cæterum obseruandum valde, quod Honorius *hac leg.* quæ data est Anno D. 399. ait, ex multis gentibus secutos tum nonnullos Romanam felicitatem, se ad Occidentis Imperium contulisse: Nempe hoc illud est quod hoc ipso Anno 399. Claudianus *lib. 1. in Eutrop. v. 377. seqq.* scribebat.

. ——— tum forte decorus
Cum Stilichone gener (Honorius) *pacem implorantibus vltro*
GERMANIS responsa dabat, legesque CHAYCIS
Arduus, & flauis signabat iura SVEVIS:
His tribuit leges, his obside fœdera sancit
Indicto, bellorum alios transcribit in vsus,
Militet vt nostris detonsa SICAMBRIA signis,

Et mox *v. 394. 395.*

Ante pedes humili FRANCO, tristique SVEVO
Perfruor, & nostrum video Germanice Rhenum.

Exinde scilicet vbi Stilico in Galliam missus fuit, Barbaræ tum Gentes, Rheni accolæ, aliique interiores, veluti, Franci, Alamanni, Sueui, ad Romanum Imperium sese certatim contulere; inde iam Stiliconi inscripta Anno prox. *L. 12. supr. de erog. mil. ann.* Vbi Lætorum-Alamannorum diserte mentio fit. Porro Alemanni non tantum Galliæ, verum etiam Italiæ vicini erant. Itaque & huiusmodi Læris terræ Læticæ in Italia administrandæ datæ, quo pertinet *hac lex*: vt & Ammiani locus *lib. 28. cap. 5.* pag. 33. in Gestis Anni 370. *Alemannos*, inquit, *gentis antedicta* (Burgundiorum) *metu dispersos aggressus per Rhatias Theodosius, ea tempestate Magister Equitum, pluribus cæsis, quoscunque cepit ad Italiam iussu Principis misit, vbi fertilibus* (γρ. *infertilibus*: similis error apud Vopiscum *in vit. Aureliani, cap. 48.*) *agris acceptis iam tributarii circumcolunt Padum.* Nunc ad rem. Huiusmodi igitur Gentilibus agros quosdam certa conditione, certis limitibus adsignatos Principis adnotatione iam liquet: aliter atque militibus nonnullis occupatoria conditione relicti, in sp. *l. vnic. supr. de rei vindicat.* vbi vid. quæ notaui. Verum cum hoc tempore quidam ex his maiorem agri modum accepissent, vel occupassent, vel subreptitiis rescriptis, vel collusione Principalium, vel Defensorum, Honorius *hac leg.* id reuocari iubet misso Inspectore: proculdubio quia in dies plures huiusmodi Gentiles sequentes Romanam felicitatem, se ad Imperium Romanum conferrent. Quam autem *Romanam felicitatem* prædicat Honorius, eam euentus destituit; neque enim aliunde magis certa pernicies Reipub. Romanæ incubuit & in Occidente, & in Oriente, quam ex Barbarorum colluuione: Quod Synesius *de regno* ad Arcadium scribens hac ipsa tempestate recte vaticinatus est de Orientali Imperio: idque etiam sensit Socrates, *lib. 4. c. 34.*

X. (a) Idem AA. Longiniano PF. P. (b)

PER hoc quinquennium (c) multos Comites (d) ac Peræquatores, necnon etiam Discussores per diuersas Prouincias constat esse directos, quos nihil profuisse vtilitatibus publicis cognouimus: Ideoque Sublimitas Tua eorum actus diligenti examinatione perpendat, & si quos neglegentes inuenerit iniuncta curasse, ablatis Codicillis (e) primitus & refusis, faciet in duplum quæ perceperunt emolumenta rethibere. (f) Si quos vero rapacitate plectenda a Prouincialibus aliquid abstulisse constiterit, direpta in quadruplum rethibere compellas. Dat. V. Id. Febr. Rauen. Arcad. A. VI. & Probo Coss. [406.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* Concordat huic *lex 7. supr.* GOTHOF.

(b) Italiæ: cui hoc ipso Anno inscribuntur duæ præterea *leges*, puta *lex 8. supr. de nauic. non excus. lex 15. supr. de desertoribus.* Meminit Zosimus *lib. 5. c. 32. in fin.* ID.

(d) Ab Anno Domini 401. ID.

(d) Cum Comitis dignitate Peræquatores: de quo ad *l. 11. prox.* & *tres postremas legg.* ID.

(e) Honorum, veluti Comitiuæ. ID.

(f) Pro *redhibere*, hic & mox rursum. ID.

COMMENTARIVS.

DE POENA iniqui Peræquatoris & Discussoris est hæc *Honorii* constitutio, similis alteri eiusdem *Honorii* constitutioni ante decennium latæ Anno 396 puta *legi 7. supr.* vbi dicta ad *hanc leg.* sufficiant. Notabilis inter alia *hac lex* est, eo quod bene vel secus gesta a Peræquatoribus, pariter vt

cet vt ab Inspectoribus, a Praefectis Pratorio vel firmata, vel in disquisitionem vocata, expresse doceor, etsi id appateat quoque argumento Inscriptionis, *l. 4.* & *7. supr.* Quod & ipsum discimus ex Theodoreti *epist.* 42. ad Constantium PP. qua postulat, vt contra calumniam, cuiusdam Philippi Inspectoris inspectionem confirmet: vt & 44. & 47. Nam & a Praefectis Praetorio hi delegati, vt idem testatur *epist.* 47. quo pertinet etiam *lex* 6. *supr.* Etsi ab administratoribus quoque Prouinciarum electi: vt docet *lex prox. u.*

XI. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Anthemio PF. P. (b)

CVNCTIS per Prouincias Administratoribus (c) nostra insinuetur praeceptio, vt si quando e Republica visum fuerit, Discussiones Inspectionesque, (d) aut aliquid simile agitari, ei iniungant qui Vicarianae potestati, (e) Comitiuae Orientis, aut Augustalitati (f) parendo statuta peregit stipendia: Ita vt si quis ex his quos palam expressimus super hoc officii munere excusando nostrum impetrauit Oraculum, aut post elicuerit, nequaquam id admittatur. His enim ita rite digestis, & ab hominibus ignaris (g) administrabuntur publica munia, & altiores (h) adque inhabiles fortunae homines incompetentia obsequia declinabunt. Dat. X. Kal. Febr. Constantinop. Honorio VIII. & Theod. III. AA. Coss [409.]

NOTAE.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* Forte iungenda huic *lex* 16. *Cod. Iust. de Episcopis Eccl. & Cler.* quae & ipsa est de Censu. *GOTHOF.*

(b) *Anthemius* PP. Orientis, vt sub Arcadio antea, ita & nunc sub Theodosio Iun. Ann. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. vid *Prosopogr.* *ID.*

(c) Rectoribus Prouinciarum. *ID.*

(d) Inspectio *hac leg.* & *l.* 14. ἐπόψία non vno loco Theodoreto. *ID.*

(e) Intelligit Vicarios Asiae, Ponticae, Thraciarum. *ID.*

(f) Praefecti Augustalis dignitati. *ID.*

(g) *γρ. gnaris.* *ID.*

(h) Velut Illustres. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 334.

DE ELECTIONE Discussoris, Inspectoris, & similium, est haec Theodosii Iun. constitutio, pariter vt de electione Peraequatoris, Honorii *lex* 6. *supr.* Et hac quidem definitur, ex quonam hominum genere hi eligi possint: Nempe ex iis qui vel Vicarii fuerint, forte Asiae, Ponticae, Thraciarum; vel Comites Orientis, vel Praefecti Augustales: Nempe quia a *gnaris* publica haec munia administrati publice interest, seu vt loquitur *lex 6.* per *cognitos & probatos viros*: & sic ab illis qui Dioeceses rexere: Non vero ab aliis qui designantur *sine leg.* siue altioris fortunae.

Ergo spectabilibus hoc *Inspectoris* & similia munia imposita hoc tempore: quod etiam firmatur *l. 15. infr.* & exemplo Philippi Inspectoris Spectabilis viri sub eodem Theodosio apud Theodoretum *epist.* 42. 44. 47. Vnde & Comitiua hi ornati, *l. 10. supr.* & quidem primi ordinis, *tribus potissimis legibus huius tit.* Porro in tantum illis haec munia deferri iubet Imperator, vt ne Principis quidem Rescripto ab iis eas excusari velit: Igitur, vt Peraequationis munus necessarium fuit, non obstante Principis rescripto, *d. l. 6.* ita & Discussionis & Inscriptionis quoque *hac leg.*

Illud interim ex *hac leg.* obseruandum, Discussores, Inspectores, hisque similes electos a Rectoribus Prouinciarum, qui quandoque tamen vel a Principe destinati, vel a Praefectis Praetorio electi : de quo *superioribus legibus.*

XII. (a) Idem AA. Ioanni PF. P. (b)

LOCA, quae praestationem suam implere non possunt, (c) praecipimus adaequari, vt quid praestare possint, mera (d) fide, & integra veritate, scribatur, id vero quod impossibile est, e vasariis (e) publicis auferatur. Et primo quidem veteribus dominis adscribi praedia ipsa conueniet: quorum si personae eorumue haeredes non potuerint repperiri, vicinos vel peregrinos volentes, modo vt sint idonei, (f) dominos statuendos esse censemus. In tantum autem omnium animos beneficiis prouocamus, vt id quod defectae possessioni Inspectoris arbitrio adscribitur, biennii immunitate releuetur, vt (g) nec idonea praedia alterius

alterius glebæ sarcina in posterum prægrauentur. Dat. VIII. Id. Iun. Rau. Honor. IX. & Theod. V. AA. Coss. [412.]

NOTÆ.

(a) Abest a *Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) *Ioannes* PP. Italiæ sub Honorio: vid. *Prosopogr.* ID.

(c) Id est, quæ *defecta* sunt, vt *fin. leg.* ID.

(d) *Merâ* fides: similiter *l. 19. Cod. Iust. de testamentis*: quæ eodem *Anno* data, & ad eundem *Ioannem PP.* Similia alia apud Symmachum, & *ibi* Iuretum *lib. 2. epist. 2.* vide quæ noto ad *leg. 6. supr. de testam.* ID.

(e) De *Vasariis* his mox dicam. ID.

(f) Eadem tertatiua, *l. 5. supr.* ID.

(g) Hæc vox melius induceretur. ID.

COMMENTARIVS.

CIRCA DEFECTAS possessiones nouam Adæquationis & census formam inducit *hac leg.* Honorius Imp. improbata ἐπιβολῇ de qua *l. 8.* item improbata Compensatione, de qua *l. 3. supr. hoc tit.* 1. Scilicet discenti, inspici vult exacte, & vt loquitur *lex*, mera fide & integra veritate, quid & quantum loca illa defecta afferre possint, atque eum præstationis modum libris Censualibus inscribi, qualis qualis ille sit. 2. Exinde ita æquabiliter censitos fundos defectos adscribi vult dominis vel hæredibus eorum: his demum non repertis, vicinis, vel etiam *peregrinis*, id est, extra territorium positis volentibus. Quod vtique adsignationis genus nulli graue esse poterat, quandoquidem nonnisi is census modus iam adscriptus esset, quem ingenium reditusque loci ferre poterat. 3. Quinimo etiam ab æquabili quamlibet isto censu, biennii adhuc immunitatem dominis quibus illi adscriberentur, tribuit: vt ita scilicet spatium haberent, defectam possessionem excolendi, & ad frugem reducendi. Tandemque concludit, non probari sibi ἐπιβολὴν, aut Compensationem: Quo vtroque genere idonea prædia alterius glebæ (sterilis videlicet) sarcina prægrauabantur. Breuiter, suum censum quemque fundum sufferre deinceps vult Honorius, sed moderatum, & Adæquatione facta: in quantum præstare possunt.

Superest videamus, quid sint *hac leg. Vasaria publica*, e quibus auferri iubet Honorius præstationis modum impossibilem: e contra in iis scribi iubet quid reuersa præstare possint. Sunt igitur *Vasaria* publica, vt ex *hac leg.* apertissime liquet, libri Censuales. Quod etiam ex Plinio *lib. 7. cap. 49.* clarissimum est; vbi de Longæuis agens e Vasariis exempla adfert, in quæ ii qui in censum nomina sua profitebantur ætatem quoque suam edebant, seu deferebant. *Accedunt experimenta, & exempla recentissimi CENSVS, quem intra quadriennium imperatores Cæsares Vespasiani Pater Filiusque Censores egerunt: Nec sunt omnia VASARIA excutienda: media tantum partis inter Apenninum Padumque ponemus exempla: Centum viginti annos, Parma tres edidere: Brixelli, vnus CXXV* &c. Cassiodorus quoque vbi de defectæ possessionis releuatione pariter agit, *VII. Var. 45. Decernimus, vt tot solidos Tributario supradictæ possessionis, datis præceptionibus ad eos quorum interest, ita faciatis de Vasariis publicis diligenter abradi, vt huius rei duplarum vestigium non debeat inueniri.* Alioquin *Vasarium* quoque olim, pro pecunia, quæ publice ex ærario data Magistratibus in Prouincias euntibus, ad comparandum equos, mulos, vasa, supellectilem, cæteraque quæ Magistratus instrumentum implerent; de quo Cicero *in Pisonem: cap 35.* Cur autem *Vasarium* dictum? Istud est quod nescio: vid. Forner. 4. *Quotid.* 25. &c. Vasa pro re familiari & supellectile, Seneca 1. *de benefic. cap 1. Nomina facturi diligenter in patrimonium & vasa debitoris inquirimus.* Apud Gratium *v. 219.* Vasa pro supellectile venatoria; P. 19.

—— nec sibi turbam

Contraxit comitem nec vasa tenentia longe.

Frontinus *Stratagem. lib. 4. cap. 1.* cultrum inter vasa pariter retulit. Interpres *coll. Leg. Mosaicar. tit. 1. §. 5. Si immiserit super eum aliquod vas non insidians.* Sed & cætera in re militari inter contubernia vsurparunt: vnde & *vasa conclamare*, & *conuasare*, apud eos legimus. Hinc itaque paulatim, vt significationes verborum augentur, vasa pro facultatibus quibuslibet: & vasaria, *Breuis* vasorum, quibus vasa cuiusque describuntur.

XIII. (a) Idem AA. Vrsacio Com. R. P. (b)

PERÆQVATIONEM Agapii in perpetuum manere censemus. Dat. IV. Non. Iul. Rau. Theod. A. VII. & Palladio Coss. [416.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex*, seu Historiæ huius temporis adscripta, a *Cod. Iust.* GOTHOFR.

(b) *Vrsacius* Comes R. P. sub Honorio. Eidem inscribitur Anno 414. *lex 2. Cod. Iust. de off. Com. S. Palat.* Item lex vltim

Cod.

Cod. Iust. de offic. Com. rer. priuat. & Anno proximo 417 *lex vltim. supr. de locat. fund. iuris emphyt.* quæ & ipsa agit de Peræquatore. *ID.*

COMMENTARIVS.

PERÆQVATIONEM ab Agapio quodam Peræquatore factam *hac leg.* ita confirmat Honorius, vt eam in perpetuum manere iubeat: Pariter vt *l. vltim. supr. de locat. fund. iuris emphyt.* quæ eidem Vrsacio Comiti R. P. inscribitur; peræquatoris generalis factum valere iubet, non vero imperrati alicuius Inspectoris specialis. De simili alioquin ἐποψίας Inspectionis totius Regionis alicuius vrbi respondentis confirmatione, *v.* Theodoretum ab *epist.* 42.

XIV. (a) Idem AA. Sebastio Com. primi ordinis. Post alia.

SI qui aliarum (b) possessionum dominus desertum prædium suum *inspici* forte voluerit, vniuersa loca quæ possidet, etiamsi idonea sunt, peragrari patietur, vt sarcina destitutæ possessionis, inquantum Inspectio (c) deprehenderit, possit melioribus sociari, peræquatoque omni patrimonio, nihil de desertis postea conqueratur. Tantum enim his prædiis aperta & absoluta leuamenta præstamus, quorum aut domini omnino non extant, aut paupertate mediocres ipsa tantum prædia habere monstrantur. Dat. Prid. Id. Mart. (d) Rau. Honorio A. XI. & Constantio II. Coss. [417.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iust.* Iungendæ porro sunt inter se hæ tres *Leges* sequentes, iisque coniungenda *lex 13. supr. de Senatoribus*, & *lex 9. supr. de præd. Nauicular.* Imo & *lex vlt. supr. de locat. fund. iuris emphyt.* etsi *Vrsacio Comiti R. P.* inscribatur. Huic concordat *lex 3. supr.* GOTHOF.

(b) Opimarum, fœcunderum, idonearum. *ID.*

(c) Inspectio *hac leg.* & *l. 11. supr.* ἐποψία sæpe apud Theodoretum. *ID.*

(d) Ita quoque *duab. legib. sequentibus*: at enim *d. l. 13. supr. de Senatorib.* & *l. 9. supr. de præd. nauicul.* & *l. vlt. supr. de locat. fund. iuris emphyt.* Maii. *ID.*

XV. (a) Idem AA. Sebastio Com. primi ord.

COMPETITIONIS (b) obreptione seclusa, aput eum possessio firma permaneat, cui a Peræquatore semel eam traditam fuisse constiterit. Reliqua vero temporis anteacti a nouo domino fiscum postulare non patimur: *ne alterius culpa alter incipiat subiacere dispendio.* Si quis vero priuatus, aut obligatam sibi possessionem, quæ deserta hucusque permansit, aut ex aliquo titulo deberi sibi iure confirmat; allegationes suas sine mora, vel per se, vel per aliam personam legibus ordinatam aput (c) Spectabilitatem Tuam publicare (d) debebit: ita vt si æquitatis ratione suadente ad petitorem fuerit translata possessio, is qui eam a Peræquatore susceperat, (e) rei melioratæ receptis (f) subleuetur expensis. Verum ne sub specie litis dominationis (g) semel constitutæ turbentur, duorum (h) mensum spatium censemus debere seruari; intra quod is, qui putat sibi rem probabili ratione competere, debitas exerat (i) actiones. Quod si tempus adscribtum silentio
P.136. fuerit interueniente transactum, nullum penitus repetendi volumus esse principium. Quod si quis eo tempore, quo Peræquator prædium alicui addicit de suo iure vel per se, vel per homines suos non crediderit actitandum, duorum (k) mensium curriculis euolutis in perpetuum conquiescat, &c. Dat. Prid. Id. Mart. Rau. Honorio XI. & Constantio II. Coss. [417.]

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *Lex 7. Cod. Iust. de censibus & censitoribus.* GOTHOF.
(b) Vid. *leg. 4. supr.* ID.
(c) *Apud Spectabilitatem tuam*, hæc induxit Tribon. vid. quæ notaui ad *l. 11. supr.* ID.
(d) *Manifestare*, Cod. Iust. ID.
(e) *Susceperit*, Cod. Iust. ID.
(f) *Susceptis*, Cod. Iust. ID.
(g) Pro *dominationes*, vt est in *Cod. Iust.* ID.
(h) *Sex*, Cod. Iust. ID.
(i) *Exerceat*, Cod. Iust. ID.
(k) *Sex*, Cod. Iust. ID.

XVI. (a) Idem AA. Sebastio Com. primi ordinis. Post alia.

ILLA quæ ante viginti (b) retro annos speciali inspetratione diuersis pètitionibus inspecta claruerit, ab Spectabilitate Tua conuenit iterare, (c) quatenus aliorum cessante iudicio intra Prouinciam sibi commissam tuo omnia finiantur arbitrio. Eas quoque possessiones quæ ante viginti similiter annos speciale beneficium de recisione meruerunt, studiose peragrare debebis, vt vtrum veræ (d) sint postulata remedia, vel his aliquid deceat functionis adiungi, æstimatio fida demonstret; &c. Dat. Prid. Id. Mart. Rau. Honor. A. XI. & Constantio II. Coss. [417.]

NOTÆ.

(a) Abest a *Cod. Iustin.* GOTHOF.
(b) Ab Anno Domini 398. ID
(c) *vg. Iterari.* ID.
(d) *vg. vera.* ID.

COMMENTARIVS.

FORMVLA, seu MANDATA Hooorii Imp. cootioeotur *his tribus legibus*, vt & *tribus aliis*, quæ his sociandæ veniunt: puta *l. 13. supr. de Senatoribus & glebali coll.* & *l. 9. supr. de prædiis nauicul.* (Imo & *l. 7. seu vltim. supr. de locat. fundorum iuris emphyteutici:*) quæ uiro Spectabili Sebastiu Com. primi Ordinis Peræquatori & simul Iospectori in Prooiociam quandam misso, ad inspicienda prædia & peræquanda ab Honorio Imp. data sunt Aono D. 417. Quem *Peræquatorem generalem* diserte vocat *d. l. 7. seu vlt. de locat. fund. iuris emphyt.* Et ad Peræquationem faciendam studiose peragrare vniuersa loca iubet *l. 14.* & *l. vltim. hoc tit.* & inspicere: *d. l. 14.* & *d. l. vltim.* & discutere, *d. l. vlt. de locat.* *Prouincia* autem io quam hic Peræquator missus, quam indicat *l. vlt hoc tit.* videri possit Prouincia Africa, argumento eius quod de Nauicularia functiooe & prædiis nauiculariorum hac ipsa constitutione agitur, *dict. l. 13. de Senatorib.* & *d. l. 9. de præd. nauicular.* Igitur missus ab Hooorio hic in Prouinciam Inspector & Peræquator, Sebastius Comes primi ordinis, id est, cum Comitiuæ primi ordinis dignitate, quod & alias factum docet *lex. 10. supr.* de qua dignitate fuit *supr. lib. 6. titulus peculiaris:* ad peræquationem faciendam. Hisce Mandatis instructus, quæ varia capita in se continent: ad eum videlicet finem vt inspectis peræquatisque fundis, peræquato modo censuum, partim fisci vtilitati consultum esse posset, partim vero possessoribus, per iusta remedia, recisiones, releuationes censuum, pensionumque. Nos ea hic omnia atque ordine sub vnum conspectum nunc dabimus: quæ quatuor summis Capitibus constant.

Primum horum Mandatorum caput respicit DESERTOS, seu DESTITVTOS, defectos, fueneos, steriles, afanticos fundos, quorum nomine querelæ potissimum exortæ: quo spectant ex ea formula *quatuor leges*, puta *lex 14. 15. hoc tit. lex 13. supr. de Senatoribus: lex 9. de nauicular.* Quid igitur Sebastio Peræquaturi circa hæc facto opus esset, quid iuris deinceps in his obseruandum, *quatuor illis legibus* continetur: sub hac distinctione: 1. Vel desertos illos fundos domini possident cum aliis opimis, & idoneis, & tum Compensatio quædam instituenda, exæquato patrimonio, vt sic io voum collato omni patrimonio Peræquator videat quid facto opus sit, an tales sint vires aliorum fuodorum, vt sterilium peosioni nihil detrahendum sit, an vero detrahendum adhuc aliquid: de quo Compensatioois, Sociationis, ἐπιβολῆς, Peræquationis totius patrimonii genere, est quoque Valeutiniani Sen. *lex 10. 17. supr. de annona & tributis:* Theodosii M. *lex 3. supr. hoc tit.* Honorii noo raonim *hæc lex 14. hoc tit.* verum & *l. 31. supr. de annona & tribut. l. 12. supr. de indulg. debitor.* quod tamen ipse aliquando improbauerat, *l. 12. supr. hoc tit.* Vt proinde septem

ptem hac de re Constitutiones *hoc Codice* occurrant. Et hæc de desertis prædiis quæ domini cum aliis opimis possideot. 2. Ar si paupertate mediocres ipsa taotum seu sola prædia deserta possideant, tum his aperta & absoluta leuamenta præstari
P.137. iubet Honorius, seu a censu releuari, *l. 14. hoc tit.* Et hæc quidem de desertis agris, qui penes dominos sunt.

Si vero eorum domioi noo exteot, tum nouis domiois desertos hos agros *Addici* seu a Peræquatore tradi iubet: Sub his Legibus: 1. Vt penes eos firmiter maneant, omni aliorum petitione, omni subreptione submota: *l. 15. hoc tit.* 2. Vt Reliqua præteriti temporis noui domini non soluant: *d. l. 15.* da quo dixi ad *l. 1. supr. de fisci deb.* 3. Vt tamen Ius aliquod io iis fundis prætendens intra bimestre audiatur, *d. l. 15.* atque adeo si priuatus quis obligaram forte sibi seu hypothecæ oexam possessionem illam desertam, aut ex aliquo tisulo deberi sibi probauerit, a nouo domino cui Peræquator eam tradidit, eam recuperet, meliorationibus tamen nouo domino restitutis: post bimestse tempus oemioem audiri vult: Quod præscriptionis bimestris genus obseruandum, quod tamen Tribonianus io sex menses mutauit. 4. Ita sterilem fundum nouo domino peræquarionis foste addici vult Honorius, vt si olim fundus ille Senatoriæ glebæ præstatiooi ohnoxius fuerit, a glebæ præstatione immunis deinceps sit: quæ senrentia est *d. l. 13. in pr. supr. de Senatorib. & glebali collat.* 5. Contra, si nauali functioni obnoxius fuerit hic fundus, & hunc naualem functionem sustinere deioceps vult, aliis oneribus liberatum: quæ sententia est *d. l. 13. in fin.* Nauali scilicet functioni, cumprimis necessariæ, oihil detractum vult Honorius: Imo in omnibus custodiri vult: in tantum etiam, vt intra 20. hos annos, ab Anno videlicet D. 397. fundos sub hasta publice distractos, & a nauali functione liberatos, ad eam rursum deuocari tenerique velit: quæ seotentia est *d. l. 9. supr. de prædiis nauicular.* Et hæc de fundis desertis, defectis.

Secundum huius formulæ seu Mandatorum caput respicit RELEVATOS olim speciali indulto & inspectione fundos. Nempe ooo vsquequaque huic releuationi, seu recisioni, stari vult Honorius Imp. verum intra hos pariter 20. annos (vt *supra in sp. l. 9. de prædiis nauicular.*) releuatos recisos fundo. Sebastium Peræquatorem iospicere vult, vt æstimet num postulata remedia vera siot, ao vero horum census augeri debeat: quæ sententia est *legis vlt. hoc tit.*

Tertium caput respicit fundos EMPHYTEUTICOS rei priuatæ, eorumque locationem: Igitur hos tanta pensione seu canooe releuari posse definit Honorius a Peræquatore, quanta functione alios fuados subleuauerit: quæ sententia est *l. vltim. in princ. supr. de locat. fund. iuris emphyteut.* Quæ & ipsa huic nostræ socianda venit, etsi alii inscribatur; puta *Vrsacio Com. R. P.* nempe quia caput illud res priuatas respicit. Es hæc quidem ita in specie. Eam porro georali clausula auctoritatem hanc Sebastio Comiti primi ordinis Inspectori & Peræquatori a se misso tribuit, vt neque Comitis R. P. iussione quicquam opus hac parte esse, imo nullas eius partes esse definiat *d. l. vltim. in princ.* in huiusmodi circa emphyteuticos fundos peræquatione, cum tamen alias Emphyteutici fundi sub eius dispositione fuerint: de quo *eo tit. de locat. fund. iuris emphyt.* Tandem eam huius *Generalis* Peræquatoris (sic eum vocat) auctoritatem esse vult, cui etiam *probatissimi* elogium tribuit:) vt aduersus eius definitionem, specialem Inspectorem a se ab aliquo imperrari vetet, qui forte definita ab eo retractet: quæ sententia est *d. l. vlt. in fin. supr. de locat. fundor. iuris emphyteut.* Cæterum, quemadmodum *his Legibus* Sebastii Com. ordinis primi generalis Inspectoris & Peræquatoris mentio fit: ita & Stratoris Peræquatoris, *l. 5. supr.* Agapii, *l. 13.* Philippi etiam Spectabilis Viri Iospectoris mentio apud Theodoretum, *epist. 42. 44. 47.*



CODI-



CODICIS THEODOSIANI
LIBER DECIMVS QVARTVS.

QVI TOTVS EST

De iis quæ ad præcipuarum VRBIVM in orbe Romano (puta Romæ, Constantinopoleos, Alexandriæ, aliarumque) corporatos, *Politiam*, vt vocant, & *Priuilegia* pertinent.

HVIVS LIBRI TITVLI.

P.39. # DE DECVRIIS VRBIS ROMÆ.

TITVLVS I.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. XIII.

De Decurialibus Vrbis Romæ.

De Decurialibus per Prouincias est *lex 1. supr. de lucris officiorum.*

PARATITLON.

DECVRIÆ *Rubr.* & *l. 1. 3. in fin. l. 5. 6. hoc tit. l. 18. infr. de pistoribus:* vt variæ per municipia fuere, de quibus est *lex 1. supr. de lucris officiorum*, ita & in vrbe Roma *Rubr. hoc tit.* Hinc Decuriæ Vrbis Romæ *Rubr.* vrbis æternæ *l. 3. b. t.* vrbis sacratissimæ, *l. 5. b. t.* vnde & Decuriales dicti, *l. 2. 3. 4. hoc tit.* & *d. l. 18. de Pistoribus.* Variæ hæ inquam Decuriæ in vrbe erant, seu varii Decuriarum ordines, *l. 1. hoc tit* collegia, *l. 4. hoc tit.* veluti, Librariorum *l. 1. hoc tit.* Fiscalium, *dict. l. 1. hoc tit.* Censualium, *d. l. 1. b. t.* (quomodo & in municipiis erant varii Decuriarum ordines, Librariorum, Scribarum, &c. qui in ciuilibus causis & editionibus libellorum officiorum solemnitate fungebantur, *d. l. 1. supr. de lucris officiorum*:) In hisce Decuriis, seu Decuriarum Romæ ordinibus certus Ordo erat, *l. 1. hoc tit.* Erat quippe in iis locus primus *d. l. 1. b. t.* seu Iudex Decuriæ, *l. 3. hoc tit.* quem adipiscebantur Principis ipsius prouisione nonnisi Literati, seu liberalibus studiis instituti: *d. l. 1. hoc tit.* exceptis Librariis, Fiscalibus, & Censualibus: *d. l. 1. hoc tit.* In singulis etiam Decuriis vrbis Romæ, ex singulis Prouinciis bini Decuriales erant, *l. 3. hoc tit.* PRIVILEGIA, Decurialium horum Vrbis Romæ varia erant: *l. 2. 3. 4. 5. 6. seu vltim. hoc tit.* & *d. l. 18. de Pistoribus:* veluti, vt ne corporalibus iniuriis adficerentur *l. 4. hoc tit.* Actusque speciales gerebant, quibus obrepere nulli licebat, *d. l. vltim. b. t.* quomodo & in Prouinciis, *d. l. 1. supr. de lucris officiorum.* Vnde commoda etiam quædam rationibus approbata habebant, *d. l. 4. b. t.* seu emolumenta, *l. 6. seu vltim hoc tit.* IVDICEM denique suum singulæ Decuriæ in Vrbe Roma habebant, qui Decuriæ Iudex vocabatur: *l. 3. in fin. b. t.* Omnes vero sub dispositione Præfecti Vrbis erant: *l. 1. 2. 6. seu vlt. hoc. tit.*

I. (a) Imp. CONSTANTIVS A. & Iulianus Cæs. ad Iulianum. (b)

IN Decuriarum ordine, (nisi cui Librariorum, vel Fiscalium, siue Censualium nomen est) nequaquam aliquis locum primi (c) ordinis adipiscatur, nisi is quem constiterit studiorum liberalium vsu adque exercitatione pollere, & ita esse litteris expolitum, vt citra offensam vitii ex eodem verba procedant. Quod cunctis volumus intimari. Ne autem *Litteraturæ* (*quæ omnium virtutum maxima* (d) *est*) præmia denegentur, eum qui studiis & eloquio dignus primo loco videbitur, honestiorem faciet nostra prouisio: Sublimitate (e) Tua, vel (f) eius nomina indicante, vt deliberemus, quæ in eum dignitas defendenda (g) sit. Dat. VI. Kalend. Mart. Constantinop. (h) Acc. Id. Mal. Rom. (i) Constantio IX. & Iuliano Cæs. II. Coss.

NOTÆ.

(a) Abest *hec lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) *Iulianus* hic proculdubio Præfectus Vrbis Romæ erat: quod & argumentum *huius leg.* suadet, & Sublimitatis titulus: & subscriptio legis *Acc. Romæ. ID.*

(c) Sal:

(c) Salmaf. de primatu Papæ *lib.1.c.2. p.22.* reponit primum sic infra, *dignus primo loco.* Ego nil muto. *ID.*
(d) Forte *Magistra*: de quo mox. *ID.*
(e) *Sublimitatis* titulus Præfecto Vrbis tributus. *ID.*
(f) Id est, saltem: nisi hæc vox superflua videatur. *ID.*
(g) *Desterenda*, vel *dependenda*, vel *decernenda.* *ID.*
(g) Si hæc vox recte habet, tum error hic fuerit in Consulatu: cuius loco reponendi fuerint, *Constantius X. & Iulianus C. III. COSS.* & sic annus Domini 360. Eo quippe Consulatu qui *huic leg.* subscriptus est, & sequentibus Constantius Imp. versatus est non Constantinopoli, verum in Italia & in Pannonia: sineque anni 359. demum Constantinopolim profectus est, ibique sequentis anni 360. principio substitit; vt docet *lex 1. supr. de patrociniis vicorum.* Quare falsa est Petavii *in addendis ad tom. 2. Theolog. dogm. p. 868.* sententia, dicentis *huius leg.* argumento, Constantium hoc anno Constantinopoli fuisse: Quam refutat *Chronolog.* nostra. *ID.*
(l) *Accepta Romæ* lex, data ad Præfectum Vrbis. *ID.*

COMMENTARIVS.

P.140. PRIMVM in Decuria aliqua Vrbis Romæ locum & ordinem, quanam ratione quis indipisci possit, quæque in eo requirantur, hac constitutione definit Constantius Imp. Nempe duo concurrere oportere definit. Primo, vt *Studiorum* liberalium vsu atque exercitatione polleat, & ita literis sit expolitus, vt citra offensam vitii ex eodem verba procedant: denique studiis & eloquio dignum esse oportet. Cui plane concordat Theodoricus, apud Cassiodorum V. *Variar. 21. 22.* vbi *Rectorem Decuriarum* creans, aperte eum exercitatum militia literarum, & eloquentem, facundumque describit, aliaque quamplurima iis epistolis exhibet, ex quibus discimus, in quo occupatæ fuerint Decuriæ Vrbis Romæ, earumque Rectores. Scilicet Literaturæ præmium hoc esse voluit Constantius: quam & omnium virtutum *maximam* vocat: Quod notandum est; vbi putet quis Constantium potius Literaturam Virtutum omnium *magistram* dixisse, quam *virtutum omnium maximam*: neque enim Literatura de Virtutum numero est proprie, sed Virtutum Magistra ipsa. Verum Literaturam omnium Virtutum maximam dixit Constantius, voxque adeo *maxima* hic sustineri debet, non quomodo Cuiacius eam sustinet *XXI.obseru.10.* verum, quia Virtutis appellatione hic non virtus ἠθικὴ intelligenda est, verum ingenii dos qualibet, animique felicitas. Sic & Cassiodorus V. *Variar.* 21. in hac ipsa re de Rectore Decuriarum. *Omnium crederis intelligentiam habere VIRTVTVM, qui exerceri meruisti militia LITERARVM.* Constantinus certe Romam *Matrem & Magistram Virtutis* vocare solebat, μητέρα καὶ διδάσκαλον ἀρετῆς, teste Iuliano *Oratione 1. p. 14. & 16. in 8. p. 10. in 4. & pag. 6. Edit. Lips. Spanhem.* Eaque imitatione Ammianus Marcellinus, in *Constantii* rebus, deque eius Romam aduentu, *lib. 16. cap. 10.* Romam *Imperii, virtutumque omnium Larem* vocat. Ad rem. Igitur Primum, seu primo ordine locoque Rectorem Decuriæ Literis excultum esse vult Constantius, quod quidem primi loci istius ordinisque ratio deposcebat; quandoquidem hic non tantum inter Decuriales Iudex erat, vt docet *lex 3. hoc tit.* verum etiam, quomodo Rectorem Decuriarum describit Cassiodorus, vox Senatus erat, inter tot eloquentes Viros dicendi primarius, aliaque his similia.

Quod vt intelligatur, semel hic prolixius de his *Decuriis* & *Decurialibus* agendum nobis est, præter ea quæ iam Paratitlon exhibet. Decuriæ equidem in genere Φρατρίαι sunt, vt habetur in *Vet. Gloss.* verum speciatiore significatu Decuriæ V. R. *hic* dicuntur. Igitur tenendum, Decurias has fuisse varios hominum Ordines, qui Actis *Senatus & Populi* in Vrbe Roma vacabant? quod etiam Cassiodorus optime docet, non vno ministerii genere, siue actis Senatus excipiendis, siue transcribendis, complendis, scriniisque Senatus adseruandis (quomodo & in Prouinciis erant, de quibus v. *l. 1. de lucris officiorum.*) De hisce Decuriis (quod recte Cuiacius *XXI. Obseru. 10.* obseruauit) tres in Digestis textus occurrunt, puta *l.3. §. 4. D. de bonor. possess. l. 22. D. de fideiussorib. l. 25. §. 1. D. de adquir. heredit.* De iisdem est, quod & idem recte obseruat, locus apud Dositheum inter Adriani Imp. sententias *num. 9. pag. 867. Iurisprud. Anteiust. Schulting.* Quod Tertulliani locum *in Apolog. cap. 37.* vt & Taciti *13. Annal. cap. 27.* attinet, non recte ii ad has Decurias referuntur, verum de Decuriis fabrorum, id genus aliis accipiendum est, quarum frequens mentio in Inscriptionibus. Harum vero Decuriarum numero inter alias fuere, tres istæ, quæ *hac leg.* memorantur, Librariorum, Fiscalium, Censualium. De singulis ordine.

Librariorum Decuriæ in Prouinciis quoque fuere, vt docet *lex 1. supr. de lucris officiorum*: ii vero non alii erant quam qui Acta transcribebant: nam in transcribendo Librarii operam fuisse, docet vel decantata *lex 92. D. de reg. iur.* ipsi sunt quos vulgo dicimus, *les Clercs du Greffe*, de qua *transcribendi* voce ad *eam leg.* *SCRIBÆ* vero (de his enim hic malo agere, quia de Decuriis Vrbis Romæ agitur) erant, qui ipsimet acta Senatus excipiebant, concipiebant: vnde Scribarum Regesta laudat Vopiscus *in Probo cap. 2.* Huiusmodi quoque Scribæ olim Romæ erant, qui Magistratibus ibi apparebant, Quæstoribus, Prætoribus, Ædilibus, vt docet Tullius *variis locis*, & Liuius. Horum fidei Tabulæ publicæ periculaque Magistratuum commissa erant, qui cum Magistratibus in rationibus, monumentisque publicis versabantur, vt ex Cicerone *3. in Verrem cap. 79.* & *pro domo c. 28.* & *in Pisonem cap. 25.* discimus. Iidem Magistratibus Romæ ius suggerebant legesque quodammodo in manibus habebant, vt idem docet *3. in Verrem. cap. 79.* & *3. de legib. in fin.* & Plutarchus *in Catone.* Omniumque Magistratus consiliorum participes erant, Cornelius Nepos *in Eumene cap. 1.* Cicero hunc Ordinem scribit, *Præpositum esse industriæ & dignitati 3. in Verr. cap. 79.* Apud subsellia in Iudiciis considebant, teste Tertulliano *2. aduersus Marcionem, cap. 20.* Præter hos fuere & sui Pontificum Scribæ, de quibus Capitolinus *in Macrino cap. 7.* Ad Magistratuum Scribas redeamus. Quem Scholiastes Iuuenalis *Satyra 5. initio*, *Decuriam Quæstoriam* emisse ait, in quam Scribæ Quæstorii referebantur, eum Scribam Horatius *lib 1. Satyra 5. v. 66.* vocat. Cicero *3. in Verrem cap. 79.* *Scribas irridet, qui Decuriam emerent nummulis corrogatis.* Atque hæ quidem Decuriæ Scribis, 1. forte partim attribuebantur, vt docet Cicero *4. Catilinar. cap. 7.* 2. par-

tim Magistratuum gratia, vt præter Ciceronem *in Cluentiana cap. 45.* Liuius scribit *lib. 40. cap. 29. Scribam eum*, inquit, *Quæstor in Decuriam legerat. 3.* partim pretio eam comparabant, vt præter Ciceronem *3. Verrina cap. 79.* & Scholiastem *Iuuenalis, l.c.* docet Suetonius *in V. Horatii: Victisque*, inquit, *partibus venia impetrata Scriptum Quæstorium comparauit.* Scriptum Quæstorium, ait, quomodo *eodem Scriba Scriptum faciente*, dixit Piso de Flauio quodam apud Gellium *lib. 6. c. 9.* & Liuius *lib. 9. cap. 46.*

Hunc Ordinem Cicero *3. in Verrem c. 79.* Ordinem honestum vocauit. Non tamen admodum grauis & honestus fuit Romæ; vt ex Probo *in Eumene cap. 1.* colligitur; & Pisone apud *Gellium*, vbi de Cn. Flauio Scriba. Neque tamen aditus ad maiores honores his præclusus, vt discimus ex *Valerio Max. lib. 4. c. 5. num. 3.* vbi de Cicereio qui Scipionis Africani maioris Scriba fuerat! & ex Cicerone *lib. de Officiis 2. c. 8.* vbi quemdam memorat qui cum in Syllæ dictatura Scriba fuisset, post in Cæsaris, Quæstor Vrbanus fuit. De his Scribis vid. & Sigonium 2. *de Iure Ciuium Rom. cap. in id expresso 9.* & quæ nos *supra* iam *ad leg. 1. de lucris offic.* vulgo, *c' estoient les Greffiers, ou Secretaires des Magistrats.* Vnde & Decuriæ Scribarum & Librariorum hic iunguntur, vt tamen separantur *d. l. 1. supr. de lucris offic.* & quidem Scribarum Decuria velut dignior præponitur. Et vero Librariorum non tantam fuisse dignitatem, siue rationem, *huius legis* exceptio mox ostendet. Scribarum certe Decuriæ in Municipiis
P.141. & Coloniis meminit quoque Suetonius *in Vita Claudii cap. 1.* Quare minus proprie Festus *voc. scribas: Scribas* definit per *Librarios, qui Rationes publicas scribunt in tabulis.* Et hæc de Librariis.

FISCALES quinam fuerint, nullo alio loco docemur. Putet quis fuisse eos qui commoda popularia tractabant, seu fiscum populi: Sane enim populi Vrbis Romæ fiscus quidam fuit, quæ populi commoda vocantur, *l. 8. supr. de Medicis & Professorib.* Nisi forte *seruos publicos* intelligas, quos Capitolinus loco quem mox laudabo, cum Censualibus coniungit, vt hic *fiscales* iunguntur. Verum priori interpretationi adhæreo.

CENSVALES tandum fuerunt, qui censum agitabant, censuales libros tractabant: de quibus *l. 13. 27. supr. de Prætoribus: l. 4. supr. de testamentis; l. 5. supr. de Senatoribus: l. 8. supr. de donationibus: l. 1. de studiis liberalibus Vrbis Romæ: l. 1. de habitu quo vti.* De his Symmachus quoque non *vno loco:* & Sidonius Apoll. *lib. 8. epist. 6.* In Notitia quoque Imperii Censuales in officio Præfecti Vrbis Romæ, de quibus ipsis est *hac lex* memorantur. Locus de his quoque insignis Capitolini *in Gordianis cap. 12.* vbi tacitum Senatus consultum esse ait, *vbi non Scribæ, non serui publici, non Censuales actibus interessent, Senatores exciperent, Senatores omnium officia Censualium, Scribarumque complerent, ne quid forte proderetur.* Denique actis Senatus populique, hi omnes similesque Decuriales vacabant: quorum Vrbis, seu Senatus populique actorum meminit quoque Lampridius *in Commodo cap. 15.* & *Alexandro Seuero cap. 6. 56.* Notat quoque Spartianus *in Adriano c. 3.* Adrianum post Quæsturam Acta Senatus curasse. *C'estoit donques en effet, la Greffe & la Basoche.* Et hæc quidem de tribus illis Decuriis. De aliis Decuriis dixi ad *l. 1. supr. de lucris officiorum*, & ad *l. 46. supr. de cursu publ.* De iisdem sensit & Suetonius *Octauio, cap. 57. Veterani*, inquit, *Decuria, Tribus:* & Tacitus 13. *Annal. cap. 27. Hinc plerumque Tribus, Decurias, Ministeria Magistratibus & Sacerdotibus.* Cæterum diuersi hi Decuriales seu Decuriæ hæ V. R. fuere a collegiis & corporibus Vrbis Romæ, vt apparet ex diuersitate *titulorum:* est enim hic separatus titulus *de Decuriis Vrbis Romæ*, separatus *de priuilegiis Corporatorum Vrbis Romæ:* distinctus *de Collegiatis.* Nam etsi negari non possit generali *corporum* appellatione, Decurias quoque venire potuisse, vt & Collegii appellatione donantur, *l. 4.* attamen hic aliæ sunt Decuriæ, alii proprie Corporati & Collegiati. *Decuriæ* scilicet dicebantur eorum, qui ACTIS Senatus populique vacabant: vnde etiam primo loco de his agitur, veluti dignioribus. At *Corporati* erant obsequiis publicis deputati, seu ministeria necessitatibus vrbis consulentia, ac inter alia annonæ vrbis: de quo vide Paratitlon *tit. prox. 2. Collegiati* vero, erant ferme sacris deseruientia collegia, vt discimus ex *l. 2. tit. de Collegiatis.* Quare Clar. Salmasio non accedendum *lib. 1. cap. 2. p. 22. de Primatu;* qui Collegiorum partem facit Decurias has; & collegia adeo, vtpute numerosiora propter hominum multitudinem in plures Decurias distribui solita; & si quando numerus hominum, quos idem artificium vel professio in vnam societatem ac sodalitium cogebat, adeo paucus erat, vt plus quam vnam Decuriam explere non possent, tum Decuriæ tantum nomine veniebat, quod vnicam duntaxat efficerent Decuriam. Ergo *Decuriæ* erant, quæ actis Senatus in Vrbe Roma vacabant. Sic & cum Scribæ memorentur Magistratuum, velut Æditilii, Quæsturii & Tribunitii, & aliorum. In *Inscript. antiqua*, apud Gruterum *DCXXVII. 7.* memoria extat, *SCRIBÆ LIBRARI QVÆSTORI TRIVM DECVRIARVM*, qui scilicet in pluribus Decuriis fuisset. Memorat & Schol. Iuuenalis, *ad Sat. 5. initio: Decuriam Quæstoriam.* Mentio & in antiqua inscriptione, *DECVRIÆ SCRIBARVM ÆDILIVM CVRVLIVM apud Gruter. CCCXXVI. 9.* Vide & alia in *d. Inscript. antiq. Pag. XXXV. 5. CVII. 8.*

Ad sententiam Legis nunc descendamus. Igitur Constantius Imp. in Principe, seu Iudice, vt vocatur *l. 3. in fin.* Decuriæ, Literarum studium & eloquentiam desiderat non frustra, exceptis tantum tribus Decuriis, quas dixi, Librariorum scilicet, Fiscalium, & Censualium: quia scilicet hi omnem operam in scribendo tantum nauabant. At enim primores aliarum & superiorum Decuriarum, veluti Scribarum, maiorem intellectum desiderabant, & vocem quoque suam commodabant: quare Literarum peritia & facundia in his requisita: vt ita (quod Constantius *hac leg.* diserte ait,) *citra offensam vitii ex ipsis demum verba procederent.* Vnde &, quod antea dixi, Cassiodorus Rectorem Decuriarum, *vocem Senatus* vocat: apud quem occurrunt & alia quamplurima eandem in sententiam, quæ hic adscribi mererentur, *duabus epistolis 21. & 22. lib. 5.* Et hactenus quidem de primo Requisito in promotione Decurialium.

Alterum requirit *hac leg.* Constantius Imp. nempe vt ad suggestionem Præfecti Vrbis (hinc enim *hanc leg.* inscribi iam ostendi *in Notis*) promotio ipsa ab Imperatore fiat. Ad suggestionem, inquam Præfecti Vrbis, qui vt Senatus populique Romani caput erat, ita & Decuriarum omnium Princeps: quare vt duæ insuper *huius tituli* constitutiones Præfectis Vrbi inscribuntur, puta *lex 2. & lex vltim.* ita & *hac lex* Iuliano Præfecto Vrbis pariter reddenda est. Et notandum, quod Constantius suum in *Literas & Literaturam* studium, non modo, eo, quod dixi, Literaturæ elogio testatum facit, verum & præmia illi a se non denegandа profitetur: & exinde eo fine eius nomina sibi indicari iubet, qui *ad locum primi Ordinis in Decuria* electus fuit: *Vt ita*, inquit, *honestiorem faciat prouisio* Principis, *isque deliberet, qua in eum dignitas dependenda*, deferenda, decernenda sit. Eadem ratione, etsi forte alio fine, Iulianus Imp. decretum

decretum seu electionem Magistrorum, Doctorumque, ad se referri voluit, *Vt altiore*, inquit, *quodam honore ipsius iudicio ad studia accederent. l. 5. hoc Codice*, & *leg. 7. Cod. Iustin. de Medicis & Professoribus* : ad quam *leg.* vide quæ dixi. Neque abludit etiam quod Valentinianus Imp. statuit, *l. 8. d. tit. infr. de Medicis & Professorib.*

P.142. II. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcadius AAA. ad Salustium P. V. (b)

PRIVILEGIORVM antea (†) Decurialibus concessorum firmitatem mutare, (c) nec volumus, nec debemus: quinimo ea quæ primitus statuta perdocentur, (d) etiam Nostræ Mansuetudinis sanctione permaneant. Dat. III. Id. Iun. Med. Honorio NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iust.* Iungenda porro illi *lex* 18. *infr. de Pistorib.* GOTHOF.

(b) *Salustius* P. V. Romæ sub Valentiniano Iun. De hoc vid. *Prosopogr.* *ID.*

(†) Non exstant hæ constitutiones. *ID.*

(c) An *nutare*? nil muto. *ID.*

(d) *Perdoceri*, pro simplici, *doceri*. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE PRIVILEGIIS Decurialium, & ferme quidem Vrbis Romæ, sunt sequentes quinque *Leges* omnes, & hæc quidem VALENTINIANI Iunioris, vt docet eius subscriptio simul & inscriptio: *Data* enim hæc lex *Mediolani*, vbi certe tum erat Valentinianus Iun. Theodosio M. tum Constantinopoli locato, & ad *Salustium P. V.* Romæ, quæ Vrbs Valentiniano Iun. parebat: ad Salustium, inquam, P. V. Romæ, de quo plura in *Prosopogr.* ad quem eiusdem Valentiniani Iun. rescriptum refert ex Codice Vaticano Baronius, (& recte quidem hoc ipso anno 386. *n* 39. argumento *huius leg.* simul, & *l. 18. infr. de Pistoribus*, quæ *huic* coniungenda est, mox vt dicam) de Basilica videlicet B. Pauli via Ostiensi amplificanda: quam tamen postea Theodosio M. adscribendam perperam censuit. Huius vero legis eadem sententia est, quæ quatuor reliquarum: Nempe illis omnibus priuilegia in genere Decurialium iam antea concessa, confirmantur: neque satis ostendunt, quænam illa priuilegia fuerint: nam quæ posteriore *legis 4.* parte, & *lege 6. seu vltim.* indicantur, non tam priuilegia sunt, quam emolumenta eorum spectant. Vna *lex 4.* priuilegium aliquod Decurialium ῥητῶς designat, nempe, vt Iniuriis corporalibus non subiaceant, de quo ad *eam leg.* Illud obseruandum, *hanc leg.* esse partem maioris constitutionis Valentiniani Iun. vnde desumta est quoque *d. lex 18. de Pistoribus*, quæ proinde huic coassanda venit: qua pariter Decurialium priuilegia confirmantur: parte altera vero Mancipibus Pistoris consulitur: constituto, vt ne Pistorio Mancipatu quisquam liberetur, siue Decuriali professione, siue Principis rescripto, aliaue qua militia. Et sic fuit ea constitutio de *Corporibus & collegiis Vrbis Romæ*, quibus ea constitutione Valentinianus Iunior consultum iuit.

III. (a) Idem AAA. Tryfolio PF. P. (b)

PERIRE nolumus, quod Æternæ Vrbi (c) constat fuisse concessum: Vsque adeo priuilegia vetusta seruamus, vt noua (inquantum ratio permittit) beneficia præstare velimus. Vnde, in defendendis Decurialibus (quos binos *esse*, ex singulis quibusque Vrbibus omnium Prouinciarum, veneranda decreuit (†) antiquitas) id obseruare debebis, quod vel priscorum Principum constitutis, vel nostris (††) intelligis sanctionibus definitum. Si (*) quis vero Decurialem de auferendis priuilegiis putauerit lite pulsandum, intelligat se Decuriæ interpellare debere Iudicem. Dat. XIV. Kalend. Febr. Med. Timasio & Promoto Coss. [389.]

NOTÆ.

(a) Abest a *Cod. Iust.* huius *leg.* pars potissima. GOTHOFR.

(b) *Trifolius* PP. Italiæ (vt vel hæc lex docet) sub Valentiniano Iun. vid. de eo *Prosopogr.* & quæ dico ad *l. 15. de hæreticis.* *ID.*

(c) *Æterna* Vrbs Roma: vid. *Topogr.* *ID.*

(†) Decreti

NOTÆ.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. hoc titulo.* Forte hoc rescriptum suum intelligit Honorius *l. 5. prox.* GOTHOF.

(b) Videntur hi duo, Iudices fuisse quarundam Decuriarum; de quibus ad *l. 3. super. prox.* ID.

(c) Num alicuius certæ Decuriæ? an vero omnium? Illud puto. ID.

(†) Harum Legum de priuilegiis Decurialium crebra fit mentio: *huius tituli Legib.* ID.

(d) Theodosii M. Leges nota, de iisdem priuilegiis. de quibus mox. In Cod. I. legitur, *diuo parente.* ID.

(e) *Iudices*, idest, Rectores Prouinciarum. ID.

(f) Decurialium, vt ex Inscript. *legis* patet. ID.

(g) *Collegium* Decurialium *hic*: & rursum *fine leg.* ID.

(h) Id est, per iniurias corporales: de quibus *Iniuriis corporalibus*, mox. ID.

(i) An *adurere*? Nil necesse: Codex Iustinianeus quoque ita habet. ID.

(k) *Commoda* hic. Alia sunt ab his *emolumenta*: de quibus *l. vlt.* ID.

(l) An Sanctionibus? vt *l. 2. 3. supr.* Nil temere muto. ID.

(m) Enim *Cod. Iust.* ID.

(n) Honorius, hoc anno *Romæ* fuit: vid. *Chronolog. Theod.* ID.

COMMENTARIVS.

P.144 DE Privilegiis & commodis Decurialium est hæc Honorii Imp. constitutio, ab ipso Romæ constituto data: vbi quinque notanda sunt. *Primo* inscriptio notanda est, quæ duobus Decurialium scilicet Iudicibus (de quibus ad *l. supr. prox.*) discrete inscribitur, & ad quorum querelam Rescriptum hoc emissum est. *Secundo* notandum memorari, confirmarique ab Honorio *hac leg.* non modo alias superiorum Principum hac de re constitutiones, verum signate etiam Patris sui Theodosii M: quæ nusquam alioquin occurrunt: quas tamen a Theodosio M. latas existimo *Romæ*, vbi post Maximum Tyrannum deuictum hæsit: pariter vt hæc *lex* ibidem ab Honorio data ibi consistente, quod *Tertium* hic notandum est, de quo vid. *Chronolog. Theod.* Quarto notandum hic est, priuilegium Decurialium, quod hic exprimitur: nempe *Immunitas ab iniuriis corporalibus*: id est, vt interpretor, a quæstionibus & tormentis; quo ipso sensu iniuria corporalis accipitur, *l. 10. supr. de fide testium*: *l. 47. 82. 192. supr. de Decurionib. l. 6. supr. de quæstionibus*: & iniuria corporis, *l. 39. & 75. d. tit. de Decurionibus*: quod quidem priuilegium pro magno, aliis quoque datum, & quidem Decurionibus, saltem primoribus inter eos, de quo sunt leges illæ aliæque plures *tit. de Decurionib.* Quinto firmantur Decurialibus, hac constitutione, & *Commoda*, sed a quibus eos separare Iudices nitebantur, actibus videlicet eorum intercedentes, & sic emolumentis eos fraudantes, vt *l. vlt. hoc tit.* Addit vero limitationis vice, *rationibus adprobatas*, iuris scilicet & æquitatis; vel vt loquitur *lex 3. supr. in quantum ratio permittit*: & sic moderata iustaque commoda & emolumenta, & iuxta diualia statuta: *d. l. vltim.* Tandem, Iudices hæc priuilegia Decurialibus seruari iubet a *Iudicibus*, id est, a Rectoribus Prouinciarum, qui scilicet Collegio huic minus fauentes erant, suisque eos priuilegiis & commodis fraudabant: vt ferme Iudices huiusmodi priuilegiatorum priuilegiis & actibus intercedebant in suorum gratiam ea auertentibus, & in actus eorum inuolantibus.

V. (a) Idem AAA. Curtio PF. P. (b)

CVM (c) tot & tam euidentibus præceptionibus (†) sacris iam inde ab antiquis Principibus, nostris quoque Rescribtis, (d) decuriæ sunt Sacratissimæ Vrbis priuilegia confirmata, adtamen quæ sæpius statuta sunt, hæc (e) etiam lege firmamus, &c. Dat. VII. Id. April. Rau. (f) Honorio VII. & Theod. II. AA. Coss. [407.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFRED.

(b) *Curtius* sub Honorio PP. Italiæ, vt vel ex *hac leg.* discimus: vid. de eo *Prosopogr.* ID.

(c) Id est, etsi *tot.* ID.

(†) *Præceptionibus*, id est, sanctionibus, constitutionibus. ID.

(d) Veluti *l. 4. supr.* ID.

(e) Malim *hac*, vt habet Edit. Quartan. etsi & illud sustineri potest. ID.

(f) Malim *Romæ*: vbi hoc anno Honorius constitit: vid. *Chronol.* ID.

COMMENTARIVS

DE PRIVILEGIIS Decuriarum est hæc altera iam Honorii Imp. constitutio; qua superiores non tantum Principum sanctiones super his memorat, simul & confirmat, verum & sua quoque ipsius Rescripta: Quo numero fuit *lex 4. supr.* Et *hac* quidem *lege* emissa ad Præfectum Prætorio Italiæ, pariter vt inscribitur *lex 3. supr.*

VI. (a) Impp. HONORIVS & Theod. AA. Bonosiano P. V. (b)

VELLEMVS priuilegia augere Decuriæ, (c) nisi genus esset iniuriæ, antiquitati (d) aliquid sociare. Quare cuncti cognoscant, quinque libras auri multæ nomine propositas, si quo in loco eorum (e) actibus (f) vllius persona obripere (g) forte temptauerit. Emolumenta (h) omnia per diuersos crepta (i) rethiberi (k) decernimus. In eos sane, qui contra Diualia statuta venisse dicuntur, Spectabilis Vicarius Africæ (l) vindictam ferre curauit, (m) Dat. VII. Kalend. Octob. Rauen. Honorio VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.].

NOTÆ.

(a) Et *hæc lex* abest a *Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) *Bonosianus* sub Honorio Imp. P. V. Romæ: Eidem inscribitur Ann. 411. *lex* 48. *infr. de operib. publicis*: ad quem ipsum forte annum hæc *lex* referenda est. *ID.*

(c) Cuiusdam, seu certæ, de qua agebatur. *ID.*

(d) *Antiquitatis* hac parte religiosus Honorius: pariter vt in sp. *d. l.* 48. *ID.*

(e) Decurialium, de quibus tamen *supra* non actum fuit. *ID.*

P.145. (f) Id est, in eorum actus. *ID.*

(g) Obrepere. *ID.*

(h) Sportulas, lucella. *ID.*

(i) Prærepta. *ID.*

(k) *Redhiberi*, id est, reddi, præstari. *ID.*

(l) *ye. Vicarius* deleta voce *Afric.* de quo mox. *ID.*

(m) Curabit. *ID.*

COMMENTARIVS.

ACTVS ad Decuriales certæ cuiusdam Decuriæ, quæ hic non exprimitur, pertinentibus immiscere se: seu actus vindicare sibi, quemquam vetat *hac constitutione* Honorius: & vt ipsemet loquitur, *obrepere eorum actibus*, quæcunque tandem persona sit, etiam alterius forte Decuriæ finitimæ: veluti si Censualis Librarii actibus, aut Fiscalis sese immisceat: sua cuique Decuriæ munia, sui actus seruandi sunt. Et pœnam quinque librarum auri proponit Honorius, & emolumenta seu lucella & sportulas exinde quæsita restitui vult. Scilicet Decuriæ cuiusdam certæ actus, & priuilegia hoc tempore ab aliis interturbata fuerant, in hac Vrbis Romæ per hos annos colluuie. Quæ omni ope enixoque studio huic reddi voluit Honorius: præfatione etiam addita, qua animum suum erga eam testatum cummaxime facit: cui simile est quod continetur *l. 2. supr.* ad quam dixi.

Quod ipsam sanctionem attinet, haud absimilis est Constantini M. *lex 1. supr. de lucris officiorum*, quæ & ipsa Decurialium actibus per Prouincias obrepere, Officiales Rectorum Prouinciarum vetat: ad quam *leg.* dixi. Similis *lex 4. supr. de Testamentis*, seu *l. 18. Cod. Iust. eod.* vid. & *l. 5. supr. de Princip. agent. in reb. Toutes ces Loix sont Reglemens d'Estats & Offices.* Cæterum notandum, quod *Antiquitati* hac in re stari vult Imp. quæ vtique regula est in huiusmodi controuersiis & sanctionibus, vt præter *hanc leg.* eædem illæ *leges* docent.

Et hæc quidem Honorius Imp. in fauorem Decuriæ cuiusdam. Atenim vicissim Decurialibus Decuriæ istius modum imponit *fine leg.* Nempe vt eorum actibus obrepi noluit, ita contra Decuriales ipsos, si quid deliquisse probentur, a Vicario puniri iubet. Eiusdem scilicet prouidentiæ est, priuilegia, actusque cuiusque tueri, & eiusdem actus culpabiles punire. Atque ita extrema *huius leg.* accipio, argumento vocis, SANA, quæ temperamenti index est, & cautionis in alteram partem. Ergo a Vicario eos puniri iubet: *a Vicario*, inquam, vrbis. Error enim est Librarii *fine leg.* qui scripsit *Vic. Afric.* diductis literis, cum debuerit continuis literis scribere *Vicarius*: Quid enim hic faciat Vicarius Africæ? cum de Decurialibus Vrbis Romæ hic agatur, & lex ipsa ideo ad *Præfectum Vrbis* data sit: denique hæc *lex* posita sit sub *tit. de Decuriis Vrbis Romæ*? Sed error hic non *vno loco* admissus hoc Codice.

DE

DE PRIVILEGIIS* CORPORATORVM VRBIS ROMÆ.

TITVLVS II.

Lib. XI. Cod. Ivst. Tit. XIV.

* Non tantum de priuilegiis Corporatorum Vrbis Romæ *hoc titulo* agitur, verum etiam de necessitate huius functionis; quo pertinet *lex vltim. hoc tit.*

PARATITLON.

Corporati *Rubr.* & *l. 3. 4. hoc tit. l. 1. infr. de studiis liberalib. Vrbis Romæ. l. 156. supr. de Decurionib. Rubr. tit. de Suariis, pecuariis, & Susceptoribus vini cæterisque corporatis, l. vnic. de Equestri dign.* & Nouella Valentiniani, *inter Theodosianas 26. de corporatis V. R.* & *40. de Pantapolis ad Vrbem Romam reuocandis*: & *Nouella Valent. de Episcopali iudicio 12. Nouella Maioriani 1. cap. Et quoniam*: & *Nouella Seueri 2. de Corporatis*, erant Corpora varia, *l. 1. hoc tit.* corpora obsequiis publicis deputata, *Nouella Seueri 2.* corpora ad Vrbis Romæ priuilegia pertinentia, *l. 8. infr. de Suariis, in fin.* (& generali appellatione incolæ Vrbis, *l. 2. hoc tit.*) Vrbis Romæ, *Rubr.* & *l. 4. hoc tit.* & *d. Nouella Seueri 2.* & *d. Nouella Valentin 26.* Vrbis æternæ, *l. 2. 3. hoc tit.* Vrbis Sacratissimæ *d. Nouella Valent. 26.* ministeria necessitatibus Vrbis consulentia, *d. Nouella 26.* ac nominatim annonæ vrbis, veluti Pistores & Catabolenses, *tit. prox. 3. de Pistorib. & Catabolensib.* Suarii, Pecuarii, susceptores vini, *tit. 4.* Mancipes thermarum vrbis, & subuectioni lignorum obnoxii, *tit. 5.* Calcis coctores, *tit. 6.* Aliaque minuscula corpora, *l. vnic. supr. de Mancipibus.* Quæ omnia sub dispositione Præfecti Vrbis erant, quod docent omnes huius tituli *leges: lex 4. Cod. Iust. de off. P. V.*

Privilegia porro *Rubr.* & *l. 1. hoc tit.* seu suffragia *l. 3. hoc tit.* pro reuerentia Vrbis æternæ, *d. l. 1. b. t.* in honorem æternæ Vrbis, *l. 3. b. t.* eo quod peruigilem laborem populi Romani commodis exhiberent, *l. 6. infr. de Suariis*: quædam his concessa fuerant, P.146 quæ ad priuilegia Vrbis Romæ pertinebant, *l. 8. infr. de Suariis*: veluti, vt ne quid nouum, id est, ne extraordinariam collationem sustinerent, *l. 2. hoc tit.* vt ne ad Militiam cogerentur, nisi ad murorum & portarum custodiam, *d. Nouella 40.* vt studiosi Romæ agentes, in patriam remittendi non sint legitimo studiorum tempore exacto, si corporatorum sint oneribus adiuncti, *l. 1. infr. de studiis lib. V. R.* Vicissim* ita huic ministerio seu oneri nexi erant Corporati, vt non expleto ordine officii ad nullam militiam vel Clericatum confugere possent, *d. Nouella Valentin. 26.* & *d. Nouella 12. cap. Nullus originarius*: & *Nouella Maioriani 1. cap. & quoniam*: & *l. 8. infr. de Suariis*: vbi dicam. Vt testimoniales ex-Protectoribus & domesticis nihil eis prodessent, *l. 156. supr. de Decurionib.* vt in peregrina transgressi cura Præsidum vrbi restituendi essent: *l. vltim. hoc tit.* Et hæc de Corporatis Vrbis Romæ. Fuerunt enim & Corporati huiusmodi in Prouinciis: de quibus *l. 2. infr. de Collegiatis. l. 5. supr. de locat. fundor. l. 24. supr. de annona & tribut. l. 34. supr. de Nauiculariis. l. 2. de Alexandr. pleb. primatib.* & *d. Nouella Valentiniani 12.* & *d. Nouella 2. Seueri.* Quanquam & hic illud addendum, supplendis Corporibus & Corporatis Vrbis Romæ, sæpe peregrinos ibi agentes Corporatis his adnexos: vt docet *d. l. 1. de studiis lib. V. R.* & *l. vnic. de Equestri dign* vid. & quæ noto ad *l. vnic. de Mancipibus.* Tandem de his Corporatis Vrbis Romæ videndæ Symmachi *epistolæ 27* & *58. lib. 10.* vt & *duæ epistolæ* filii eius *in negotio Eulalii, 19.* & *29. in Auctuario Symmachiano.*

L. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Symmachum P. V. (b)

EA priuilegia, quibus pro reuerentia (c) Vrbis æternæ, varia Corpora hominum, vel priscarum Legum (†) cautio, vel antecedentium Principum fouit humanitas, Magnifica Sinceritas Tua sciat, vel confirmata esse arbitrio Serenitatis Nostræ: vel, si in aliqua parte titubauerint, restituta. Dat. Kalend. Iun. (d) Bonamansione, (e) PP. (f) in Foro Traiani, diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* *GOTHOF.*

(b) *Symmachus* P. V. sub Valentiniano Sen. non Epistolographus, qui & ipse P. V. fuit sub Valentiniano Iun. Ann. D 384. & 385. verum eius pater: de quo mox, & in *Prosopogr.* *ID.*

(c) In honorem æternæ Vrbis, *l. 3. init.* *ID.*

(†) An priscæ *leges* hic sunt veteres populi Romani? *ID.*

(d) *vel. VI. Kal. Iun.* vt *l. 12. supr. de erogat. mil. ann.* Id enim Valentiniani Imp. itineris ratio deposcit: vid. *Chronolog.* *ID.*

(e) *Bonamansio* inter Serdicam & Philippopolim fuit, vt ex Itinerario Burdegalensi discimus, & Auctore *vitæ S. Alexand. Martyris: in Thracia*, vbi tum erat Valentinianus. Hinc adeo a Valentiniano datæ hoc anno Philippopoli, mox Philippis IX. & VIII. Kalend. Iun. *lex 19. de cursu publico: lex 11. de operib. publicis.* III. Kal. Iun. Serdicæ *lex 3. de Legatis:* VI. Kal. Iun. *d. l. 10. de erogat. mil. ann.* & *hæc lex:* vid. *Chronologiam.* Locus ex *Itinerario Burdegalensi* hic est *pag 566. seqq. Edit. Wesseling. Ciuitas Naisso, Mansio Romansiana, Mansio Turribus, Mansio Meldia, Ciuitas Serdica, Mansio Burazara, Mansio Iliga, Mansio Bonamans. Mansio Basapare, Ciuitas Filipopulis* Vide & quæ scribo ad *l. 13. infr. de operib. publ.* *ID.*

(f) *PP.* in foro Traiani: vid. *Prolegom.* *ID.*

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIA Corporatorum Vrbis Romæ hac constitutione a Valentiniano Sen. partim confirmantur, partim & restituuntur, si forte alicubi *titubassent*. Et quidem constitutione emissa *ad Symmachum P. V.* non Epistolographum (in quo CL. Cuiacius labi visus, ad *l. 1. Cod. Iust. eod. tit.*) verum eius Patrem: cuius etiam honesta mentio apud Ammianum *lib. 27. cap. 3.* & cui vetus Inscriptio *apud Gruterum CCCLXX. 3,* posita. Quare neque *hæc lex* ad illam Equorum collationis immunitatem pertinet, de qua Symmachus *lib. 10. epist. 27.* ad Valentinianum Iuniorem illius filium, quem Iouenem diserte ibi vocat scribens. Verum ad illud forte potius, quod de hoc Valentiniano Seniore *ibidem* scribit ad Valentinianum Iuniorem eius filium: Inter cætera scilicet, quibus Symmachus *ea epistola* Valentinianum Iuniorem dehortatur ab imperata Equorum collatione Corporatis Negotiatoribus, hæc addit: *Cæli particeps, Parens Clementia vestra* (id est, Valentinianus Sen. *huius leg.* Auctor) *cum MVNVS exiguum huic hominum generi* (corporatis negotiatoribus Vrbis) *mandare tentasset, motus libertate plebis abstinuit. Et certe paucorum CVRAM res illa poscebat: magisque OFFICIVM desiderabatur TRACTANDÆ PECVNIÆ PVBLICÆ, quam dispendium conferendæ: Consuluit tamen gloriæ suæ, ne quid iuberet inuitis: & diligentissimus ac serius Imp. speratum emolumentum tanquam populare ignouit: Nec putet Æternitas vestra ab incæpto temere destitisse Deo proximum virum: Nouerat horum Corporum ministerio tanta Vrbis onera sustineri*, &c. quæ mox subiiciam. Quare videri cui possit Symmachus hisce verbis de *hac leg.* sensisse. Quod si ita est (quod non temere adstruo,) tum *hæc lex* eo pertineat, vt immunitatem ab extraordinariis muneribus Corporatis iam olim concessam confirmet: quæ sane sententia est *Legis* Valentiniani Iun, *l. 2. prox. infr.* Imo *Orationis suæ*, cuius ipse meminit *l. 2. infr. de Calcis coctoribus:* ac nominatim ab extraordinario munere seu officio & cura publicæ pecuniæ tractandæ. Illud sane certissimum mihi, Symmachum patrem P. V. *huius leg.* Valentiniano Sen. Auctorem vel incentorem fuisse, vt multarum aliarum, quarum aliquammultæ occurrent *infr. tit. prox. de Pistoribus:* & *tit. de Naucularius:* & *tit. de prædiis Naucul.* pro bono scilicet seu vtilitate Vrbis Romæ. Quod Valentinianum attinet, sane hoc ipso tempore Valentinianus studium suum vtilitatibus Vrbis Romæ consulentis testatus est expresse *l. 1. Cod. Iust. de offic. P. V.* Inter cætera vero restituta Corporatis Vrbis Romæ ab eo priuilegia, inter Imperii sui statim initia, quæ antea sub Constantio forte imminuta & labefactata fuerant; quo pertinet *hæc lex* & *l. 10. supr. de Naucularius:* Quod innuant illa *huius leg.* verba, *vel si in aliqua parte titubauerint, restituta.* Quod Symmachum vero attinet, eiusque studium in erigendo statu Vrbis Romæ, eo pertinet quod Ammianus Marcellinus de eo scribit *lib. 27. cap. 3. Symmachus Aproniano successit, inter præcipua nominandus exempla doctrinarum atque modestiæ: quo instante Vrbs Sacratissima otio copiisque abundatius solito fruebatur, & ambitioso ponte exultat atque firmissimo, quem condidit ipse, & magna ciuium lætitia dedicauit.* Et hæc quidem de *huius leg.* sententia. P. 367.

In huius interim *tituli* ingressu de *Corporatis* in genere præter ea quæ *Paratitlon* exhibet, extrinsecus adiicienda puto quatuor. Primo ex Lampridio. Ait is *in Vit. Alexandri c. 33. Alex. Seuerum Romæ corpora omnium constituisse, Vinariorum, Lupinariorum, Caligariorum, & omnino omnium Artium: hisque ex sese Defensores dedisse, & iussisse, quid ad quos Iudices pertineret:* vbi *Lupinariorum* vocem non temere mutem: id enim ostendere voluit Lampridius, minutissimarum quantumcunque Artium corpora ab Alex.

ab Alex. Seuero instituta; *Lupinariorum*, inquit, *caligariorum, & omnino omnium Artium.* Et sane minusculorum corporum mentio quoque *l. vn. supr. de Mancipibus.* Secundo obseruanda cumprimis insignis de Corporatis & eorum priuilegiis ac immunitatibus Symmachi F. epistola illa *lib. 10. epist. 27.* vbi præter ea quæ iam superius exinde notata, vtilitatem eorum, tum & varia eorundem genera describit: *Nouerat* (Valentinianus Sen.) *horum corporum ministerio tanta vrbis onera, sustineri. Hic lanati pecoris inuector est: ille ad victum populi cogit armentum: hos suillæ carnis tenet functio; pars vrenda lauacris ligna comportat: sunt qui fabriles manus Augustis operibus accommodant: per alios fortuita arcentur incendia. Iam caupones & obsequia pistoria, frugis & olei baiulos, multosque id genus patria seruientes, enumerare fastidium est. Ad summam liquet, Priuilegium vetus magno impendio constare Romanis. Iugi obsequio nomen immunitatis emerunt. Quod si adiiciantur insolita, forsitan consueta cessabunt.* Adeunda & altera epistola Symmachi *libro eodem 10. epist. 58.* de qua ad *l. vnic. supr. de Mancipib.* Tertio, est & apud Ambrosium de his Corporatis locus *3. officiorum 7.* ex quibus peregrinos tempore famis vrbe pulsos ait: quem ad *l. prox.* afferam. Quarto obseruandum, variam & frequentem horum Corporatorum & similium mentionem occurrere, in *Veterib. Inscriptionibus*, quarum syllabum collegit Scaliger *cap. de collegiis, corporib.* &c. Postremo obseruandum, semel Corporatos hos omnes sub dispositione Præfecti Vrbis fuisse, quod ostendunt *huius tituli* leges omnes, quæ Præfectis Vrbi inscribuntur, & superior *Symmachi* epistola: Deque eo expressa extat *Cod. Iust.* lex, puta *l. 4. Cod. Iust. de offic. P. V.* in quorum nonnullos tamen Comes S. L. vel Comes R. P. quod malo (arg. *l. vltim. supr. ad l. Iul. repetund.*) Iurisdictionem sibi vindicare voluisse ex *eadem leg.* colligitur.

Ab EXTRAORDINARIIS *collationibus immunes esse Corporatos Vrbis Romæ.*

II. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcad. AAA. ad Alypium P. V. (b)

NVLLI sit liberum, nulli permissum, vt nouum (c) aliquid Vrbis Incolæ in Vrbe sustineant. Dat. Prid. Id. Iul. Aquil. Tatiano & Symmacho Coss. [391.]

N O T Æ.

(a) *Lex vnic. Cod. Iust. hoc titulo, ex hac leg. & duabus sequentibus* conflata est. GOTHOF.

(b) Ad hunc *Alypium* extant *epistolæ 6.* Symmachi *lib. 7.* puta 66. 67. 68. 69. 70. 71. & *Ep. 70.* quidem Præfecturam eius Vrbanam indubie indicat. De hoc ipso Inscriptio vetus *apud Gruterum CCLXXXVI. 6.* ex Panuinio.

OOMINO NOSTRO
FL. THXOOOSTO
AVGVSTO
FALTONIVS PROAVS
ALYPIVS V. C. PRAEF. VRB.

Plura de eo in *Prosopogr.* ID.

(c) Id est, extraordinarium, insolitum: pariter vt *l. 7. supr. de extraordinar.* & Ambros. *orat. funebri in Valent. Iun. pag. 108. Tom. V. Oper. Edit. Paris. 1614. in f.* ID.

COMMENTARIVS.

EXTRAORDINARIVM seu nouum & insolitum quid Incolis Vrbis, id est, Corporatis Vrbis Romæ mandari, imponi a *quocunque* vetat *hac leg.* Valentinianus Iunior, Ann. D. 391. Quæ & ipsa sententia videri possit Valentiniani Senioris *l. 1. supr.* Sane cum & ipse aliquando extra ordinem quid his mandasset, id eum mox reuocasse, ex Symmacho iam ad *l. super.* ostensum est. Sed & cum Valentinianus Iunior *huius leg.* Auctor Anno D. 384. ad Equorum collationem Corporatos negotiatores vocasset, Symmachus P. V. ad id reuocandum eum hortatus est *lib. 10. epist. 27.* Vt vt sit, ex his ipsis exemplis liquet, sæpius Corporatos V. R. ad extraordinaria onera vocatos. Vt forte hoc saltem videri possit Valentinianus Iun. Corporatis *hac leg.* indulgere, vt ne a P. V. aut Senatu Romano, vel Præfecto annonæ his noui quid imponi possit: *Nulli sit*, inquit, *liberum, nulli permissum.* Eo scilicet iure sibi soli reseruato. P. 148. Et forte an pertineat *hac lex* ad id, aut simile quid quod Symmachus ad hunc ipsum Alypium (cui *hac lex* inscribitor) scribens, *lib. 7. epist. 68.* ait de vocatis ad collationem, ob sterilitatem conditorum, id est, ob defectum annonæ vrbicæ *Nobis tardior Africanarum nauium commeatus incutit curas, & sterilitas conditorum. Quapropter ad collationem vocati remedia patria vsitata promisimus, sed votis opus est, vt voluntaria sponsioni solutio prompta respondeat.* Subinde scilicet in defectu annonæ Senatus Romanus collationem pollicebatur, vt idem Symmachus testatur *lib. 6. epist. 12. 14. 26.* & Ambrosius horum ipsorum temporum scriptor, insigni loco *3. officiorum, cap. 7.* vbi & tempore famis Roma Peregrinos (seu INCOLAS) *Corporatos*, de quibus vid. *l. vnic. de Equestri dign. l. 1. de studiis lib. V. R.* pulsos ait. *Quantis*, inquit,

inquit, *Corporatorum subsidiis dudum Roma fraudata est.* Quo loco cum *hac leg.* collato, ita censeo, incolas Corporatos in Vrbe Roma quidem iam tempore famis retentos fuisse; verum ad extraordinariam collationem vocatos ab Alypio P. V. Quod alioquin circa Honoratos & locupletiores factitatum famis tempore aliquando, insignis eo capite *Ambrosii* locus ostendit: *Quanto ille rectius*, inquit, *qui cum iam prouecta processisset atate, & famem toleraret ciuitas, atque vt in talibus solet, peteretur vulgo, vt Peregrini Vrbe pellerentur, PRÆFECTVRÆ VRBANÆ curam, cateris maiorem, sustineus, conuocauit Honoratos & LOCVPLETIORES viros, poposcit, vt in medium consulerent: dicens, quam immane esset peregrinos eiici*, &c. *Quid plura, collato auro, coacta frumenta sunt. Quanta hoc commendationis apud Deum fuit sanctissimo SENI? Quanta apud homines gloria? Hic magnus vere probatus, qui vere potuit Imperatori dicere, demonstrans Prouincia totius populos: hos tibi omnes reseruaui, hi viuunt beneficio tui Senatus, hos tua Curia iam morti abstulit.* Ergo in *huius leg.* specie *Incolis* nouum quid proculdubio indictum fuerat *in Vrbe*, & ad Vrbis vsum, nisi Roma iam recedere mallent: de quo ad *d. l. vnic.* & *d. l. t. Incolis*, inquam Corporatis: nempe Corporati negotiatores in Vrbe Roma ferme peregrini fuere. Hinc illa in Valentiniani III. *Nouella de Pantapolis ad Vrbem Romam reuocandis* inter *Theodosianas 40. Nullum de Romanis ciuib. nullum de Corporatis, ad militiam esse cogendum:* Imo apparet vel ex tota ea *Nouella*, vbi *Pantapola Vrbis Roma*, Græci negotiatores, mox *Corporati* vocantur. Idque etiam ex eodem *Ambrosii* capite discere est: vbi de peregrinis tempore famis exactis. *Quantos Vrbi sua perire, qui solerent adiumento esse vel in conferendis subsidiis, vel in celebrandis commerciis?* Et post: *Eiectos esse vrbe Amplissima, qui iam plurimam illic atatem transegerant: flentes eum filiis abiisse, quibus velut ciuibus amoliendum exilium deplorarent: interruptas complurium necessitudines, diremptas affinitates* &c. *Potuisset iuuari, si peterent ab Italis frumentum, quorum filii expellebantur. Nihil hoc turpius excludere quasi alienum & exigere quasi suum. Quid illum eiicis, qui de suo pascitur? Quid illum eiicis, qui te pascit?* Et mox: *Quantis CORPORATORVM subsidiis dudum Roma fraudata est? Potuit & illos non amittere, & euadere famem*, &c. Hæc cum ita sint, apparet, *huius leg.* sententiam *Codicis Iustinianei* enarratores non cepisse: imo forte, ne Tribonianum quidem.

PRIVILEGIA *Corporatorum Vrbis Romæ (ac nominatim, vt ne tempore famis cæterorum peregrinorum more vrbe expellantur) confirmat Honorius Ann. D. 397.*

III. (a) Impp. Arcadius & HONORIVS AA. Florentino P. V. (b)

IN Honorem (c) æternæ Vrbis, Corporatis indulta suffragia (d) valere præcipimus, &c. Dat. XV. Kal. April. (e) Med. Cæsario & Attico Coss. [397.]

NOTÆ.

(a) *Lex vnica Cod. Iust. hoc tit. ex hac leg. & superiore & sequente*, conflata est, vinculis tantum Orationis additis. Triboniani vero facinus in eo, quod miscellæ illi *legi* solam superioris *l. 2.* Inscriptionem & Subscriptionem apposuit. Iungenda porro forte huic *l. lex 7. infr. de Suariis:* emendato die alterutrubi. *GOTHOFRED.*

(b) *Florentinus* P. V. Romæ Ann. D. 395. 396. 397. v. *Prosopogr.* Hic ille est, ad quem extant *sex* Symmachi *epist. lib.* 4. qui & *epist.* 54. nominatim Præfecturam eius Vrbis indicat. *ID.*

(c) Sic, pro reuerentia Vrbis æternæ, *l. 1. supr. ID.*

(d) *Suffragia*, id est priuilegia. Ideo & suffragari priuilegia dicuntur *l. t. in fin. supr. de Pratorib. l. 15. supr. de Tyronibus. ID.*

(e) XV. Kalend. Mart. *d. l. 7. ID.*

COMMENTARIVS.

PRIVILEGIA Corporatorum Vrbis Romæ hac Honorii constitutione confirmantur; cui forte socianda *lex 7. in fin. de Suariis.* De quibus vero priuilegiis id intelligendum, quæque adeo *huius leg.* ferendæ occasio fuerit? ambigi potest. An id accipiendum de eo priuilegio, quo, tempore famis, etsi peregrini alii vna cum turba otiosa vrbe pellerentur, ipsos tamen Corporatos expellere fas non erat, de quo ad *leg. superiorem?* Id ita suadere videantur *lex vnic. quibus militantibus ad vrbem accedere: l. vltim. in fin. de gladiatorib. l. vnic. infr. de Campo Martio: l. 2. de habitu quo vti oportet*, et quæ ex *Ambrosio* notauimus ad *l. superiorem*, qui quidem Ambrosius hoc ipso anno paucis post diebus mense Aprili mortuus est. Nempe ob formidatam hoc Anno alimentorum in Vrbe Roma inopiam, occupata videlicet a Gildone Africa, tum peregrini, tum & otiosa turba omnis (veluti Gladiatorum) Roma exacta fuit: Quo omnino pertinent *leges* illæ paucis post *hanc leg.* diebus datæ. Igitur Honorius hac constitutione sua Corporatos, & sic *Incolas* peregrinos, excipere, eisque indulta iam olim *suffragia* & priuilegia confirmare videatur: *suffragia*, inquam, quibus a communi peregrinorum aliorum sorte eximuntur: vtpote *Incola* ipsi (vti vocantur *l. prox. supr.*) Vrbi Romæ ministrantes: & sic in honorem æternæ Vrbis: vt *hac leg.* dicitur, velut *l. 1. supr.* P.149

P.149. *supr.*) Vrbi Romæ ministrantes: & sic in honorem æternæ Vrbis: vt *hac leg.* dicitur, velut *l. 1. supr.* pro teueteotia Vrbis æternæ. Quare obseruandum fuerit, hoc incolatum peregrinorum, seu Corporatorum, veluti vrbi vtilium & necessariorum, & aliorum peregrinorum hac parte discrimen. Hinc iam apparet ex hac ioquam historica huiusce leg. enarratione, quam ieiune banc huiusce leg. sententiam *Codicis Iustinianei* commentatores esceperint. Et hactenus quidem prima Interpretatio. An vero eadem est *huius leg.* quæ *superioris* sententia: quasi ab indictione quadam hoc tempore extraordinaria, ob defectum annonæ, de qoo modo, Corporati *hac leg.* immunes esse iubeantur? Certe Symmachus quoque, ad hunc ipsum Florentinum scribens, *lib. 4. epist. 54.* annonæ Romæ defectum ab ipsomet sibi indicatum memorat: Quo pertinet non tantum Anno superiore *lex 2. supr. de conditis in publicis horreis*, quæ ante trimestre ferme *ad eundem Florentinum* P. V. data est: verum complures hoc ipso Anno datæ *ad Senatum & populum*, quibus oon vna ratione difficultati annonæ Vrbis Romæ mederi instituit, quas repeto ex *Chronologia.*

IV. (a) Impp. HONORIVS & Theod. AA. Palmato P. V. (b)

CVRA Rectorum Prouinciarum, Corporati Vrbis Romæ, qui in peregrina transgressi sunt, redire cogantur, vt seruire possint functionibus, quas imposuit antiqua solemnitas. Dat. IV. Kalend. April. Rau. Honorio IX. & Theodosio (c) AA. Coss. [412.]

NOTÆ.

(a) *Lex vnic. Cod. Iust. eod. tit.* hinc & ex duabus præcedentibus legibus conflata est, vinculo tantum hic addito, *Cura autem*, &c. *GOTHOF.*

(b) *Palmetus* P. V. Romæ sub Honorio. *ID.*

(c) Adde *V.* *ID.*

COMMENTARIVS.

IN PEREGRINA digressi Corporati Vrbis Romæ, REDIRE ad Vrbem Romam, Cura Rectorum Prouinciarum, iubentur ab Honorio Imp. Anno Domini 412. Digressi inquam in peregrina; proculdubio ob Attali primum tyrannidem, mox ac maxime ob Gothicam Alarici & Ataulphi Vrbis vastationem, & exinde annonæ defectum superiore Anno 410. & 411. Sane ex hoc Gothico naufragio permultos io Orientem, Ægyptum, Africam fugisse proditum est ab Hieronymo *præfat. lib. 3. in Ezechielem pag. 334. Tom. V. Oper. Edit. Francf. apud Christ. Gensch.* insigni loco: Sed & *præfat. lib. 7. in Ezechiel. pag. 384. Tom. eod. Ed. cit.* cuius verba Baronius retulit *Anno 410. num. 35.* Idem Hieronymus quoque *Epistola 8. ad Demetriadem de seruanda virginit. pag. 41. 42. Tom. I. Oper Ed. cit.* testis est, Probam cum Iuliana filia & Demetriade Iulianæ filia in Africam recessisse, quæ postea ab Heracliano Comite multis iniuriis affectæ sunt. Rutilius quoque Numatianus testis, *Itinerarii lib. 1. de Igilii insula*, quo multi tum confugerunt *a v. 325.* vbi inter cætera *v. 331. seqq.*

Hæc multos lacera suscepit ab Vrbe fugatos,
Hic fessis posito certa timore salus.
Plurima terreno populauerat æquora bello,
Contra naturam classe timendus eques.
Vnum, mira fides, vario discrimine portum
Tam prope Romanis, tam procul esse Getis.

Denique Vrbem Romam ciuibus & incolis exhaustam fuisse certissimum est, vel indicio Olympiodori apud *Photium Cod. LXXX. pag. 187. Ed. Schotti*, & *pag. 9. Tom. I. Script. R. B. Edit Reg.* qui scribit, post Romam a Gotho captam, Albino P. V. (fuit is Anno 414. id est, biennio post *hanc leg.* vt docet *lex 38. supr. de Nauicular.*) iam redire cœpisse ad statum pristinum Vrbem Romam, numerumque initum vno die quatuordecim millium. De illorum igitur profugorum numero fuerunt & Corporati Vrbis Romæ, qui ad varias Prouincias, eo metu, non desidiæ animo, confugerant: Quare Honorius iam superioris Anni fine Roma recuperata, inter cætera quibus Romæ afflictæ & *laceræ* (vt Rutilius loquitur) exhaustæque prospectum iuit, hos quoque reuocari *hac leg.* iussit, cura Rectorum Prouinciarum: vt ita & Vrbs Roma repleretur, & Vrbi Romæ seruire possint, suisque functionibus defungi. Qua ipsa ratione, vel sane simili, hoc ipso Anno & Collegiatos, & Decuriones & cohortales reuocari iussit, *l. 2. infr. de Collegiatis: l. 25. supr. de cohortalib. l. 170. supr. de Decurionib.* quæ vnius constitutionis partes sunt, atque inter se coniungendæ. Atque ita hæc *huiusce legis* sententia accipienda est; hacque explicatione historica illustranda ea in *Codice Iustinianeo*, quod nondum fit ab illius *Codicis* enarratoribus.

Cæteroquin, adeo corporibus suis & functioni suæ Corporati nexi erant, vt ad nullam aliam militiam vel Clericatum confugere possent: vt docet *Nouella* Valentiniani *inter Theodosianas 26. de Corporatis:* & altera eiusdem *inter Valentinianeas 12. de Episcopali iudicio.* Quod de pistoribus docebit *lex 4. 6. 8. 11. 18. in fin. 20. infr. tit. prox. de Pistorib.* de Suariis, *lex 1. 8. infr. de Suariis:* de Collegiatis, *l. 1. 2. infr. de Collegiatis:* & *l. 1. supr. de his qui condit. propr.* &c.

DE PISTORIBVS ET CATABOLENSIBVS.

TITVLVS III.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. XIV.

Vbi *Titulus* tantum habet *de Pistoribus*, non *& Catabolensibus.* Eoque *titulo* omnes huius tituli *leges* absunt; neque quidquam exinde in *Codicem Iustinianeum* relatum, præter partem *legis 12.* in *l. 9. Cod. l. de excusat. munerum*; & *legem vltim.* in *l. 2. Cod. Iust. de appar. Præf. Vrbis:* Adde *Nouellam inter Theodos.* Valentiniani III. *de prædiis Pistoriis Afris deputandis 38.*

PARATITLON.

I. PISTORVM (de quibus præter huius tituli leges agitur insuper *l. vnic. supr. de perfectiss. dign.* & *l. 1. 4. infr. de Canone frum. V. R. l. 2. 3. infr. de frum. V. Const. l. 3. 4. infr. de annonis ciuicis: l. 2. supr. de Nauic. l. 3. 5. 6. 7. 9. supr. de pœnis:*) 1. Certum Corpus fuit, *l. 2. 5. 8. 10. 13. 14. 19. 21. hoc tit.* & *l. 9. supr. de pœnis:* ordo pistorius *l. 20. h. t.* consortium *l. 11. hoc tit.* & *l. 2. supr. de Nauicular.* in Vrbe Roma *d. l. 3. supr. de pœnis:* quo pertinent etiam *omnes huius tituli leges* (vnde & Pistores Vrbici dicti *l. 2. supr. de Nauicular.*) item in Vrbe Constantinopolitana, *l. 3. infr. de frumento Vrbis Constant.* 2. Horum officium, *l. 3. 21. h. t.* munus *l. 6. hoc tit.* & *l. 2. supr. de Nauicular.* functio, *l. 12. h. t.* annonæ publicæ seruiebat, *l. 15. h. t.* vnde & necessarium Corpus vocatur *l. 2. h. t.* pistrino inquam *l. 1. 5. 7. 10. 11. 13. hoc tit.* & *l. 3. 5. 7. supr. de pœnis:* & panesicio, *l. 3. 4. 21. 22. h. t.* id est, tum frumento molendo, hinc molæ: de quibus *l. 7. hoc tit.* & *l. 4. infr. de Canon frum. V. R.* tum pani coquendo, annonæ ciuicæ & alimentis popularibus, *l. 2. infr. de frum. V. Constant. l. 3. 4. infr. de annonis ciuicis:* quæ partim gratuita dabatur, de quo *tit. in fin. de annonis ciuicis & pane gradili:* partim etiam vendebatur, *l. 1. in fin. de Canone frum. V. R.* qui panis Ostiensis & fiscalis dictus *l. 1. de pretio panis Ostiens.* 3. Hi pistores etiam *Mancipes* dicti, de quibus *l. 18. hoc tit. l. 2. 3 infr. de frum. V. Constantinop. l. 4. supr. de executorib.* de iisdem est forte quoque *l. vnic. supr. lib. 12. de Mancipib.* vnde & ministerium istud Mancipatus, *d. l. 18. h. t.* & *d. l. vnic. de Mancipib.* quibus ideo frumentum consignabatur ex horreis, *d. l. 2. infr. de frum. V. Constant.* 4. Hi omnes non tantum sub generali Præfecti Vrbis dispositione fuerunt, quod alioquin docent *l. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 13. 16. 18 vltim hoc tit. l. 5. 8. 9. supr. de pœnis: l. 2. supr. de Nauicular.* sed etiam sub speciali Præfecti annonæ dispositione: vt docet *lex 1. 3. 12. 14. 15. 21. vltim. hoc tit. l. 3. 6. supr. de pœnis: l. 4. infr. de Canone frum. V. R.* 5. Erant eam ad rem complures in Vrbe Roma Officinæ, *l. 7. 8. hoc tit. l. 3. infr. de annonis ciuicis:* (ὅπως vocat παμμεγέθεις Socrates *lib. 5. cap. 18.*) seu pistrina, quæ in veteri Vrbis Romæ descriptione CCLIV. notantur seu colliguntur. 6. Et singulis sua entheca erat, *d. l. 7. hoc tit.* puta animalia, serui, *d. l. 7. h. t.* molæ *d. l. 7. h. t.* & *l. 4. infr. de Canon. frum. V. R.* prædia seu fundi, & possessiones, quæ Pistorum Corpori solatia certa præbebant: *d. l. 7. h. t.* & *l. 13. 19. h. t.* vnde & fundi dotales dicuntur *d. l. 7. h. t.* 7. Suos etiam habebant *Patronos* singulæ officinæ, *l. 2. 7. 12. h. t.* quibus officina cum omni Entheca credita erat, *d. l. 7. h. t.* quibus Pistores consignabantur, *d. l. 12. h. t.* Ex his prior post quinquennium otio & quiete donabatur, tradita sequenti officina cum omni Entheca, *d. l. 7. h. t.* 8. Hoc Pistorum Corpus variis rationibus replebatur. Primum, Originis vinculo quidam tenebantur, *l. 14. hoc tit.* puta successionis iure *l. 3. hoc tit.* puta filii, nepotes, &c. *l. 3. 5. h. t.*

h. t. Secundo, per sententiam Iudicis & pœnæ loco in pistrinum Vrbis Romæ, ex causis non grauibus seu leuiorum criminum rei damnati iussi a Constantino M. primum, in Sardinia, *l. 3. sup. de pœnis*: a Valentiniano Sen. in Præfectura Vrbana, *l. 5. & 9. sup. de pœnis*: quo refero etiam *l. 8. hoc tit.* in Lucania & Brutiis *l. 6. 7. supr. de pœnis*: & ita quidem, vt generali Indulgentia criminum reis postea facta hi non continerentur, *d. l. 7. supr. de pœnis*: neque Rescripto liberari possent, *l. 20. hoc tit.* Tertio, constitutionibus nonnulli pro pœna in pistrinum dari iubentur; veluti concutiens pistorem, *l. vltim. hoc tit.* Patronus caudicariorum
P. 151. & mensorum deprehensus in fraude, *l. 9. infr. de Suariis.* Quarto, substitutione in pupilli minoris 20. annis locum, *l. 5. h. t.* Quinto, & Libertini nonnulli in sp. *l. 10. h. t.* Sexto, filiam pistoris coniugio sibi socians pistrino obnoxius fiebat, *l. 2. 14. 21. h. t.* Septimo, & Ementes ab his prædia, *l. 3. h. t.* vel qui donatione, vel testamento, successione prædia eorum possidebant, *l. 2. supr. de Nauiculariis*: *l. 10. hoc tit.* Tandem fuit & Officium aliquod in Africa, vnde singulis lustris Iudices Africani Pistores Romæ vsibus dirigere tenebantur, *l. 12. 17. hoc tit.* idque ex Constantini M. instituto, vt docet *d. lex 12.* 9. Hi omnes semel Ordini seu Corpori Pistorio adscripti, neque transire ab vna officina ad aliam poterant, *l. 8. hoc tit.* neque eam conditionem & necessitatem euitare, nequidem Pistorum ipsorum consensu, *d. l. 8. h. t.* non Principi supplicando, & Principis rescripto, *l. 6. 18. in fin. l. 20. h. t.* non priuilegio Christianitatis, seu ad Ecclesias videlicet transeundo, *l. 11. h. t.* non Senatoria dignitate indepta, nisi facultatibus pistrino cederent, *l. 4. h. t.* non Perfectissimatus dignitate, *l. vnic. supr. de Perfectissimatus dignitate*, non pretio, *l. 12. h. t.* Et sententia tamen Præfecti annonæ quandoque eiiciebantur, puta decoctores, *l. 15. h. t.* 10. Familia quoque eorum pistrino obnoxia erat, *l. 2. 21. h. t.* seu filii, nepotes, a 20. ætatis anno, *l. 3. 5. h. t.* & filiæ, sic vt his coniugio sociati ad pistrini consortium rapetentur, *l. 2. 14. 21. h. t.* 11. Possessiones tandem seu Prædia sua (quæ *Dotis* nomine vocabantur, *l. 13. h. t.*) quæ priuato iure possidebant, non quæ hæreditario pistorio iure *l. 13. h. t.* in alios transferre, vendere, donare, relinquere olim poterant: *l. 1. h. t.* postea non potuerunt, *l. 1. 3. 13. h. t.* nisi qui acciperent, Pistoris officium subirent, *d. l. 3. 13. hoc tit.* Imo in Senatorem vel Officialem transferre penitus non poterant, *d. l. 3. h. t.*

II. CATABOLENSIVM tribus tantum locis fit mentio, *Rubrica*, & *l. 9. 10. h. t.* Quinam fuerint? dicam ad *dictas leges.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Profuturum (b) PF. Ann. (c)

CVNTIS Pistoribus intimari (d) oportet, quod si quis forte possessiones suas ideo putauerit in alios transferendas, (e) vt postea se, rebus in abdito conlocatis, minus idoneum adseueret, tanquam in locum ejus alio subrogando, nihil ei hæc astutia, nec detestabilia commenta profutura sunt, sed in obsequio pistrini sine vlla excusatione durabit, nec ad eius iura reuocabuntur, si quas emptiones transcribserit. (f) PP. Id. Aug. Constantino A. (g) & Licinio Cæs. Coss. [319.]

N O T Æ.

(a) Iungenda *huic legi* est *lex 1. supr. de contrah. empt.* GOTHOF.

(b) *Profuturus* Præf. annonæ sub Constantino M. Eidem hoc anno præterea inscribitur *lex 2. supr. de relationib.* In *l. 3. Cod. Iust. de dilat.* perperam *Præf. Pannoniæ* inscribitur. ID.

(c) Sub Præfecti annonæ dispositione pistores, *hac leg.* & *l. 3. 12. 14. 15. 21. vlt. hoc tit.* & *l. 3. 6. supr. de pœnis?* Cassiodorus *in formula Præfecti annonæ lib. 6. form. 18. Per officinas Pistorum cibosque discurris, pensum & munditiam panis exigis.* ID.

(d) *Intimari*, id est, significari, notum fieri: vid. *Gloss. Theod.* ID.

(e) Veluti venditione: vt docet *finis leg.* & coniunctio dictæ *l. 1. supr. de contrah. empt.* ID.

(f) Etsi viliore pretio, *d. l. 1.* ID.

(g) Adde *V.* ex *d. l. 1.* Et sic reddenda *hæc lex* Anno 319. ID.

COMMENTARIVS.

VT Inidonei facultatibus omissis facti a Pistorio consortio liberabantur, ita qui ideo tantum facultates suas in alios transtulissent, liberari vetat hac constitutione Constantinus M. pariter vt Valentinianus Sen. *l. 14. infr.* liberari ideo vetuit filiæ pistoris coniunctum, si facultates dilapidasset. Possessiones equidem suas Pistores, quas priuato iure possidebant, Constantini M. tempestate libere in alios emptione transcribere seu transferre poterant nullo exinde præiudicio domino generando, ita vetiti eas fraudulenter ideo tantum in alios transferre, vt postea, rebus in abdito locatis, tanquam minus idonei pistoriæ functioni liberarentur, eisque alii subrogarentur. Quare huic fraudi hac constitutione (cui iungenda est & *lex 1. supr. de contrab. empt.*) Constantinus grauiter occurrit: nempe non ideo fraudulentum huiusmodi pistorem ob inopiam ab obsequio pistrini excusandum, sed in eo perdurare oportere: In tantum vt neque venditionem hanc fraudulentam rescindi, verum penes emptorem possessionem manere iubeat. Hæc huius particulæ sententia est, cui addamus ex *d. l. 1. supr. de contrab. empt.* & nouam adhuc extensionem. In tantum venditionem hanc valere, quamlibet fraudulentam a parte venditoris, vt etsi pretio viliore possessiones venditæ fuerint, citra vllam tamen culpam aut circumscriptionem emptoris, venditio rescindi non debeat: de quo ad *eam leg.* plene. Hæc Constantini disciplina fuit hac ratione Pistorum fraudibus occurrentis, citra vllum bona fide contrahentis cum pistore damnum: At enim postea, cum annonæ vtilitati minus consultum hac ratione esset, translatis videlicet ita in

P.152. alios passim Pistorum possessionibus, iam Valentiniani constitutionibus, puta *l. 3. 13. infra:* ius istud seu libertas ista imminuta per gradus fuit. Et hæc ad *huius leg.* sententiam sufficiant.

Inter hæc vero *huius tit.* initia de *Pistoribus* extrinsecus hæc notari velim, Traianum huius Pistorum collegii auctorem ferri: sic enim Victor Schotti *cap. 13 Annonæ*, inquit, *perpetuæ* (a Traiano) *mire consultum, reperto firmatoque PISTORVM COLLEGIO.* Inde mox hæc vetus Inscriptio Romæ, *apud Gruterum CCLV. 1. 2. 3.*

IANI. PARTHICI
OIVI. NERVAE. PRONEP.
T. AELIO. HADRIANO
ANTONINO. AVG. PIO
PONT. MAX. TRIB. POTEST. VII.
IMP. II. COS. III. P. P
CORPVS
PISTORVM.

In cuius basis dextro latere est canistrum cum spicis, cum hac subscriptione

PRAEF.
L. VALERI PROCVLI

Sinistro, lapis molaris cum hac subscriptione:

CVRANTIBVS
M. CAFRET:::::: ZMARAGDO
L MAEVIO. EPICTETO. QVINQ. II.
QVAESTORIBVS
C. PVPPIO::::: FIRMINO II.
C. CALPVRNIO. MAXIMO.

Est & altera Inscriptio *apud Gruterum CCCLXI. 2. a Collegio Pistorum* Proculo posita. Horum pistorum meminit quoque Amm. Marcellinus, sic vt idem nos humili genere fuisse doceat, *lib. 27. cap. 3. Terentius humili genere in Vrbe natus & Pistor, ad vicem præmii, quia peculatus reum detulerat Orfitum ex-Præfecto, hanc eandem Prouinciam* (Tusciam annonariam) *Correctoris administrauerat potestate.* Symmachus *lib. 10. epist. 36. Cum*, &c. *Præfectus vero annonæ Vir Clariss. Pistorem publicæ annonæ, verbo tantum reposcere diceretur, quem manibus officialium Celsus eruerat.* De his quoque est Socratis locus *lib. 5. cap. 18.*

Illud etiam hic monendum; Pistores sub dispositione Præfecti annonæ fuisse, quod præter *huius leg.* inscriptionem, docent præterea *lex 3. 12. 14. 15. 21. vltim. hoc tit.* & superior *Symmachi* locus. Hinc & vendentes Pistores possessiones suas apud eum testationem deponebant, *d. l. 3.*

II. (a) Imp. Constantivs A. ad Orfitum P. V. (b)

SI quis Pistoris *Filiam* suo coniugio crediderit esse sociandam, pistrini consortio teneatur obnoxius, sed (c) familiæ (d) pistoris adnexus, oneribus etiam parere cogatur. Et quoniam necessarium (e) corpus fouendum (f) est, *Patronos* Pistoribus constitutos ad altera (g) functionis officia prohibeo deuocari, Caudicariorum corpori minime decetero copulandos: vt aliis necessitatibus absoluti eam tantummodo functionem liberæ mentis nisibus exsequantur. Dat. Prid. Non. Iul. Med. Arbitione & Lolliano Coss. [355.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) Orfito huic P. V. hoc Anno inscribuntur duæ aliæ *leges*: puta *lex 3. supr. de reuoc. donation. & l. 7. de donationib.* qui idem & fine Anni 353. & Ann. 354. P. V fuit: vt ex *Notitia Veteri Præfectorum Vrbis* discimus, & ex *l. 7. supr. de Pratorib. l. 1. de raptu vel matr. sanctim.* & Ammiano Marcellino, *lib 14. cap. 6.* & *Fastis Cuspinianeis.* Idem Ann. 357. secundam Vrbis Præfecturam gessit, eodem quoque Marcellino teste *lib. 17. cap. 4.* de eius Præfectura plura in *Prosopogr.* ID.

(c) *vg. &* ID.

(d) Familiæ Pistoriæ mentio & *l. 21. infr.* ID.

(e) Necessarium Pistorum Corpus. vid. *Paratitlon.* ID.

(f) Eique fauendum ID.

(g) *Altera* officia. ID.

COM-

COMMENTARIVS.

CONSTANTIANÆ huius de *Pistoribus* constitutionis duo sunt capita. Prius est de FILIABVS Pistorum: vt qui eas vxores duxerit, tanquam de familia Pistoris *pistrini* oneribus teneatur. De quo ipso est & Valentiniani Sen. *lex 14. infr.* & Honorii *lex 21. infr.* Posterius est de PATRONIS Pistorum, de quibus sunt præterea duæ *hoc titulo* constitutiones, puta *lex 7. & 12. infr.* ad quarum priorem *de his* plene dicam. De his id *hac* Constantii *leg.* statuitur, vt ne ad aliam quamcunque tandem necessitatem vel functionem deuocentur: ac nominatim, ne ad *Caudicariorum*, quorum Corpori antea aliquando copulati fuerant. CAVDICARII, quorum *hac leg.* mentio fit, & *l. 9. infr. de Suariis: l. 1. infr. de Canone frum. V. R.* erant nautæ Tyberini, de quibus *tit. infr. de Nautis Tyberinis:* nautici amnici Tiberis, qui species fiscales, & in his annonam ad Portum Vrbis Romæ aduectam in horrea P. R. & ad Vrbem Romam Tiberi subuehebant, caudicariis nauibus actuariis: de quibus Strabo *lib. 5. pag. 354. Edit. Almeloueen.* & Procopius *lib. 1. Gothicor. c. 26.* Hinc Codicarii Nauicularii, sub Procuratore Portus: hinc Mensoribus Portuensibus Caudicarii iunguntur: & *d. l. 9. infr. de Suar.* & *leg. 1 infr. de Canone frum. V. R.* Sed & in tribus his Inscriptionibus horum Caudicariorum fit mentio. Prima *apud Gruterum CCCCXL. 3.*

AD. SS. C. PROC. PORTVS. VTRIVSQ. A....
VIBO. INNOCENTISSIMO
CODICARII. NAVICVLARII. ET
QVINQ. CORP. NAVIGANTES. OB
INSIGNEM. EIVS. ERGA. SE
BENIVOLENTIAM. AC. SINGV
LAREM. ABSTINANTIAM

Secunda *apud eundem MLXXXVI. 6.* Romæ in basi marmorea.

RESTITVTORI. PVPLICAE
LIBERTATIS. DEFENSORI
VRBIS. ROMAE. COMMVNIS
OMNIVM. SALVTIS. AVCTORI
D. N. IMP. FL. VAL. CONSTANTINO
PIO. FELICI. INVICTO. SEMPER. AVG
CODICARII. NAVICVLARI
INFERNATES. DEVOTI. N. M. Q. EIVS
CVRANTE. AVR. VICTORIANO. V. P.
PRAEP. ANN.

Tertia est decantata illa, quæ in Insula Tiberina de Ragonio Vincentio Celso, *apud eundem CCCCLXII. 1.*

RAGONIO. VINCENTIO. CELSO. V. C. ⊕
A PRIMO. AETATIS. INTROITV. IN ACTV
PVBLICO. FIDELI. EXERCITATIONE. VERSATO
CVIVS. PRIMAEVITAS. OFFICIO. SEDIS. VRBANAE
ADVOCATIONIS. EXERCITO. FIDEM. IVNXIT. INGENIO
PRVDENTIAE. MISCVIT. LIBERTATEM. ITA. VT. NEMO
OB. EIVS. INDVSTRIA. NISI. ILLE. CONTRA. QVAM
SVSCEPERAT. FORMIDABAT. CVIVS. ACCESSVS. AETATIS
AMPLISSIMI. HONORIS. ET. QVI. SOLET. SENIORIB.
PROVENIRE. ORNAMENTA. PROMERVIT. NAM
REXIT. ANNONARIAM. POTESTATEM. VRBIS. AETERNAE
EA. AEQVITATE. VT. INTER. OMNES. QVI. AD. EVM
ANIMO. LITIGANTIS. INTRASSENT. PARENTEM. SE
PLERVMQVE. MAGIS. HIS. QVAM. IVDICEM. PRAEBVISSET
HINC. ETIAM. FACTVM. EST. VT. MENSORES. NOS
PORTVENSES. QVIBVS. VETVS. FVIT. CVM. CAVDICARIIS
DIVTVRNVMQVE. LVCTAMEN. VOTI. COMPOTES
ABIREMVS. VT. VTRVMQVE. CORPVS. AD. BENEFICIO
SA. AD. VICTORIA. GRATVLETVR. ADFACTVM. NAM
VT. HOC. ESSET. IVDICIO. IAM. POSITO. MAGISTRATV
STATVAM. PATRONO. PRAESTANTISSIMO. TESTIMONIVM
GRATVLATIONIS. EXSOLVIMVS. CVM. EAS. NON. ADVLA
TIONE. PRIVATO. SET. IVDICIO. POSITO. IN. OTIO. AT.
QVIETE. REDDATVR.

Cæterum iam notum vnde *Caudicarii* dicti, a caudicibus videlicet, & codicariis nauibus, ex Nonio, Festo *voc. caudicar. nau.* Sallustio *4. histor.* apud Nonium *cap. 13. num. 12.* Varro apud Nonium *loc. cit.* *Quod antiqui plures tabulas coniunctas Codices dicebant, a quo in TIBERI naues CODICARIAS appellamus.* Seneca *cap. 13. de breu. vita: Et naues nunc quoque, quæ ex antiqua consuetudine per Tiberim commeatus subuehunt, Caudicariæ vocantur.* Noluit igitur Constantius Pistorum patronos Caudicariorum Corpori & functioni misceri, sed horum munia distingui: vt ita Pistorum patroni aliis necessitatibus absoluti pistoriam tantum functionem liberæ mentis nisibus exequerentur: Vnius denique functionis & corporis Patronos esse voluit, non Duorum, cum tamen id hactenus aliter factum fuisset: sic vt iidem & Pistorum & Caudicariorum patroni essent: Vt cæteroquin duo Corpora ita sæpe copulata fuerunt, vt duorum Corporum vnus idemque Patronus esset: vt *PATRONVS FABRORVM ET DENDROPHOR.* in veteri Inscript. *apud Gruterum CCCCXLII. 8.* scilicet vt priuatim, ita vel maxime in publico actu, in plura animus bona fide sese explicare non potest: quam in rem notaui nonnulla in *veterem orbis descriptionem c. 18. p. 23.*

Illud tandem obseruandum, hanc *legem* inscribi *Orfito P. V.* (de quo alioquin ad Inscriptionem *in Notis*, & in *Prosopogr.* plene) quæ est de Pistoribus: quorum Mancipes fuere, de quibus *l. 18. hoc tit.* A quibus Mancipibus inter alios statua illi sub ære constituta, ob prouidentiam & statum optimum Vrbi Romæ ab eo redditum. Vide *Gruteri* Corpus Inscriptionum *CCCCXXXVIII. 1.*

P153 III. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Symmachum P. V. (b)

PRÆDIA rustica, vel vrbana, quæ possident priuato (c) iure pistores, nec Senatorem, nec Officialem *Comparare* permittimus (contractu pari cum aliis non interdicto.) Quippe (d) mercantes ad venditoris officium vocabuntur, super hac emptione apud PF. Ann. testatione deposita. In *Donationibus* vero filii excepti sunt & nepotes: Eodem loco positis omnibus qui qualibet proximitate iunguntur, quibus ideo

 non

non dempsimus beneficium largitatis, quia & paneficii necessitatem suscipere successionis iure coguntur. Hæc forma seruabitur & in *Testamentis*, aut donatione, vel nouissima voluntate, vt in extraneos conlata non valeant, nisi pistoris officium sponte susceperint, qui pistorum sunt munificentiam consecuti. Dat. IV. Non Iun. Naisso, (e) diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) *Symmacho* huic P. V. sex *hoc titulo* Ann. D. 364. & 365. inscribuntur constitutiones. In vniuersum *hoc Codice* ei inscribuntur Ann. 364. *leges* 19. Ann. 365. *leges* 11. Et sic in totum 30. De quo iam dixi ad *l. 1. supr. de Corporatis V. R.* Sane & hæ *leges* fidem faciunt elogio Ammianeo de hoc Symmacho *lib. 27. c. 3. quod eo instante Vrbs Sacratissima otio COPIISQVE abundantius solito fruita sit.* De eo plura in *Prosopogr.* ID.

(c) Ad differentiam dotalium fundorum: de quibus *l. 7. infr. & l. 13. infr.* ID.

(d) Alioquin enim. ID.

(e) *Naissi* Valentinianus: de quo v. quæ in *Chronol. Theod.* & Ammianum *lib. 26. cap. 5.* ID.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Senioris duodecim ordine constitutiones *de Pistoribus Vrbis Romæ* sequuntur, quæ omnes ferme enixum Valentiniani studium arguunt, Annonæ Vrbicæ consulendi: quod aliunde quoque colligere est, veluti ex his quæ de Naucularis pariter inter hæc Imperii sui initia idem constituit *l. 10. 11. supr. de Naucular. l. 2. supr. de prædiis Naucular.* Hæc vero prima eius constitutio est de POSSESSIONIBVS seu prædiis Pistorum, pariter vt de his ipsis sunt duæ præterea *hoc titulo*, puta *lex 1. supr. & lex 13. infr.* quæ & ipsa Valentiniani est: Quid inquam Pistores de his, quoue iure facere possint: Et nominatim vero de possessionibus quas priuato iure possident, id est, vt explicat *lex 13. infr.* vbi plenius, quæ priuata forte liberalitate habent: nam de his quæ pistorio iure habent, id omnino præsupponitur, distractionem eorum penitus non valere, de quo ad *d. l. 13.*

De his igitur, quæ priuato iure possident Pistores, est *hac lex*: qua tres alienationis tituli, ita distinguuntur: Nempe si de *venditione* quæritur, pistorem regulariter ea vendere posse, duobus tantum hominum generibus exceptis: puta Senatoribus & Officialibus: Hi scilicet prædia pistorum non aliter emere possunt, quam sub necessitate subeundæ conditionis pistoriæ, in eumque finem super hac emptione, testatione apud Præfectum annonæ deposita, sub huius enim dispositione erant Pistores: de quo ad *l. 1.* His duobus igitur emptione possionum ad Pistores priuato iure pertinentium interdictum, nisi sub conditione officii pistorii subeundi. Nempe hæc duo ferme hominum genera agrarii merg erant, emptionesque potestatis suæ vi extorquebant. Qua causa etiam vtrique huic generi multa interdicta, quæ aliis licita fuere, & quidem in hoc emptionum argumento, & mutuo vsurisque, de quo ad *tit. supra de vsuris.* Extra hos igitur, aliis indistincte possessiones has comparare licuit, vtpote quas onerosо titulo haberent, refuso videlicet contra pretio. *Donationum*, qui iam p.154 secundus alienationis titulus est, alia ratio est: nempe regulariter donationis titulo adquirere huiusmodi possessiones interdictum: nam vt pistoribus in necessitate forte constitutis iniquum fuisset rerum suarum venditione interdicere: ita contra ea donare, & sic perdere licere non oportuit, nisi si in coniunctas personas donationes fierent: quia hac re iam pistrino nil perit, vtpote cum paneficii seu pistoris officii necessitatem suscipere successionis iure cogantur. Idque non filii tantum, de quibus & *l. 5. infr.* aut nepotes, verum etiam omnes qualibet proximitate iuncti. Et sic notanda hac quoque parte venditionis & Donationis differentia. Tandem, qui tertius adquirendi modus est, *Testamento*, aliaue qua vltima voluntate ea consequi extranei non possunt, nisi vt pistoris officium suscipiant. Et hæc quidem ita nunc Valentinianus Sen. At enim postea hoc ipsum ius ab eodem magis magisque arctatum, *l. 13. infr.* vbi dicam.

IV. (a) Idem AA. ad Symmachum PF. Vrb.

OPTIO concessa est his, qui e pistoribus facti sunt Senatores, vt aut studio facultatum, (b) aut Splendidissimo Ordine (c) segregati (d) sint. Quod si fuerint cupidi dignitatis, in tantam paneficii substantiam idoneos de suis subrogare cogantur, quantam ipsi exhibuere pistores. Dat. VIII. (e) Id. Iun. Naisso, diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

N O T Æ.

(a) Non dubito quin *hac lex* iungenda sit *legi 5. 6. infr. & l. 2. infr. de calcis coctorib. l. vn. infr. de Saccariis Portus: l. 10. infr. de operib. publ. l. 1. infr. de Canon. frum. V. R.* quæ datæ dicuntur *VI. Id. Iun.* GOTHOF.

(b) Id est, si Senatoriam dignitatem tueri velint, facultatibus suis cedant: vt mox *fine legis* dicetur. ID.

(c) Senatorio vid. *Gloss.* ID.

(d) Id est, si facultates suas tueri velint, Senatoriæ dignitati renuncient. ID.

(e) *VI. Idus Ian. Iul. & Iun.* dictis *legib.* omnibus. ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

SENATORIBVS factis ex Pistoribus, optionem dat hac constitutione sua Valentinianus Sen. (quæ secunda est e 12. Valentinianeis *hoc tit.*) vel retinendi facultates suas, & sic Senatoria dignitate repudiata ad pistrinum redeundi: vel Senatoriam dignitatem retinendi, & sic facultatum amittendarum: idoneis videlicet in tantam panificii substantiam subrogatis de *suis*. Quæ & ipsa cessionis & subrogationis lex & conditio circa Curiales & Nauicularios statuta: de quo *tit. de Decur.* & *l. 2. supr. de Nauicular.* Sane Ammianus Marcellinus in gestis huius ipsius *Anni 364. lib. 27. c. 3.* exemplum suppeditat Terentii ex pistore pro præmio Correctura Tusciæ annonariæ honorati. *Terentius, humili genere in vrbe natus & Pistor, ad vicem præmii (quia peculatus reum detulerat,* *Officium* (vel Orfitum de quo vid. *eodem lib. cap. 7.*) *ex-Præfecto, hanc eandem Prouinciam* (Tusciam annonariam) *Correctoris administrauerat potestate: Eaque confidentia deinceps inquietius agitans, multa in Nauiculariorum negotio falsum admisisse conuictus, vt ferebatur, periit carnificis manu, regente Claudio Romam.* Ergo ex *hac leg.* Senatoria dignitate non euitatur pistoria conditio: vt nec perfectissimatus dignitate ex *l. vnic. supr. de Perfectiss. dign.*

De FILIIS *pistorum minoribus 20. annis a pistrino excusandis.*

V. (a) Idem AA. ad Symmachum P. V. (b)

FILIOS pistorum, qui in paruula ætate relinquuntur, vsque ad vicesimum annum ætatis, a pistrini sollicitudine defendi (c) iubemus. Sane, periculo totius corporis subrogari conuenit pistores idoneos pro pupillis; sub hac videlicet condicione, vt post emensum vicesimum annum ætatis paterni muneris necessitatem subire cogantur: nihilominus permanentibus pistoribus his, quos in locum eorum constat substitutos. Dat. VI. Id. Ian. (d) Naisso, diuo Iouiano, & Varroniano Coss. [364.]

NOTÆ.

(a) Iungenda *huic leg.* est *lex. 4. supr.* & *lex 6.* & *lex 2. infr. de calcis coctribus: lex vnic. infr. de Saccariis Portus; lex 1. infr. de Canone frum. V. R. l. 12. de operib. publ.* Et proculdubio etiam *lex 5. supr. de pœnis.* *GOTHOF.*

(b) Romæ. *ID.*

(c) *Defendi*, id est, excusari. vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

(d) Ita quoque *d. lex 6. prox.* Sed ex aliis *legib.* hic & illic reponendum *Ian.* *ID.*

COMMENTARIVS.

FILII Pistorum, & ipsi post patris mortem pistoria conditione tenentur, *hac leg.* & *l. 3. vers. in donationib. supr.* Filii, inquam, & nepotes, & deinceps. *In donationibus*, inquit ea *lex 3. filii excepti sunt & nepotes: eodem loco positis omnibus, quibus ideo non dempsimus beneficium largitatis, quia &* D. 156. *panificii necessitatem suscipere successionis iure coguntur.* Et tamen, si in paruula ætate relinquantur, seu pupilli, noluit Valentinianus Sen. hac constitutione, eos statim ad pistrini sollicitudinem vocari, sed ad vicesimum ætatis annum vsque excusari; & post vicesimum demum ætatis annum paterni muneris necessitatem subire cogi: Nempe hæc ætas firmata & robusta, cum videlicet vicesimi anni clausa ætas Adolescentiæ, patefacere sibi ianuam cœperit ad firmissimæ Iuuentutis ingressum: cui ætati, quoniam inter plenam perfectamque adolescentiam, & robustam Iuuentutem media est, *firmata* ætatis appellatio imposita: vt eleganter loquitur Constantinus *l. vnic. supr. de his qui veniam ætatis.* Sic & in materia census pupilli vsque ad 20. annos a Censibus immunes erant, *l. 4. de censu:* Cuiusmodi sane ætas requiritur ad pistrini onus, substituto interea in pupillorum locum aliis idoneis periculo totius Corporis: ita quidem, vt substituti non ad tempus tantum substitui videantur, vsque quo videlicet pupillus ad vicesimum ætatis annum peruenerit, sed in perpetuum pistores maneant. Quod singulare est: nempe substitutum alteri ob temporale eius impedimentum vel excusationem, impedimento cessante, non ideo cessare. Quod quidem singulare *Annonæ Vrbicæ* fauore a Valentiniano Sen. constitutum inter alia, quibus enixa & prolixa constitutione sua ei consulendum putauit: cuius constitutionis portiunculas alias huic nostræ coassandas iam *initio* designaui & inter alias *l. 6. prox. infr.* & quidem hæc omnia (quod sæpe dicere cogor) ad Symmachi P. V. suggestionem: *quo instante*, ait Ammianus *lib. 27. cap. 3. Vrbem sacratissimam otio Copiisque abundantius solito fruitam.* Ac inter cætera quamplurima circa Pistores institutis, quo ex ea constitutione præter *hanc leg.* & *l. 4. supr.* & *l. 6. prox.* pertinet & quarta portiuncula, puta *lex 5. supr. de pœnis*, quam & ipsam huic iungendam censeo, & quinta, puta *lex 1. infr. de Canone frument. V. R.*

VI. (a) Idem AA. ad Symmachum P. V.

NVLLI liceat pistorum, (b) supplicatione delata, subterfugiendi muneris impetrare licentiam. Dat. VI. Id. Ian. (c) Naisso, diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTÆ.

(a) Quæ *legis* huic nostræ coassandæ sint, iam ad *superiores* 4. & 5. dictum est, quæ & ipsa de earum numero est. *GOTHOF.*

(b) Ita hunc locum interpungendum puto: Non, *nulli liceat*, *Pistorum supplicatione.* *ID.*

(c) *yp. Iun.* vt est in aliis legibus, quas huic coniungendas dixi. vid. *Chronolog.* *ID.*

COMMENTARIVS.

LIBERARI seu solui, etiam Principis RESCRIPTO, pistorum quemquam munere, seu conditione sua, vetat *hac leg. sua* Valentinianus Sen. quæ pars est, vt iam notaui, prolixioris Valentinianeæ constitutionis ad Symmachum P. V. (pariter vt Valentinianus Iun. *l. 18. infr.* & Honorius *l. 20.*) Pistorem, inquam originarium: nam in pistrina condemnatum Iudicis sententia speciali Principis rescripto liberari posse idem statuit, *l. 7. supr. de pœnis:* (quæ *legi 7. prox infr.* coniungenda est:) Imo, ne quidem Corporis pistorii totius consensu, quem Pistorum liberari posse idem mox statuit *l. 8. infr.* Nempe & hac ratione Valentinianus vrbicæ annonæ consultum iuit inter alia, quæ prolixa sua constitutione ad Symmachi P. V. suggestionem constituit, de quo ad *l. supr. prox.*

De PATRONIS *Pistorum.*

VII. (a) Idem AA. ad Viuentium P. V. (b)

POST quinquennii tempus emensum vnus prior e Patronis pistorum otio & quiete donetur: ita vt ei qui sequitur, Officinam cum animalibus, seruis, molis, fundis dotalibus, pistrinorum postremo omnem enthecam, (c) tradat adque consignet. Dat. VIII. Id. Octobr Altino, (d) diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTÆ.

(a) Iungendæ *huic* sunt *lex 7. supr. de pœnis: lex 16. supr. quorum appellation. non recip. lex vnic infr. de nautis Tyberinis:* ita tamen vt Inscriptiones varient: *Lex enim 7. de pœnis,* inscribitur Arthemio (Correctori scilicet Lucaniæ & Brittiorum) *lex 16. & lex vnic.* Symmacho P. V. quomodo sane hic reponendum puto, de quo mox. *GOTHOF.*

(b) *Viuentius* Anno demum 367. P. V. fuit: vt docet *lex 11. supr. de pœnis: lex 3. de indulg. criminum:* sic etiam vt inter Symmachum & hunc Viuentium Lampadius P. V. medius ab Ammiano Marcellino ponatur *lib. 27. cap. 3.* *Symmachus*, inquit, *Aproniano successit: Aduenit post hunc Vrbis moderator Lampadius ex PP. Aduenit successor eius ex-Quæstore palatii Viuentius.* Quare omnino substituendum hic Symmachi nomen, arg. *d. l. 16. supr. quorum appell. & l. vnic. infr. de nautis Tyberinis:* quæ *huic* coniungendæ sunt. *ID.*

(c) *Entheca* hic, & *l. 12. infr. de operibus publicis*, est ἀφορμή, de quo ad *eam leg.* plenius. *ID.*

(d) Adde ex *d. l. 16. Acc. XVI. Kal. Nouembr.* *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 156 DE PATRONIS Pistorum est hæc Valentinianeæ prolixoris constitutionis portiuncula, vt iam ostendi: de quibus Patronis sunt duæ præterea *hoc ipso titulo* constitutiones: puta *lex 2. supr.* & *l. 12. infr.* De his semel hic videndum est, quandoquidem *hac lex* eam ad rem maxime singularis est. Igitur docet ea Patronos Pistorum fuisse eos, qui singulis Pistorum officinis præerant, quibus omnium cuiusque officinæ animalium, seruorum, molarum, fundorum dotalium cura, postremo omnis officinæ & pistrini entheca commissa erat: quibus etiam noui Pistores consignabantur, vt docet *d. lex 12. infr.* Nempe per varias Pistores officinas sparsi fuere, seu variæ Pistorum officinæ erant: quarum mentio quoque fit *l. 8. infr.* & *l. 3. infr. de annonis ciuicis.* Cassiodorus quoque earum meminit *Var. VI. 18. Per officinas Pistorum discurris.* De his & Socrates *lib. 5. hist. Eccl. cap. 18.* qui οἴκους παμμεγέθεις vocat; ἦσαν ἐκ ἀρχαίων κατὰ τὴν μεγίστην Ῥώμην οἶκοι παμμεγέθεις, ἐν οἷς ὁ τῇ πόλει χορηγούμενος ἄρτος ἐγίνετο: *erant in vrbe Roma ædes amplissimæ a priscis temporibus ædificatæ, in quibus panis fiebat, qui ciuibus diuidebatur.* Patroni igitur, singularum officinarum præpositi fuere. Et tamen plures eiusdem officinæ Patronos fuisse hæc ipsa *lex* ostendit, sic tamen, vt Prior tantum ex his in summo actu positus esset, cæteri vero post eum, Patronorum quidem numero, sed nondum in summo actu, & eum actum expectantes suo quisque ordine. Quod & ipsum luculenter ostendit *lex 9. infr. de Suariis:* (quæ alioquin *legi vltim. hoc tit.* iungenda est) de Patronis Caudicariorum & mensorum: *Vnus*, inquit, *e Patronis totius consensu corporis eligatur, qui.* &c. Et sub *fin. legis: Illud etiam decernimus, ne in singulis TRES PRIMOS PATRONOS corporum singulorum V. C. PF. ann. ius habeat corporalis iniuriæ.* Ecce rursum *primos Patronos* Corporum singulorum. Nempe & hactenus quoque siue ambitio siue gratia peruagata est: vt Corpus vnum, vt Officina vna plures Patronos haberet, sibique adsisceret: sed quorum vnus in summo actu esset: & quidem lustrali seu quinquennii spatio, vt præter *hanc leg.* docet rursum *d. lex 9. de Suariis: Ad excludendas Patronorum Caudicariorum fraudes, & Portuensium furta mensorum, vnus e Patronis totius consensu Corporis eligatur, qui per quinquennium custodiam Portuensium suscipiat conditorum: clandestinum ad collegas digma missurus, ne quid ex*

specie

ſpecie fraus occulta vectorum peſſima qualitatis immutet: Cui præmia iſta deferimus, vt ſi optima fide adminiſtrauerit munus iniunctum, poſt expletas luſtralis ſollicitudinis metas, Comitiua tertii ordinis honore cumuletur, idque non iam ex codicillis noſtris, ſed conſtitutis iſtius conſequatur indulto: deprebenſus in fraudem, amiſſo patrimonio ad piſtrini etiam munia prima reuocetur. Inde *Quinquennales* & *Quinquennalicu*, quorum frequens mentio in *Veteribus Inſcriptionibus* apud Gruterum: veluti *COLLEGII CENTONARIORVM, CCCCLXXI. 5. MCI. 1. COLLEGII FABRORVM OSTIENSIVM, CCCLVIII. 1. COLLEGII FABRORVM TIGNARIORVM, CCCCXXXV. 8. CORPORIS MARMORARIORVM, CCCCLXXIII. 8. CORPORIS NEGOTIANTIVM MALACITANORVM, DCXLVII. 1. CORPORIS PISCATORVM ET VRINATORVM, CCCXCI. 1. QVINQ. CORP. NAVIGANTES, CCCCXL. 3.* Tandem de Quinquennalibus Piſtorum eſt ea inſcriptio quam ad *l. 1.* protuli, *ſupra.*

De his Quinquennalibus Collegiorum ſeu Corporum nonnulla adhuc ex illis Veteribus Inſcriptionibus colligere eſt. Primum hos *Quinquennales etſi non continuos, attamen perpetuos* fuiſſe: quomodo etiam diſerte vocantur in inſigni Tabula marmorea Romæ *CCXXVI*, cuius Coſſ. incidunt in Annum D. 140. vbi notatus *ORDO CORPORATORVM, QVI PECVNIAM, AD AMPLIANDVM* quoddam *TEMPLVM CONTVLERANT.* Perpetuos, inquam fuiſſe, ſic vt περιοδικὸν hoc πολίτευμα eſſet, & poſt aliquot luſtra ad euodem recurreret. Hinc *Quinquennalis tertium* in Veteri Inſcript. *CCCXCI. 1.*

PATRONO
CORPORIS. PISCATORVM. ET
VRINATORVM. QQ. III. EIVSDEM
CORPORIS.

Secundo tamen obſeruandum in Veteribus Inſcriptionibus Patronos a *Quinquennalibus* ſeparari: ita quidem vt hi ſecundo loco ponantur, illi primo: vt in *ſuperiore Inſcriptione:* ita & *CCCCLXXVII. 8.* & in prædicta *Tabula collationis ad ampliandum Templum:* vbi cum ordo Corporatorum retexitur, Patroni primo laterculo memorantur, ſecundo laterculo QVINQ. PERPET

Tertio, Oſtiæ Collegii Fabrorum Oſtienſium quendam Quinquennalem Lvstri xxv. vocari reperio in *Veteri Inſcript. CCCLVIII. 1.*

D. M.
L. ANTONIVS. PECVLIARIS
SEV. AVG. Q. Q. COL. FAB. OST
LVSTRI. XXV. FECIT. SIBI. ET
ANTONIAE. SOTERIDI
VXORI. KARISSIMAE. CVM
Q. V. A. VIX. ANNIS. L

Proculdubio a Portu Oſtienſi excitato hic luſtra computantur, & ſic anno circiter a Portu Oſtienſi a Claudio Imp. excitato, a 121. ad 125. quod in *Marci Imp.* tempora incidit. Item *CCCLX, 2.*

L. AQVILIVS. Ↄ. L
MODESTVS. MAGISTER
QVINQVENNALIS. COLLEGI. FABRORVM
TIGNARIORVM. OSTIENSIVM. LVSTRI II
ISDEM. AVGVSTALIS.FECIT. SIBI. ET
AQVILLIAE. L. F. APTAE. PATRONAE. ET
DECIMAE. S. F. F. PRISCAE. CONIVGI. SVAE. ET
SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVS. ET. DECIMIAES. SP. F
PRISCAES. POSTERISQVE. EORVM

Item *CCLII, 6.*

SABINAE
AVGVST
MAGISTRI. QVINQVENNALES
COLLEGI FABRVM. TIGNAR. LVST. XIII

Et *CCLXI. 4.*

FAVSTINAE. AVGVSTAE
MAGISTRI. QVINQVENNALES. COLLEGI. CORP. FABRVM
FERRAR. TIGNAR. DENDROPHOR.ET.CENTON. LVST. XXVII
T. OVINIVS. T. F. THERMVS. L. FVSCIVS. Q. F. SABINVS
FL. ANTIDIVS. SEX. F. EROS. C. FVLVIVS. C. F. NIGRVS
Q.CASSIVS.P.F.ALBINVS.MAGISTER.ET.FLAMEN.QVINQVENQ
L.CHRISCIVS. L.F. VENVSTVS.SEX. MASTIVS. SEX.F.VERVS
DD. KAL. IANVAR.
C.MANLIO.TORQVATO.ET. CORNELIO. MESSALINO.COS

Tandem apponere hic iuuat ſecundum illud Laterculum quod dixi, vbi ſingula quinquenniorum interualla Quinquennalium notantur.

QVINQ. PERPET.
C. SOSSIVS. BENEDICTVS
QVINQVENN
A. EGRILIVS. AVGVSTAL
QVINQVENNALIC
P. SVLPITIVS. HERA
L. NAEVIVS. SAECVLAR
A.D.151. QVINTILIIS. COS
QVINQVENN
A. EGRILIVS. FAVSTVS
A.D.156. SILVANO. ET. AVGVRN
Q. Q. COS
T. FISEVIVS. NICEPHOR
L. NAEVIVS. PROCVLVS
A.D.163. L. AELIANO. ET. PASTORE
Q. Q. COS
T. FISEVIVS. PRISCIANVS
A.D.170. CLARO. ET CETHEGO. COS
Q. Q.
M. MAGIVS MARSVS
A.D.172. MAXIMO. ET. ORFITO. COS
Q. Q.
L. HELVIVS. RESTITVTVS

Vt ad *leg.* noſtram redeamus: e Patronis igitur prior quinquennalis fuit, qui officinam adminiſtraret curamque haberet animalium, ſeruorum, molarum. Molarum quarum rurſum mentio fit *l. 4. infr. de Canone frum. V. R.* quæ in piſtrini inſtrumento eſſe P.257
etiam

etiam Paulus *lib. 3. sent. tit. 6. §. 64.* scribit, quandoquidem (quod & aliunde notum) pistorum erat, non tantum paneficium, sed & molendinum: Hieronymus *in Chronico, pag. 37. & 144. Thesaur. Tempor. Ios. Iust. Scaligeri. Plautus ad molas manuarias pistorem se locauerat.* Pomponius in Pistore *pag. 1516. Tom II. Corpor. Poëtar. Edit. Londinens. Decipit vicinos, quod molendum conduxit, comest:* & rursum Pistor ibidem, *Plus quasi facerem quam quadrinas, si haberem molas.* * Item curam habebat fundorum dotalium. *Fundi dotales* erant prædia Pistorum corpori obnoxia, affectata; vnde Pistoribus solatia præbebantur, *hac leg. & l. 19. infr.* quæ ad nihilum redacta iure perpetuo seu emphyteutico idoneis post-ea locata, vade pensionem præstarent, *d. l. 19.* Et fuere ea per diuersas Prouincias sub cura Præfecti annonæ: Cassiodorus *lib. 6. form. 18. Dignitati quoque tua Pistorum IVRA famulata sunt, quæ per diuersas mundi partes possessione latissima tenebantur.* Dotales quoque fundi postea fuere, Pistorum proprii, nam & hæc dotis nomen & speciem retinebant, vt ait *lex 13. infr.* Tandem omnem pistrinorum Enthecam curabat Patronus: id est, instrumentum quoque aliud, & paraturam pistoriam: *Entheca* est ἀφορμὴ, quidquid sepositum conditumque alicuius vsus & præsidii causa, vt *hac leg. & l. 12. infr. de operib. publ.* quæ hoc ipso Anno data ad Symmachum P. V. vbi dicam plenius.

* Excitauit iam ante Nostrum hæc loca *IAC. CVIACIVS Obseruat. XVI. 5.* quem consule.

LIBERARI *aut* TRANSFERRI *Pistor non debet.*

VIII. (a) Idem AA. ad Symmachum P. V.

IN speculis erit Officium Sinceritatis Tuæ, Ne cui qui semel pistorum corpori fuerit deputatus, (b) abscedendi qualibet ratione copia facultasque tribuatur: etiamsi absolutionem (c) eius Pistorum omnium labor, (d) & adsensus consessus conuenisse videatur. Ne illud quidem cuiquam concedi oportet, vt Officina (e) ad aliam possit transitum facere. Dat. XVIII. Kalend. Febr. Mediol. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTÆ.

(a) Iungenda *huic* est *lex* 8. *supr. de pœnis.* Imo etiam, vt mihi quidem videtur, *lex* 1. *infr. de fide Catholica.* *GOTHOF.*

(b) Adiudicatus sententia etiam Iudicis: arg. *d. l.* 8. *supr. de pœnis.* *ID.*

(c) *γρ. ad absolutionem*, vel *ad solutionem.* *ID.*

(d) An *fauor?* An *labor et adsensus & consensus*, &c. *ID.*

(e) De officinis pistoris iam *supr.* ad *l. 7. prax.* & ad *l. 2. infr. de annonis ciuicis.* Interim etsi hoc sustineri potest, clarius tamen *ab* vel *de officina.* *ID.*

COMMENTARIVS

1. LIBERARI pistrino, ne pistorum quidem omnium *adsensu* quisquam potest, ex hac Valentiniani Sen. constitutione, cui iungenda est & *lex 8. supr. de pœnis.* Cuius argumento inducatur quis vt dum credat: Primo proprie *hanc leg.* esse de his qui Pistorum Corpori per sententiam Iudicum ob leue aliquod crimen deputati seu adscripti sunt, de quibus sane agitur *l. 3. 5. 6. 7. 9. eo tit. de pœnis: l. vltim. infr. hoc tit. l. 9. infr. de Suariis:* etsi non eo minus verum id quoque sit in quibuscunque aliis Pistoribus. Nempe enim *ea leg.* agitur de damnatis ad Ludum. Secundo, cum *ea leg.* prohibeatur quisquam Christianus ad ludum damnari; pariter, vt ad custodiam Templorum apponi, *l. 1. infr. de fide Catholica:* (quæ & ipsa *huic* iungenda videtur,) ita putet quis, per *adsensum Consessus*, hic intelligendum nominatim sacerdotalis consessus adsensum, pistorem aliquem ad Ecclesiam & clericatum deposcentem: quasi hoc velit Valentinianus, a Christianæ Religionis veneratione hoc officium & ministerium alienum non esse, vt est custodia Templorum, vt est rursum Pœna ludi: Itaque frustra ex pistorio officio quem a *Sacerdotum consessu*, vel Synodo deposci: Quæ sane Valentiniani sententia est ad eundem Symmachum, *l. 11. infr.* eodem Anno 365. Sane *Sedendi, Consedendi, Residendi*, vox propria de Sacerdotali consessu: de Synodo Romana in causa Donatistarum Optatus *lib. 1. cap. 23. Cum consedissent Miltiades Ep. Vrbis Romæ:* & mox *init. cap. 24. His decem & nouem consedentibus Episcopis.* Sic & *l. 35. infr. de Episcop. Quicunque Residentibus Sacerdotibus fuerit Episcopali loco detrusus.* Sed & ceteroquin multos muneribus & ministeriis publicis nexos ab Episcopis ad Clericatum postulatos liquet. Quæ coniectura, si stat, iam *hac lex* ad historiam Ecclesiasticam referenda fuerit. Verum hoc vt quisque volet, ita & accipiet: nam & per *adsensum consessus*, consensus totius Corporis pistorii accipi potest. Sane in huiusmodi Corporum decretis *sentiendi* & *adsentiendi* vox propria. Sic *l. 21. infr. Etiamsi huic facto omnium pistorum accedat adsensus.* Symmachus *lib. 10. epist. 58. in fin. quos sui Corporis adiudicauit adsensus.* In veteri Inscriptione Decreti, quo a Collegio fabrorum & Centonariorum Patronus Collegii quis adscitus, VNIVERSI SENTIMVS. vid. Gruterum *MCI. 1.* An nihil immutandum? vt per *consessum* intelligatur Pistorum consessus: ita *Concilium Nauiculariorum* dicitur *l. 32. supr. de Nauicular.*

2. Altero *huius leg.* capite Valentinianus definit, neque OFFICINAM mutare, seu ab officina ad aliam transgredi, cuiquam pistorum concedendum esse: Nempe suus cuique & sufficiens officinæ pistorum numerus relinquendus est. Hoc interim argumento mutationis expetitæ colligo, grauiorem vnius officinæ quam alterius laborem visum, vt de ea mutanda quidam cogitarent, idque sibi concedi postularent. Ergo tantum abest, quisquam pistorio munere in totum liberari vlla ratione possit, vt ne officina quidem vna liberari & in aliam transferri debeat.

IX. (a) Idem

P. 198.

IX. (a) Idem (b) AA. ad Olybrium PF. V. (c)

EX Libertinis, Catabolensium corpori statuimus sociari (d) eum, cuius tota substantia triginta librarum argenti æstimatione colligitur. Idque pondus, siue ipsum per se (e) habet, seu in aliis quibuscumque speciebus, vel in ædificiis adque agris, dictæ adscribtionis merita non transit, iubemus ab inquietudine istius molestiæ segregari. Dat. III. Kalend. April. Triu (f) Valentiniano & Valente (g) AA. Coss.]

N O T Æ.

(a) Iungenda *huic leg.* est vt puto *lex 9. supr. de pœnis*: Imo & *lex vnic. infr. de mancipib. thermarum.* Cæterum *ὕστερον πρότερον hic & l. prox.* admissum ab *huius Codicis* Conditoribus: post *legem* enim .2. collocari hæ debuerunt, vt ex *Olybrii P. V.* nomine mox probabo: & ex *Treuerica* vrbe, vbi *hæc lex* a Valentiniano data est. *GOTHOF.*

(b) Inscribendi hi *Imppp. Valentinianus Valens & Gratianus.* *ID.*

(c) Hie post Viuentium, & Prætextatum, qui Ann. D. 367. Præfecti Vrbis fuerunt, Anno demum 368. P. V. factus est. Notitia hæc tenenda Præfectorum Vrbis primis Valentiniani Imp. annis, post Aproniamum, qui sub Ioviano P. V. fuit.

A. D. 364. & 365. Symmachus. *Ammianus, lib. 27. cap. 3.* complures passim *hoc Codice* ad hunc constitutiones.

A. D. 366. Lampadius. *Ammianus, lib. 27. cap. 3.*

A. D. 367. Viuentius. *Ammianus, lib. 27. cap. 3.* Huic inscribitur hoc Anno *l. 11. de pœnis l. 3. de indulg. crim.*

A. D. 367. & 368. Prætextatus. *Ammianus, lib. 27. cap. 9.* Huic inscribitur hoc Anno *lex vnic. de ingratis liberis: l. 4. de Suar. l. 10. de pœnis, l. 7. de priuil. eor. qui in S. Pal. l. 2. de Medicis.*

A. D. 368. Olybrius. *Ammianus, lib. 28. cap. 1.* *ID.*

(d) *γρ. non sociari.* *ID.*

(e) Solum in argento, in specie. *ID.*

(f) *Triueris* Valentinianus Ann. D. 368. Valentiniani Itinerarium per hæc tempora hoc habe.

A. D. 364. Constantinopoli, Hadrianopoli, Philippopoli, Bonamansione, Serdicæ, Naisso, Medianæ, Sirmio, Emonæ, Aquileiæ, Altini.

A. D. 364. 365. Mediolani, Luceriæ, Aquileiæ, Veronæ, Parisiis.

A. D. 366. 367. Remis, Ambianis, Remis.

A. D. 367. 368. Treuiris. *ID.*

(g) *γρ.* II. id est, Ann. D. 368. vt ex superioribus liquet. *Olybrii*, inquam *P. V.* nomine, qui eo demum Anno P. V. fuit: & ex vrbis *Treuerica* subscriptione: vbi Valentinianus primum fine Anni 367. & Ann. 368 constitit. *ID.*

X. Impp. VALENTINIANVS (a) & Valens AA. ad Olybrium P. V.

LIBERTINI, qui a dominis, cuiuscumque honoris aut meriti, aliquid testamento, vel donatione meruerunt, si aliquam (b) pistrinis obnoxiam consecuti sunt, pistorum corpori copulentur. Si vero libera ob (c) hoc nexu hiisdem sunt corporibus (d) derelicta, Catabolensium necessitatibus obsequantur. Quinetiam si qui ex his aliis se corporibus crediderint inferendos, ab his incunctanter abstracti, ei cui hac lege sociati sunt muneri deputentur: Si autem a Clarissimis (e) Viris aliquos acceperint fundos, sic prædicto (f) corpori pareant, vt Glebæ, (g) ex qua lucratiua sunt corpora, nullum præiudicium comparetur. Dat. Non. Iul. Lecta in Pantheo, (h) Non. Nou. Valentiniano & Valente (i) AA. Coss

N O T Æ.

(a) *γρ. Imppp. Valentinianus, Valens & Gratianus.* *GOTHOF.*

(b) Vel reponendum, *aliqua obnoxia*: vel, *aliquam rem obnoxiam.* *ID.*

(c) *γρ. ab hoc.* *ID.*

(d) *γρ. Corpora*, id est res, vt *fin. legis*, *ex qua lucratiua sunt corpora.* *ID.*

(e) Senatoribus. *ID.*

(f) Catabolensium. *ID.*

(g) Senatoriæ, Glebalis collationis. *ID.*

(h) *Lecta in Pantheo* Romæ hæc *lex* dicitur. De Pantheo Romæ ab Agrippa condito, operum pulcherrimo, deque eo conflagrato, mox instaurato, ces nota: quod tandem in B. Virginis Mariæ & omnium Sanctorum templum mutatum, Phocæ Imp. permissu, curante Bonifacio Quarto; teste Regitone *p. 18 Tom. I. Rer. German. Ioan. Pistoris Edit. Struuian.* Cur autem *hæc lex* lecta in *Pantheo?* mox disquiram. *ID.*

(i) II. vt ad *leg. superiorem* ostensum est. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE CATABOLENSIBVS, (quos in Sitobolenses quidam ooo recte mutant, quia Σιτοβολῶνες Palladio *in Lausiaca de Seueriano*) hæ duæ *hoc titulo* imo *hoc toto Codice* leges sunt: neque vllæ præterea *hoc Codice* occurrunt. Adeo etiam, vt oe minimo quidem argumeoto colligi ex iis possit, quinam ii fuerint: nam id hactenus edocent, Corpus cettum hotum Catabolensium Romæ sub dispositiooe P. V. fuisse: sed & illud hactenus ex *Rubrica huius tituli*, & *his legibus* sub *hoc titulo* positis cooficitur, vicinum Pistorum Corpori Corpus hoc fuisse. Tandem Libertinos huic Corpori sociatos.

Verum vltra adsurgendum est. Catabolenses igitur in genere eraot, qoi veterinis opera vehebant. Cassiodorus III. *Variar. 10. Declaramus, vt marmora, qua de domo Pinciniana constat esse deposita, ad Rauennatem vrbem per CATABOLENSES vestra ordinatione DIRIGANTVR.* Idem *lib. IV. Var. 47. in fin. Quinetiam anera centum librarum nullus excedat.* Et mox: *Et ideo quinquaginta solidorum mulctam iam non veredarius, sed CATABVLENSIS incurrat, quisquis vltra centum libras parhippum crediderit onerandum.* Apud quem *Catabo-*
P.459 *lenses* proprie sunt, qui in mutationibus cursuales equos seu veredos onerabant. Igitur Catabolenses eraot, qui veterina aoimalia sarcinis onerabant, iisque onera vehebant, ἀπὸ τῦ καταβάλλειν, quod est *onerare*: pro quo alias ἐμβάλλειν, (vnde Embola sacra, onus nauium Alexandrinarum) seu ἀναβάλλειν (vnde anabolicæ species apud Vopiscum *in Aureliana cap. 45.* aduectitiæ, aliunde comportatæ.) Vnde & Caballum dictum autumant ab iniiciendis oneribus, καββάλλειν, pro καταβάλλειν *Doribus.* Quinimo & *Catabulum*, κατάβολον, pro stabulo ipso veterioorum atumalium: quod *S. Marcelli PP.* historia ostendit apud *Anastasium, Scotum, Glossariorum Auctores, Papiam, Alios.* Stet igitur Catabolenses fuisse, qui fiscalia onera Romæ veterinis comportabaot: siue frumentum Romam per nautas Tyberinos aduectum, horreis ioferendum esset: siue tursum ex horreis frumentum in pistrina comportandum esset: siue panis e pistrino ad gradus deportandus; & quod aliud onus fiscale transuehendum. Vnde iam apparet, cur Catabolenses pistoribus *hoc titulo* socieotur. De Catabolicis spiritibus noo est hic dicendi locus.

De his igitur Catabolensibus, his duabus Valentiniani Sen. constitutionibus statuitur; ex LIBERTINIS Catabolenses esse adsumendos seu sociandos: idque duobus casibus: quorum primus *l.* 9. continetur; posterior *l.* 10. Nempe sociaodos primum, si substaotiam ipsi habeant 30. libris argenti maiorem, oon si minorem: aut 30. tantum libratum: quæ sententia est *legis 9.* Apertissime eoim postrema *legis* pars ostendit, *initio* legendum esse, *statuimus non sociari.* Item libertinos Catabolensibus sociandos, (quæ seotentia est *legis 10.*) si a dominis seu patronis aliquid testamento vel donatiooe meruerint seu acceperiot, dumoodo noo rem aliquam pistrinis obnoxiam, (tum enim pistorum Corpori sociandos:) Ita quidem vt hæc distinctio immutari non possit, idest, Libertini rem pistrino obooxiam a dominis consecuti, Catabolensium Corpori sociare se oon possint: & vicissim immunem a pistrini oexu consecuti, pistrino se sociare noo debeant. Distinctio hæc scilicet legis & prouidentiæ est, suo cuique corpori ita consulentis, quam priuato studio infringi non oportet. Addamus ex *l. 9. supr. de pœnis*, quæ *huic* oostræ iungenda est: quemcunque sociatum Catabolensium forte corpori pro pœna Pistorum corpori addicendum non esse: de quo ad *eam leg.* pleoius. Sed & illud adiicitur *l.* 10. si Libertini fuodum liberum a nexu pistorio, acceperint a dominis seu patroois Senatoriis, ita eos Catabolensibus sociandos: vt tamen Senatoriam quoque glebam eius nomine præstent. Ita scilicet Catabolensibus consulendum credidit, vt ne glebæ Senatoriæ seu collatiooi glebali præiudicium fieret: de quo fuit *supr.* peculiaris *titulus lib. 6.*

Et hæc quidem est sententia *harum duarum constitutionum*; vbi quæri potest, qua ratione *Libertini* nunc ad Catabolensium munus vocati fuerint a Valentiniano Sen. Nempe cum hoc tempore Catabolensium Corpus infractum fuisset, atque ita annonæ Vrbicæ consultum minus esset, *Libertinos* ad eam vocari placuit, vt cæteroquin libertinæ coodítioois hominibus multa imposita: forte etiam quod & ipsi corpore validi essent, & Catabolensis functionis speciem aliquam patronis vel dominis tedderent: ingenuos vero ad id vocari graue visum & indecens. Et duobus tamen adhuc taotum casibus illis quos dixi, Libertini ad Catabolensium corpus adstricti, puta si facultates eorum 30. libras argenti excederent, & si quida dominis vel patronis donatione vel testamento, ex causa proinde lucratiua, accepissent. Quæ omnia ideo instituta videntur libertorum odio, ad quos hoc æuo magnæ diuitiæ confluebant, etiam patronorum profusionibus. Quibus & hac ratione occursum, modusque positus, metu Catabolensis conditionis iniecto: imo & pistoriæ suo casu: tandem & Senatoriæ adscriptionis. Verum de peculiari odio Principum hoc æuo in Libertinos, dixi plene ad *l. 3. supr. de inoff. testam.* & ad *tit. de Libertis & eorum liberis*: & *l. 3. supr. de reuoc. donat.* Quod autem modum patrimonii in Libertinis initum *hic* videmus, id & alias factum, sed alio fine, ostendunt quæ de Centenario liberto *lege Iulia & Papia* cauebantur, vt ad *eam leg.* dixi.

Notanda hic superest Subscriptio *legis* 10. quæ dicitur *lecta in Pantheo*: de Pantheo res nota est. Sed dubium, cur ea *lex* ibi lecta fuerit? Aliter atque pronum est respondere, cur *lex 20. infr. de Episcopis*, quæ eiusdem Valentiniani est, *in Ecclesiis lecta* dicatur. Panthei sane meminit Ammianus Marcellinus *lib. 16. cap. 10.* Constantii Imp. in Vrbem Romam ingressum Ann. D. 357. eiusque decora & magnifica opera describens, quæ Constantius ibi vidit & miratus est: *Pantheon*, inquit, *velut Regionem teretem, speciosa celsitudine fornicatam: elatosque vertices qui scansili suggestu consurgunt, priorum Principum imitamenta portantes.* Fit quoque eius mentio io *veteri vrbis descriptione*, quæ præfixa Imperii Notitiæ, vbi collocatur *Regione Nona.* Mihi mens ea, ideo *hanc leg.* quæ est de Pistoribus & de Catabolensibus, *lectam in Pantheo*, non tantum quod celebratissimum & frequentatum maxime Romæ Gentilium templum esset, cuiusmodi Gentiles ferme erant Pistores & Catabolenses, verum etiam, qood Pantheon vicinum esset *Stabulis factionum*, & *Minutia frumentaria*, in eadem Regione Nona: vbi Pistorum & Catabolensium vsus erat in annona conficienda, comportanda, ad ea loca.

XI. (a)

XI. (a) Idem AA. ad Symmachum P. V.

HAc sanctione generaliter edicimus, nulli omnino ad Ecclesias, ob declinanda pistrina licentiam pandi: Quod si quis ingressus (b) fuerit, amputato priuilegio Christianitatis (c) sciat se omni tempore ad consortium pistorum & posse & debere reuocari. Dat. V. Kalend. Oct. Aquil. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

P. 160

NOTÆ.

(a) Omisit Baronius *hanc leg.* in hunc Annum 365. referre. *GOTHOF.*
(b) Ecclesias scilicet. *ID.*
(c) *Christianitatis* voce, quid hic veniat? mox inquiram. *ID.*

COMMENTARIVS.

ECclesiarvm perfugio, Christianitatisqve priuilegio quenquam pistorum consortio liberari vetat *hac constitutione* Valentinianus Sen. Inter tot scilicet rationes quibus per hoc biennium Pistorum Vrbis Romæ collegio, frequentibus ad eundem Symmachum P. V. constitutionibus emissis, consultum fuit, & hac quoque ratione consulendum putauit: cum iam Ecclesiæ obtentu Pistorum quoque collegium diminueretur. Hactenus scilicet ad Ecclesias licentiam pandi oportet, hactenus priuilegio Christianitatis locum dari, vt ne eo obtentu tam necessaria Vrbi Romæ, annonæque eius Corpora debilitentur: veluti Pistorum *hac leg.* Suariorum, aliorumque Corporatorum ex Honorii *l. 8. infr. de Suariis:* & in vniuersum quicunque tandem Corporati Vrbis Romæ ex Valentiniani Tertii *Nouella inter Theodosianas 26. de Corporatis Vrbis Romæ, qui ad militiam vel Clericatum transeunt, reuocandis:* & *Nouella 12. de Episcopali iudicio.*

Cæterum generalem *huius leg.* sanctionem adeo fecit & esse voluit Valentinianus Sen. vt sub tribus Ampliationibus eam accipi velit, & ratione personarum, & ratione temporis, & absolute. Ratione Personarum, *nullo* videlicet *omnino excepto;* Ratione Temporis, *omni* scilicet *tempore* huiusmodi personis ad consortium Pistorum reuocandis: Absolute denique, *omni priuilegio amputato,* neque vlla conditione aut exceptione admissa: etsi Pistorum ipsorum consensu & adsensu accedente: quod item cauit *l. 8. supr.* ad eundem Symmachum P. V. cum tamen in Decurionibus hac parte aliquando distinctiones quædam adhibitæ fuerint. Nam & Ordo Sacerdotii, ad quem Decurio transierat, distinctus fuit, *l. 121. 163. supr. de Decurionib.* Quod & ipsum circa Corporatos constitutum *d. Nouella 26.* & Temporis diuturnitatis ratio habita, *l. 19. 21. 123. 163. supr. de Decur.* & excepti quandoque Decuriones si bonis suis Curiæ cederent: *l. 59. 121. 123. supr. de Decurionib.* Et istud quidem ita Valentinianus, in fauorem annonæ vrbicæ, repudiato Ecclesiæ obtentu: qui alioquin hoc ipso Anno, Christianæ Religionis venerationi, *legibus* ad eundem Symmachum P. V. *datis* consultum voluit, Christianis videlicet in ludum damnari vetitis, *l. 8. supr. de pœnis,* quæ coassanda est cum *l. 8. supr. hoc tit.* & ad custodiam Templorum admoueri, *l. 1. infr. de fide Catholica.*

Illud modo videndum, vtrum *hac lex* accipienda sit de Pistoribus ad Clericatum transeuntibus, an vero de Christianæ Religionis professione? quoqua adeo sensu, ad Ecclesias licentia pandi vetetur? quo sensu Christianitas dicatur, & priuilegium Christianitatis amputari? Sane *Christianitatis* appellatione, Clericatus nominatim designatur: *l. 123. supr. de Decurionib.* & Christiani pro Clericis & Ecclesiasticis, *l. 2. supr. de postliminio: l. 50. & d. l. 123. supr. d. Decurionib.* Christianæ denique legis votum, pro Clericatu, *l. 16. infr. de Episcopis.* Et tamen *hac lex* accipi possit de sola etiam Christianæ Religionis professione, qua, non modo Clericatu pistrini conditione nexuque nonnulli liberari se posse sperabant: Quod *hac leg.* negatur. Alia equidem sunt munia & ministeria a Christianæ Religionis reuerentia aliena, a quibus proinde Christianæ Religionis obtentu quis liberari poterit; veluti a Scænica conditione, *l. 4. 8. 9. infr. de Scænicis:* a lupanario, *l. 1. infr. de lenonibus:* a ludi pœna *dict. l. 8. supr. de pœnis,* a custodia Templorum, *l. 1. infr. de fide Catholica:* quæ, vt dixi, est eiusdem Valentiniani ad eundem Symmachum P. V.

XII. (a) Idem (b) AA. ad Claudium Proc. (c) Afric.

SEcvndvm Parentis (d) nostri *Constantini* diuale præceptum, (†) omnibus lustris pistores, ex Officio, (e) quod ei corpori constat addictum, ad Vrbem Sacratissimam (f) destinentur: In quo illud (*) conuenit præcaueri, ne quis hanc, quæ personalis est, functionem pretio putet esse taxandam: veniant suo tempore quos causa constringit: & ita veniant, vt eos Officium quod tibi paret, pistorum Patronis (g) adque PF. Annonæ aput publica monumenta consignet. Quod si quis iudicum statuto tempore personam quæ est destinanda, non miserit, ipse profecto remanebit obnoxius functioni, cui subtraxisse probatur obnoxium. In Officium (h) quoque pœna competenti

tens exeretur, quod aut dissimulatione neglexerit, aut fraude subtraxerit (i) Iudicem suum super vi legis & consuetudinis admonere. Dat. Kal. Decemb. Triu. Valentiniano & Valente (k) AA. Coss.

NOTÆ.

(a) Concordat huic *l. 17. infr.* GOTHOF.

(b) *v.. Imppp. Valentinianus, Valens, Gratianus AAA.* ID.

(c) Eidem Claudio Procons. Afr. inscribitur *l. 6. supr. de Legatis*: *l. 8. supr. de lustrali*: *l. 18. infr. de Episcopis*: vid. *Prosopogr.* ID.

(d) De hac *Parentis* appellatione, mox in *Commentario.* ID.

(†) Non extat id Constantini M. præceptum, seu *hac lex.* ID.

(e) Quodnam illud? aut quænam illa officia? An officium, id est, officiales Iudicum? an Officium Proconsulis Africæ? ID.

(f) Id est, Vrbem Romam. ID.

(*) *Lex 9. Cod. Iust. de excus. munerum* hunc *versiculum* vnicum habet, retenta voce *hanc*: quæ ibi posita iam non habet quo referatur. ID.

(g) De *Patronis* Pistorum dictum ad *l. 7. supr.* ID.

P.161. (h) In Officiales. ID.

(i) *Subticuerit.* ID.

(k) Adde II. & sic referenda *hac lex* ad Ann. D. 367. qua sane Valentinianus *Treuiris* constitit (non Ann. D. 365.) & quo ex procinctu Alamannico ad hyberna reuertit, teste Ammiano *lib. 27. cap. 10.* videndus & Ausonius *in Mosella v. 421. 422.* Et sane Claudium cui *hac lex* inscribitur, ex *aliis legibus* Ann. 369. & 370. Proconsulem Africæ fuisse reperio: quare *hac lex* reddenda certissime Ann. 368. pariter vt *lex 18. infr. de Episcopis*: quanquam hæc postrema reddi potest & Anno Domini 370. ID.

COMMENTARIVS.

EX ARATEA singulis lustris Pistores, ex officio, quod ei Corpori addictum erat, mitti a Iudicibus seu Rectoribus Africæ iubet Valentinianus Sen. idque secundum *Constantini M.* legem seu præceptum. Nempe Constantinus M. (quod ex *hac leg.* discimus) certum quoddam Officii genus, in Africa Pistorum Corpori addixerat: vnde scilicet singulis lustris seu quinquenniis certi quidam Romam ad Pistorum Corpus mitterentur, quos causa hæc constringeret. Id quod *hac leg.* a Valentiniano Sen. confirmatur: itemque a Gratiano & Valentin. Iun. *l. 17. infr. hoc tit.* Sed in obscuro latet, quodnam illud *Officium* fuerit, Pistorum Corpori a Constantino M. addictum: Sane non officium fuit Proconsulis Africæ, quandoquidem hic *officium quod ei paret*, distinguitur ab *officio, quod Pistorum Corpori addictum erat.* Igitur fuerit forte Officium minorum Iudicum Africanorum non Spectabilium, sed Clarissimorum, qui sub Proconsule vel Vicario Africæ fuerunt: Atque in his Præfecti annonæ Africæ.

Interim obseruandum, *Constantini M.* institutum hoc, Pistorum Vrbicorum collegio hac ratione consulentis: cuius fuit & alterum illud institutum, vt leuiorum criminum rei, pro pœna, Iudicum sententia in pistrinum Vrbis Romæ darentur *l. 3. supr de pœnis:* quod & ipsum probauit propagauitque hic idem Valentinianus Sen. *l. 5. 6. 7. 9. supr. de pœnis:* & de quo iam quoque aliquid dixi ad *l. 8. supr. hoc tit.* Item tertium, vt Nauicularii quoque pistorum consortio adstringerentur, si forte hæreditatem seu successionem pistoris amplecterentur, vt idem Constantinus constituit *l. 2. supr. de Nauiculariis*, quæ emissa est ad Præfectum annonæ Africæ Anno D. 315. Alias Nauicularios ad Pistorum consortium vocatos, occasione forte huius constitutionis suæ ab hoc munere absolui voluit.

Secundo obseruandum, *omnibus lustris* Pistores hos ad Vrbem Romam transmissos, quod & ipsum *tempus solitum* vocari videtur *l. 17. infr.* Nempe, vt existimo, propter Patronorum Quinquennalium mutationem, de quo *l. 6. supr.* quibus sane hi Pistores consignari *hac leg.* iubentur.

Nunc de sententia *huius leg.* Ea est, 1. Ne quis ordine suo mittendus possit hanc functionem redimere: quam vnicam sententiam seruauit Tribonianus *l. 9. Cod. Iust. de excusat. mun.* 2. Vt ab Officialibus PC. Africæ, Pistorum patronis, atque PF. annonæ, apud publica monumenta consignentur. Sane & ita Constantinus leuiorum criminum reos in pistrina Vrbis Romæ a Iudicibus condemnatos ad Præfectum annonæ sub idonea prosecutione mitti iussit *d. l. 3. supr. de pœnis:* quod etiam Valentinianus probauit *l. 6. supr. de pœnis.* Imo Valentinianus hic noster, leuiorum criminum reos ab ipso P. V. pistrino damnatos, sub obtutibus Præfecti V. adsignari voluit, ne dum occulte per nequissimos Commentarienses traduntur, gratia venalis existat, *d. l. 5. supr. de pœnis.* Tandem sanctio subiicitur aduersus Iudices & Officiales, pistores illos non mittentes.

Inter alia vero in transcursu notari cupio, quod Valentinianus Imp. Constantinum *Parentem suum* vocat: Scilicet *Parentis* ista appellatione Principes, alios quos singulari honore vel affectu prosequerentur, decorabant: & vero decorauit Constantinum M. Valentinianus Sen. vt *hac leg.* ita & *l. 17. supr. de Prætorib.* Marius quoque Victorinus *2. de Trinitate*, Constantinum Valentiniani imp. *patrem* vocauit: quod Baronius non intellexit. Ita quoque Constantinus Aurelianum *parentem* suum vocat *l. 1. Cod. Iust. de omni agro deserto:* & Diocletianum pariter, *l. 2. supr de censu.* Ita quoque Valentinianus Iun. *l. 2. infr. ne sanctum Baptisma: Parentes suos Constantinum, Constantium*, vocat. Ita Valentinianum Sen. *huius leg.* Auctorem, *parentem* suum vocat Honorius; *l. vnic. supr. qui conduct. vel priu. l. 33. infr. de operibus publ.* imo & *patrem*: *l. 22. supr. de erogat. mil. ann.* Valentinianum hunc ipsum & Valentem *parentes* suos Theodosius M. *l. 90. 105. supr. de Decurion.* Ita Valentinianus Tertius Theodosium Iun. *patrem* su-

um

um non semel vocat *Nouellis suis*; Nouella *de præscript. 30. ann. 8.* Nouella 12. *de Episcopali Iudicio:* Nouella *de reddito iure armorum 20. inter Theod.* vt vicissim ipse Theodosius Iun. Valentioianum hunc Tertium *filium* suum vocat, *l. vlt. supr. de Decurion. & silentiar.* & *Nouella 1.* & 2.

XIII. Idem (a) AA. ad Olybrium P. V. (b)

NON ea sola pistrini sint, vel fuisse videantur, quæ in originem adscribta Corpori (c) *dotis* (d) nomen & speciem etiamnunc retentant, sed etiam ea quæ ex successione pistorum, ad hæredes eorum, vel quos alios, deuoluta noscuntur, quo eorum quoque distractio inhibita euidentius cerneretur. (e) In his vero solis liciti contractus eidem Corpori reseruetur, (f) quæ ad ipsos non hæreditario pistorum nomine, sed priuatorum institutione, liberalitate, vel dote, aut quolibet (g) titulo probantur esse transfusa, & si qua ipsi ex priuata munificentia consecuti, in rebus humanis agentes, in aliquem ex sociis, id est, in pistorem alterum, transtulerunt. Cæterum si hæc quoque in successione propria reliquere, etiam eadem dotis nomine & titulo nuncupamus: quia pistrino proficere conuenit, quod aput pistorem eo viuente permansit. Seruaui (h) igitur decetero ordinem constitutum, vt si vel donatione pistoris rem pistrino hæreditatis successionisue meritis obligatam quicum-
P.162. que ex priuatis a pistoribus fuerit consecutus, sciat corpori obnoxium vendere & alienare non posse, sed in sua causa & pistorum nomine ac iure residere. Dat. Kalend. Iun. Triu. Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

NOTÆ.

(a) *Idem AAA.* Valentinianus scilicet, Valens & Gratianus. *GOTHOF.*

(b) Sex præterea constitutiones hoc Anno huic *Olybrio P. V.* inscribuntur: vid. de eo *Prosopogr. ID.*

(c) Pistorum. *ID.*

(d) Ita fundi dotales, *l. 7. supr. ID.*

(e) Cerna ur. *ID.*

(f) *γρ. Referuentur. ID.*

(g) Alio scilicet. *ID.*

(h) *γρ. Seruabis.* Scriptum fuerat *seruaVis. ID.*

COMMENTARIVS.

DE REBVS & POSSESSIONIBVS Pistorum fuit iam *supr.* Constantini M. *lex* 1. Valentiniani Sen. *lex l3.* eiusdem est hæc altera: vbi Distinctio bonorum hæc certa iam erat; inter dotes pistrini, id est, res pistrino seu pistorum Corpori nexas, & inter eas quas priuato iure possident: Quod videlicet Pistores illas distrahere non possint: has possint. Hæc ioquam distinctio iam certa erat, etiam ante *hanc leg.* vt docet etiam sub Valentiniano *d. l. 3. supr.* At non & illud, quænam proprie dotes pistrini essent: & sic quænam *priuato iure* possidere censerentur, atque ita distrahere possent: quænam contra pistrini essent, & dotis nomine censerentur, & sic inalienabilia. Id itaque *hac constitutione* definit Valentinianus: Nempe dotes pistrini esse, non ea tantum bona, quæ vt *lex* ait, in originem adscripta Corpori pistorum, *dotis* nomen & speciem retinent, id est, quæ iam olim affectata huic Corpori, instar dotis; vnde & *dotis* nomine censebantur, & fundi dotales dicti, *l. 7. supr.* verum etiam propria eorum & aduentitia, quæ videlicet ex successione Pistorum ad hæredes eorum, vel quos alios deuoluta sunt: veluti si quod ipsi priuatorum institutione, dote, liberalitate, aut quo alio titulo consecuti essent, in successione propria reliquerunt; hæc scilicet etiam *dotis* nomine & titulo censeri vult Valentinianus, ac proinde distrahi vetat: *Quia*, inquit, *pistrino proficere conuenit, quod apud pistorem eo viuente permansit.* Quod singulare est: Nempe vt ea *dotalia* sint seu Pistorum Corpori nexa censeantur, quæ etsi non origine dotis essent, attamen in hæreditate Pistoris reperiuntur: In hæreditate pistoris quod relinquitur aduentitium, iam proprium pistrini fit, & nihilo magis quam istud alienari potest. Atenim aduentitia illa inter viuos recte alienari, distrahi a pistore posse in quemcunque, definit Valentinianus: & tamen si & hæc ipsa in alium pistorem pistor transtulerit, & nouus pistor ea in successione reliquerit, etiam id dotis nomine & titulo censeri, & sic alienari non posse. Denique dotale est, quodcunque aut originarie doti datum, aut in hæreditate relictum, etsi aduentitium. Et ita quidem pistrino seu panificio vrbicæque annonæ fauit Valentinianus: in cuius fauorem hoc ipso Anno paulo ante ad eundem Olybrium P. V. canit, vt *pistoria causa* etiam feriatis geminis mensibus ab eo disceingerentur: *l. 5. Cod. Iustin. de feriis.*

XIV. Idem AA. (a) ad Vrſicinum PF. (b) Ann.

SI cui piſtoris filia nubſerit, ac poſtea is eandem dilapidatis facultatibus (c) conſortio (d) putauerit eximendam, non alia lege adque ratione eundem piſtoriæ neceſſitati & corpori præcipimus adſtringi, quam (e) eodem munere originis (f) vinculo teneretur. Dat. VIII. Kalend. Mart. Triu. Modeſto & Arintheo Coss. [372.]

NOTÆ.

(a) *Iidem AAA. Valentinianus* ſcilicet *Valens & Gratianus.* GOTHOF.

(b) *Vrſicinus* hic poſtea Vicarius V. R. fuit. Ammianus Marcellinus, *lib.* 28. *c.* 1. *ID.*

(c) Suis, an vxoris? Hoc verum. *ID.*

(d) An piſtorio? an coniugali? Illud verum *ID.*

(e) Quam ſi. *ID.*

(f) Vid. *Paratitlon* *ID.*

COMMENTARIVS.

INIDONEI facti facultatibus amiſſis regulariter piſtorio munere liberabantur, quod colligere etiam eſt ex *l.* 1. *ſupr.* Non tamen ſi fraudis conſilio poſſeſſiones ſuas, ideo tantum vt tanquam minus idonei liberarentur, in alios tranſtuliſſent, quæ ſententia eſt *d. legis* 1. Rurſum non etiam, ſi quis ducta forte piſtoris FILIA, facultates dilapidaſſet, per nepotatum & *ἀσωτίαν* forte; eo quippe proprie pertinet *dilapidandi* vox (de qua conſule *l.* 1. *ſupr. qui bonis ex l. Iul. cedere: l.* 15. *ſupr. de annona & trib.*) Qui piſtoris ſcilicet filiam in vxorem duxerat, piſtorum conſortio tenebatur, vt præter *hanc leg.* docet *lex* 2. *ſupr.* & *lex* 21. *infr.* in tantum, vt neque dilapidatis facultatibus conſortio piſtorum eximere poſſet: Quæ huius Valentinianeæ conſtitutionis ſententia eſt. Nempe qui piſtoris filiam ſemel duxit, in perpetuum piſtrini conditioni tenetur, atque ſi originis vinculo teneretur.

---

363. XV. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus AAA. ad Gregorium (b) V. C. PF. Ann.

NE quis vnquam PF. Ann. contra ſuam alienamue (c) ſententiam, piſtorum locum (d) eiectis permiſerit (e) reformari: (f) cum præſcriptum ſuum aput Iudices obtinere Lex (†) debeat, per quam ſimul, aduerſus decoctorum vitia, & vtilitati annonæ publicæ, & rerum iudicatarum conſtantiæ, (g) prouidetur. Dat. XIV. Kalend. Mart. Triu. Gratiano A. IV. & Merobaude Coss. [377.]

NOTÆ.

(a) Abeſt & *hæc lex* a *Cod. Iuſtin.* GOTHOF.

(b) *Gregorius* PF. annonæ ſub Gratiano. An hic idem ad quem extant *ſex epiſtolæ* Symmachi *lib.* 3. puta 17. 18. 19. 20. 21. 22. *ID.*

(c) Decefforis ſui forte. *ID.*

(d) *vel loco*, vel *in piſtorum locum.* *ID.*

(e) Id eſt, permittat. *ID.*

(f) *Reformari*, id eſt, reſtitui: vid. *Gloſſ.* *ID.*

(†) Hæcne, an alia quædam præcedens? Hoc videri cui poſſit: Sed tamen illud malo. *ID.*

(g) *Conſtantia* rerum iudicatarum, id eſt, conſtans obſeruantia, authoritas. *ID.*

COMMENTARIVS.

EIECTOS ſemel piſtorum corpore, ceu decoctores, ſententia Præfecti annonæ, loco ſuo & corpori poſtea reſtitui vetat *hac conſtit.* Gratianus Anno D. 377. ſiue ab eodem Præfecto annonæ ſiue ab alio. Scilicet vt cæteroquin ob culpam aliquam corpore aliquos abiici, proiici, eiici per ſententiam mos fuit: *l.* 18. & *vltim. ſupr. de agentib. in rebus l.* 15. *ſupr. de Palat. S. L. l.* 8. *infr. de Iudæis:* quos *proiectos* vocat Ammianus Marcellinus *lib.* 28. *c.* 6. ita & piſtorum Corpore elici nonnulli ſoliti, puta *decoctores*, qui ſcilicet vel proprias facultates dilapidaſſent, de quibus *ſupr.* vel annonam publicam conturbaſſent: proculdubio Patroni piſtorum (de quibus *l.* 2. 7. 12. *ſupr.*) hi enim officinis, fundis dotalibus præerant; eiſque Enthecа omnis credita erat: his Piſtores conſignabantur: his frumentum ex horreis, pani conficiendo: de quo ad *d. l.* 7. *ſupr.* Igitur ſi hi rationes conturbaſſent, ſi decoxiſſent,

coxiſſeot, ſententia Præfecti annonæ, coius hæc cura erat, (vt tot aliæ *leges* oſtendont) Piſtorum loco eiiciebantur. Qui tamen ipſi poſtea tamen ſæpe reſtituebantur a Præfectis annonæ. Id quod *hac leg.* fieri vetat Gratiaous: duplici ratione; Primum propter vtilitatem annonæ publicæ: nam qui ſemel decoxit ſemper decocturus creditur: quare eum reſtitui noo oportet. Dein & propter rerum iudicatarum auctoritatem ſeu *conſtantiam*, vt *hac leg.* dicitur. De qoa rerum iudicatarum auctoritate, conſtantia, infinitæ ſunt ſententiæ & conſtitutiones. Cæterum, ita quoque Epiſcopi ſemel depoſiti ad Epiſcopatum denuo adſpirare vetiti, *l. 35. 39. infr. de Epiſcopis.* Sic & Primatum inter Iudæos iudicio ſeu ſententia proiecti Iudicum auctoritate in Sectam Iudæorum recipi vetiti, *l. 8. infr. de Iudæis.*

XVI. (a) Imppp. GRATIANVS, Valentinianus, & Theod. AAA. ad Arborium P. V. (b)

QVIDQVID ex Horreis (c) plectibili (d) vſurpatione præſumptum ſit, id per Piſtores (e) (in quos totius criminis conferſur inuidia) matura exactione reddatur: Vt ſi quid in hac (f) ſpecie minus potuerit exſolui, in quibuſcunque ſpeciebus in ære, vel plumbo, ſeu qualibet alia ſolutione, penſetur, dummodo redintegratio totius ſummæ (g) curetur. Dat. Id. Iun. Gratiano A. V. & Theodoſio A. I. Coss. [380.]

NOTÆ.

(a) Abeſt a *Cod. Iuſtin.* *GOTHOFRED.*

(b) *Arborius* P. V. Romæ ſub Gratiano & Valentiniano Iun. Anno D. 380. Arborii fit mentio apud Paulinum *in vita S. Martini lib 2. v. 645 ſeqq.* Eidem inſcribitur hoc ipſo Anno *lex 9. ſupr. de priuil. eor. qui in S. Pal.* quæ dicitur data *Treberini*: pariter *Triuerini* in ſubſcriptione *legis 1. ſupr. de Princip. Agentium in rebus.* quanquam MS. vtrobique habet *Triberim* & *Triuerim.* *ID.*

(c) Publicis Vrbis Romæ. *ID.*

(d) *Plectibilis* vſurpatio, *hic*: ſeueritas, *l. 161. ſupr. de Decurion.* *Plectibilia* hinc etiam abſolute crimina, *l. 5. infr. de hæreticis*: vid. *Gloſſar. Theod.* *ID.*

(e) Et quidem Patronos Piſtorum. *ID.*

(f) Frumenti. *ID.*

(g) Frumenti. *ID.*

COMMENTARIVS.

VSVRPATVM iodebite ex horreis Vrbis Romæ frumentum hac tempeſtate quoddam fuerat: idque per *Piſtores* ferme, qui maiorem videlicet frumenti modum ex horreis diripuerant, acceperant, vſurpaueraot, quam paneficii modus exigebat: Quare, id omne nunc ab his reſtitui iubet Imp. Gratianus Anoo D. 380. Ita quidem, vt ſi in frumento ipſo id reſtituere non poſſiot, in quacunque alia ſpecie id reſtituere iubeat: etiam in ære, vel plumbo: *Ære*: inquam, vel *plumbo*; quorum
P.164 vſus multus erat, vt in piſtriois & officinis piſtoriis (quod ex *hac leg.* quis colligat) ita & io aliis operibus publicis, & quidem Romæ: Ammianus Marcellinus *lib. 27. cap. 3.* agens de Lampadio P. V. *Ædificia erigere exoriens noua, vel vetuſta quadam inſtaurans, non ex titulis ſolitis parari iubebat impenſas: ſed ſi FERRVM quærebatur, aut PLVMBVM, aut Æs, aut quidquam ſimile, Apparitores immittebantur, qui velut ementes diuerſa, raperent SPECIES, nulla pretia perſoluendo.* De *Æris* vſu in ædificiis res nota. *Plumbum* certe tegulis poſitum, teſtatur quoque *lex 242. §. 2. D. de V. S.* quod quidem etiam plumbum tegularium, legatis vel venditis ædibus cedebat, ædificii deoique erant. Poſitum & plumbum hyeme hypæthri tegendi cauſa, *d. l. 242. §. 2.* ſicut æſtate velis ea tegebantur, *l. 12. §. 20. D. de inſtructo legato.* Sic & *æreis* tegulis Pantheona tectum refert Paulus Diacoous *de Geſt. Longobardor. c. 11.* Aquæductuum etiam fiſtulæ *plumbeæ* eraot, teſte præter *l. 6. Cod. Iuſt. de aquæductu*, Vitruuio *lib. 8. cap. 7.* Statio, *ſyluarum lib. I. 3. v. 66.*

Teque per obliquum penitus qua laberis amnem
Martia, & audaci tranſcurris flumina PLVMBO.

De ſpecierum alioquin in commune ad opera publica collatione, vide & *l. 17. infr. de operibus publicis.*

Interim ex his apparet, hanc conſtitutiooem non minus recte in *titulum de Canon. frum. V. R.* referri potuiſſe, & hiſtoricam tantum eam eſſe, & huic tempori illigatam. Nota etiam caſum, quo Canon annonarius in aliam ſpeciem mutatus; cum alioquin ipſas ſpecies inferri & quidem annonarias oporteret.

XVII. (a) Idem AAA. ad Titianum Vic. (b) Afric.

IVDICES (c) Africanos laudabilis Sinceritas Tua huiuſmodi interminatione conterreat, vt niſi tempore ſolito (d) debitos Piſtores Venerabilis Romæ vſibus dirigere curauerint, ſciant ſeipſos, quinquaginta argenti librarum, Officiumque eorum pari

pari condemnatione multandum. Dat. IV. Id. Iul. Triu. Gratiano V. & Theod. AA. Coss. [380.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOF.
(b) De hoc *Titiano* mox. *ID.*
(c) Veluti Numidiæ Consularem. *ID.*
(d) Omnibus lustris *l. 12. supr.* *ID.*

COMMENTARIVS.

EX AFRICA debito tempore (id est, singulis lustris) mitti a Iudicibus Africanis Pistores, vt oportuisse docuit iam *l. 12. supr.* vbi dixi plenius, ita & *hac* quoque *constit.* iubet Imp. Gratianus Ann. Domini 380. proposita molta 50. argenti librarum Iudici, & totidem eius Officio: cura eius rei intimandæ & exequendæ data Titiano Vicario Africæ, sub cuius dispositione erant Iudices Africani; De quo Titiano Vicario Africæ, quando hac *vnica leg.* mentio fit, agendum nobis est; ita quidem, vt quæ de eo notaturi sumus, ad *huius leg.* illustrationem faciant, qua agitur *de Iudicibus Africanis*, sub eius dispositione constitutis, deque Pistoribus annonæ Vrbicæ vsibus seruientibus. Igitur hic ille *Celsinus Titianus* Vicarius Africæ est, ad quem 13. extant *Symmachi* epistolæ *lib. 1.* ex quibus satis colligi potest, eum in Africa potestatem iudiciariam egisse, imo Vicarium Africæ fuisse; ac potissimum ex *epistola* 58. 59. 62. 63. 64. 67. 68. at nominatim Numidiæ Consularem sub eo fuisse ostendit *epist. 63.* & Mauritaniæ Cæsaream *epist. 58.* vbi etiam meminit Clementis Episcopi Cæsariensis. Idem *epist. 59.* significat curam annonæ Vrbicæ ei incubuisse. Quod etiam huic *legi* congruit. De eodem accipio & *epist. 84. lib. 2.* & *lib. 8. epist. 67.*

XVIII. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Theod. & Arcadius AAA. ad Salustium (b) P. V.

VT concessa Decurialibus (c) priuilegia nolumus abrogari, ita lege (†) super Mancipibus data nihil iubemus imminui: Nam si qui ob hoc ad Decurias inlicite transierunt, vt munus euaderent Mancipatus, necesse est erga eos priuilegia non posse seruari, qui (d) obnoxios sibimet recte vindicat functio memorata. Intantum etiam defensiones (e) diuersorum Principum largitate concessa (f) erga Decurias manere decernimus, & Mancipatui obnoxios iubemus addici, vt si quispiam super absolutione Mancipatus Nostræ Maiestati preces obtulerit, bonorum amissione plectetur. (g) Quod quidem non solum in Decurialibus, sed etiam in cæteris decernimus perpetua lege seruari. Dat. III. Id. Iun. Mediol. Honor. NB. P. & Euodio Coss. [386.]

NOTÆ.

(a) Iungenda *huic leg.* est *lex 2. supr. de Decur. V. R.* GOTHOF.
(b) De hoc vid. quæ dixi ad *d. l. 2.* *ID.*
(c) De quibus *supra titulo* 1. cuius *lex* 2. huic nostræ vt dixi iungenda est. *ID.*
P. 65. (†) Lex super Mancipibus. *ID.*
(d) *γρ. quia,* vel *quos.* *ID.*
(e) *Defensiones* pro priuilegiis, quibus se quis defendit. *ID.*
(f) Sustineri possit: sed malim, *concessas.* *ID.*
(g) Duriusculum hoc, *vt plectatur.* *ID.*

COMMENTARIVS.

LIBERARI Mancipatu Pistorio quemquam, siue Decurialis militiæ obtentu, siue Principis rescripto vetat hac constitutione Valentinianus Iun. Ac nominatim Decurialis militiæ obtento: Nempe, vt sua Decurialibus priuilegia constare voluit atque adeo ea confirmat *hac leg.* & *l. 2. supr. de Decuriis. V. R.* (quæ *huic* coniungenda est,) ita vicissim Mancipatum outare vel labefactari Decurialis militiæ obtentu noluit. Vt sua cuique Corpori priuilegia, ita sui cuique homines seruari debent: neque vnius priuilegia ad alterius iniuriam porrigenda sunt. Non etiam Principis rescripto quemquam Mancipatu liberari vult Imp. imo & bonorum proscriptionis pœnam ei minatur, qui preces in id obtulerit. Sane & Valentinianus Senior *l. 6. supr.* & Honorius *l. 20. infr.* quemquam Pistorum consortio liberari rescripto Principis vetuerunt, superque ea re preces deferri. Sed & idem siue Valentinianus Iun. siue Theodosius omnes qui rescripti aduersus veteres sanctiones subreptiua defensione muniebantur, functioni Mancipatus addici voluerunt Anno D. 389. *l. vnic. supr. de* Man-

Mancipibus: quod de his ipsis Mancipibus Pistorum accipiendum ad *eam legem* ostendi. Imo & id ipsum de Mancipibus Salinarum constitutum docet Symmachus *lib. 10. epist. 58.*

Sequitur videamus, quinam hi pistorii *Mancipes* fiot, de quibus *hac leg.* agitur: quorum etiam fit mentio *l. 2.* & *3. infr. de frumento Urbis Constantinop.* & *l. 4. supr. de executorib.* & *l. unic Cod. Iust. de Pistoribus*: an quivis Pistores, an vero Officinis præpositi? Saoe hoc Socrates vult, *lib. 5. cap. 18.* & ex eo *Tripartitæ* Auctor *lib. 9. cap. 24.* ἦσαν ἐξ ἀρχαίων κατὰ τὴν μεγίστην Ῥώμην οἶκοι παμμεγέθεις, ἐν οἷς ὁ τῇ πόλει χορηγούμενος ἄρτος ἐγίνετο, οἵτε προϊστάμενοι τούτων, οἱ Μάγκιπες τῇ Ῥωμαίων γλώσσῃ καλοῦνται: *erant in urbe Roma ædes amplissimæ a priscis temporibus ædificata, in quibus panis fiebat, qui civibus dividebatur. Harum ædium præpositi, qui mancipes romanorum lingua vocantur.* Et mox, γνοὺς ταῦτα ὁ βασιλεὺς τοὺς Μάγκιπας ἐτιμωρήσατο: *cognoscens hoc imperator, mancipes supplicio affecit. Manceps* igitur panificio & pistoribus præpositus ex *Socratis* sententia: vt sic iidem fuerint eum iis, quos Iustiniaous *Novella 80. cap. 5.* προεστῶτας τῶν ἀρτοποπτικῶν ἐργαστηρίων, *præpositos panificantium stationum*, vocat. Quin & Mancipis nomen ostendere videtur, non de quovis pistore id accipiendum, cuius ministerium in solo panificio, non in Mancipatu consistit. De Mancipibus certe hæc *huius Codicis constitutiones* produnt: nempe, Canonem his consignatum fuisse ad panem coquendum, *l. 2. infr. de frum. Urb. Constantinop.* Item, datam his aliquando mutui nomine pecuniam, ex publica pecunia dedicata ad coëmptionem frumentariam, *l. 3. d. tit.* Item *lex 4. supr. de executor.* ostendit, Apparitores Præfecti Prætorio pro pœna quandoque mancipum Corpori sociatos (de quo ad *l. ultim. hoc tit.*) Sed & *d. lex unic. supr. de Mancipibus*, functiooi Mancipatus aliquando addictos idoneos de minusculis Corporibus, vel certe de otiosis. Tandem *l. unic. Cod. Iust. de Pistorib.* vetantur Mancipes, Comitis horreorum dignitatem & officium consequi; & si consecuti fuerint, ad Mancipum denuo consortium collegiumque vocari iubentur. Quibus attentis, *Mancipum* nomen de omnibus Pistoribus hic exaudiendum puto, qui panem conficerent, coquerent. Sane & apud Suidam voc. ἀρτοπωλεῖον. Ἀρτοπωλεῖον τὸ μαγκιπεῖον, ἐν ᾧ οἱ ἄρτοι γίνονται. Ἀρτοπώλιον δέ, ὁ τόπος, ἔνθα οἱ ἄρτοι πιπράσκονται. Ἀρτοπωλεῖον *locus, in quo panes pinsuntur.* Ἀρτοπώλιον *vero per ι, locus ubi panes venduntur.* *

Tandem observandum, quod & ipsum in argumentum adsumi potest, *hanc leg.* esse partem constitutionis Valentiniani Iun. vnde desumpta est quoque *lex 2. supr. de Decuriis Urbis Romæ*, quæ proinde *huic* coaffanda venit: quæ quidem constitutio fuit de Corporibus & Collegiis Vrbis Romæ, quo ea integra illibata custodirentur: privilegiis partim eorum confirmatis, partim vero prospecto, ne ea mutilarentur: Ac nominatim Decuriæ Vrbis Romæ, & Pistorum Collegium, quo præcipue pertinet *hac* lex & *d. lex 2.* imo generaliter cætera quoque, quod *huius leg. fine* additum.

(*) Adi etiam *CL. DU FRESNE in Glossar. utroque voce.* μάγκιψ, μαγκιπεῖον, & *manceps.*

XIX. Impp. Arcadius & Honor. AA. Eusebio PF. P. (a)

PISTORES Vrbis Æternæ, prætermissa veteri consuetudine, fundis vel prædiis ad nihilum redactis, quæ eorum corporis (b) solatia certa præbebant, nouos sibi quæstus excogitasse comperimus. Ideoque in futurum prouisionis remedia proferentes misso probatæ industriæ viro, singulorum fundorum siue prædiorum quæ pistorum corpori obnoxia sunt, vires discuti exquirique præcipimus, vt idem (c) iure perpetuo (d) idoneis adfixa præstatione tradantur: adque conductores præstationis modum & solatia ministrent antiquitus constituta pistoribus. Dat. VII. Id. Iul. Arcad. IV. & Honorio III. AA. Coss. [396.]

NOTÆ.

(a) *Eusebius* PP. Italiæ sub Honorio Imp. Eidem inscribitur hoc Anno *lex 7. supr. de Consistorib.* & *lex 26. supr. de Navicul.* & superiore prox. Anno 395. *lex 12. infr. de infirm. his quæ sub Tyrann.* Hæc satis ostendit, eum PP. Italiæ fuisse: vid. plura in *Prosopogr.* Eius meminit Paulinus *in Vita Ambrosii pag. 85. Tom. I. Edit. Oper. S. Ambros. Paris. 1614.* Ad hunc quoque pertinere videtur Symmachi *epist. 34. lib. 8.* & *epist. 52. lib. 9.* GOTHOF.

(b) Malim, *Corpori*: vt *l. 13. supr.* ID.

(c) *Idem*, id est, *iidem*, fundi scilicet. ID.

(d) Id est, canone imposito. ID.

COMMENTARIUS

P. 266 HONORII Imp. constitutiones quatuor sequuntur, Pistorum Corpori (annonæ Vrbicæ fautore) consulentis: Et hæc quidem est de *Solatiis* pistorum: deque *locatione* fundorum, Pistorum Cor-

Corpori obnoxiorum: Fundos scilicet seu prædia pistorum Corpori obnoxia, quæque pistorum Corpori solatia certa præbebant, (quos fundos *dotales* vocabant) fuisse, iam *supra* ostensum est, *l. 7.* & quidem per diuersas Prouincias sparsa: vt ad *eandem leg.* docui. Ea, vt censeo per Actores olim administrabantur: quorum ratio pistorum Patronis reddebatur. Verum paulatim factum est, vt ea prædia ad nihilum redacta fuerint, & vires eorum conciderint, sic euenit, vt Pistores cœperint sibi nouos quæstus ad solatia sua excogitare; quod *hac lex* testatur; neque tamen quales ii fuerint, adsignificat: videantur ii lucelli genus fuisse, quod ab his quibus panes præberent, exegerint. Quare Honorius *hac constitutione* ei rei mederi constituit: ideoque cauet, vt fundi isti misso *Inspectore* probatæ industriæ viro, viribusque eorum discussis & exquisitis, *iure perpetuo* elocentur: id est, iure emphyteutico, (vt cæteroquin prædia ad nihilum redacta elocari solita: de quo alibi iam sæpe:) sub certo canone, pensione, præstationis modo; vt ita Pistoribus inde solatia antiquitus constituta præbeantur.

De ADSCRIPTIS *a Iudice, ordini pistorio, non liberandis Rescripto Principis, Honorii lex.*

XX. (a) Idem AA. Theodoro PF. P. (b)

ADSCRIPTIS (c) semel per sententiam Iudicis ordini pistorio subreptitia Rescribta non quærant, nec vlla eis supplicandi præstetur facultas. Et qui huiusmodi sperare voluerit beneficia, quinque libras auri fisco nostro inferre cogetur. Si quo enim casu, vel occultis, vel ambitiosis hoc precibus elicuerit, Iudex, cuius in iudicio hæc fuerit prolata sententia, Officium quoque eius, si consensum præbuerit impetratis, quinas auri libras ærario nostro inferent. Dat. VII. (d) Kalend. Maii, Med. Honor A. IV. & Eutychiano Coss. [398.]

NOTÆ.

(a) Iungenda huic *lex 31. infr. de Episcopis.* GOTHOF.

(b) *Theodorus* PP. Italiæ sub Honorio; vt docet vel *d. lex* 31. vid. *Prosopogr.* ID.

(c) γρ. *Adscripti.* ID.

(d) VII. Ita omnes aliæ Editiones: ita quoque *d. l.* 31. male Parisiensis postrema *XVII.* ID.

COMMENTARIVS.

LIBERARI *Rescripto* Principis ordini pistorio semel adscriptus, hac Honorii constitutione prohibetur: pariter vt Valentiniani Sen. *l. 6. supr.* & Valentiniani Iun. *l. 18. supr.* Pœna quinque librarum auri *hac leg.* proposita, tam impetranti, quam Iudici approbanti eiusque Officio. Nominatim autem *hac lex* est de *Adscriptis semel per sententiam Iudicis Ordini pistorio*, id est, iis qui pœnæ loco semel Ordini pistorio adiudicati sunt: de quibus iam *l. 8. supr. l. 3. 5. 6. 7. 9. supr. de pœnis.* Huius igitur pœnæ indulgentiam ne rescripto quidem Principis fieri posse definit *hac leg.* Honorius Imp. Valentiniani equidem Sen. *constitutione*, generali indulgentia criminum reis facta hi non continebantur, *d. l. 7. supr. de pœnis:* sed speciali Rescripto liberari poterant, *d. l. 7.* quod *hac leg.* antiquatur. Nempe & hac inter alias ratione, profligato Gildone, Vrbicæ annonæ ex Africa consultum iuit Honorius, qui & aliis rationibus hoc ipso mense Aprili ei prospexit, *l. vnic. infr. de pretio panis Ostiensis; l. 4. in fin. de Canone frum. Vrbis Romæ:* Sane ex coniunctione quoque *l. 31. infr. de Episcopis:* (qua irruentium in Ecclesias per Africam impetum, variis rationibus persequitur Honorius:) discere apparet, hanc *leg.* ad *Africam* pertinere, & sic ad Iudices Africanos, quorum sententia Ordini pistorio nonnulli adscripti fuerant. Ex cuius constitutionis coniunctione cum hac nostra & illud forte conficiatur, Pistorum ordini adscriptos in *huius leg.* specie, *ad intercessionem Ecclesiasticorum* Rescriptis liberatos fuisse: cuiusmodi intercessionem hic damnat *Honorius*: non eam vero, qua ad Ecclesiam confugas Ecclesiastici a vi tutantur, quæ sententia est *d. l. 31.* Verum & hæc coniectura est, quam ego non κυρίᾳ δώξᾳ ostendo.

XXI. (a) Idem (b) AA. Vitali PF. Ann. (c)

NVLLI pistori, nec posteris eius, in priuatas (d) personas, vel Thymelicas, (e) vel eas quæ Aurigandi (f) studio detinentur, liceat coniugii societate transire: etiamsi huic facto omnium pistorum accedat adsensus, (g) etiamsi nostra elicita fuerint aliqua subreptione Rescripta. Quod si quisquam (h) in hæc vetita adspirare (i) temptauerit, sciat se verberibus adfectum deportatione puniendum, facultatesque suas paneficio sociandas.
P.167. Quod si non statim Officium (k) Grauitatis Tuæ in ipsis inceptis occurrerit, sed in suggestione

ftione ceffauerit, in fingulis (l) familiis librarum auri decem multa feriatur: Ita vt hæ quoque perfonæ (m) cum patrimonio ad debitum (n) officium reuocentur, quæ per huiusmodi nuptias in fimili conforţio (o) fuerunt. Omnes igitur, qui filias piftorum in con... fortiti (p) funt, vel ex Thymelicis, vel Aurigis, vel vniuerfis priuatis, (q) piftorio corpori ilico deputentur. Dat. VIII. Id. Mart. Rau. DN. Theod. A. I. & Rumorido V. C. Coss. [403.]

N O T Æ.

(a) Abeft & *hæc lex* a *Cod. Iuftin.* GOTHOF.

(b) Reponendi hi *Imppp. Arcadius*, *HONORIVS*, & *Theodofius AAA.* fuperioris enim iam anni 402. initio Theodofius Iun. a patre Arcadio A. creatus fuit: *Chronicon Alexandr. pag. 713. Edit. Rader.* vid. *Chronolog. ID.*

(c) *Vitalis* Præf. annonæ fub Honorio, Anno D. 403. *ID.*

(d) *Priuatas* perfonas hic & *fine leg.* vocat perfonas non piftorias. *ID.*

(e) Scænicas: de quibus *l. 5. infr. de Scenicis*: *l. 21. 22. fupr. de diu. offic. ID.*

(f) Aurigis, *infr.* & *l. 3. infr. de fpectaculis*: Alias *Agitatores dicti*: *l. 7. 12. infr. de Scenicis*, *l. 11. fupr. de maleficiis. ID.*

(g) Ita *l. 8. fupr. etiamfi* (ad) *abfolutionem eius, piftorum omnium labor & adfenfus & confenfus conueniffe videatur. ID.*

(h) Piftorum, vel pofterorum. *ID.*

(i) *Adfpirare* in vetita. *ID.*

(k) Officium Præfecti annonæ obferua. In Edit. prim. Cuiac. & illa in 4. editum, *Officis. ID.*

(l) In fingulas familias. *ID.*

(m) Thymelicorum, Aurigarum Circenfium. *ID.*

(n) Piftorum fcilicet. *ID.*

(o) Forte, *quæ per huiusmodi nuptias in fimile confortium confenferunt.* Sed nil muto. *ID.*

(p) *γρ. In coniugium fortiti funt. ID.*

(q) Vt *fupr.* initio, *in priuatas perfonas. ID.*

C O M M E N T A R I V S.

Coniugio priuatarum perfonarum, & in his Thymelicarum, id eft, fcanicarum: Aurigarum, id eft, Agitatorum Circenfium, piftoribus & piftorum pofteris, filiabus, *hac conftitutione* interdicit Honorius Anno D. 403. etiam ex confenfu piftorum, etiam ex Principis refcripto. Ita quidem, vt piftorem piftorifque filium, priuatæ perfonæ vel Thymelicæ coniugio fociatum: vel filiam pifto, Thymelicæ vel Aurigæ fociatam, verberibus affectos deportari velit, facultatefque eorum panificio fociari: officium Præfecti annonæ conniuentes decem libris auri multari *in fingulas familias*, id eft, in fingula huiusmodi coniugia: Ita randem, vt Thymelicas perfonas vel Aurigas, vel quafcunque randem priuatas perfonas piftorum filiabus fociatas piftorio Corpori deputari iubeat. Nempe vt in commune piftoribus interdictum erat extra Corpus piftorium coniugii condirionem quærere, propter nexum huiufce functionis: ita nominatim Thymelicorum & Aurigarum connubio filiabus piftorum interdictum: quorum vtique prauis plerumque artibus, formaque ac decore arreptæ piftorum filiæ, abripiebantur: vt priuati, Thymelicarum, de quo videnda *lex 5. infr. de Scanicis*: & Ambrofii locus *orat. funebri de obitu Valentiniani Iun.* quem ad *eam leg.* produxi: dante etiam forte piftorum filiabus hanc vicinia labem: cum & *Minucia frumentaria*, & ftabula factionum, feu *Aurigarum*, vicina Romæ effent, & in eadem *Regione IX.* vt docet *vetus defcriptio Vrbis Romæ*; de quo iam ad *l. 10. fupr.* Tandem & Aurigis feu Agitatoribus, per prauas feu Magicas artes (quarum infamia laborabant: vt plene oftendi ad *l. 11. fupr. de maleficiis*:) coniugia huiusmodi fibi concilia ntibus.

De *Thymelicis* interim obferuandum, agi quatuor prætetea *huius Codicis* conftitutionibus: puta *l. 5. 12. infr. de Scanicis*, vbi de his dicam plenius, & *l. 21. 22. fupr. de diuerf. offic.* De *Aurigis* vero feu Agitatoribus Circenfibus agitur prætetea quoque *quatuor huius Codicis legibus*: puta *d. l. 11. fupr. de maleficiis*: *l. 7. 12. infr. de Scanicis*: *l. 3. infr. de fpectaculis.*

De Concvtientibvs *Piftores.*

XXII. (a) Impp. Honor. & Theod. AA. Palladio PF. P. (b)

Qvicvmqve, Inluftris Vrbanæ Sedis, vel (c) Annonariæ Poteftatis Apparitor, clandeftina fraude piftorem concufferit, accufatus adque conuictus perpetuis (d) panificii nexibus addicatur; (e) &c. (f) Dat VII. Kalend. Ian. Rau. Honor. A. XI. & Conftantio II. V. C. Coss. [417.]

NOTÆ.

(a) *Lex vltim. Cod. Iust. de apparitorib. Præfecti Vrbis;* & iungenda huic *lex 9. infr. de Suariis.* GOTHOF.
(b) *Palladius* PP. Italiæ sub Honorio Anno D. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. vid. *Prosopogr.* ID.
(c) *Vel annonariæ potestatis*, hæc recisa *Cod. Iustin.* ID.
(d) *Perpetui*, Cod. Iust. sed hoc rectius. *ID.*
(e) *Addicetur*, Cod. Iustin. *ID.*
(f) Quæ continentur, *d. l. 9.* ID.

COMMENTARIVS.

CONEVTI pistorem Vrbis Romæ clandestina *fraude* ab Apparitoribus Præfecti Vrbis Romæ, vel Præfecti anonnæ vetat hac constitutione Honorius Anno D. 417. proposita his pœna functio-
P.162. nis pistoriæ in perpetuum: Hac inquam *constitutione*, quæ partem *prolixioris constitutionis* constituit: vnde & altera quoque pars *hoc Codice* occurrit, puta *lex 9. infr. de Suariis:* quæ proinde *huic* coassanda, imo subiicienda venit: Quibus etiam ita inter se iuciatis liquet, Honorium constitutione sua Annonæ Vrbicæ bifariam consultum fuisse, aduersus clandestinas nonnullorum fraudes, per quorum manus annona seu frumentum Vrbis Romæ ambulabat: siue in *Portu Ostiensi*, siue in Vrbe *Roma:* Primum scilicet annonæ Romam subuehendæ, aduersus fraudes *Caudicariorum* (id est, Nautarum Tyberinorum) & furta *Mensorum Portuensium*, qui in Portu V. R. frumentum aduectum admetiebantur: quorum Patroni custodiam conditorum in portu V. R. præstabant: quo pertinet *d. lex 9. Ad excludendas*, inquit, *Patronorum Caudicariorum FRAVDES & Portuensium FVRTA mensorum.* Et mox: *CLANDESTINVM ad collegas dogma missurus, ne quid ex specie FRAVS occulta Vectorum pessima qualitatis iNmutet.* Ibidemque Patrono fraudatori pœnam *pistrini* proponit: *deprehensus in FRAVDEM amisso patrimonio ad PISTRINI etiam munia prima reuocetur.*

Tandem subiicit Præfectum anonnæ corporalis iniuriæ ius non habere in tres primos Patronos delinquentes: sed Præfectum Vrbi. Quibus plane similia *hac leg.* continentur: Nam & de Præfecto vtroque hic agitur; & de Fraudibus Apparitorum vtriusque, & de Pistoribus, per quorum manus Romæ frumentum ambulabat. Sed & pistrini pariter pœnam fraudatori hic proponit: de qua pistrini alioquin pœna, dixi ad *l. 9. supr. de pœnis:* ac nominatim de ea imponenda aliis quam Corporatis, id est, maioris alicuius officii, quam eius in quod quis damnatur: nempe ita Vrbanicianus, vel Annonarius Apparitor in seguiorem pistrini conditionem *hac leg.* pro pœna datur: vt *l. 9. infr. de suar.* patronus Caudicariorum & Mensorum.

Illud tantum obscurum, quodnam clandestinæ fraudis & concussionis genus illud sit, quod *hac leg.* plectitur: quo fraudati, concussi Pistores ab Apparitoribus Præfecti Vrbis & Præfecti annonæ? Ego putem etiam argumento *dicta l. 9.* hos Apparitores & falsum sæpe frumenti modum, & *pessima qualitatis* frumentum pistoribus ex horreis Vrbis Romæ dedisse: mox quasi maiore modo accepto, vel melioris qualitatis frumento, pistores vexasse, concussisse: vel certe, si pistores frumentum bonæ qualitatis habere vellent, aliquid præstarent. Hæc enim & concussionis & CLANDESTINÆ fraudis genera omnino fuere: quæ ab his exercita, per quorum manus annona vrbica administrabatur & pistoribus tradebatur.

DE SVARIIS, PECVARIIS ET SVSCEPTORIBVS * VINI,

cæterisque Corporatis. **

TITVLVS IV.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. XVI.

Vbi omissa vox *pecuariis*: Adde *Nouellam* Valentiniani *15. De Suariis, Boariis & Pecuariis.*

* De his *hoc titulo* agitur *l. 4.*

** Puta Caudicariis, Mensoribus Portuensibus: de quibus *l. 9.*

PARATITLON.

I. SVARII (de quibus præter *l. 1. 2. 3. 4. 5. 7. 8. 10. hoc tit.* agitur & *l. 3. supr. quibus equorum vsus:* & *l. 22. supr. de diu. offic.* & *Nouella Valentiniani 15.*) & qui *Porcinarii* dicuntur

dicuntur *l. 6. hoc tit.* Corpus erant, *l. 1. 8. 10. h. t.* seu Corporati, *Rubr. hoc tit.* sub dispositione Præfecti Vrbis, *l. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. hoc tit.* in Vrbe quoque Constantinop. *d. l. 22. de diu. offic.* Horum munus *l. 1. h. t.* publicum munus *l. 8. h. t.* functio, *d. l. 8. h. t.* (vnde functio Suaria, seu Suariorum *l. 1. 10. h. t.* functio genuina, *d. l. 10. h. t.*) obsequium *d. l. 1. h. t.* sarcina, *l. 5. h. t.* versabatur in animalibus, *l. 4. h. t.* porcis, *l. 2. h. t.* larido, *l. 10. h. t.* porcina, *l. 2. h. t.* porcina specie, *d. l. 2. h. t.* carne, *d. l. 2. h t.* suscipienda, *d. l. 2. h. t.* mox & populo Romano præbenda, *l. 3 h. t.* Denique susceptio, erogatio ad eos spectabat, *l. 4. in princ. h. t.* vnde peruigilem laborem populi Romani commodis exhibere dicuntur, *l. 6. h. t.* Erant scilicet nominatim certæ Prouinciæ & Regiones Italiæ, *l. 2. h. t.* e quibus a possessoribus *l. 2. h. t.* porcina soluebatur, præstabatur tributi nomine. Idque per singulos annos, *l. 2. 3. h. t.* certo librarum numero, *l. 3. h. t.* vt puta, Campania, *l. 3.* & *d. Nouella Valentiniani 15.* Lucania & Bruttium, *l. 4. h. t.* & *d Nouella;* Samnium, *d. Nouella.* Soluebatur autem ea quandoque vel in specie; quo casu sane, pondus porcorum trutinæ examine, non oculorum libertate quæri *l. 4. h t.* sed & animal tradendum vnius noctis ieiunitate vacuari oportuit *d. l. 4. h. t.* vel adærata soluebatur, id est, pretio taxata, æstimata: quo casu, non ea pretia, quæ in Vrbe Roma erant, sed quæ in Regionibus illis in publica conuersatione erant, Suariis soluebantur, *l. 2. 3. h. t.* qui postea species ipsas ex his emebant, *d. l. 2. in fin.* *Exactio* autem hæc alibi fiebat a Suariis ipsis, qui per diuersa proficiscebantur, & pretia percipiebant, *d. l. 3. h. t.* Alibi, Prouinciales ipsi Romam deferebant.

P.169.

Corporis vero Suariorum quidam Principales erant, *l. 10. h. t.* Ipsis Suariis priuilegia nonnulla competebant: veluti, Immunitatis a sordidis muneribus, *l. 6. h. t.* & a corporalibus iniuriis, *d. l. 10. h. t.* Dispendia eorum seu damna inter susceptionem & erogationem, certa vini quantitate releuabantur, *l. 4. h. t.* viceuersa Suarii huic functioni ita adstricti erant, vt eam nullo honore aut dignitate, nullo Principis rescripto, declinare possent; *l. 1. 8. h. t.* non clericatu, *d. l. 8. h. t.* nisi idoneum pro se substituerent, *d. l. 8. h. t.* aut facultatibus Suariorum Corpori cederent, *d. l. 8. h. t.* alioquin ad Suariorum corpus retrahebantur, *dictis legibus.* Consanguinei quoque eorum vel originales huic functioni tenebantur, *l. 5. h. t.* etiam filii emancipati, *l. 7. h. t.* & hæredes Suariorum, *d. l. 7. h. t.* Item prædiorum possessores quolibet titulo, *l. 5. 7. 8. h. t.* erant enim Suariorum facultates Suariæ functioni adstrictæ, *d. l. 1.* & *5. h. t.*

II. Pecvarii, de quibus *Rubrica*, & *l. vltim. hoc tit.* cum antea secretum & diuersum a Suariis eorum Corpus esset, ab Honorio mixti iunctique fuerunt, *d l. vlt. h. t.*

III. Svsceptores vini, (quod solemnis expressio popularibus commodis ex Prouincialium collectione desiderat, *l. 3. supr. tribut. in ipsis specieb. inferr.* in ipsis speciebus:) de quibus *Rubrica*, & *l. 4. hoc tit.* de his dixi ad *l. 3. infr. de calcis coctorib.*

IV. Corporatorvm aliorum nonnullorum *hoc titulo* mentio fit: puta Caudicariorum, *l. 9. hoc tit.* de quibus agitur & *l. 2. supr. de Pistoribus:* & *l. 1. infr. de Canone frum. V. R.* & Mensorum Portuensium: de quibus *d. l. 9. h. t.*

I. (a) Imp. Constantinvs A. ad Pacatianum PF. P. (b)

Qvoniam Suariorum corpus ad paucos deuenit, iubemus, eos adstante Populo Romano dicere, *Quibus excusatio sit delata, Quibus prouenerit onus:* (c) vt his in medium publicæ rationis edoctis, (d) exemplum (e) rei Nauiculariæ proponatur. Itaque dignoscant, facultates proprias Suariorum esse obnoxias muneri: ac de duobus alterum eligant, aut retineant bona quæ Suariæ functioni destricta (f) sunt, ipsique suario teneantur obsequio, aut idoneos quos volunt, nominent; qui necessitati idem (g) satisfaciant. Nullum enim vacare ab huius rei munere patimur. Sed siue honoribus euecti, siue quolibet versutiæ (h) genere fugerunt, reuocari eos iubemus: idque ipsum teste & audiente Populo Romano compleri, ac nos super his consuli: vt animaduertamus in eos, qui (i) hac tergiuer-

giuersatione nulli penitus tribuendas, ideo, qui subripere (k) potuerit, post beneficium infirmatum, salutis etiam periculum subituro. Dat. (l) VIII. Id. Mart. Rom. Optato & Paulino Coss. [334.]

NOTÆ.

(a) *Ὕστερον πρότερον* hic admissum ab *huiusce Codicis* Conditoribus: *lex* enim 2. tempore prior *huic* anteferri debuit. *GOTHOF.*

(b) *Pacatianus* PP. Sub Constantino M. et quidem Italiæ: quod & argumentum ipsum *legis* ostendit: & firmauit *l. 4. supr. de sponsalibus*: quæ & ipsa eidem inscribitur, vt & *l. 2. supr. de Aduoc. fisci*, & hæc quidem hoc ipso Anno. Sed & subscriptio firmat: de qua mox. Eidem, sed dignitate omissa, inscribitur Anno proximo 335. *lex 1. supr. de lucr. officior.* vid. *Paratitlon.* *ID.*

(c) Ex aliorum excusatione. *ID.*

(d) Et eductis. *ID.*

(e) *L. 3. supr. de Nauiculariis.* *ID.*

(f) Adstricta, destinata. *ID.*

(g) *Iidem*: vel *eidem.* *ID.*

(h) Elicito per subreptionem rescripto. *ID.*

(i) Locum hunc ita restituo, *vt animaduertamus in eos: Eo qui hac tergiuersatione, nulli penitus tribuenda, cæteroqui subrepere potuerit*, &c. *Cæteroqui*, loco, *si ideo qui*, id est, in posterum, alioquin. *ID.*

(k) *Subrepere.* *ID.*

(l) Pro *Propos.* vel Accepta. Nempe Proposita hæc lex *Romæ*, de cuius populo & Suariis agitur: Constantinus enim hoc tempore in Oriente versabatur: vid. *Consularia.* *ID.*

COMMENTARIVS.

EXCVSARI seu LIBERARI suarium functione suaria Dignitate aliqua vel Rescripto Principis, vetat *hac constitutione* Constantinus M. Anno D. 334. hac videlicet occasione, quod competisset (ea relatione Pacatiani PP.) Suariorum Corpus Romæ sua tempestate ad paucos recidisse: vnde etiam cæteris qui superfuerant, vt ipse loquitur, *onus prauenerat*: vt cæteroquin quorumdam immunitas & excusatio in cæterorum onus & sarcinam tendere solet: Quam in rem vt complures *hoc Codice* sententiæ occurrunt, occurrit nominatim in argumento Nauiculariorum (quorum exem-
P.170 plum Constantinus *hac leg.* proponit:) *l. 3. de Nauicular.* videndus semel *titulus supr. de immunitate concessa.* Igitur Constantinus & in præsens & in futurum huic rei hac constitutione remedium adfert: *In præsens*, inquam, reuocari iussis iis, qui excusati fuerant, nisi idoneos alios facultatibus suis instructos substituere mallent, (quod & ipsum ferme cauetur *l. 8. infr. hoc tit.*) exemplo Nauiculariorum proposito: de quo vid. Constantini ipsius *dict. l. 3. supr. de Nauicular.* Eamque rem peragi adstante populo Romano seu eo teste & audiente iubet: tandem & de his ad se referri, qui in eos etiam animaduersurus sit. Quæ omnia arguunt enixum hanc in partem Constantini M studium: atque inter cætera, 1. Quod *populum* Romanum huic rei adstare testem & auditorem velit, ne qua fraus scilicet ei fieret, debilitato Corpore, quod peruigilem laborem populi Romani commodis exhiberet, vt loquitur *lex 6. infr.* 2. Sed & in eo, quod de his ad se referri iubeat, vt in eos animaduertat, qui ausi fuerint e Suario Corpore aut ad honores adspirare, aut Principi aliter subrepere, dissimulata forte conditione sua. 3. Quinimo sanctio in futurum adhuc acerbior, cum salutis periculum his minitetur, qui de cætero tale quid ausi fuerint.

Inter hæc initia, repetenda nobis hic *ἀπὸ τῶν ὄξω* huius Corporis Suariorum & initia & memoria. Nempe porcinæ carnis populo Romano gratis distribuendæ auctorem *Aurelianum* Imp. facit Vopiscus, qui sub Constantio Constantini M. filio scribebat in *eius vita cap. 35. Aurelianus & porcinam carnem populo Romano distribuit, quæ HODIEQVE diuiditur*, & *cap. 48. Statuerat & vinum gratuitum populo Romano dare, vt quemadmodum oleum & panis & porcina gratuita præberentur, sic etiam vinum daretur.* Victor Schotti pariter *in Aureliano cap. 35. simulque vsui porcinæ carnis, quæ plebi Romanæ affatim cederet, prudenter munificeque prospectauit.* Affatim, qua ipsa voce hac in re vtitur, *l. 3. infr.* vbi dicam. Victor quoque vulgaris *cap. 35. Porcinæ carnis vsum populo instituit.* Quibus locis obseruandum, *vsum* absolute, pro gratuita præbitione & vsu accipi. Meminit & huius suillæ carnis e publico populo Romano gratis præbitæ, simul & Præfecti diuidendæ eius, Zosimus *lib. 2. cap. 9.* in rebus Maxentii & Constantini: *Λουκιανὸς, ὃς τῶν χοιρείων κρεῶν ἦν χορηγὸς, ἃ τὸ δημόσιον ἐπεδίδου τῷ ῥωμαίων δήμῳ*: *Lucianus suillæ carnis præbitor, quam fiscus populo Romano largiebatur.* *Priorem Corporis* vocari puto *Nouella* Valentiniani *15. de suar.* Symmachus quoque *lib. 10. epist. 27.* de variis Vrbis Romæ Corporibus agens Suariorum nominatim meminit. *Nouerat*, inquit, *horum Corporum ministeria tanta vrbis onera sustineri: hic lanati pecoris inuector est: ille ad victum populi cogit armentum: hos suillæ carnis tenet functio: pars vrenda lauacris ligna comportat.* Tandem & Cassiodorus meminit *VI. Var. 18.* eosque Præfecto annonæ subiicit: *Suarii*, inquit, *Romanæ copiæ causa reperti, tuo deputati videntur examini.* Denique fuit horum obsoniorum munus, *munus Quiritium*: de quo Cassiodorus *XII. Var. 11.* Corpor. seu Collegii Suariorum mentio quoque *in veterib. Inscript. Gruteri CCCLXI. 1. 3.* & in auctoritate Aproniani, *DCXLVII. 7.* de qua *l. 3. infr.*

II. (a) Idem A. Lucrio Verino. (b)

IN arbitrio suo possessor (*) habeat, ne suario pecuniam (c) soluat. Quod ideo permissum est, (d) ne in æstimando (e) porcorum pondere licentia suariis præbeatur. Quod si iuste porcos suarius æstimauerit, huic pecuniam possessor, cui pensitationis vtriusque (f) copia est indulta, numerabit. (g) Ne (**) autem suario in suscipienda pecunia detrimenti aliquid adferatur, singulis quibusque annis ea pretia porcinæ possessor adnumeret, quæ vsus publicæ conuersationis (h) adtulerit. Et quoniam *Non semper, nec in omnibus locis, vna est forma pretiorum*, pro diuersitate locorum & temporum in (i) specie pretia danda sunt: nisi ipsa porcina præstetur. Iudices autem Regionum monendi sunt, vt per singulos annos ad Scientiam Tuam referant, quæ in quibus locis sunt pretia porcinæ, vt instructione hac a Tua Grauitate (k) perpensa, tunc demum suarii per diuersa proficiscantur, & pretia suscipiant, quæ in his Regionibus versari cognoueris: Queri enim suarii non poterunt: quia nihil interest, carius an vilius comparent, cum, quantum pretium daturi sunt, a possessore accipiant: & possessores erunt moderati in specie distrahenda, cum se sciant quanto maiora pretia pro carne poposcerint, tanto plus suariis soluturos. Dat. III. Id. April. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. Coss. [326]

NOTÆ.

(a) Præposteratio hic admissa: *hæc* enim *lex* superiorem, ceu tempore anterior, præcedere debuit. Interim *huius leg.* meminit Valentinianus *l. 4 infr.* GOTHOF.

(b) *P. V.* vt argumentum *legis* edocet. Sane Anno D. 323. 324. Lucrium Verinum P. V. fuisse docet Auctor *Notitiæ Præf. Vrbi:* cui Anno 324. inscribitur & *lex vnic. supr. de his qui veniam ætatis: lex 1. supr. famil. ercisc.* dignitatis nomine pariter vt hic omisso. Et A. 325. Præfectus Vrbis fuit Ælius Seuerus, & post eum Anicius Iulianus. Quare alterutrum necesse est, vel Lucrium Verinum iterum P. V. fuisse 326. quod tamen Auctor ille non prodit, vel Consules *huic leg.* subnotatos mendo non carere. *ID.*

(*) *Possessori* hac prima *leg.* parte consulitur. *ID.*

(c) Sed speciem ipsam, seu porcinam si velit. *ID.*

(d) Permittimus. *ID.*

(e) Ita *l. 4. infr. quo Suariis æstimandi licentia denegetur.* *ID.*

(f) Alterutrius, vel pecuniariæ scilicet, vel ipsius porcinæ. *ID.*

(g) Si volet. *ID.*

(**) *Secunda* legis *pars*, qua Suariis consulitur. *ID.*

P. 171. (h) *Conuersatio publica*, est vsus publicus, forensis, qui in commercio, *hac leg. & l. prox. 3. & l. 2. supr. si quis pecun. consl. l. 1. supr. de Conlat. æris: l. 72. supr. de Decurion. l. 11. supr. de lustrali conlat. l. 48. infr. de hæreticis.* *ID.*

(i) Pro specie. *ID.*

(k) *Grauitas tua.* ita Præfectos Vrbi quoque compellasse vnum Constantinum M. reperio, vt *hac leg.* ita & *l. vnic. supr. de his qui ven. ætat.* & *l. 18. supr. de appellat.* *ID.*

COMMENTARIVS.

AESTIMATIONI iustæ, porcinæ a possessoribus conferendæ in vsus Vrbis Romæ, & a Suariis emendæ, modum ponit Constantinus M. *hac constitutione:* cuius meminit Valentinianus Sen. *l. 4. infr.* Et sic & possessoribus seu collatoribus & Suariis simul *hac leg.* consulit Constantinus. Nempe possessoribus priore *huius leg.* parte consulit: posteriore Suariis. Vt de *Priore* agamus; Hac tempestate, ante hanc inquam constitutionem, *pecunia* a possessoribus loco porcinæ præcise exigebatur, seu, vt loquitur *lex 3. infr.* exactio nummaria erat: verum quia in æstimande porcina Suarii modum excedebant, porcinæ ipsius præbendæ possessoribus facultatem Constantinus dandam credidit, nisi mallent æstimationem fieri, & pretium æstimatum numerare. Electionem igitur alterutrius præstandi possessoribus tribuit Constantinus: Quam electionem mox ademptam a Iuliano, *l. 3. infr.* Valentinianus Senior restituit, *l. 4 infr.*

Æstimationis porro altera *huius leg.* parte modum præstituit, in Suariorum gratiam: nam quemadmodum ob iniustam seu immodicam porcorum æstimationem porcinæ possessoribus conferendæ arbitrium detulit: ita viceuersa ne Suarii quid detrimenti paterentur, eius modum præfiniendum credidit: nam cum pretiis sibi pro carne solutis, carnem postea ipsi in vrbis vsum emere cogerentur (quod *hac lex* docet, & *lex 3. prox.*) vt ea saltem pretia acciperent, quibus carnem emere possent. Quomodo & simile pretium simili ratione pisci positum, *l. vn. infr. de pretio piscis.* Quare Constantinus ea pretia inferri iubet, quæ pro tempora in Regione, vbi exactio facienda erat, in publica conuersatione essent, id est, quibus porcina in foro emeretur (quod & ipsum a Iuliano cautum, *l. 3. prox.*

prox. Eumque io fioem singulis aonis pretia a Iudicibus Regionum ad Præfectum Vrbi referri vult, vt tuoc demum Suarii preda suscipiant: sic futurum (quod *fine legis* eleganter exequitur) vt nullus querimooiæ locus esse possit: quia quod pretium Suarii acceperint eodem & carnes postea a Prouiocialibus empturi sint.

Tria interim *hac leg.* obseruaoda. Primum quod ait, ooo semper, oec io omoibus locis, vnam esse formam pretiorum, quod Iurisconsulti nostri sæpius ioculcaot, *l. 3. D. de eo quod certo loco: l. 63. §. vltim. ad leg. Falcid.* imo & *l. 62. in fin. eod. tit.* vbi *nihil formali pretio æstimandum* dicitur: *formali*, id est, stato, certo, perpetuo pretio, cuius eadem vbique, semper taxatio est, stata forma: Imo & Seneca *lib. 6. de benefic. cap. 15. pretium cuiusque rei pro tempore est.*

Secuodo obseruaodi *Iudices Regionum* quorum *hac leg.* bis mentio fit: Qua appellatiooe forte Regiooum & Prouinciarum Rectores veoiunt, ex quibus suilla seu porcina præbebatur: veluti Campaniæ, Lucaniæ, Brittiorum, Samoii, vt docent, *lex 3. & 4. infr.* & *Nouella* Valentiniani *15. de Suariis*, de quibus singulis *suo loco.* Eæque videri cui possiot Quatuor *regiones*, quatum meotio fit *l. 1. infr. de calcis coctoribus.* Verum quænam illæ sint? ibi disquiram. Forte etiam Regionarii, seu *ῥεγιωνάρχους* hic exaudiendi: de quibus *alibi*: sed illud malim.

Postremo, ootandum *hac leg.* contineri vestigium antiqui iuris, aote auctoritatem Aproniani (de qua *infr. duabus ll. prox.*) quo pondus porcorum licentia oculorum æstimabatur, noo sub trutinæ eaamine.

III. (a) Imp. IVLIANVS (b) A. Fl. Aproniano (c) suo Salutem.

EA pretia, quæ in Campania per singulos annos (d) reperiuntur, Suariis Vrbis Romæ debent solui: ita vt periculo Suariorum populo porcinæ species adfatim (e) præbeatur. Et quia Officialibus pro omni supplicio sufficit direptorum restitutio, quidquid vltra senos (f) folles per singulas libras claruerit flagitatum, (g) id fisci viribus protinus vindicetur. Exactio autem nummaria non per Officium tuum, (h) vel ipsos Suarios, sed per Officiales Consularis (i) iuxta præceptum nostræ mansuetudinis, competentem sortiatur effectum. Nam quia *maiorum* (k) *potestatum Officiales solent esse Prouincialibus perniciosi*, per Ordinarios Iudices, adque Curias etiam, hanc exactionem conuenit celebrari. Per singulos itaque annos iuxta pretia quæ reperiuntur in publica conuersatione, (l) per Campaniam (m) habitantes (n) pecuniam pro singulis libris porcinæ præcipiantur exsoluere: ita vt, non ad pretia quæ in Vrbe Roma repperiuntur, sed quæ apud Campanos in publicis vsibus habentur, nummariæ exactionis facultas denegetur. (o) Nam dedimus litteras ad Virum Clarissimum Consularem, (p) vt remotis Officialibus Præfecturæ Vrbanæ, & Suariis, ipse totius exactionis instantiam (q) atque periculum ad suam curam sollicitudinemque reuocare contendat: qui euidentissimo discrimini constituetur obnoxius, si in transmittendis pecuniis aliqua fuerit materia deceptionis exorta. Dat. V. Id. Decembris, Antiochiæ, Iuliano A. IV. & Sallustio Coss. [363.]

P. 178.

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) Si *Iuliano* hæc *lex* tribuenda, tum in subscripto *huic legi* mense vitium omnino fuerit; Iulianus quippe iam mortuus, *Iuliano IV. & Sallustio Coss. VI. Kal. Iulii*, & Iouianus postero die Imp. electus, teste Ammiano *lib. 25. cap. 5.* Socrate *lib. 3. c. 22.* Chronico *Alexandrino pag. 693. Edit. Raderi*, Consularibus *Idacio* subditis. Nisi hoc placet, tum IOVIANO *hac lex* tribuenda fuit, sub quo etiam Apronianus P. V. fuit: de quo mox. *IDEM.*

(c) De *Aproniano* hoc, Præfecto Vrbis, mox in Interpretatione. *ID.*

(d) Ita quoque rursum *infr.* ita quoque *l. supr. 2.* *ID.*

(e) *Adfatim.* Ita quoque in hoc ipso argumento Victor, *huius leg. σύγχρονος cap. 35. simul vsus porcinæ carnis, quo plebi Romanæ AFFATIM cederet, prudenter magnificeque prospectauit.* De hac voce dixi in *Gloss.* *ID.*

(f) *Seni folles* pretium ferme libræ porcinæ. *ID.*

(g) Hactenus. *ID.*

(h) Officium Præfecti Vrbis: seu vt mox *infr.* Officium Præfecturæ Vrbanæ. *ID.*

(i) Consularis Campaniæ. *ID.*

(k) *Maiores* potestates: hoc numero Præfectus Vrbi cui *hac lex* inscribitur. *ID.*

(l) De hac voce dixi ad *l. super. 2.* *ID.*

(m) *Per Campaniam habitantes*, ita locus hic n ectendus: nam & *sequente* demum *versiculo* de pretio, quod per Campaniam obtinet, exigendo agitur. *ID.*

(n) Id est possessores, *l. 2.* Prouinciales, *paulo supr.* *ID.*

(o) *vt*

(o) *γρ. delegetur*: vide de hac voce *Gloss. Theod. ID.*

(p) Campaniæ. *ID.*

(q) *Instantiæ* vox in exactionibus propria: hic & *l. 4. supr. ne conlat. translat.* vt & insistendi, *l. 16. supr. de anallionib.* vid. *Gloss. ID.*

COMMENTARIVS.

AESTIMATIONI & EXACTIONI porcinæ modum imponit, per Campaniam nominatim Prouinciam, *hac epistola*, ad Apronianum P. V. Romæ emissa, Iulianus Imp. *Æstimationi*, inquam, *nummariæ*, seu collationi in nummo, quæ præcise iam inducta fuit loco porcinæ ipsius, cum antea electio possessoribus seu collatoribus data fuerit a Constantino, vel pecuniæ, vel speciei ipsius soluendæ; *l. 2. supra.* Sic quoque per Lucaniam & Samnium hæc suum & boum præstatio ad pretium redacta *l. 4. in fin.* Cassiodorus *lib. XI. Variar. 39. Erat quidem illis gloriosum Romam pascere: sed quanto dispendio videbatur posse constare, adducere tam multis itineribus, quæ darentur ad pondus? dum quæ probantur decrescere, nullus poterat imputare. Redactum est ad PERTIVM, vbi pati non poterant detrimentum, quæ nec itineribus minuuntur, nec laboribus sauciantur.* Et mox: *Et ideo ambos titulos in assem publicum iam redactos diligentia tua statuit illationibus procurabit.* Vbi *assis publicus* Cassiodoro, vt sæpe alias pro publicis functionibus & tributis, & quidem in pecunia: quomodo & vsurpatur *l. 12. supr. de indulg. debitor.* Nos de Campania nunc videamus. Per Campaniam igitur *hac leg.* suaria præstatio ad pretium redigitur seu adæratur. Per *Campaniam* inquam; hæc scilicet vna ex Italiæ Regionibus fuit, vnde porcina (inter alia) Vrbi illata: quod iuxta *hanc leg.* docet insuper Valentiniani *Nouella de Suariis 15.* Atque in commune, Campania Vrbis Romæ cellarium fuit: vt de ea scribit *Orbis* Descriptor *sub Constantio, cap. 42.* Vinum sane ea quoque contulit; præter calcem, *l. 1. 3. infr. de calcis coctorib. V. R.* & Fabæ modiorum certum numerum stabulis factionum, *l. 2. infr. de Equis Curulib.* Cur autem modus hic nominatim per Campaniam statuatur, ac non etiam per alias Regiones, ex quibus pariter porcina conferebatur? id vero demum obscurum est. Hanc causam ego putem, quod Campania singulari quadam ratione Præfecti Vrbis cui *hac lex* inscribitur administrationi iuncta fuerit: quod & ipsum ostendit *lex 68. supr. de Decurionib. l. 2. infr. de Equis Curulib.* & Symmachus *lib. 10. epist. 53.* cuius sane pars etiam, Romana inquam Campania (id est, Latium vtrumque) Diœceseos Vrbicariæ pars fuit: de quo ad *l. 12. supr. de pœnis.*

Iuliani porro an Iouiani *hæc lex* sit? dubitari possit: nam si subscriptio recte habet, tum ea Ioniano omnino reddenda fuerit: Iulianus enim iam extremo mense Iunio *Ann. 363.* obierat: at si Iuliano, vt habet Inscriptio, ea vindicanda; tum videri possit, Consulatus subscriptus ad tempus acceptæ epistolæ pertinere, vel si quid aliud commodius excogitari potest.

Tandem *Apronianus*, cui *hæc lex* inscribitur, Apronianus ille est, qui Præfectus Vrbi a Iuliano constitutus, ad Valentiniani initia perstitit: de quo Ammianus Marcellinus quatuor locis: *lib. 23. cap. 1.* & *3. lib. 26. cap. 3.* & *lib. 27. cap. 3.* Inter cætera huc illud facit *d. lib. 26. c. 3. in fin. Sub hoc Aproniano ita iugiter COPIA NECESSARIORVM exuberauit, vt nulla saltem leuia murmura super inopia VICTVI congruentium orrerentur: quod adsidue Roma contingit.* De eodem sentit & Valentinianus *l. prox. 4.* cum de decessore Prætextati P. V. agit, vt ad *eam leg.* ostendetur. Rursum hic ille Apronianus P. V. est: cuius Auctoritates seu dispositiones duæ etiamnum extant; vna de pecore sub exagio vendendo, appendendo: altera de leuamento aliquot millium amphorarum ex titulo vinario, Suariis & Ordinibus, qui Suariam recognoscunt, destinatis: quæ extat in *Corpore Inscriptionum Gruteri DCXLVII. 6. 7.* quas Valentinianus *l. prox.* confirmat, vbi & nos eas integras stetoemus & illustrabimus. Denique non vna eius mentio in *Veteribus Inscriptionibus.* Vbique tamen *Turcius Aproniauus* vocatur, cum tamen hic *Flauius Apronianus* vocari videatur; nisi mendosum id esse putandum est; * & forte illud *Fl.* loco motum, retrahendum ad Iuliani nomen: ita, *Imp. Fl. Iulianus A. Aproniano suo salutem.* Sane Flauii prænomen Iuliani fuisse notum est. Nunc de ipsa *lege.*

SENTENTIA *legis* hæc est, in genere primum, Non porcinam ipsam, verum pretia loco porcinæ per Campaniam a possessoribus exigenda; de quo *paulo ante*: Suarios demum ex pecunia collata porcinam speciem comparare oportere, & sic prouidere vt porcinæ species adfatim populo Romano præbeatur, de quo ad *l. super.* In specie Nummariæ seu pretii exactionis formam *hac lex* præstituit: in præteritum, vt quod Officiales vltra senos folles per singulas libras exegerint, id fisci viribus vindicetur. Nempe summum hoc pretium visum hac tempestate libræ porcinæ, *sex folles*: De quibus vero follibus id intelligendum? Erant enim alii folles argentei, alii ærei. Folles ærei fuere κατὰ δηναρισμὸν, seu denarii: qui singuli duobus λεπτοῖς, vel quatuor quadrantibus constabant: Hesychius, Κοδράντης, τὸ τέταρτον τῆς φόλεως. ἢ λεπτά. P. 173.
τὸ δὲ λεπτὸν ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου, ὅ ἐστι νόμισμα ἕν. Epiphanio *de ponderibus & mensur. in fin.* λεπτὰ δύο, est φόλλις κατὰ δηναρισμόν; φόλλις inquit, δύο λεπτά. De iisdem accipio illud *Chronici* Alexandrini, *Viuiano & Basilio Coss. pag. 742. Edit. Raderi.* ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων λεῖψις γέγονεν τοῦ ἄρτου, ὥστε πραθῆναι τὸν ἕνα ἄρτον φολλέων τριῶν: *his Coss. deficit in vrbe res frumentaria, adeo vt vnitus panis tribus follibus venderetur.* De Follibus argenteis istam *leg.* accipit Sirmondus *notis in Sermonem 40. Augustini, a se editum*: qui respondeant ferme assibus seu solidis Gallicis: nam & porcinæ in singulas libras solidorum sex iustum esse pretium. Denique follium & solidorum vsualium Gallicarum eundem vel certe affinem valorem fuisse coniicit. Follerales, seu Terunciani apud Marcellinum Comitem, De aliis *follium* generibus, alibi dixi.

Exactionis nummariæ forma in *futurum* per Campaniam hæc statuitur. Primum, vt Exactio hæc fiat, non per Officiales Præfecti Vrbis: quia scilicet *Maiorum potestatum* (cuiusmodi est P. V.) *Officiales soleant esse Prouincialibus perniciosi.* Quod notandum. (Non item per Suarios, quod antea obtinuisse apparet ex *l. 2. supr.*) Quia & hi ferme possessores seu Prouinciales concutere soliti. Igitur a

Tom. V. B b

* Vide *VALESIVM ad Marcellin. lib. 23. c. 1.* qui L. Turcium Apronianum P. V. retrahit ad Consulatum *Constantii II. & Constantis*, auctoritate Fastor. Cuspiniani.

tur a Consularis Campaniæ Officialibus hanc exactionem fieri iubet *hac lex*, & sic effectu ipso ab Ordinario Campaniæ Iudice, quem totius huius exactionis instantiam atque periculum ad suam curam sollicitudinemque reuocare iubet. Addit tamen, & *per Curias* hanc exactionem celebrandam: id est, nempe per Principales Decurionum in singulis ciuitatum territoriis, insistentibus in summam Officialibus Consularis. Et hæc de iis per quos exactio nummaria facienda. Pretium porro porcinæ id spectari iubet, quod apud Campanus in publicis vsibus singulis annis habetur, quod & ipsum cautum, *l. 2. supr.* vbi dixi: non vero quod in Vrbe Roma reperitur: quod sane ibi maius fuit. Et tamen illud a Valentiniano statuitur *l. 4. infr.*

IV. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens (b) AA. ad Prætextatum P. V. (c)

1. PER (d) singulas & (e) semisdecimas, (f) quibus Suariorum dispendia (g) sarciuntur, (h) damnum (i) quod inter susceptionem & erogationem necessario euenit, vini, hoc est, septem & decem milium amphorarum, perceptione releuetur. 2. Cui rei illud prouisionis accedat, vt Lucanus possessor & Bruttius, quos longæ (k) subuectionis (l) damna quatiebant, possint (si velint) speciem moderatam, (m) hoc est, septuagenarum librarum compensatione, dissoluere: Quod ibi debebit inferre, vbi vina fuerat traditurus. 3. Quibus in rebus illud quoque a Decessore (n) Tuo salubriter institutum est, quo (o) Suariis æstimandi licentia (p) denegetur, (q) pondusque porcorum trutinæ (r) examine, non oculorum (s) libertate, quæratur: Ita videlicet vt ne volenti quidem possessori trsdere animal liceat, cuius modum non prius ponderatione certa deciderit Suarius. 4. Animal vero a possessore tradendum, ob digeriem, prius, vnius noctis tantum ieiunitate, vacuetur. 5. Illud quoque salubris Constantinianæ (†) legis forma conpescat, videlicet, vt cum a (t) possessore, (cui commodioris pretii beneficis, indulta a Veteribus Principibus prærogatiua prouidit,) proprius (v) Ordo decidat, ac transigat: idque (x) Ordo Suarius (y) (quibuseum habet vini (z) emolumenta communia,) aut legitimum pretium, id est, Romani fori, cui carnem fuerat illaturus tradat, aut carnem debitam subministret. 6. Porro decimæ semis, quam statuimus, non petantur ab his, a quibus fuerit pecunia ministranda. Hæc autem omnia æneæ tabulæ in foro Suario collocandæ ad æternam memoriam oportebit insculpi. Dat. VIII. Id. Octob. Remis, Lupicino & Iouino Coss. [367.]

NOTÆ.

(a) Iungenda *huic leg.* est *lex 10. supr. de pœnis*, emendato eius Consulatu, vt ad eam ostensum est. *GOTHOF.*

(b) *Gratiani* nomen addendum est: mense Augusto quippe iam his COSS. Gratianus a patre Augustus renunciatus fuerat *Ambianis*: vnde mox *Remos* progressus, vbi *hæc lex* data est *ID.*

(c) *Prætextatus* hic integro nomine, *Vettius Agorius Prætextatus*, P. V. fuit hoc Anno 367. quo Anno præter *hanc leg.* & *d. l.* 10. ei inscribitur *lex 1. supr. de ingratis liberis*: *l. 7. de priuil. eor. qui in S. Palat.* & Anno sequente 368. quo (non Anno 370.) ei inscribenda vnica tantum *lex 8. supr. de medicis*: da eodem vid. Ammianum *lib. 27. cap. 9.* & Symmachum *lib. 1. epist. 49.* Hic ille Prætextatus P. V. est, qui Vrsicini schisma Romæ compescuit: cuius dicterium iam notum de Episcopis V. R. *Facite me Vrbis Romanæ Episcopum, & ero protinus Christianus*: apud Hieronymum, *epist. 61. Tomo II. Operum pag. 113. Edit. Francf. apud. Christ. Gensch.* De hoc plura in *Prosopogr.* *ID.*

(d) An reponendum, *præter*? *ID.*

(e) Vox hæc inducenda. *ID.*

(f) Infra *decimæ semis*, inuerso ordine. *ID.*

(g) *Nouella* Valentiniani *de Suariis 15. vt remotis* DISPENDIIS *nunquam defectum virium deuotio inseruientis incurrat.* *ID.*

(h) *Sarciuntur*, hactenus scilicet vel potius *farciantur.* *ID.*

(i) Auctoritas seu dispositio Aproniani P. V. QVVM SVARIOS VIDEREMVS DAMNIS ADFECTOS, &c. *ID.*

(k) Imo Lucania vicina Prouincia dicitur, *d. Nouella 15.* Verum hæc sunt *ἐκ τῶν ἔξω* *ID.*

(l) De Longæ subuectionis damno dixi *l. 11. supr. de annona & tribut.* *ID.*

(m) An *adæratam*? Mox dicam. *ID.*

(n) *Aproniano*, vt mox ostendam. *ID.*

(o) *Quod.* *ID.*

(p) Ita quoque *l. 2. supr.* ne in æstimando porcorum pondere LICENTIA Suariis præbeatur. *ID.*

(q) *Vt pondus porcorum.* *ID.*

(r) *Exa.*

(r) *Exagio*, vt est in ipsa Aproniani auctoritate seu dispositione. *ID.*
(s) *Micandi consuetudine, digitis concludentibus:* vt est in ipsa Aproniani dispositione. *ID.*
P. 174. (t) Intelligit *legem* 2. *supr.* *ID.*
(u) Expungenda hæc vox, *a.* *ID.*
(v) *Proprius ordo*, id est, Ordo qui Suariam facit, seu recognoscit, vt est in Aproniani *auctoritate* seu dispositione. An potius *proprium* hic reponendum, vt in eadem Aproniani interpretatione. *ID.*
(x) γρ. *itque.* *ID.*
(y) γρ. *Suariis.* *ID.*
(z) Nempe e 25 millibus amphoris vini, duæ partes Suariis, tertia Ordini cedebat: quod ex Aproniani *auctoritate* quoque liquet: Imo & ex *initio huius leg.* vbi 17. millia Suariis decernuntur, quæ vtique duæ partes sunt, paulo plus. *ID.*

COMMENTARIVS.

SVSCEPTIONI & ILLATIONI porcinæ formam imponit *hac leg.* Valentinianus, partim in Suariorum, partim in collatorum gratiam: idque firmata ferme Aproniani P. V. quem per Prætextati, cui *hac lex* inscribitur, decessorem designat, super his dispositione, de qua mox sigillatim: Ante omnia vero electione porcinæ vel eius loco pecuniæ Suariis soluendæ electione tributa secundum Constantini *legem*, vt expresse ait, puta *l.* 2. *supr.* quæ sub liberis eius quoque obtinuerat, verum a Iuliano adempta fuerat, a Valentiniano vero reducta fuit: cui vtrique proinde certam formam nunc præstituit, Constantini partim *legem*, partim Aproniani *dispositionem*, tandem & sui animi *motum* secutus. Huius vero *legis* tria præcipua capita constituo. Primum est de EPIMETRO, quod dispendiis Suariorum sarciendis, & damno (quod *Diametron* vocatur *l.* 5. *supr. de naufragiis,*) quod inter susceptionem & erogationem porcinæ necessario euenit, sarciendo, *pour le deschet, pour la descalle*. Suariis dari vult leuandi dispendii causa. Quod quidem *Epimetron* diserte vocatur *l.* 15. *supr. de susceptoribus*: (quod & Diametrum, *l. vltim. supr. de Naucular.* *l.* 5. *supr de naufrag.* Interpretium, Artemio Ep. Epistol. ad Numerarios fisci Barcinonensis, *in Concil. Cæsaraugust.* 2. *pag.* 534. *Tom. III. Concilior. Harduin. pro ineuitabilibus damnis, vel INTERPRETIA specierum.*) Omnis scilicet generis specierum ipsarum susceptores (non etiam pecuniæ; quod & hic nominatim cauetur, *vers. porro decima semis:* leuandi dispendii causa, quod inter susceptionem & erogationem necessario euenit, Epimetron aliquod a possessoribus & collatoribus accipiebant, vt apparet ex *l.* 3. 14. 15. 21. *supr. de Suscept.* & *l.* 11. *supr. de cur. fisci.* Dabatur & Nauiculariis Epimetron aliquod pro tuenda eorum substantia, *l.* 5. *infr. de frument. Alexandr.* *l.* 7. 16. 38. *supr. de Nauicul.* *l.* 5. *supr. de Naufrag.* Epimetron, id est, auctarium, Glossæ, *Auctuarium*, ἐπίμετρον. Cæterum Epimetri Centesima fuit, *dict. l.* 3. 14. 15. 21. & *d. l.* 11. postea frumenti, Quinquagesima; hordei, Quadragesima fuit, *d. l.* 21. Vini & Laridi, Vicensima, ex Theodosii M. Constitutione; *d. l.* 21. Imo Susceptoribus in Armenia, longinquitatis causa, frumenti etiam Quadragesimæ; Vini & Laridi Quintædecimæ solui *d. l.* 21. iussæ. Hac vero *leg.* Valentinianus singulas *Semidecimas* seu *Semisdecimas* porcinæ memorat. Quænam vero illæ? An illæ ipsæ Quintædecimæ? nam semis decem, sunt quinque: An vero *Semisdecimæ* dictæ, retro re ducto, quomodo *semis tertius*, *semisquartus*, *sestertius nummus*, *sestertius pes*, & his similia quoque apud Græcos, τρίτον ἡμιωβόλιον, ἕβδομον ἡμιτάλαντον, τρίτον ἡμιδραχμον, & similia: vt *Semisdecima*, seu *Decimasemis*, sint nouem cum dimidio? Imo *Semisdecima*, sunt quinque; *decimasemis* vt *fine leg.* vocantur, & sic quæ alibi *Vicesima* dicitur, *l.* 15. 21. *supr. de Suscept.* Et

hæc de ἐπιμέτρῳ, quod præstabatur Suariis. At præter hoc ἐπίμετρον Valentinianus 17. millia Amphorarum vini his præberi iubet; Ordini vero, certa pariter vini emolumenta. Quod quidem Præfecti cuiusdam Vrbis auctoritate dispositum *hac ipsa leg.* satis indicant sequentia, quæ & ipsa ab eodem disposita: *Quibus in rebus illud QVOQVE a Decessore Tuo salubriter institutum est.* Et sane idonee dispositum ab Aproniano P. V. de quo ad *leg. supr.* plenissime: cuius auctoritas ipsa siue dispositio super ea re etiamnum Romæ extat; quæ ex Brissonio & Manutio in *Corpus Inscriptionum Gruteri* relata *DCXLVII.* 7.

EX. AVCTORITATE. TVRCI
APRONIANI. V. C. PRAEF
VRB.

LICET. FORMAM. DISPOSITIONIS. ACTA CONTINEANT. AD. FIDEM. TAMEN. GESTORVM PLENIVS. MEMORIA. (1) TRADENDAM. TABVLAM PLACVIT. ADFIGI. QVAE. PVBLICARET ORDINEM. REEVM. QVOM. SVARIOS VIDEREMVS. DAMNIS. ADFECTOS. ET. EOS. ETIAM ORDINES. QVI. SVARIAM. FACIVNT. PROVIDIMVS HIS. LEVAMEN. ET. (2) TITVLO. CANONICO. VINARIO VT. VIGINTI. QVINQVE. MILLIA. AMPHORVM. (3) ANNVA. CONSEQVANTVR. SVB. EA. DIVISIONE. VT DVAE. PARTES. SVARIIS. TERTIA. VERO. HIS ORDINIBVS. SVFFICIAT. QVI. SVARIAM. RECOGNOSCVNT ITA. VT. IIDEM. ORDINES. IVXTA. CONSVETVDINEM TAM PROPRIVM. QVAE. APPELLATVR. QVAM. ANNONIS (4) EXSOLVANT. ET. MODERATIONE. ADHIBITA PERINDE. A. POSSESSORE. SVSCIPIANT. ATQVE ACCIPERE. SVNT. SOLITI. ANTIQVO. MORE PRAEEVNTE. INDE DICENTES. NE. ENORMIA ILLA. INDEBITAQVE. PRAESTENTVR. QVAE. TAM TRIBVNVS. QVAM. PATRONI. DIVERSI. ET. VARIA CONSEQVEBANTVR. OFFICIA. CONTRA. QVOD INTERDICTVM. SI. QVI. AVSI. FVERINT. DE COMMVNI. LARGIRI. ET. SCRIBAE. QVIDEM CAETERIQVE. POENAE. SVBIACEBVNT. (5)

1. *Memoria.* 2. *ex.* 3. *Amphorarum.* 4. *Annonas.* 5. *Subiacebunt.*

Conferamus hanc *Aproniani* auctoritatem seu dispositionem cum *hac constitutione*. 1. Ait Apronianus, se *damnis Suariorum leuamen prouidere*. Idem & Valentinianus *hac leg. Suariorum dispendia sarciantur*, mox, *damnum releuetur*. 2. Ait leuamen istud prouisum *ex titulo Canonico Vinario*, Valentinianus, *vini perceptione releuetur*. 3. Ait

Apronianus e 25. millibus amphoris *duas partes Suariis* cedere: Valentinianus 17. *millia amphorarum* Suariis cedere: quæ vtique duæ partes paulo minus sunt e 25. millibus. 4. Ait Apronianus, *tertiam his Ordinibus* cedere, *qui Suariam faciunt*, vel *recognoscunt*: Valentinianus quoque *ordinem cum Suariis habere vini emolumenta communia* · communia ait Valentinianus, id est, vt Aproniani dispositio habet, ita vt his cedant octo millia amphorarum vini. Vtitur & Apronianus voce *prouidimus*, sicut hic: *cui rei illud prouisionis accedat.* Et mox, *indulta*
175 *prærogatiua prouidit.* Ait hæc lex, *ad æternam memoriam anea Tabula hanc legem insculpendam*: Similiter in Auctoritate, *ad fidem gestorum plenius memoria tradendam*, *Tabulam*, *placuit adfigi*. Ait Apronianus, *proprium quod appellatur exsoluant*: Valentinianus ait, *proprium* (nam ita γρ.) *Ordo decidat ac transigat.* Discrimen hac parte inter Aproniani dispositionem, & Valentinianum est, quod Apronianus plures *Ordines Suariam fecisse*, seu *Suariam recognouisse* dicat; Valentinianus *hac leg.* nonnisi de vnico Ordine agat: *Ordo*, inquit mox, *isque Ordo*. 5. De hoc Ordine id tenendum, Aproniani dispositionem indicare hos Ordines *Suariam fecisse*, seu *Suariam recognouisse*. Item tenendum ex *hac leg.* eum Ordinem cum possessoribus decidisse ac transegisse de pretio porcinæ. Tertio tenendum ex *hac leg.* hunc Ordinem pretia exacta a possessoribus, vel eius loco carnem ipsam, Suariis tradidisse: pariter vt Apronianus disponit annonas ab his exsolui, & moderatione antiqua a possessore suscipi oportere.

Et hæc de Epimetro, quod ad primum *huius leg.* caput, cum porcina ipsa a possessoribus præbetur. Quanquam duo adhuc circa id statuuntur. Primo epimetron istud non soluendum ab his, qui ipsam pecuniam ministrant; nam cum intertrimenti causa id soluatur, sane pecuniæ nullum intertrimentum est: de quo *Cassiodori* locus, quem mox subiiciam. Secundo, Lucanis & Bruttiis id *hac leg.* conceditur, vt si nolint Vinum soluere, possint si velint eodem loco, quo vinum soluturi erant, *speciem moderatam*, hoc est septuagenarum librarum compensatione dissoluere, id est, possint 70. libras pecuariæ, porcinæ, loco amphoræ vini soluere: *amphora* scilicet (quod & *Quadrantal* dicebatur,) continebat Vrnas duas, Modios tres, Semodios sex, Congios octo, Sextarios 48. Heminas 96. Quartarios 192. Cyathos 576. vt docet Volusius Mæcianus *in fin.* Igitur *species* porcinæ ad vini modum seu Amphoras, ita *moderata* seu proportionata fuit. Et ratio huius *compensationis* redditur, quia Lucanos & Bruttios longæ subuectionis damna quatiebant: nempe vini longinqua subuectio plurimum damni habet: non adeo longinqua conuectio speciei seu porcinæ: quod tamen ipsum postea aliter visum: de quo mox *Cassiodori* locus.

Obseruandum interim *Lucaniam* sues seu porcinam pendisse, vtpote quibus abundaret, eo quod montuosa sit: quod etiam testatur *vetus Orbis descriptio* sub Constantio & Constante, *cap.* 41. *Lucania regio*, inquit, *optima*, & *ipsa omnibus habundans*, & *lardum multum foras emittit: propter quod est in montibus, cuius etiam animalium variam*, &c. Cassiodorus *lib. XI. Variar.* 39. *Hinc enim fuit, vt montuosa Lucania sues penderet: hinc vt Bruttii boum pecus indigena vbertate præstarent: Fuit nimirum vtrumque mirabile, vt & Prouincia tantæ ciuitati sufficerent, & sic ampla ciuitas earum beneficiis victualium indigentiam non haberet. Erat quidem illis gloriosum Romam pascere: sed quanto dispendio videbatur posse constare, adducere tam multis itineribus, quæ darentur ad pondus, dum quæ probantur decrescere, nullus poterat imputare? Redactum est ad pretium, vbi pati non poterant detrimentum, quæ nec itineribus minuuntur, nec laboribus fauciantur*, &c. Quod Bruttios attinet, postea sub Gothis laridi species coëmptionis nomine ab his non postulata, quia beneficio loci non habetur: vt testatur Cassiodorus, *XII. Variar.* 14. De Epimetro hactenus & porcinæ adæratione, & sic de primo *huius leg.* capite.

Secundum caput est *de Ponderatione porcinæ*: vbi duo cauentur. Primo, pondus porcorum trutinæ examine, non oculorum libertate quæri oportere: ita quidem, vt ne volenti quidem possessori liceat tradere animal, cuius modus non prius ponderatione certa decisus fuerit: ne alioquin Suariis æstimandi licentia tributa minua forte pondus renunciantibus & asserentibus, possessor damnum patiatur. Et hoc quidem etiam iam a Præfecto Vrbis Prætextati decessore salubriter institutum dicitur; id est, ab Aproniano, pariter vt epimetri ratio. Et vero *Aproniani* dispositio hæc etiamnum Romæ extat, tabula marmorea, quæ est ad Sanctos Apostolos, relata in *Corpus Inscriptionum Gruteri DCXLVII.* 6. qua in commune id disponitur, vt pecora sub exagio vendantur.

EX φ AVCTORITATE
TVRCI φ APRONIANI. V. C.
PRAEFECTI. VRBIS

RATIO. DOCVIT. VTILITATE. SVA
DENTE. CONSVETVDINE. MI
CANDI. SVMMOTA. SVB. EXAGIO
POTIVS. PECORA. VENDERE, QVAM
DIGITIS. CONLVDENTIBVS. TRADE
RE. ET. ADPENSO. PECORE. CAPITE
PEDIBVS. ET. SEVO. LACTANTE. ET
SVAGVLARI. LANIO. CEDENTIBVS
RELIQVA. CARO. CVM. PELLE. ET. INTE
RANEIS. PROFICIAT. VENDITORI
SVB. CONSPECTV. PVBLICO. FIDE PON
DERIS. CONPROBATA. VT. QVANTVM
CARO. OCCISI. PECORIS. ADPENDAT
ET. EMPTOR. NORIT. ET. VENDITOR
COMMODIS. OMNIBVS. ET. PRAEDA
DAMNATA. QVAM. TRIBVNVS. OFFI
CIVM. CANCELLARIVS. ET. SCRIBA
DE. PECVARIIS. CAPERE. CONSVEVE
RANT. QVAE. FORMA. INTERDICTI
ET. DISPOSITIONIS. SVB. GLADII. PE
RICVLO. PERPETVO. CVSTODIEN
DA. MANDATVR.

Collationem instituamus. Ait Valentinianus, pondus porcorum *trutina examine* quæri oportere. Apronianus *sub exagio*, quod idem est, Glossæ ἐξάγιον, *pensatio*: ἐξαγιάζω, *examino*, *perpendo*: Hinc & ἄρτυ ἐντυπη, *exagios*: apponebatur enim pani nota ponderis, quia & panis quoque pensus ab Ædilibus exigebatur. *Nouella* Valentiniani *inter Theodosianas* 25. *de pretio solidi*: *de ponderibus quoque vt fraus penitus amputetur, a nobis aguntur exagia*, &c. *Exagella* inde apud Ennodium *in V. Epiphanii circa fin. pagin.* 1022. *Tom. I. Oper. Sirmondi*, & Zeno *Sermone* 6. ad Neophytos, *pag.* 396. *Tom. III.*

Tom. III. Bibliotb. Patr. Habetis badinam, exagium facite, quemadmodum vultis: fingulos ponderate. Aliud ἐξάγιον, quod eſt ſextula ſeu ſolidus, ſic dictus, quod ſit pars ſexta vnciæ, *Zonara, Iſidoro*, teſtibus: quod ϛάγιον compendii cauſa ſcriptum, ſed pronunciaodum ἐξάγιον: nam ϛ eſt nota τοῦ ἐξ. Quare errant, qui cum ἐξαγίῳ confundunt ἐξάγιον. Ergo *trutine examen*, & *exagium*, idem: cuius medio ioiquitati occurſum. Vitruuius *lib. 10. cap. 1. Trutinarum vero librarumque ponderibus examinatio reperta vindicat ab iniquitate iuſtis moribus vitam.* De ponderibus & menſuris diai ad *l. 19. 21. ſupr. de Suſceptorib. l. vltim. ſupr. de ſuperexactionibus.* Ait Valentinianos: *non oculorum libertate*, Aproniaous, *conſuetudine micandi ſummota*, mos: *digitis conludentibus.* Ergo Aproniani P. V. inſtitutum Romæ fuit, vt trutinæ examioe pecora vendereotur pendereoturque: quod *hac leg.* ad ſucceſſorem eius Prætextatum P. V. data confirmatur. Cuius Prætextati pariter illud fuit, quod *pondera* P. 176. *per regiones inſtituit vniuerſas, cum auiditati multorum ex libidine TRVTINAS componentium occurri nequiret:* vt Ammianus Marcellinus *lib. 27. c. 9.* totidem verbis ſcribit.

Hactenus primum caput circa ponderationem. Alterum eſt, *vt animal a poſſeſſore trudendum ob digeriem prius, vnius tantum noctis ieiunitate vacuetur.* Nempe, vt egeſto fimo animal tradi publice æquum fuit, ita non diuturniore ieiunio pondus animalis immioui poſſeſſorum interfuit. Quo argumento videatur a poſſeſſoribus porcina integra ſoluta, non interaneis detractis: quæ vtique ſi detracta fuiſſent, ieiunitate ad egerendum fimum nil opus fuiſſet.

Et hæc de ipſius porcinæ collatione. Quod *Pretii* collationem attinet, (quod iam Tertium *huius leg.* caput eſt) cuius electionem *hac leg.* tribuit Valentinianus, reſtituta Conſtaotini M. conſtitutione hæc duo conſtituuotur: 1. Vt cum poſſeſſore *proprius Ordo*, Suariam functionem recognoſcens, de pretio decidat: de quo iam *ſupr.* Noluit ſcilicet Suarium exactorem decidere, ſed proprium Ordinem, eo quod illi plerumque ſuperexigerent. 2. Vt Ordo Suariis, aut pretium tradat, aut carnem: electione alterutrius ſoluendi Suariis Ordini data, pretii quidem legitimi, id eſt Romani fori, quod io foro Romano obtinet; contra quam Conſtantino M. & Iuliano viſum, *l. 2.* & *3. ſupr.* Iuliano, inquam, cuius conſtitutioni *hac leg.* Valentinianus oon vna ratione detractum voluit: contra Conſtantinianeum ferme ius reductum voluit.

Tandem iubetur hæc conſtitotio æneæ tebolæ (io Foro ſcilicet Suario) ioſculpi ad æternam memoriam; cuius rei & moris exempla alia *hoc Codice, l. 4. ſupr. de priuileg. eorum qui in ſacro Palat. l. 1. ſupr. de alim. qua inop. parent. l. 2. ſupr. quemadmodum mun. ciuil. l. vltim. infr. de frum. V. Conſtantinop.* vid. & *l. vnic. infr. de iure Italico V. Conſtantinop.*

V. (a) Imppp. VALENTINIANVS, THEODOSIVS & Arcadius AAA. ad Albinum (b) P. V. Romæ.

SVARIORVM vires (c) ea concidiſſe occaſione comperimus, quod fundi (d) eorum adque alia prædia, in extraneas quaſque perſonas multimoda (e) donatione tranſcripta ſunt. Quæ Sublimis Eminentia Tua, aut ad memoratorum iura reuocabit, aut ſi eorum detentatores putauerint abluendum, (f) ſubeant cum his communem ſarcinam, quorum incubuere corporibus. (g) Conſanguineos (h) quoque eorum, vel originales, (i) vt memoratorum nomini functionique iubeas adiungi, plenum & æquitatis & iuris eſt. Dat. XV. (k) Kalend. Septemb. Romæ, Timaſio & Promoto Coss. [389.]

NOTÆ.

(a) Abeſt & *hec lex* a *Cod. Iuſtin.* GOTHOF.

(b) *Albinus* P. V. Rumæ ſub Valentiniano Iun. Anno 389. 390. 391. vid. *Proſopogr.* ID.

(c) *Vires*, id eſt, facultates. ID.

(d) *Fundi* a *prædiis* hic diſtinguuntur. ID.

(e) Siue inter viuos, ſiue vltima voluntate. ID.

(f) *vl. abnuendum* ID.

(g) *Corporibus*, id eſt, rebus, fundis, prædiis. ID.

(h) *Conſanguinei* hic ſunt, filii, poſteri Suariorum, qui ſanguinis iure Suariæ functioni tenentur, ſeu originis nexu: vnde & *Originales* mox iidem vocantur. Et *l. 7. infr.* quos ſucceſſio generis adſtringit. Agnatio, *Nouell. Valentin. 35. de ſuar.* ID.

(i) Ita Originales Coloni, *l. 14. ſupr. de annona*; Curiales, *l. 13. 96. ſupr. de Decurion.* ID.

(k) Hanc ſubſcriptionem mox vrgebo. ID.

COMMENTARIVS.

POSSESSORES prædiorum ad Suarios pertinentium, quocunque titulo dnoationis, niſi ea prædia reſtituant, ſed & FILIOS Suariorum, ad Suariorum functionem vocari iubent *hac conſtitutione* Valentinianus Iun. & Theodoſius M. Anno D. 389. Nempe Principes hi hoc tempore Romæ agentes poſt Maximum Tyrannum deuictum, (de quo conſule *Chronicon noſtrum*:) variiſque rationibus Vrbi Romæ conſultum cupientes, inter cætera, Annonæ popularis cura ſuſcepta, firmandis

Corporibus, quæ illi seruiebant, incubuere: puta Pistorum, quo pertinet *lex vnic. supr. de Mancipibus*, quæ biduo ante *hanc leg.* data est, & ad eundem Albinum P. V. emissa: Item, *hac leg.* Suariorum occidoo Corpori, vt loquitur Valentinianus Tertius *Nouella 15. de Suariis.* Cæterum cum Suariorum tum vires tum corpus concidisse reperissent: duabus iis quas *initio* dixi rationibus id firmare seu erigere iostituerunt. Et priore quidem, retractis possessionibus ad eorum iura, quæ inde recessferant, *quocunque donationis titulo*, id est, siue inter viuos, siue vltima voluntate: (Prædia scilicet & peculia Suariorum ita functioni huic destinata sunt, vt in extraneos transferri non possint: quod docuit etiam *lex 1. supr.* & docebit *infr. lex 7. 8. h. t.* & *d. Nouella* Valentiniani III. *15. in fin.*) In tantum, vt possessores, nisi ea restituere velint, ipsammet functionem Suariam agnoscere seu subire debeant: quod & ipsum ex parte constituitur *d. l. 7.* & *8.* Et hæc de prima ratione, deque extraneis. Altera ratio est: quod *Consanguineos & originales*, id est filios, posteros, qui sanguinis & originis iure Suariæ functioni tenentur, quos successio generis adstringit (vt loquitur *lex 9. infr.*) Agnationem (vt loquitur *d. Nouella Valent. 15.*) ad eam functionem adiungi, adigi, iubeant. De quo rursum *d. l. 7.* Quæ quidem communis *lex* fuit cæterorum Corporum: vnde & *plenum* hoc *æquitatis & iuris*, dicitur *hac leg*

p. 177

VI. (a) Idem AAA. ad Albinum P. V. (b)

PORCINARII (c) Vrbis Æternæ, cum peruigilem laborem populi Romani commodis (d) exhibeant, id se Diuæ memoriæ Gratiani (†) beneficio meruisse proponunt, *Ne sordidis (e) vnquam muneribus subiacerent.* Inlustris igitur Auctoritas Tua Diualium præceptorum formam conseruans, etiam cum interminatione competenti suo (f) insistat Officio, quatenus id, quod & ante constitutum est, & nulla postmodum iussione mutilatum, indubitatum (g) adque intactum faciat perdurare. Dat. VIII. Kalend. Septemb. Romæ Timasio & Promoto Coss. [389.]

NOTÆ.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* qua hæc vnica sententia continetur: *Porcinarii vrbis æternæ, cum peruigilem laborem populi Romani commodis exhibeant, sordidis semper muneribus liberentur.* Cæteris omnibus resecatis. *GOTHOF.*

(b) Romæ: vt *l. 5. prox. supr.* *ID.*

(c) Iidem cum Suariis. *ID.*

(d) *Commoda* populi *hac leg.* vt *l. 8. supr. de Medicis & Professoribus*: *l. 3. infr. de Canone frum. V. R.* pariter vt commoda popularia *l. 3. supr.* *tributa in ipsis speciebus*: absoluta commoda, *l. 2. supr. tributa in ips. speciebus*: *l. 25. supr de annona & tribut.* sunt annonæ populi Romani. *ID.*

(†) *Gratiani* (qui cæsus Anno D. 383.) *constitutio*, de Suariorum Vrbis Romæ immunitate a sordidis muneribus. *ID.*

(e) *Sordida munera* quæ sint? *suo tit.* dictum, *ID.*

(f) *Officium* Præfecti Vrbis, id est Officiales. *ID.*

(g) Inlibatum. *ID.*

COMMENTARIVS.

IMMVNITATIS priuilegium a muneribus SORDIDIS porcinariis, id est, Suariis V. R. tributum a Gratiano Imp. neque postea ademptum, confirmant *hac constitutione* Theodosius & Valentinianus, ad Suariorum petitionem. Romæ scilicet agentes hoc Anno 389. Principes hi, Annonæ popularis cura suscepta, non tantum Corpora ipsa ac nominatim Suariorum firmare opibus numeroque sat habuere, quod vtique ab his factum *superiore lege* ante octiduum: verum etiam priuilegia his sua confirmanda duxere, eodem semper annonæ popularis studio: quo scilicet (vt hic non obscure indicant) *peruigilem magis ac magis laborem populi Romani commodis exhiberent.* Quænam autem sint munera sordida, docuit *titulus supr. de extraordinar. siue sordidis muneribus lib. 11. tit. 16.* His sane ipsa Suaria functio connumeranda non venit: quod quidam censuere.

Ex *hac* interim *leg.* quoque liquet Gratianum, cum Valentinianum Iuniorem fratrem Imperii consortem haberet, Romæ nihilominus quoque potitum: quod etiam docet saltem vsque ad Annum 381. *lex 26. supr. quorum appell. non recip. lex. 1. supr. de Princip. agent. in reb. l. 9. supr. de priuileg. eor. qui in sacro Palatio: lex 16. 17. supr. de Pistorib. l. 6. infr. de Scænicis: lex 2. supr. vnde vi.* Imo & Italia: vt docet *lex 9. supr. de metallis:* Quin & Africa, vt ostendit *lex 3. supr. de naufragiis.* Etsi alias in Imperii diuisione Italia, Illyricum, Africa, Valentiniano cessissent, teste Zosimo *lib. 4 cap. 19. in fin.*

VII. (a) Impp. Arcad. & HONOR. Florentino (b) P. V.

HÆREDES (c) Suariorum, filiorum, etiam emancipatorum, bona omnia ac patrimonia requirantur: vt siue personarum agatur ratio, siue rerum, non minus habeatur obnoxius quem possessio tenet, quam quem successio generis adstringit: Dummodo, suo (d) Ordini adtributos, Suarii non admittant, & propriis facultatibus solitisque subsidiis aliena adque longinqua, & ab hoc munere distracta, (e) non quærant. Dat. XV. Kal. Mart. Med. Cæsario & Attico Coss. [397.]

N O T Æ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Et tamen iungenda *ei* videatur *ex ipso Cod. lex.* 2. *eod. tit.* quæ eandem Inscriptionem præfert, subscriptione carens in nonnullis Edition. Etsi malint alii, emendata Inscriptione eam coniungere *legi prox.* 8. *in fin.* Forte etiam *huic* iungenda *lex* 3. *supr. de priuileg. Corporator Vrbis Romæ*: alterutrubi die emendato. GOTHOF.

(b) *Florentinus* P. V. Romæ sub Honorio Anno D. 395. 396. 397. v. *Prosopogr.* ID.

(c) Sui, extranei. ID.

(d) Proprio, alteri quam Suariorum. ID.

(e) distincta, separata. ID.

C O M M E N T A R I V S.

HONORII Imperatoris, annonæ populari Vrbis Romæ consulentis, quatuor constitutiones sequuntur: quarum tribus labanti seu occiduo *Suariorum* Corpori opitulatum it. Et *hac* quidem *lege*, & HÆREDES quotcunque, & FILIOS, etiam emancipatos, & POSSESSORES quoscunque bonorum ad Suariam functionem vocari iubet: sic, vt ipse ait, *non minus habeatur obnoxius quem possessio tenet, quam quem successio generis adstringit.* Qua parte notandum quod nominatim addit de filiis emancipatis. *Beneficium* scilicet *emancipationis, genuino officio publicæque vtilitati nocere non debet.* P.178 Notandum & quod viceuersa subiicit, ita Suarios Corpori suo obnoxias personas, obnoxiaque bona vindicare posse, vti alienis personis bonisque abstineant, quæ alteri Ordini seu Corpori adtributa seu adstricta sunt.

VIII. (a) Idem AA. (b) Hilario P. V. (c)

QVICVMQVE de Suariorum corpore originariam (d) functionem, sub cuiuslibet desidario auxilii, vel honore, declinasse noscuntur, vel aduersa (e) se officia contulisse, aut Adnotationibus vel Rescribtis Nostræ Serenitatis elicitis, ad munus pristinum reuocentur, tamquam (f) paterno, quam qui materno genere inueniuntur obnoxii: *Oportet* enim *viribus vacuari, quæ in dispendium publicum adumbratione* (g) *exorta sunt:* Nullique penitus ad quemlibet honorem adque militiam aditus tribuatur, nisi (h) qua deinceps de nostris altatibus per Adnotationem, vel Rescribtum, vel quolibet genere fuerint elicita vel emendicata, cassentur. Eos etiam qui ad *Clericatus* se priuilegia contulerunt, aut agnoscere oportet propriam functionem, aut ei corpori, quod declinant, proprii patrimonii facere cessionem. Hii vero qui prædia obnoxia corpori, vel ex empto, vel ex donato, vel ex quolibet titulo tenent, pro rata publicum munus agnoscant, aut possessionibus cedant. Circa reliqua etiam Corpora, quæ ad priuilegia (i) Vrbis Romæ pertinere noscuntur, eadem præcepti nostri forma seruetur. Dat. XVIII. Kalend Febr. Romæ, Basso & Philippo Coss. [408.]

N O T Æ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Sunt tamen qui *huic leg.* coniungant *legem* 2. *Cod. Iust. eod. tit.* quæ superiori potius iungenda videtur. Debuit & in Annales Ecclesiasticos *huiusce leg.* pars saltem referri. GOTHOFRED.

(b) De hac Inscriptione consule *Chronolog.* ID.

(c) *Hilarius* P. V. Romæ sub Honorio: vnica porro *hæc lex hoc Codice* occurrit ad istum Hilarium P. V. IDEM.

(d) Vnde *Originales* dicuntur *l.* 5. *supr.* ID.

(e) vt

(e) *γρ. ad diuersa.* *ID.*

(f) *γρ. Tam qui.* *ID.*

(g) *Adumbratione* extorta, id est adumbrata aliqua ratione, aliquo prætextu, colore. *ID.*

(h) *γρ. Et si.* *ID.*

(i) Vide *supr. tit. de priuilegiis Corporatorum Vrbis Romæ.* *ID.*

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc Honorii constitutio est, qua annonæ Vrbis Romæ cura suscepta, labanti Suariorum nominatim Corpori Romæ, imo & aliis Corporibus omnibus opitulatum ii, Anno D. 408. idque triplici ratione seu tribus capitibus. Primo enim definit, nulla dignitate, nullo officio, nullo Principis rescripto originariam hanc functionem euitari posse: eosque adeo qui euitauerant, reuocari oportere. Quod & ipsum voluerunt Impp. *l. 5. supr.* idque siue paterno siue materno genere obnoxii Suariæ functioni sint. Nempe, (quod exinde colligitur) etiam materna origo Suariæ functioni liberos obnoxios reddebat. Denique vtrouis parente Suario quis natus esset, Suariæ functioni originis iure tenebatur, quod in pistoribus quoque obtinuit: de quo *suo tit.* Secundo, de CLERICATV quidem, puta si Suariæ functioni obnoxius Clericus factus fuisset, hanc conditionem euitari posse sancit: verum alterutrum facere iubetur, vel inquam, functionem ipsam agnoscere, vel patrimonio suo cadere Corpori Suariorum. Hanc electionem tribuit Honorius ei, qui ex Suario Clericus factus fuisset: itemque iis, qui ex aliis Corporibus Clerici facti fuissent: cum tamen Valentinianus Senior pistores præcise reuocari voluerit *l. 11. supr. de Pistoribus.* Et Valentinianus Tertius postea voluit Corporatos in Clericorum numero repertos vsque ad Diaconos tantum reuocare, non alios: *Nouella inter Theodosianas 26. de Corporatis Vrbis Romæ qui ad militiam vel Clericatum transeunt, reuocandis*: & *Nouella Valentiniani de Episcopali iudicio* 12. Tandem & POSSESSORES prædiorum obnoxiorum Suariæ functioni quocunque titulo, vel pro rata possessionum publicum munus agnoscere, vel iis pariter cedere iubet; Quod & ipsum ferme placuit Theodosio & Valentiniano Iun. *l. 5. supr.* eidem Honorio *l. 7. supr.*

IX. (a) Impp. HONORIVS & Theodosius AA. Palladio PF. P. (b) Post alia.

AD excludendas Patronorum Caudicariorum (c) fraudes, & Portuensium furta Mensorum, (d) vnus e Patronis totius consensu corporis eligatur, qui per quinquennium custodiam Portuensium suscipiat conditorum, (e) clandestinum ad collegas digma (f) missurus, ne quid ex specie fraus occulta vectorum pessimæ qualitatis inmutet: Cui præmia ista deferimus, vt si optima fide administrauerit munus iniunctum, post expletas lustralis (g) sollicitudinis metas, Comitiuæ tertii ordinis honore cumuletur: idque non iam ex codicillis nostris, sed constituti istius consequatur indulto; deprehensus in fraudem (h)
P.179 amisso patrimonio ad pistrini etiam munia prima reuocetur. Illud etiam decernimus, ne in singulis (i) tres primos Patronos corporum singulorum (k) Vir Clarissimus PF. Ann. ius habeat corporalis iniuriæ: Nam sufficit in delinquentem Inlustris Vrbani censura iudicii. Dat. VII. Kalend. Ian. Rau. Honor. A. XI. & Constant. II. V. C. Coss. [417.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iust.* Eique iungenda *lex vlt. supr. de Pistoribus.* GOTHOF.

(b) *Palladius* PP. Italiæ sub Honorio: vid. *Prosopogr.* *ID.*

(c) De his *Caudicariis* agitur & *l. 2. supr. de Pistorib.* & *l. 1. infr. de Canone frum. V. R.* *ID.*

(d) De his *Mensoribus* agitur & *l. 1. supr. de condit. in publ. horr.* & *d. l. 1. infr. de Canone frum. V. R.* *ID.*

(e) *Condita*: de his vid. *Glossar. Theod.* *ID.*

(f) δεῖγμα: de quo mox. *ID.*

(g) Quinquennalis. *ID.*

(h) Pro, *in fraude.* *ID.*

(i) An *in singulos?* *ID.*

(k) Caudicariorum, & Mensorum. *ID.*

COMMENTARIVS

TERTIA hæc *hoc titulo* Honorii Imp. constitutio est, annonæ Vrbis Romæ consulentis, circa CAVDICARIORVM & MENSORVM Portuensium Patronos: idque, aduersus eorum partim fraudes, partim

partim pro eorum præmiis. Quæ *lex* pars est pro maiori Honorianæ constitutionis, vt apparet ex *l. vltim. supr. de Pistoribus*, quæ *huic* coassanda seu coniungenda venit: in qua alterum quoque fraudis genus circa annonam vrbicam submouet. De quo mox.

Prius enim paucis præmonendum 1. In *Portu* Vrbis Romæ (qui 18. millibus a Roma distabat,) quo annona seu frumentum Vrbis Romæ vsibus destinatum, ex Prouinciis subuehebatur, fuisse *Horrea*, vbi frumentum illud condebatur, donec Romam subueheretur, quæ *horrea* ideo *Portuensia* dicta: *l. vnic. infr. de Patronis horr. Portuens.* Quomodo & *condita* ibi frumenta, *Portuensia* dicuntur *hac leg.* Item, notandum Corpus quoddam *Caudicariarum* (id est, nautarum Tiberinorum seu Nauiculariorum) fuisse, qui annonam Romam solemni nauigatione subuehebant; de quibus agitur præterea duobus locis *hoc Codice*, puta *l. 2. supr. de Pistorib.* & *l. 1. infr. de Canone frum. V. R.* (ad quarum priorem plene de his Caudicariis dixi.) In eodem rursum Portu fuere & *Mensores*, qui scilicet & aduectum ad Portum V. R. frumentum ad metirentur in horreis condendum, & rursum, cum inde promeretur Romam per caudicarios subuehendum: vnde & *Mensores Portuenses* dicti *hac leg.* Ergo in Portu Vrbis Romæ fuerunt & horrea Portuensia, & condita Portuensia, & Mensores Portuenses. Qua simili forma & apud Ambrosium *epist. 62. initio, Edit. Paris. 1614.* ad Eusebium Episcopum, *Opera Portuenses*, in opere Portus reformandi occupatæ. Simili forma & *via Portuensis*, cuius mentio quoque fit apud Æthicum *Cosmograph. pag. 716. Edit. Granon.* Fuere etiam, *Fabri Nauales Portuenses*, de quibus vetus inscriptio reperta Ostiæ *apud Gruterum CCCCXXXVII. 2.* Fuere & *Saccarii Portus Romæ.* de quibus *sua tuulo infr.*

Secundo sciendum, vt Caudicariorum, Mensorumque certa numerosaque Corpora erant, ita singula suos *Patronos* habuisse: pariter vt cæterorum Corporum & quidem annonæ Vrbicæ deseruientium, Patroni sui fuerunt: veluti Pistorum, de quibus *l. 2. 7.* (vbi plene dixi:) *l. 12. supr. de Pistoribus:* & horreorum quoque Portuensium: *l. vnic. infr. de Patron. horr. Port.* Patronos inquam, id est, Capita & Principes seu Vertices quodammodo Corporis, qui communem Corporis curam gerebant & administrabant: ita quidem vt plures Patroni in singulis Corporibus essent: non Tres tantum, sed plures, vt aperte docetur *fine huius leg.* sic tamen, vt *Tres primi Patroni*, præcipuo quodam gradu & honore haberentur, de quo postea.

Tertio noscendum, vt maxime plures essent eiusdem Corporis Patroni, attamen vni administrationem commissam certo tempore: veluti a Patronis horreorum Portuensium, vni Patrono, sic vt is annis singulis tantum præesset, ex eiusdem Honorii constitutione Anno Domini 400. *d. l. vnic. infr. de Patronis horreorum Portuensium.* Hoc exemplo hac constitutione Honorius vnum ex Patronis Caudicariorum, & vnum ex Patronis Portuensium Mensorum, totius Corporis consensu eligi iubet, qui per quinquennium conditorum Portuensium custodiam suscipiat, seu lustralem sollicitudinem gerat. Quomodo sane & priores Patronos Pistorum quinquennales fuisse docet *lex 7 supr. de Pistoribus*, & aliorum Corporum Patronos quinquennales memorant veteres inscriptiones, de quibus plene dixi ad *d. l. 7.* ac nominatim (quod huc maxime facit) quinquennales Collegii fabrorum Ostiensium, *apud Gruterum CCCLVIII. 1.*

Iam ad rem. Honorius Imp. Annonæ Vrbicæ consulturus, vt ipsa Corpora annonæ vrbicæ deseruientia a concussionibus Apparitorum vindicanda credidit *l. vlt. supr. de Pistoribus*, quæ *huic* vidimus, coniungenda est; ita viceuersa, eorum fraudibus *hac leg.* occursum iuit: ac nominatim Caudicariorum & Mensorum; quæ quidem Corpora vti proxime cohærebant, ita fraudibus variis vtraque rem gerebant: quod docet præterea *lex 1. infr. de Canone frum. V. R.* Inter alias porro fraudes, istud erat, quod fraude occulta species seu frumenta immutarent, pessimæque qualitatis frumentum subiicerent: *pessima*, id est vltimæ, de qua voce ad *l. 1. infr. de Canone frum. V. R.* Mensores inquam, & Caudicarii seu Vectores, vt *hac lex* docet. His igitur fraudibus excludendis, iubet Honorius vnum e Patronis totius Corporis consensu eligi, qui suscepta per quinquennium conditorum custodia, digna frumenti scilicet ad collegas Romæ commorantes clam mittat: cuius collatione apparere possit, num qua fraus ab his admissa fuerit, pessimæ qualitatis frumento pro bono subiecto. *Digma*, δεῖγμα, est specimen rei, *monstre, eschantillon*, proba, vt vocatur *l. vnic. supr. de Stratoribus:* & apud Ammianum *lib. 21. cap. vlt.* indicium apud *eundem loc. cit.* & *l. 13. supr. de annona*, & *l. vltim. supr. de superexactionib.* Harpocration: δεῖγμα, κυρίως μὲν τὸ δεικνύμενον ἀφ' ἑκάστου τῶν πωλουμένων. ἤδη δὲ καὶ τόπος τις ἐν τῷ Ἀθήνησιν ἐμπορίῳ, εἰς ὃν τὰ δείγματα ἐκομίζετο, &c. δεῖγμα *proprie est specimen, quod de singulis rebus venalibus monstratur: sed olim digma locus erat in Atheniensium mercatu, in quem specimina ferebantur.* quod iisdem plane verbis Moschopolus, Suidas, & *Etymologici* Auctor exscribunt: ita & ἀρτόδειγμα Polluci *lib. 9. segm. 34. pag. 999. Edit. Hemsterhuis.* sic & in rebus liquidis gustus seu γεῦμα. Interim obseruandum (quo pertinet etiam Harpocrationis locus) locum fuisse in Portu Atheniensium Piræeo, qui *Digma* vocabatur: nempe quia eo mercatores conuenientes suarum mercium δεῖγμα, seu probam & indicium producere soliti. Cuius loci quoque mentio apud Æneam *Tactico-rum cap. 32. pag 22. Edit. Casaubon.* & vt nonnullis visum apud Theophrastum *cap.* περὶ ἀλαζονείας 23. & apud Scholiastem *Aristophanis.* * Imo & communiter in aliis Græciæ emporiis omnia loca, ad quæ ferebantur τὰ δείγματα, mercium indicia seu probæ, ita dicta. Ælianus *in Epistola Demyli ad Blepsiam, fol. 230. inter Epistol. Philosoph. Orator. Rhetor. Aldi 1499 in 4.* ὁ δὲ ἀρκέμενος τοῖς παροῦσιν, Αἰγυπτίους καὶ Σύρους φαντάζεται. καὶ περιβλέπει τὸ δεῖγμα, *qui ne quidem præsentibus par est, Ægyptios atque Syros in animo habet, & fora cogitat.* Describit scilicet ibi hominem qui a cultura agrorum ad mercaturam toto animi impetu se conuertit, ac proinde nil nisi fora cogitat: ita vocat Scriptor ille, περιβλέπειν δεῖγμα. P. 179

His ita constitutis Honorius deinceps *hac constitutione* Patronorum fidem tum præmiis, tum & pœnarum metu deuincit: nempe Comitiuam tertii Ordinis; (de qua dixi *supr. lib. 6.* de qua etiam *l. prox. infr.*) pro præmio, bene defuncto per quinquennium Patronatu, defert: ita quidem vt nolit id specialiter a se postulari, verum in commune id deferat generali hoc beneficio: pariter vt defertur *l. prox. infr.* ab eodem Honorio tribus Principalibus Suariorum & Pecuariorum. Quod genus induiti obseruandum est: quo vi constitutionis & ex generali indulto, seu priuilegio legis, non

* Vide *Casaubonum in Commentar. ad Theophrast. & in not. ad l. c. Æneæ.*

non ex specialibus Codicillis honores cumulantur, tribuuntur. Contra, fraudulentis bonorum proscriptionem minitatur, & pistrini pœnam, sic vt postrema in eo munia & vilissima subire necesse habeat: ita enim hæc verba accipi possunt, *ad pistrini etiam munia prima reuocetur*: prima scilicet quæ prima ingredienti, & sic infima, vltima, *pessima*. Sed & hoc Patronis *hac lege* defert vt in tres primos Patronos singulorum Corporum, delinquentes iurisdictionem adimat Præfecto annonæ Vrbis Romæ, tribuat soli Præfecto Vrbis. Nempe cum duo hi Magistratus Annonæ Vrbicæ præessent; ille tamen sub huius dispositione positus erat, quod etiam ex *Notitia imperii* discere est, longe Præfecto Vrbis inferior: cui proinde Præfecto Vrbis iurisdictio criminalis in tres primos Patronos Corporum horum annonæ deseruientium tribuitur, non vero Præfecto annonæ. Quæ sunt competentis priuilegiati species notanda est.

X. (a) Idem AA. Palladio PF. P. (b)

SVARIIS pecuarii iungantur: Sub hac tamen condicione decreti, corpora volumus miscere, vt, rescissis priuilegiis quæ impetrasse dicuntur, mixtæ corporum vices alternis fungantur officiis. Quibus cum lege concedimus, vt corpora externa (c) iungamus, e re est, vt his quoque suas reddi iubeamus personas; quas rescissis omnium priuilegiis, vinculis, gratiosis sententiis (si quas in abolitionem genuinæ (d) functionis callida fraude meruerunt) restitui (e) cum facultatibus suis, posthabita dilatione. Nulla tamen eos corporis iniuriæ formido percellat. Nam præcipimus, vt tres huius corporis Principales certi (f) ordinis Comitiuam recipiant: quam (g) sibi non iam ex codicillis nostris, sed ex priuilegio latæ legis adsumant. Per quinque (h) autem menses quinas in obsoniis libras carnis possessor (i) accipiat, (k) ne per minutias exigui ponderis amplius fraus occulta decerpat. Possessores quoque, qui pro larido millenos denarios in vicenis libris solebant conferre, Suariis in pretio exsoluant. Primiscrinii (l) quoque, tum Inlustr. Vrbanæ sedis, quam Spectabilis Vicariæ potestatis, nisi anno militæ finalis institerit, (m) ad supplendam summam præteritæ dissimulationis artentur: vt ex propriis facultatibus debita suariæ functionis exsoluant, quæ neglexerunt flagitare, dum militabant, Priuilegia etiam militiæ perdituri. Quatuor millia sane obsoniorum, amputatis superfluis, ac Domus nostræ perceptionibus, diurna, Sublimitas Tua decernat, quibus copiis Populus (n) animetur. Dat. IV. Kalend. Aug. Rau. Monaxio & Plinta Coss. [419.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex a Cod. Iustin.* GOTHOF.
(b) *Palladius* PP. Italiæ sub Honorio; vid. *Prosopogr.* ID.
(c) Antea dissociata, distincta. ID.
(d) Originalis. ID.
(e) *Facias*, vel quid tale, supplendum. ID.
(f) *γρ. Tertii*: vid. & *l. prox. supr.* ID.
(g) Similiter *l. 9. prox. supr.* vbi dixi. ID.
(h) Per 150. dies Nouella Valentiniani *de Suariis*. ID.
(i) *γρ. a possessore*. ID.
(k) *γρ. Accipiant*: nisi malimus, *possessor appendat*. ID.
(l) *Primiscrinii* huius in officio Præfecti Vrbis fit quoque mentio in *Notitia Imperii fol.* 119. nulla Primiscrinii Vicarii Vrbis: quo tamen rursum pertinet *l. 2. supr. de exsecutoribus*: vbi dixi. ID.
(m) *γρ. institerint*. ID.
(n) *Romanus*. ID.

COMMENTARIVS.

POSTREMA hac constitutione, Honorius non tantum de Suariis quædam disponit, verum in vniuersum CARNIS exactioni & præbitioni, quæ populo Romano gratuita exhibebatur, variis rationibus consultum it Anno D. 419. pro statu videlicet Vrbis Romæ, qualis tum erat, haud adeo populosæ, post Gothicam videlicet vastatio-
P. 181 nem: de qua Vrbis Romæ infrequentia, dixi iam ad *l. vlt. supr. de priuil. Corporat. V. R.* dicam adhuc ad *l. 2. infr. de Collegiatis*.

Primo igitur capite ex duobus Corporibus Suariorum & Pecuariorum, vnum Corpus miscellum facit: sic vt per vices, mixtis ita Corporibus, officiis eos fungi velit: cum antea *externa*, seu distincta essent Corpora: nempe enim Suarii (iidemque Porcinarii) fuillæ carni exigendæ,

dæ, erogandæ præerant: *Pecuarii* ouillæ, verue cinæ, &c. quæ & ipsa populo Romano erogabatur. Sane *Nouella* Valentiniani, *15. de Suariis*, fit quoque mentio huius *Pecuarii* Corporis & præstationis: sed & *Boariis*, ab vtroque defuncti. Secundo, Replendo huic mixto iam Corpori, reuocari iubet omnes, qui vel priuilegiis, vel vinculis, gratiosis sententiis ab hac functione immunes facti fuerant. *Vinculis*, inquam, in coniugii ratione; nempe neque coniugio cum externa persona conditio euitatur: de quo *alibi sæpe*. Ita coniunctionum vincula, *l. 3. ad SC. Claud.* Tertio tamen loco, priuilegium immunitatis a corporalibus iniuriis his conseruat: pariter vt Valentinianus *Nouella de Suariis 15. circa fin.* Quinimo, Quarto loco, tribus Principalibus (qui alias *Patroni* dicti, & de quibus *l. superiore*) Tertii ordinis Comitiuam simul & semel hac generali constitutione, sic vt eam specialiter petere nil necesse habeant, tribuit. Quod ipsum priuilegium est, quod idem Honorius tribuebat *superiore lege 9.* Patronis Caudicariorum & Mensorum Portuensium. Et hæc de Suariorum & Pecuariorum Corpore, eorumque priuilegiis.

Sequitur secunda *huius leg.* pars de *Carnis* ipsius Exactionis & erogationis modo. Quæ quidem *Obsoniorum* appellatione hic duobus locis designatur. Nempe *obsonium* est, χορηγία, seu præbitio annonæ, ac nominatim carnium. Ὀψώνιον, *Diarium:* Gloss. *Cyrilli.* Lucilius apud Festum *voc. mantisa:*

—— *Mantisa obsonia vincit.*

Gregorius Nazianzenus *ad Iulianum Orat. 9. p. 155. Ed. Lipsient. apud Weidm.* ὀψώνιον τὸ βασιλικὸν σιτηρέσιον, καὶ αἱ ἐπάρχουσαι ἐν νόμῳ τοῖς ἀξιώμασι δωρεαί. *obsonium regia annona est, & munera ea, qua iis, qui dignitatem obtinent, lege constituta sunt.* Paulus quoque *ad Romanos cap. 6. v. vltim.* τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος, *stipendia enim peccati mors.* Vbi forte vertendum *obsonia*, non *stipendia* vel *auctoramenta.* Et sic ad stipendium obsonii vox traducta. Hac ipsa voce vtitur in eadem re Valentinianus *d. Nouella 15.* & Cassiodorus *XII. Var. 11.* ad Petrum erogatorem obsoniorum. Quod ad exactionis modum igitur attinet. 1. *Vna* pensione seu solutione quinque mensium præstationem fieri vult Honorius: Nempe, *ne per minutias exigui ponderis amplius fraus occulta decerpat.* Scilicet etsi, quod dicitur *Nouella Theodosii 33. de releuatis: multo sit onerosius simul & in aggere coaceruatam soluere quantitatem, quam particulatim reddere quod debetur*, attamen vbi libræ examine res modicæ transfiguntur, satius est multo pro collatoribus & debitoribus, quod debetur in aggere solui: nam quod per minutias appenditur; facilius per tempora & minutias exigui ponderis superexactioni subiacet.

Cæterum duo hic valde notanda. Primum quod dicitur, *Per quinque menses:* scilicet caro præbita populo Romano in anno per quinque menses: seu (quod idem est, computatis scilicet Iurisconsultorum & Romanorum more in singulos menses 30. diebus) per centum quinquaginta dies: Quod docet *d. Nouella* Valentiniani *15. Ita vt*, inquit, *centum quinquaginta diebus, obsoniorum præbitionem sine vlla causatione singulis annis a se nouerint procurandam.* Secundo obseruandum: Quinas libras obsonii per quinque menses a possessoribus solutas, & sic singulas libras in singulos menses. Et hæc de ipsorum obsoniorum exactione. Est & vbi non ipsa caro non laridum exigebatur, verum adæratio, id est, pretium eius loco: adærationi autem modus hic qui & antea statuitur: nempe vt pro vicenis libris, mille denarii exoluerentur, id est, sexta pars solidi: ac proinde pro 120. libris, solidus. Hesychius: τὸ λεπτὸν (id est, *denarius*) ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου: (id est, *solidi.*) Cassiodorus I. *Var. 10. Sex millia denariorum solidum esse voluerunt.* Verum aucta postea æstimatio solidi *Nouella* Valentiniani *inter Theodosianas 25. de pretio solidi.* Exinde Honorius Primiscriniis Præfecti Vrbis, & Vicarii Vrbis, (de quibus rursum *l. 2. supr. de executoribus*) pœnam minitatur, nisi huic exactioni institerint. Primiscriniorum Præfecti Vrbis meminit quoque Symmachus *lib. 10. epist. 47.* & Auctarii *epist. 21.* vt & *Notitia Imperii.* Ac nominatim *d. epist. 47.* ostendit pariter vt *hac leg.* Primiscrinio Vrbani officii sollicitudinis fuisse exactionem. *Nouissime in cælum relatus Germanus Clementia Tua, eum ipsum Basilium cum haberet appositum, qui personis Iudicum non pepercit, Primicerias Vrbani officii, quorum solicitudo per successiones exigenda curauerat* (reliqua arcæ vinariæ) *vel soluendo nomini, vel edenda rationi fecit obnoxios.* Postremo loco quot obsonia diurna populo Romano præberi oporteat, resecatis superfluis, & Domus Principis perceptionibus, definit: nempe, *quatuor millia* tantum. Quod vtique ostendit, quo Vrbis Roma prolapsa hac tempestate fuerit, quamque ciuibus exhausta: cum & antea longe maior seu amplior obsoniorum modus fuerit. Sane postea Valentinianus Tertius, *d. Nouella sua* 15. ait; quantitatem obsoniorum annuam collectam *in tricies sexies centenis viginti octo millibus libris cum duarum decimarum ratione. Nous dirions trente six millions vingt & huict mille liures de chair*, 362800. Quare in singulos dies erogatæ fuerint 24086⅔. libræ.

P.182. DE MANCIPIBVS THERMARVM VRBIS ET SVBVECTIONE LIGNORVM.

TITVLVS V.

Abeſt hic *titulus* a *Cod. Iuſtin.* Huic proxime accedit *Titulus 16. de Mancipibus lib. 12. ſupr.* qui eſt de *Mancipibus piſtrinorum:* de quibus & *l. 18. ſupr. de Piſtorib.* & *lex 2. 3. infr. de frum. Vrbis Conſtantinop. lex 4. ſupr. de excutorib. lex vnic. Cod. Iuſt. de Piſtoribus.*

PARATITLON.

THERMÆ *Rubr.* & *l. vnic. hoc tit.* & *l. 131. ſupr. de Decurionib. l. 32. 50. infr. de operibus publicis:* quæ & *Balneæ* dicuntur, *l. 1. 2. ſupr. ne Comitibus & Tribunis lauacra: l. 3. infr. de aquæductu:* Lauacra, *d. l. 3. de aquæductu: l. vltim. ſupr. de cuſtod. reor. d. tit. ne Comitibus & Trib. lauacra: l. 52. infr. de operibus publicis: l. 20. infr. de Paganis: l. 3. ſupr. de Conlat. donatar. l. 13. ſupr. de Nauiculariis:* (apud Ammianum ſæpe, neque vix aliter) in orbe Romano non tantum priuatæ fuerunt, de quibus agitur *d. l. 1. ne Comitibus & Tribunis lauacra:* & *d. l. 3. infr. de aquæductu:* quæ *Priuati* appellatione ſignificantur, *l. 12. ſupr. de metatis:* verum etiam publicæ quædam in præcipuis Orbis Romani Vrbibus: veluti in Vrbe Roma, populi Romani, de quibus eſt *hic titulus:* & *d. l. 3. ſupr. de Conlat. donatarum* (λουτρὰ δημόσια, Olympiodoro apud Photium *Cod. LXXX. pag. 198. Edit. Schotti*, & *pag. 15. Tom. I. Script. R. B. Edit. Reg.*) in Vrbe Conſtantinopolitana: de quibus *d. l. 50.* & *52. infr. de operibus publicis:* (vbi nominatim inter alias fuerunt lauacrum Zeuxippi: de quo *l. 52. infr. de operibus publicis:* Thermæ Honorianæ, de quibus *l. 50. infr. de operibus publicis:*) in vrbe Antiochena, *d. l. 131. ſupr. de Decurionibus:* & Ammianus Marcellinus *principio libri 31.*

Thermæ hæ publicæ ita extructæ ferme erant, vt ea *Porticus* præcurrerent, vt oſtendunt *d. lex 50.* & *52. infr. de operibus publicis:* & Ammianus Marcellinus *fine libri 29.* & Lampridius *Alex. Seuero cap. 25.* Erantque ſimulachris ornatæ, *l. 20. de Paganis.*

Ad has Thermas publicas opus erat his tribus: Luminaribus, Calefactione ſeu Lignis, & Mancipibus. *Luminaria* colligebantur ex penſionibus domorum, quæ a priuatis in porticibus Thermarum extructæ erant, *d. l. 52. infr. de operibus publicis.* Ad *calefaciendas* Thermas, ſeu ad ſubuſtionem Thermarum, *l. 32. infr. de operibus publicis:* πρὸς ἔγκαυσιν, Græci; ſeu ad ligna, alibi pars aliqua ex reditibus ciuitatum ſub miniſtrabatur, *d. l. 32.* & *d. l. 131. ſupr. de Decurionib.* alibi, Prouinciales (veluti Terracinenſes ad Vrbis Romæ thermas vt, docet Symmachus *lib. 10. epiſt. 53.*) ligna lauacris ſubminiſtrabant, veluti Africani, ad Vrbis Romæ Thermas *l. 10. ſupr. de Nauicular.* alibi, ſyluæ ad id deſtinatæ erant: vid. Aggenum Vrbicum *p. 76. Edit. Rigalt.* & *pag. 60. Edit. Goeſii.*

Horum lignorum Subuectioni, *Rubr. hoc tit.* ſeu lignis his comportandis, huic lignorum functioni, certa quædam Corpora obnoxia erant, teſte Symmacho *lib. 10. epiſt. 27.* & *58.* vt puta Nauicularii Africani ad Portum Vrbis Romæ vſque *l. 10. ſupr. de Nauicular.* inde alii lintrones & nauicularii, a Portu, Romam; *l 13. d. tit. de Nauiculariis,* & Symmachus *lib. 10. d. epiſt. 58.*

Curam harum Thermarum gerebant, ſeu Thermarum exhibitionem curabant *Rubr.* & *l. vnic. hoc tit.* & *l. 3. ſupr. de conlat. donatar.* lauacra hæc exercebant, Symmachus

chus *in Auctuario. ep. ult.* Vrenda lauacris ligna comportabant, Symmachus *lib. 10 epist.* 27. quidam, qui *Mancipes Thermarum* dicebantur : de quibus est hic *titulus*, & *lex 3. supr. de conlat. donatarum* : & forte *lex vnic. supr. de Mancipibus lib. 12.* Quibus inuicem Salinarum exercitium & compendium Romæ relinquebatur, *hac leg. vn.* & *d. l. 3.* de quo mox plura. Et quidem sic, vt ab extraordinariis collationibus harum salinarum nomine immunes essent, *d. l. 3.*

P. 183. I. (a) Impp. Valentinianvs & Valens (b) AA. ad Olybrium P. V. (c)

Qvidqvid erga Mancipes, qui Thermarum exhibitionem Romæ curant, in exercitio compendiisque Salinarum, (d) scitis (†) priorum Principum cautum est, æterna sanctione firmamus. Dat. III. Non. (e) April. Triu. Valentiniano & Valente (f) Coss.

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iust.* Iungenda ei est, vt puto, *lex 9. supr. de Pistoribus* : & *lex 9. supr. de pœnis.* GOTHOFRED.

(b) Inscribendi hi Imppp. *Valentinianus Valens & Gratianus*, vt in sequentibus ostendetur. *ID.*

(c) *Olybrius* P. V. Romæ sub Valentiniano Sen. Hic Olybrius, post Viuentium & Prætextatum (qui Præfecti Vrbis fuerunt Anno Domini 367.) Anno demum 368. P. V. factus est : vt pluribus ostendi ad *d. l. 9. supr. de Pistoribus*: vid. Ammianum, *lib. 28. cap.* 1. & *Prosopogr.* *ID.*

(d) *Siluarum*, hic nonnulli male conantur. *ID.*

(†) Nota *Constitutiones* Imperatorum, qui ante Valentinianum, de compendio Salinarum Mancipibus Thermarum tributo. *ID.*

(e) III. Kal. April. *d. l. 9. de Pistorib.* III. Id April. *d. l. 9.* de *pœnis.* *ID.*

(f) *vy.* II. id est, Anno Domini 368. vt liquet ex Olybrii Præfectura, & *Treuerica* Vrbis subscriptione, vbi Valentinianus primum fine Anni 367. & Anno 368. constitit, nondum Anno 365. de quo plura ad *d. l. 9. de Pistoribus*, & in *Chronologia.* *ID.*

COMMENTARIVS.

Mancipibvs Thermarum Romæ (seu Balneorum, quæ in *Veteri Vrbis Roma descriptione* colliguntur, 856.) qui scilicet exhibitionem Thermarum curabant, (de quibus in *Paratitlo*, & de quibus præterea agitur *l. 3. supr. de conlat. donatarum*:) Exercitium Salinarum quoque competebat, iidemque adeo & Mancipes Salinarum, & Mancipes Thermarum erant. Quod præter *hanc leg.* & *d. l. 3.* docet *tribus locis* Symmachus : In genere equidem *lib. 9. epist. 96. Iuuandi sunt Mancipes Salinarum, qui splendori atque vsui patriæ communis inseruiunt.* Sed expressius *lib. 10. epist. 58. Mancipes Salinarum, Nauicularios, atque lignorum functioni obnoxios, ad parem sollicitudinem vocare cœperunt, vt vtriusque corporis cura coniuncta indiscretum munus agnosceret.* Et expressissime, Auctuarii *epist. 19 Totis viribus adiuuandi sunt communis Patriæ* (id est, Vrbis Romæ) *Corporati, præcipue Mancipes Salinarum, qui exercent lauacra lignorum præbitione.* Iidem ergo & Mancipes Thermarum, & Mancipes Salinarum erant : imo quia Mancipes Thermarum, ideo iidem & Mancipes Salinarum erant, seu exercitium Salinarum his iure scitisque Principum anteriorum competebat, vt *hac lex* probat, & *d. l. 3.* Quinimo neque nudum tantum exercitium, sed & *compendium in his* Salinis quoddam anteriorum iam ante Valentinianum Sen. Principum constitutionibus tributum fuit : vt hæc ipsa *lex* docet : Qua causa sane Salinæ hæ ipsæ *populi Romani lauacris inseruire* dicuntur *dict. l. 3. supr. de conlat. donatar.* quia scilicet Mancipes qui populi Romani lauacris inseruiebant, ex his compendium aliquod faciebant. Et quidem ita, vt earum Salinarum nomine ab extraordinariis collationibus immunes fuerint *dict. l. 3.* quod & ipsum testatur Symmachus *lib. 10. epist. 27.* Valentinianus igitur Corporatorum Vrbis Romæ cura (hoc tempore suscepta, & quidem inter alios, pistorum, *l. 9. supr. de pœnis*: Cataboleosium, *l. 9. supr. de Pistoribus*: (quas duas leges *huic* iungendas censeo:) Mancipum Thermarum quoque vtilitati *hac leg.* consultum fuit : confirmato iis Salinarum exercitio & compendio, atque adeo confirmatis vetustiorum ante se Principum super eo constitutionibus, quæ nuspiam occurrunt : cum videlicet paulo ante hæc priuilegia titubassent. Idque ad Relationem Olybrii Præfecti Vrbis (cui *hac lex* inscribitur:) qui, quod Ammianus Marcellinus testatur *lib. 28. cap. 4. fisci lucra vnde poterat circumcidit, iustorum distinctor & arbiter plenus, in subiectis admodum temperatus.* Porro Salinæ, quarum *hac leg.* mentio fit Romæ fuere, ad portam Trigeminam, vndecima Vrbis regione, vt docet Frontinus *lib. 1. de Aquaductibus artic. 5.* & P. Victor in *descript. V. R.*

DE CALCIS COCTORIBVS * VRBIS ROMÆ ET CONSTANTINOP.

TITVLVS VI.

Abest hic *Titulus* a *Codice Iustinianeo.*

* Item de Calcis collatione, *l. 3.* de non vsurpanda Calce, *l. 4.* de fornacibus calcariis, *l. vltim.* De Præposito Calcis formulam habet Cassiodorus *VII. Var. 17.* ad Vrbis Romæ mœnia.

PARATITLON.

Calcis coctorum ad Vrbis Romæ & Constantinopoleos vsum certum quoque Corpus fuit: vt præter *Rubricam*, nexumque *huius tituli* cum *superioribus*, docet *lex 1. 2.* & 3. *hoc tit.* qui & *Calcarienses* dicuntur *l. 37. supr. de Decurionib.* quos coctio calcis manebat *l. 2. h t.* Neque enim Iudicibus eorumue officiis excoquendæ calcis in Diœcesi Vrbis Romæ licentia erat, *d. l. 3. h. t.* Erant etiam *Vecturarii*, vt vocantur *l.* 1. & *2. h. t.* seu vectores *l. 3. h. t.* qui scilicet calcem Romam deuehebant. His calcis coctoribus & vecturariis, possessiones quædam, in Quatuor regionibus, certam vini quantitatem, quæ definitur *l. 1. h. t.* vel sane Solidorum, quæ *l. 3. h. t.* statuitur, præstare debebant: vt & vecturariis, trecentos boues, *d. l. 1. h. t.* (vnde cespes Calcarius & vecturarius dicitur, in Nouella *Valentiniani inter Theodosianas de pantapolis 40. in fin.*) Priuilegia etiam iis quædam competierunt, veluti immunitatis ab extraordinariis muneribus, *l. 2. h. t.*

Porro obseruandum, Calcem ad statum Vrbis reformandum *l. 3. h. t.* mœnibus fabricationique Romanæ, *l. 4. h. t.* seu mœnium publicorum, *d l. 3. h. t.* Vrbis Romæ, *Rubr.* Vrbis æternæ, *l. 3. h. t.* venerabilis, *l. 4. h. t.* dignitati *d. l. 3. h. t.* reparandis mœnibus, Symmachus *lib.* 10. *epist. 53.* item formis, id est aquæductibus, & fartis tectis, *d. l. 3. h. t.* ex certis regionibus collatam: Puta ex quatuor regionibus (suburbicariis scilicet) *l. 1. h. t.* quo numero fuit Tuscia, *d. l. 3. h. t.* & Campaniæ pars, *dict. l. 3. h. t.* sic vt prædia huic præstationi certa obnoxia essent, *d. l. 1. h. t.* vt ecce Curiales Tusci, 900 vehes calcis inferre singulis annis cogebantur, *d. l. 3. h. t.* & Terracinenses certum calcis canonem Fari ac Portus vsibus præbebant, *d. l. 3. h. t.* Et hæc quidem de Calcis coctione, & collatione, ad Vrbis Romæ vsum. Alia enim est excoctio calcis, de qua *l.* 3. & *4. supr. de Decurionib. & silentiariis*: & *l. 15. 18. supr. de extraordin. vel de sordidis muneribus*: quæ videlicet in Prouinciis extra ordinem pro Reipubl. necessitate exigebatur.

Tandem, duo præterea *hoc titulo* circa calcem statuuntur: 1. Vt ne aliquid vsurpare liceat ex calce vel cementis in vsum Vrbis Romæ destinatis, ne quidem ex Rescripto seu indulgentia Principis, nisi quid mœnibus & fabricationi Romanæ superfluat, *l.* 4. *h. t.* Item definitur, a quibus locis fornaces calcariæ in Vrbe Constantinopol. submoueri debeant, *l. 5. seu vlt. h. t.*

I. (a)

I. (a) Imp. Constantius A. ad Orfitum (b) P. V.

EX omnibus prædiis, quæ iamduoum præstationi calcis cœperunt obnoxia adtineri, Coctoribus calcis per ternas vehes singulæ amphoræ vini præbeantur: Vecturariis vero amphora, per bina milia & nongenta pondo calcis. Quinetiam volumus, non personas, sed ipsos fundos titulo huius præstationis adstringi. Vecturarios (c) etiam ex Quatuor Regionibus trecentos boues præcipimus dari. Dat. VIII. Kal. April. Eusebio & Hypatio Coss. [359.]

N O T Æ.

(a) Absunt huius tituli *leges* omnes a *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) *Orfitus* P. V. Romæ sub Constantio: vid. *Prosopogr.* De eodem in eodem argumento arcæ vinariæ & impensarum in opera publica, Symmachus gener ipsius *lib. 9. epist. 121.* & *lib. 10. epist. 47.* ID.

(c) *γρ. Vecturariis.* ID.

p. 185

C O M M E N T A R I V S.

DE Mercede seu Salario Calcis ad Vrbis Romæ vsum coctorum, & vecturariorum est hæc Constantii Imp. constitutio data Anno D. 359. ad Orphitum P. V. Quid scilicet & quantum his præstari debeat, ad cocturam, & vecturam calcis, in vsus Vrbis Romæ destinatæ: præstari inquam, ex prædiis seu fundis. Fuit enim hoc præstationis genus, cui prædia nonnulla obnoxia iam olim facta sunt; vnde *Cespes Calcarius & Vecturarius*, dicitur *Nouella* Valentiniani *inter Theodosianas de pantapolis 40. in fin.* Ita quidem, vt Constantius *hac leg.* velit, non personas, sed ipsos fundos titulo seu necessitati huius præstationis adstringi: Sic vt nullo personali priuilegio ab hac præstatione quisquam horum fundorum possessor immunis esse possit. In quibus autem Regionibus hæc prædia fuerint, mox inquiram. Mercedis igitur Salarii modum hunc statuit Constantius: videlicet, vt Coctoribus calcis a possessoribus horum prædiorum in ternas vehes: vecturariis vero in 2900. pondo calcis, singulæ vini amphoræ præstentur. Quod vt immutatum a Valentiniano Seniore fuerit, docebit *lex 3. infr.*

Vehes, *hac leg.* & *d. l. 3. infr.* (vbi & *onera* vocantur) itemque *vehatio*, plaustri genus fuere: vt docet vel Festus *in v. Vesa*, Osco vocabulo. Et quidem ex duplicis generis: maiores & minores, vt docet *d. lex 3. infr.* Quid vero & quantum ceperit vehis vna, videndum. Vehem fœni large onustam memorat Plinius *lib. 36. cap. 15.* Columella *lib. 2. c. 5. Iugerum*, inquit, *desiderat, quod spissius stercoratur, vehes quatuor & viginti, quod rarius, duodeuiginti.* Idem *lib. 11. cap. 2. Materies si roborea est, ab vno fabro dolari ad vnguem per quadrata debet pedum viginti: hæc erit vehis vna.* Ex quibus apparet, vehem nil aliud fuisse, quam plaustri onus: *vne charetée*, & quidem, vt ex *fine huius legis* colligo, quantum protelo boum vehebatur.

Amphora, & quidem vini, cuius multa mentio in *libris Iuris*, duas vrnas capiebat, vt Columella scribit *lib. 12. cap. 20.* seu 48. Sextarios, vt Volusius Mæcianus *de asse in fin.* & Festus *in v. Quadrantal.* Eademque Amphora, iisdem Auctoribus *Quadrantal* vocabatur. Sextarium Budæus comparabat cum Pinta Parisina. Sane Sextarius diæta siue dimensum vnius cœnæ. Horatius *Serm. lib. 1. Satyr. 1. v. 75. vini Sextarius.* Vopiscus de Tacito parcissimo, *in Vit. eius c. 11. Ipse fuit vita parcissima, ita vt Sextarium vini die tota nunquam potaverit sæpe intra heminam.* At Duo Sextarii liberalioris inuitationis: quos Augustus cum liberalius se inuitabat, non excedebat, teste Suetonio *c. 77.* verum de sextario infra plene *l. vltim. de annonis ciuicis.*

Ad rem. Igitur, calcis coctoribus in singulas vehes sedecim sextarios dari voluit Constantius: in ternas amphoram integram, & sic 48. sextarios: vecturariis vero amphoram per 2900. pondo calcis. Ergo in specie vini soluebatur merces seu salarium calcis coctoribus & vecturariis. Quod immutatum postea a Valentiniano *l. 3. infr.* Quod vinum exactum in arcam vinariam, quæ in id peculiaris erat, referebatur, & exinde rursum erogabatur: Cuius arcæ vinariæ mentio fit apud Symmachum *lib. 9. ep. 121. lib. 10. ep. 42. 47.* Eaque sub dispositione Præfecti Vrbis fuit: vt præter *hanc leg.* docet Symmachus: *d. epist. 121.* & *47.* ac nominatim fuit ea sub dispositione Orfiti P. V. cui hæc *lex* ipsa inscribitur, vt idem testatur *d. ep. 121.* & *47.* De quo plura ad *l. 2. infr.*

Et hæc de mercede seu de salario calcis coctorum & vecturariorum. At vecturariis insuper speciatim trecentos boues dari iubet *hac leg.* Constantius, scilicet ad vecturam faciendam: & quidem ex Quatuor Regionibus. In quas nunc paulo amplius inquirendum est. Sane vel sola *huius leg.* inscriptione duce apparet, hasce Regiones sub dispositione Præfecti Vrbis fuisse: quandoquidem *hæc lex* Orfito Præfecto Vrbis inscribitur. Vnde rursum apparet, eas intra Diœcesim Vrbis Romæ quærendas esse; ac proinde intra centesimum milliarium, quæ vtique Præfecti Vrbis Diœcesis fuit omnium confessione. Cui vel vni ratiocinationi adquiescere non potest, nisi qui inscriptionem *huius leg.* eiusque hac in re pondus vel attendere nesciunt, vel nolunt. Neque quicquam contra mouent, quod de *boum præstatione* hic agitur, quæ Lucaniæ alioquin & Brutio imminebat, vtpote summa ibi boum pecoris vbertate, de quo iam dixi *ad veterem Orbis descriptionem, c. 41.* idque etiam probare videtur, *Novella de Suariis 15.* Valentiniani. Neque enim hic agitur de collatione boum ordinaria tributorum nomine, verum de præstatione in vsus tantum calcariorum & vecturariorum, & quidem paucorum numero, puta trecentorum. Forte etiam momentanea collatione, ad operis alicuius instantis, Romæ fabricam. Et vero hoc tempore Obeliscus a Constantio Romæ erectus, & quidem sub hoc ipso Orphito Præfecto Vrbis secundum: de quo Ammianus Marcellinus *lib. 16. cap. 10* & *lib. 17. cap. 4.* vbi ait, eum ex vico Alexandri, tertio lapide ab vrbe, *Chamulcis* impositum, tractumque lenius per Ostiensem portam piscinamque publicam, Circo Maximo

Maximo illatum: vbi χαμαλκὶς, seu χαμάλκιον est carpenti humilis generis, ἀπὸ τῦ χαμαὶ ἕλκειν, quod proculdubio boum pro telo tractum. Verum ad rem. Huius *leg.* Inscriptione quoque inspecta semel, apparet nihil in ea supplendum, quomodo quidam ita supplent, *ex Quatuor Vrbis Regionibus* vel *suburb.* quandoquidem id satis intelligitur ex ipsa Inscriptione, nempe Quatuor regiones eas intelligi oportere, quæ sub P. V. fuerunt, atque adeo vrbicarias. Haud aliter atque si constitutionem mihi poneres, quæ *Rationali* inscriberetur, & in *ea leg.* Trium Prouinciarum mentio fieret, eo ipso satis intelligeretur, tres has Prouincias esse, quæ Rationali Trium Prouinciarum suberat, id est, Sardiniam, Siciliam, Corsicam. Vel si constitutionem mihi dares, quæ *Vicario* inscriberetur, & in *ea leg.* septem Prouinciarum mentio fieret, ilico subsumerem, eas esse quæ Vicario septem Prouinciarum suberant. Omitto alia similia.

Illud ex superioribus incunctanter apparet, errorem esse viri alioquin doctissimi, qui Regiones ipsius Vrbis Romæ hic intelligebat, ac proinde hic reponendum putabat *ex Quatuordecim Regionibus:* Nam præter fidem huius lectionis, quam emendatione percellere nil attinet, & collatio in genere, & hæc specialis vini boumque præstatio in ciues Romanos non cadit: quadrat optime extra vrbem positis prædiorum possessoribus, imo prædiis & fundis ipsis, vt & ex *hac tota lege* videre est. His igitur iam argumentis apparet, Regiones *Vrbicarias* hic indicari: quarum etiam, quod notari cupio, prima seu antiquissima omnium mentio his ipsis Consulibus, *Eusebio*, inquam, *& Hypatio Coss.* occurrit, in *l. 9. supr. de extraordinariis*, quarum originem repeto ex Constantii instituto ante biennium P. 156 cuius pars occurrit, *l. 27. supr. de appellationib.* quæ duo nondum in argumentu vrbicariarum regionum a quoquam notata sunt: quomodo & ipse primus *Quatuor* regiones de quibus *hac leg.* agitur, de vrbicariis accipiendas iam olim notaui. Quod vero harum Quatuor regionum vrbicariarum nomina attinet, de eo alibi dixi: refutatis iis, qui *Vmbros*, Picentes, Campanos, Tuscos numerant, quomodo Pancirolus voluit: vt & iis, qui Valeriam in eo censu ponunt, vel Vmbros: Symmachus certe *d. epist. 121.* & *47.* clare Campaniam & Hetruriam seu Tusciam hoc numero fuisse testatur, in eodem ipso argumento impensarum in opera pubbca & vini prohibitionis versans, deque eodem Orfito P. V. cui *hac lex* inscribitur, agens.

II. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Symmachum P. V.

ORATIO † nostra immunitatem eorum, quos coctio calcis manet, & Vecturariorum, est euidenter amplexa. (b) Quæcumque igitur extraordinariorum (c) prisca adque inueterata consuetudine huiusmodi sortis homines antea sunt adepti, (d) nunc quoque, ad leniendum opus (e) quod sustinent publici muneris, consequantur. Dat. VI. Id. Iun. Naisso, diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex a Cod. Iustin.* Iungenda autem ei *lex 5. 6. supr. de Pistoribus*: *lex 1. infr. de Canone frum. V. R. lex vnic. infr. de saccar. Portus*: *lex 12. supr. de operib. publ.* Imo & emendato die *lex 5. supr. de panis.* *GOTHOFR.*

† *Oratio* Valentiniani Sen. ad Senatum, de immunitate Calcis coctorum & Vecturariorum, cuius nullum alibi vestigium extat. *ID.*

(b) Id est, sua generalitate comprehendit. *ID.*

(c) De extraordinariis muneribus *suo tit. supr. lib. 11.* *ID.*

(d) *Adepti*, id est, donati immunitate. *ID.*

(e) *γρ. onus.* *ID.*

COMMENTARIVS.

IMMVNES *ab extraordinariis muneribus* prisca, atque inueterata consuetudine erant calcis coctores & Vecturarii (pariter vt alii Corporati Vrbis Romæ: de quo, *tit. de priuil. Corpor.*) Hanc vero immunitatem, cum de ea dubitari cœpisset, cuiusdam orationis occasione, quam ad Senatum V. R. miserat, (de cuiusmodi orationibus Principum ad Senatum alibi dictum:) Valentinianus hac constitutione sua Anno D. 364. eam confirmat: Quæ quidem prolixæ constitutionis ad Symmachum P. V. pars est, vna cum *l. 5. 6. supr. de Pistoribus: l. 1. infr. de Canone frum. V. R. l. vnic. infr. de saccar. Portus Romæ: l. 12. supr. de operibus publicis.* Imo & *lege 5. supr. de panis:* quæ omnes huic iungendæ sunt, velut vnius & eiusdem Constitutionis partes: Qua quidem Valentinianus in vniuersum *Annonæ Vrbis Romæ* enixe prospectum iuit, variis rationibus: Tum vt panis populo Romano bonus ministraretur: quo pertinet *d. lex 1. infr. de Canone frument. V. R.* & pars *d. legis 12. infr. de operibus publicis:* tum pistorum, qui annonæ publicæ seu panificio seruiebant, Corpori prouidendo: quo pertinet *d. lex 5. 6. supr. de Pistoribus:* & *d. lex 5. supr. de panis:* tum comportationi annonæ, quo spectat *d. l. vnic. infr. de saccariis Portus Romæ:* denique horreorum, vbi annona recondebatur; quo pertinet apertissime potissima pars *d. legis 12. infr. de operibus publicis:* eodemque pertinere autumo hanc *legem* nostram. Id enim malo, argumento tot *legum* illarum, quam vt credam, pertinere eam ad reparationem Templi Apollinis Palatini, quod superiore Anno 14. *Kalend. April* conflagrasse

flagrasse Auctor est Ammianus *lib. 23. cap. 3.* vel ad Pontis ambitiosi & firmissimi, quem Symmachus (cui *hac lex* inscribitur) ipse condidit, & magna ciuium lætitia dedicavit, vt testatur Ammianus *lib. 27. cap. 3.* Sane io genere, cum ea de Calcis coctoribus & Vecturariis agat, ad operum publicorum fabricam pertinere eam palam subiacet. Quinimo si vltima *huius leg.* verba recte habent, cuiusdam insignis Operis fabrica, quod tum excitabatur vel reparabatur, designari videatur, quod huic constitutioni occasionem dederit. *Nunc quoque*, inquit, *ad leniendum OPVS quod sustinent publici muneris, consequantur:* Verum etsi cuiusdam operis fabricam *huic leg.* occasionem præbuisse censeam, attamen in postremis his verbis omnino legendum *ad leniendum onus.* Ad summam, annonæ vrbicæ *hac leg.* non minus quam cæteris illis Constitutionis suæ partibus Valentinianum consulere censeo: cui Symmachus P. V. cui *hac lex* inscribitur, maxime consultum voluit. Quo pertinet Symmachi istius elogium apud Ammianum Marcellinum, *lib. 27. cap. 3. Symmachus* (inquit) *Aproniano successit* (in Præfectura Vrbis scilicet) *quo instante Vrbs sacratissima otio COPIISQVE* (id est, annona) *abundantius solito fruebatur.*

III. (a) Idem AA. ad Volusianum V. C. Vic. (b)

STATVM (c) Vrbis Æternæ reformare cupientes, ac prouidere publicorum mœnium (d) dignitati, iubemus, vt calcis coctoribus, vectoribusque, per singulas vehes singuli solidi præbeantur: Ex quibus tres partes inferant possessores, quarta ex eius vini pretium (e) sumatur, quod consueuit ex Arca vinaria ministrari. Illud addentes, vt non amplius, quam
p 187 terna milia minores vehes annuæ, postulentur. Huius autem vehationis (f) ita sit ratio partita, vt mille quingenta onera (g) formis, (h) alia sartis tectis (i) annua deputentur. Ita vt nulli Iudicum, seu Officiorum, excoquendæ calcis licentia relinquatur: sub eo statuto, vt qui in hac vsurpatione fuerit, (k) austeritatem vigoris publici ferre cogatur. Hoc (l) autem excepto a Tarracinensis præstationis canone suggera, (m) quæ vetusto præberi Fari ac Portus vsibus more consueuit. A Curialibus verò Tuscis nungentarum vehum, quas inferte per singulos annos cogebantur, Sarcinam, sub ea condicione præcipimus amoueri, vti quando necessitas noui operis extiterit, idipsum in notitiam nostram suggestionibus Iudicum perferendum (n) quid addendum, vel quatenus inferendum sit nostræ deliberationis moderamine sanciatur. Ex supradicto autem numero, vehationis medietatem quam sartis tectis iussimus deputari, separatim conueniet adscribi: ita vt Præfecti (o) Vrbis Officium ad suam partem hanc curam pertinere cognoscat. Dat. VIII. Id. Aug. Med. Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex a Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) *Volusianus* sub Valentiniano Sen. In hac sola *lege* vocatus *V. C. Vic.* Vir Clarissimus Vicarius: In aliis *sex legibus* quæ ei inscribuntur Anno superiore 364. & 365. dicitur *P. V.* pariter vt *l. 2. supr. de pastis:* & *l. 1. Cod. Iust. de officio P. V.* In *l. 5 Cod. eod. de precib. Imp. off.* eodem Anno 365. vocatur *PP.* in *l. 2. Cod. l. de præscript. 30. vel 40. ann.* variant *Codices.* In veteribus inscriptionibus, *Præfectus Vrbi iterum* fuisse dicitur. Sane *fine* quoque *huius leg.* fit mentio *Præfecti Vrbis.* Verum de ea plura in *Prosopogr.* *ID.*

(c) *Status* vox, de ædificiis publicis. Eodem sensu Valentinianus *Nouella* inter *Theodosianas, de Pentapolis* 40. *Illud quoque pro tuendo statu veneranda Vrbis decernimus, vt a conlatione tyronum, &c. Cespes Formensis Æstriusis, Calcarius & Vecturarius habeatur immunis, vt propitius deuotionem solitæ functionis agnoscant.* *ID.*

(d) *Mœnia* publica, sunt opera publica, *hac leg.* & *l. 4. infr* & *l. 32. 33. infr. de operibus publicis:* quæ *Vrbis mœnia* dicuntur, *l. 1. de operibus publicis:* Imo & *mœnia* absolute, pro ædificiis etiam priuatis, quibus magnitudo vrbis augetur, *l. 11. infr. de annonis ciuicis.* Eodem sensu Symmachus *lib. 10. epist. 34. inquisitionis, qua me cultum spoliatorum mœnium inuestigare iussistis:* vbi per *mœnia spoliata* intelligit *fana*, vt *initio epist.* indicat. Quare error est Viri alias docti, qui hic & apud Symmachum *mores ciuitatis* per *mœnia publica* intellexit. *ID.*

(e) *γρ. pretio.* *ID.*

(f) *Vehatio:* Ita rursum *fin. leg. ex supradicto autem numero vehationis.* *Vehatio*, est vectura, quæ fit vrbibus: seu *vehatura*, vt etiam vocatur apud Festum, vel vt nonnulli malunt, *velatura.* Denique *vehela*, quam vocem restituit Salmasius *Capitolino in Maximinis, cap. 13.* *ID.*

(g) *Onera* hic, *supr.* vehes: dixi ad *l. 1. supr.* *ID.*

(h) *Formæ*, sunt aquæductus: vid. *tit. de aquæductibus:* a quibus, & *Cespes Formensis*, *Nouella* Valentin. *inter Theodosianas de Pentapolis* 40. id est possessio, per quam formæ seu Aquæductus transeunt, quæque ad formarum tuitionem tenetur. *ID.*

(i) *Sartu tecta hic*, & *fin. legis*, de operum publicorum tuitione. *ID.*

(k) Abscisa loquendi ratio: *In vsurpatione esse*, id est vsurpare, vel in vsurpatione deprehendi. *ID.*

 (l) γρ.

(l) *γρ.* retracta voce *ab*, ad Initium: *Ab hoc autem, excepte*, &c. *ID.*

(m) Monstrum vocis: ex qua quid faciendum haud procliue dictu. An *suggera*, vel *suggeria*, pro præstatione, χορηγία, vt legamus *suggeraque, qua. Suggeru* scilicet a suggerendo, pro canone, præbitione, præstatione, collatione, subuentione, forte & subuectione: Cuiusmodi voces hoc æuo plures in vsum inuectæ, veluti *proba, caballatio*, similesque etiam ex antiquitate repetitæ, veluti *exagega*: vel eodem sensu, *suggerieque, qua: suggeries*, vt congeries. *ID.*

(n) *γρ. perferatur, vt quid*, &c. *ID.*

(o) Si Volusianus, qui *lex* hæc inscribitur, fuisset P. V. dixisset Valentinianus, *ita vt Tuum officium. ID.*

COMMENTARIVS.

MODVM Calcariæ præstationi ex Campania, & Tuscia ponit hac constitutione Valentinianus Senior Anno D. 365. per hæc Imperii sui initia, (quod etiam docuit *lex superior* 2.) & quidem ex Campania statui Vrbis Romæ reformando, ac publicorum mœnium seu operum dignitati serio incumbens. Idque sex in summam capitibus.

Primum quidem MERCEDI seu salario, quod calcis coctoribus & vectoribus præstaretur, modum hunc ponit: vt videlicet iis per singulas vehes, singuli solidi præbeantur: Qui quidem modus diuersus est ab eo quem Constantius definierat *l. 1. supr.* Ibi enim & vini modus præstandus veniebat: & separatim Coctoribus in ternas vehes, Amphora: vectoribus in 900. pondo calcis Amphora. Hic pecunia, & quidem vtrisque per singulas vehes solidus. Ibi mercedem hanc solidam soluebant possessores fundorum huic præstationi obnoxiorum: hic diuisio quædam fit a Valentiniano: partes scilicet eius tres a possessoribus inferri iubet: at quartam ex eius vini pretio, quod consueuit ex Arca vinaria ministrari. Ergo ex arca vinaria solidi iam præbebantur. Quo pertinet quod Symmachus scribit *lib. 10. epist 42. Vendendis solidis, quos plerumque publicus vsus exposcit, Collectariorum Corpus obnoxium est, quibus Arca vinaria statutum pretium subministrat.* Quo loco per *publicum vsum*, intelligo speciatim ad publica opera. Nempe *vinum* ex quibusdam Italiæ Prouinciis Vrbi Romæ conferebatur, quæ scilicet vino abundabant, vt docuit *lex 4. supr. de Suariis*: veluti Campania. Sidonius *Carmine 5. ad Auitum v. 46.*

Arma Chalybs, frumenta Libes, Campanus Iacchum.

Sane vini Campani frequens apud Poetas maxime mentio. Porphyrion etiam ad *Horatii 3. Od. 16. v. 34. Lastrigones oppidum Campaniæ Formias tenuisse dicuntur: in illa autem regione; quoniam saxuosa est, pretiosissimum vinum Campanum nascitur.* Fit etiam vini Campani mentio *§. 33. Inst. de Actionib.* Campania igitur in eo Prouinciarum Italiæ censu erat, quæ vinum conferebat: vt & Tuscia: de qua vtraque fidem quoque facit Symmachus, *lib. 9 epist. 121.* Hinc Titulus vinarius Symmacho *lib. 7. epist. 95* & *Arca vinaria*, id est ratiocinium huius præstationis vini: cuius *hac leg*, mentio fit: & *lege 26. supr. de Susceptoribus*: quæ Vicario Vrbis Romæ pariter inscripta est. Meminit eius ter Symmachus *d. lib. 9. ep. 121.* & *lib. 10. epist. 42.* & *47.* Cuius quidem Arcæ Vinariæ rationes tractabat peculiaris Rationalis, qui sub P. V. fuit,
p 188. *Rationalis vinorum*, vt docet *Notitia Imperii.* Titulo huius canonici Vinarii seu præstationis vini præter Symmachum *lib. 7. epist. 95.* & *d. epist. 121.* fit mentio quoque in Auctoritate Aproniani P. V. *Prouidimus his leuamen ex titulo Canonico vinario:* cum quo consentit *lex 4. supr. de Suariis.* Tandem de Susceptoribus huius vini, dictum iam *supra l. 4. de Suariis*: & *suo titulo de Susceptoribus lib. 12.* Et hæc quidem de primo *huius leg.* capite.

Secundo capite Valentinianus MODVM præstationi huic Calcariæ ponit: quantum videlicet calcis possessores annuatim præstare teneantur; nempe Tria millia minorum vehum: nihil amplius: cum antea maior modus exigeretur, pro Iudicum & Officiorum arbitrio; quibus exerte Valentinianus *hac leg.* excoquendæ, exigendæque calcis copiam adimit, pœna grauissima proposita. Proculdubio fuerat hæc vna ex concussionum speciebus: qua obtentu operum instaurandorum miseri Prouinciales atterebantur. De vehibus alioquin earumque distinctione, iam dictum fuit ad *l. 1 supr.*

Tertio capite Valentinianus ADSIGNATIONEM facit huius calcariæ præstationis, seu calcem hanc DEPVTAT, seu definit quonam ea impendi debeat: nempe dimidiam eius partem, puta 1500. onera seu vehes *formis* deputat, id est aquæductuum tuitioni: alteram vero partem sartis tectis, id est, in operum publicorum Romæ tuitionem. Tanta scilicet aquæductuum Romæ ratio fuit, vt magna tuitione egeret: de quo dictum affatim *suo titulo, infr. de aquaductibus.*

Quarto capite Valentinianus EXCIPIT a superiore modo & præstatione Terracinensem: id est, præter tria illa millia vehum stare vult aam separatam calcis præstationem, quæ vetusto more a Terracinensibus fiebat. Nempe, in vsum Fari & Portus, Terracinensium calcariæ præstationis meminit quoque Symmachus *lib. 10. epist. 53.* in gestis quibusdam Ann. 362. vel 363. triennio ante *hanc leg. Diuo Iuliano moderante. Cum Lupus Consulari iure Campaniæ præsidens, Terracinensium contemplaretur angustias, quod nihil subsidii decreta dudum oppida conferebant, vt commoda Populo Romano ciuitas, quæ lauacris publicis ligna, & CALCEM reparandis mœnibus subministrat, defectu subito exhausta succumberet, V M. & DCC. mod.* (frumenti) *Puteolanis municipibus derogatos, Terracinensium vsui deputauit.* Nempe Terracina, quæ & Anxur olim, calce abundabat: quod etiam Horatius, *lib. 1. Satyra 5.* indicat hoc versu. *26.*

Impositum saxis late candentibus Anxur.

Vbi Porphyrion: *Mons ille, in quo Terracina constituta erat, non candida saxa habet, sed calci coquenda aptissima: ergo a calce videtur Candentia dixisse.* Hinc & *Candidus Anxur* Martiali, *lib. 5. epig. 1.* Ergo Terracina vetusto more calcem præbebat, & quidem nominatim ad vsum Fari & Portus: De quibus nunc agendum est.

Notum iam ad Ostiam & ostium Tiberis, qua mare excipitur, a Claudio Imp. & Turrim altissimam excitatam in exemplum Alexandrini Phari, vt ad nocturnos ignes cursum nauigia dirigerent, itemque Portum amplissimum, quo tutissime naues exciperentur: de quo videndus Suetonius, *Claudio cap. 20.* Dio, *apud Xiphilinum pag. 259. Edit. Sylburg.* Plinius, *lib. 36. cap. 9.* & *15. ad fin.* Tyrrhenam pharon vocat Iuuenalis, *Satyr. 12. v. 76.* Quam & restitutam postea ab Antonino Pio memorat Capitolinus c. 8. Meminit eius & Valerius Flaccus *lib. 7. Argonaut. v. 58.* & Metopius Paulinus *epist. 49. n. 8.* & in *carmine, de Martiniani periculis.* De Portu Ostiensi *infr. tit. de Patronis horreorum Portuensium.* & *tit. de saccariis Portus Romæ*: In Notitia etiam Imperii singularis *Comes portus* memoratur, itemque Centenarius Portus. Vtrumque, & Portum

&

& Pharum exhibet Tabula Itineraria, quam sub Constantini M. liberis conscriptam puto.

Ad huius igitur tam necessarii Phari Portusque reparationem, quæ perpetuo incumbebat, calcis modus quidam certus destinatus erat: Quomodo & *Fabrorum* ibi certum Corpus fuit: Fabri, inquam, Ostienses, qui eius reparationi insisterent: quorum fit mentio in *Veteri Inscriptione*, apud Gruterum *CCCLVIII. 1.* Huic eidem reparationi etiam apparitor a Præfecto Vrbi missus incumbebat, de quo Ambrosius *Ep. 62. Ed. Paris. 1614.* si modo de hoc Portu intelligit: *Apparitor*, inquit, *Præfecturæ, qui propter operas Portuenses offensam contraxerat, tam in Portu nauigat.* Et mox: *Quod si tardius venisset, nemo magis probasset, inexplicabile illud opus esse Portus reformandi, quam iste.* De hoc tandem ναυρίῳ, nauali Vrbis Romæ ad Vrbis annonam destinato, deque eius magnitudine, triplicique in eo Portu, dixi iam *ad Philostorgium l. 12. cap. 3.*

Quinto huius Constitutionis capite Valentinianus, TVSCIS Curialibus nongentarum vehum calcis quas inferre per singulos annos cogebantur, gratiam facit. Tuscia itaque & ipsa calce censebatur: Et quidem collata ea a *Curialibus*, seu Senatoribus & Ordinibus municipiorum & ciuitatum Tusciæ: vt ceteroquin Curialibus & Ordinibus magna onera, magnæ sarcinæ indici solita: de quo *suo titulo, supr. de Decurionib.* Ita tamen huius præstationis Tuscis Curialibus gratiam facit Valentinianus, vt si quando necessitas operis noui alicuius immineat, eo in notitiam suam a Iudicibus, id est, Consularibus Tusciæ, perlato, ipse statuturus sit, quid & quantum calcis inferre necesse habeant Curiales illi. Ex quo colligo hanc calcem a Curialibus Tuscis non ad Vrbis Romæ vsum collatam; verum in opera ipsa, quæ per Tusciæ ciuitates excitarentur. Nempe Consulares Tusciæ nouorum operum cupidi id effeceraot olim, Curialibus graues, vt nongentas vehes calcis conferre in opera publica annua cogerentur: Verum & hanc sarcinam submouet Valentinianus, & noui operis arripiendi inconsulto Principe temeritatem Consularibus Tusciæ interdicit: pariter vt interdixere alii Principes, etiam intra Vrbem Romam: ipse Valentinianus superiore Anno 364. *l. 11. infr. de operibus publ.* aliisque eo titulo.

Postremo *huius leg.* capite Valentinianus, destinatæ ad Sarta Tecta Vrbis Romæ calcis confusioni occurrit: Igitur separatim eam adscribi iubet, Officio Præfecti Vrbis huic rei incumbente. Condita formarum memorat quoque Symmachus *lib 10. epist. 33.* pecunias deputatas in formarum reparationem: scilicet formis destinati modi curam habebat *Comes formarum*, de quo *Notitia Imperii, fol. 118.* & Cassiodorus VII. *Variarum. 6.* Ad sarta tecta Vrbis Romæ, destinatæ quantitatis Officium Præfecti Vrbis: sub quo, vt docet *Notitia Imperii*, *d. l.* erat *Curator operum maximorum*, *Curator operum publicorum*, *Curator statuarum*, *Curator horreorum Galbanorum.*

P. 169 IV. (a) Imppp. Gratianus, VALENTINIANVS & Theod. AAA. ad Severum P. V. (b)

VT cementorum & calcis in Vrbe venerabili (c) copiæ minime derogetur, quisquis ex his quidpiam sibi deferendum qualibet cœlestis (d) indulgentiæ definitione contenderit, nihil prorsus accipiat, nisi quod cunctis mœnibus, (e) fabricationique Romanæ superfluere ac redundare constiterit. Dat. Kalend. April. Antonio & Syagrio Coss. [382.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) Ita quoque *l. 8. supr. de Legatis*: *l. vnic. infr. de Mendicantib. non inualid. l. 2. supr. de lucris Officiorum*: hoc ipso Anno. Atenim in *l. 6. supr. de desertorib.* & *l. 13. supr. de cohortalibus*, PP. Ad hunc forte ipsum est Symmachi *epist. 6. lib. 9.* ID.

(c) Roma. ID.

(d) Principis. ID.

(e) Operibus publicis. ID.

COMMENTARIVS.

PRIVATIS concessam Principis rescripto calcem, aut cementum, ex eo quod Vrbis Romæ operibus destinatum est, non aliter tradi a Præfecto Vrbis iubet Valentinianus Iun. nisi quatenus opera publica patiuntur: & tum demum si quid superfluum sit & redundet post sarta tecta: scilicet, (quod ex *hac leg.* notandum) multi hac tempestate calcem Vrbi Romæ destinatam in priuatos vsus conuertebant Principe adito: qui nunc *Rescriptis* suis locum esse vetat, nisi quatenus vtilitas publica patitur: qui communis sensus ceteroquin est bonorum Principum de rescriptis suis, de quo *supr. Paratitlo de diu. rescriptis*, cumulatas reperies *leges.*

V. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Æthio P. V. (b)

OMNES fornaces, (c) per omne spatium, quod inter Amphitheatrum, & Diui Iuliani Portum, per litus maris, extenditur, tolli præcipimus, propter salubritatem Vrbis

(d) amplissimæ, & nostrarum ædium vicinitatem, necvlli in his locis coquendæ calcis præberi licentiam. Dat IV. Non. Octob. Constantinop. Monaxio & Plinta Coss. [419]

N O T Æ.

(a) Abest & *hec lex* a *Cod. Iust.* GOTHOF.

(b) *Ætii* huius P. V. his ipsis COSS. meminit Auctor *Chronici Alexandrini pag. 72*. *Edit. Raderi* quem ait mense Februario 7. Kal. Martias a quodam sica appetitum sub specie libelli. Eidem *Ætio* inscribitur *lex 5. Cod. Iust. de commerciis*, qua numerum Collegiatorum quorundam Constantinopoli definit. Male in Inscriptione *illius leg. PP.* vocatur in nonnullis: in aliis rectius *P. V.* Eidemque *legi* coniungenda videtur *lex 4. Cod. Iust. de sacros. Eccles.* Vtraque referenda ad annum proxime superiorem 418. *Honorio XII. & Theodosio iuniore A. VIII.* Coss. e quibus *d. l. 5.* subscriptione caret: & Inscriptione variat a *d. l. 4.* vt nesciam vnde habeat Burgius, quod scribit l. *Elect. 14. pag. 314. Tom. I. Thes. Iuris.* inscriptionis & subscriptionis similitudinem inter has *leges esse.* ID.

(c) Calci coquendæ, calcariæ, vt etiam ex *fine leg.* liquet. ID.

(d) Constantinopolitanæ. ID.

COMMENTARIVS.

FORNACES calcarias Constantinopoli in litore maris positas inter Amphitheatrum & Portum Iuliani, tolli iubet Theodosius Iun. hac constitutione: duplici fine, tum ob salubritatem Vrbis, tum ob Theodosii ipsius ædium vicinitatem. Hac loquam constitutione, quæ data est mense Octobri ad Ætium P. V. quem quidem, ante septem, & quod excurrit, menses extremo mense Februario sica appetitum scribit his ipsis Coss. Auctor *Chronici Alexandrini pag. 721. Edit. Rader.* appetitum, inquam, ὥςε τὸ πενώλιον αὐτοῦ καὶ τὴν τόγαν τρηθῆναι, *sic vt ferrum penetraret penulam eius & togam.* Neque enim interfectum dicere voluit Auctor ille, quod tamen credidit eius *Interpres* & Indicis *Auctor.* Quod insuper *hac lex* refutat, vtpote quæ octauo post eum conatum mense ad eum ipsum Ætium data est.

Ad Vrbis interim Constantinopolitanæ topographiam pertinet hæc insignis constitutio, & sic ad illustrationem eius descriptionis, quæ *Notitia Imperii* ab hoc eodem Theodosio Iuniore, octennio fere post *hanc leg.* conscriptæ, præfixa est. Ecce enim in littore maritimo Vrbis Constantinopolitanæ duo præcipua loca ponuntur, Amphitheatrum, & Iuliani Portus, iisque vicinæ Ædes Theodosii Iunioris. Sane vetus illa, quam dixi, descriptio, in secunda Regione, (quam *molli sublevatam cliuo, mox ad MARE præcipitiis abruptam descendere*, ait:) ponit diserte *Amphitheatrum:* ad quem locum recte Pancirolus hanc constitutionem attulit. *Iuliani Portum* diserte nuspiam ea Descriptio memorat. Memorat equidem regione tertia, (quam & ipsam ait *mare vsque descendere*) *Portum nouum.* Item Regiona 5. *Portum Bosphorianum*, ita enim ibi legendum censeo, (non *Prosphorianum* ἀπὸ προσφορᾶς, quasi ibi edulia expunerentur, quod Pancirolus censuit) nempe qui *scala* Chalcedonensi vicinus erat: quod docent illa descriptoris, P. 90 *Portum Bosphorianum, scalam Chalcedonensem.* Rursum regione 6. *Portum Neorium*, cui scala Sycæna vicina. Tandem in collectione ciuitatis, *Portus IV.* Constantinopoli numerantur: Etsi nuspiam quarti mentionem faciat, nuspiam *Portum Iuliani* memorat Suspicabantur Gyllius & Pancirolus, Portum hunc Iuliani eundem esse cum *Portu nouo*, qui Tertia regione erat. Quod verosimile. Eius vero λιμένος ὃ καλοῦσι Νεώριον, meminit quoque Zosimus *lib. 2. cap. 30.* Huius vero Portus Iuliani mentio sub Leone Magno apud Euagrium *lib. 2. histor. Eccl. cap. 13.* & Zonaram sub Iustino Iustiniani Nepote, *pag. 70. Tom. II.* Georgium Cedrenum *p. 391. Tom. I. Ed. Reg.* sub Anastasio Silentiario apud Suidam. De eo Gyllius *in topogr. Constantinopol. lib. 2. cap. 15.* Hic *Portus Sophia* postea vocatus ab vxoris nomine a Iustino.

De *Ædibus Theodosii Iun.* superest. Sane prædicta vetus Descriptio *Palatia* quinque in collectione ciuitatis Constantinopolitanæ memorat, cum tamen duo tantum in ipsa regionum recensione memoret: nempe Palatium *regione* XI. quæ nulla parte mari sociata est: item alterum Palatium regione XIV. In *hac* interim *leg.* exemplum habemus Principis consulentis Salubritati Vrbis, ac maxime Palatii sui, submotis videlicet rebus & artificibus, quibus illis noceri potest: In quibus & *Calcis coctio*, vnde fumus molestus & noxius.

DE COLLEGIATIS.

TITVLVS VII.

Lib. XI. COD. IVST. Tit. XVII.

De Collegiatis, & Chartopratis & Nummulariis Collegiorum frequens mentio in *vet. Inscript. apud Gruterum*, imo & collegiatorum CCCCXLIX. 6. DCCCLX. 13.

PARA-

PARATITLON.

COLLEGIATI de quibus agitur præter hunc titulum, *l. 16. supr. de Palat. S. L. l 12. supr. de de Veteranis: l. 3. supr. de testim. ex-Tribunis & Protectoribus: l. 5. de locat. fund. l. 1. supr. ne operæ a conlatoribus: l. 1. supr. de his qui condit. propr. l.* 146. 156. *supr. de Decurionibus: l. 41. infr. de operibus publicis*: & *Nouella Valentin. 12. cap. Nullus originarius: Nouella Maioriani* 1. *de Curialibus*: (alii vero ab his sunt qui memorantur *l. 5. Cod. Iust. de commerciis & mercatoribus:* quæ *illo titulo* an fugitiua sit disquirit Burgius l. *Elect.* 14. dicuntur & Collegæ, *l. 1. hoc tit.* item Corporati, *l. 2. hoc tit.* & *l. 24 supr. de annona & trib. l. 5. de locat fundorum: l. 34. supr. de Nauicularis: l. 1. infr. de stud lib. V. R.* Fuerunt per orbem Romanum vniuersum: per Italiam, *d. l. 5. de locat. fund.* & *d. l. 24. de annona & tribut. d. l. 146. de Decurion.* & *d. l. 41. de operibus publicis:* in Vrbe ipsa Roma, *d. l. 3. de testimon. ex Protectorib.* per Campaniam, *l 1. hoc tit.* in Africa, *l. 2. hoc tit.* per Gallias, *d. l. 12. de Veteranis:* & *d. l 1. de his qui condit. propr.* Idque sub dispositione quoque Consularium seu Rectorum Prouinciarum; vt docet *lex 1. hoc tit.* Præfectorum prætorio, vt ostendit *lex 2.* vt proinde erronea sit obseruatio Burgii l. *elect. 14.* qui scribit omnes constitutiones, quæ Collegiatorum meminerunt, scriptas ad PF. V Constantinop. Id quod verum non est, nisi de Collegiatorum ibi genere quodam: non de his nostris. Hi propriis vrbibus, *d l. 3 de Testimon* seu patriæ suæ, *d l. 146.* & *d. Nouella Maioriani 1.* officium, *l 1. supr. de his qui condit. propr.* ministerium, *d l. 1* obsequium, *d. l. 3 de testimon.* exhibebant, præbebant, hos proprium Corpus adstringebat, *d l. 16. de Palatinis:* Idque per vicea (pro Curialium dispositione) *d. Nouella Maior. 1.* Hi Curialibus seu Municipibus passim iunguntur, & sic ab his separantur: *d. l. 16 de Palatinis: d. l. 5. supr. de locat. fund. l. 12. supr. de Veteranis: d. l. 3. de Testimonial. toto tit. de his qui condit. propriam: d. l. 146. supr. de Decurionibus: d. l. 41. de operibus publicis.* Sic, vt ex his duobus ferme Corporibus patriæ ministrantibus ciuitates censerentur. Sed tamen Collegiati Curialibus inferiores, vt ostendit quoque non vno loco & ratione Maiorianus, *d. Nouella 1.* In quo vero nominatim ministerium seu officium & obsequium Collegiatorum horum constiterit, nullo satis loco explicatur. Id colligere tamen ex parte licet, ex nonnullis, qui de numero erant eorum. Hoc scilicet Collegiatorum numero memorantur *l. 2. hoc tit.* Vitutiarii, Nemesiaci, Signiferi, Cantabrarii; His adde (etsi a Collegiatis separentur; *l. 162. supr. de Decurionib.*) eoa, de quibus *sequente titulo*, Centonarios inquam, & Dendrophoroa: Item, Fredianoa: de quibus *l. 20. infr. de Paganis:* Item, qui animalia prosequebantur, *l. 1. supr. ne operæ à Conlatoribus,* Hi porro propriis ciuitatibus & collegiis vna cum filiis adstricti erant, vt docet *lex 1. hoc tit.* sic vt originario loco, vt loquitur *d lex 1.* se subtrahere non possent, seu conditionem suam
P. 191 euitare, vel ministeriis suis destituere ciuitates; siue extra ciuitatis suæ territorium habitando, *d. l. 1.* & *d. Nouella Maior. 1.* siue priuilegii alicuius obtentu: non militia armata, *l. 12. de Veteranis:* non Palatina, *l. 16. supr. de Palatinis:* non honoraria missione ex-Protectoribus aut domesticis, *d. l. 3.* & *l. 156. supr. de Decurionib.* non Clericali munere aut Monachatu, *d. Nouella Valentiniani* 12. non denique Rescripto Principis, *l. 2. hoc tit.* Quin refugæ ad ciuitatea suas & officia retrahebantur, *d. l. 1. hoc tit.* & *d. l. 1. 2. 3. supr. de his qui condit. propr.* & ad originarium locum, *d. l. 1.* & *2. hoc tit.* Occultatoribus quoque eorum pœna proposita, *d. l. 146. 162. supr. de Decurionib.* minore tamen multo quam Curialium occultatori, *d. l. 146.* Quin & Filii eorum iusto matrimonio nati patris conditionem sequebantur, *d. l. 1. hoc tit.* si ex inæquali, vel matris in totum, *d. l. 1. hoc tit.* vel sane diuidebantur ii inter ciuitatem & dominos inquilinarum, colonarum, ancillarum; *d. l. 1. de his qui condit. propr.* Viceuersa priuilegia his quædam data: inter alia, loca seu ædificia quædam publica, itemque loca Templorum his adiudicata, *d. l. 41. de operibus publicis:* & *d. l. 5. supr. de locat. fund.*

I. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Gracco (b) Conf. Campaniæ.

DE retrahendis Collegis, vel Collegiatis, (c) Iudices competentes dabunt operam, vt ad proprias ciuitates eos, qui longius abierunt, retrahi iubeant, (d) cum omnibus quæ eorum erunt: (e) ne desiderio (f) rerum suarum loco (g) originario non valeant adtineri. De quorum Agnatione (h) hæc forma seruabitur, (i) vt vbi non est æquale (k) coniugium, matrem sequatur agnatio: vbi vero iustum erit (l) patri cedat ingenua successio. Dat. IX. (m) Kal. Iun. (n) Mediol. Cæsario & Attico COSS. [397.]

INTERPRETATIO. *Collegiati, si de ciuitatibus suis forte discesserint, ad ciuitatis suæ officia cum rebus suis, vel ad loca vnde discesserunt reuocentur: de quorum filiis hæc seruanda conditio est, vt si de colona vel ancilla nascuntur, matrem sequatur agnatio: Si vero de ingenua & collegiato, collegiati nascuntur.*,

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iust.* GOTHOF.
(b *Graccus* Consularis Campaniæ sub Honorio. *Greco* in nonnullis MSS. & in ultim. Cuiac. ID.
(c) Male in MS. G. & Sichard. *detrahendis collegiis vel collegiatis.* RITTER.
(d) MS. G. *iubeantur.* ID.
(e) MS G. *erunt.* ID.
(f) MS. G. *desideriis* ID.
(g) MS. G. *loca originaria n. v. attinere.* ID.
(h) Id est filiis, vt recte *Anianus.* GOTHOFRED.
(i) MS. G. *servetur.* RITTER.
(k) Veluti si de colona vel ancilla nascantur, *Anianus* recte: vid. *l. 1. supr. de his qui condit. propr.* GOTHOF.
(l) Ms. G. *fuerit.* RITTER.
(m) *VIII.* MS. G. & Sichard. ID.
(n) *Ian.* MS. G. ID.

COMMENTARIVS.

RETRAHI Collegiatos ad suas ciuitates per Campaniam iubet *hac constitutione* Honorius Anno D. 397. quæ & ipsa sententia est eiusdem *l. 2. prox. infr.* & *l. 1. 2. 3. supr. de his qui condit. propr.* In *Filiis* eorum (id enim *Agnationis* appellatione indicatur, quod etiam Interpres recte vidit, de qua voce ad *leg. 5. supr. de Suariis:*) ita distinguit. Vel æquali matrimonio ii nati sunt, id est, ex Ingenua & Collegiato (vt recte rursum Interpres vidit) nati, & tum Collegiati quoque nascuntur, patrisque conditionem sequuntur: vel ex inæquali nati sunt, id est, ex Collegiato & Colona vel Ancilla (quod diserte docet eiusdem Honorii *lex 1. supr. de his qui condit. propr.* vndeque Interpres suam interpretationem habet:) & tum matrem sequitur Agnatio. Quæ tralatitia Iurisprudentia cæteroquin est: de qua *l. 19. l. 24. D. de statu hom.* Vlpianus *tit. 5.* Et tamen ab hoc iure idem Honorius aliquantum recessit triennio post per Gallias in *d. l. 1. supr. de his qui condit. propriam:* in cuius sp. vult, vt filii, seu Agnatio dimidatur inter ciuitatem, & dominos colonarum vel ancillarum. De æquali coniugio & imparibus nuptiis, iam ad *leg. Papiam*, dictum est. Hinc certe patet, errare Marcilium, qui *in Sueton. Vespas. cap. 21.* inæquale coniugium hic vocari tradit *Concubinatum:* quale Patroni coniugium est cum Liberta. Imo *Inæquale* hic est inter Collegiatum & colonam vel ancillam alienam.

De COLLEGIATIS quid fuerint videamus. Id hactenus ex *legibus* in *Paratitlon* coniectis conficitur, Collegiatos, ministerium seu operas aliquas patriæ suæ exhibuisse, & quidem per vices pro Curialium dispositione, vt docet *Nouella Maioriani 1. de Curialibus:* atque ideo extra ciuitatis suæ territorium habitare, vel eam quocumque obtentu fugere non potuisse, filios denique eorum conditionem secutos. Hæc hactenus. Non audio, qui arg. *tituli de commerciis & mercatoribus*, in *Cod. Iust.* sub quo posita est *lex 5.* seu *pen. eius tit.* quæ tota est de *Collegiatis*, vel etiam argumento *Græcorum*, putant Collegiatos fuisse ex Corporibus Negotiatorum; quos *Corporatos Negotiatores* vocat Symmachus *lib. 10. epist. 27.* Non audio etiam, qui Collegiatos hic eos faciunt, quos Romæ Symmachus *lib. 10. epist. 27.* fortuita arcuisse incendia ait, & *Corporatorum* nomine designat: vel qui diserte sub *Collegiatorum* nomine dicuntur *d. l. 5.* & in *veteri descriptione Vrbis Constantinopol.* vbi dicuntur e diuersis *Corporibus ordinati incendiorum casibus subuenire soliti:* cuiusmodi etiam Collegiati certo numero singulis Vrbis Constantinopol. regionibus adsignati erant: sic quidem, vt in vniuersum Collegiati huiusmodi incendiis restinguendis obnoxii, Constantinopoli fuerint hac Theodosii Iun. tempestate, 560. vt colligit prædicta vetus Descriptio: vel vt habet dicta *lex penult.* Theodosii Jun. 563. Qui quidem Collegiati, vt docet illa descriptio, simul & *d. lex penult.* ex variis Corporibus ordinabantur: ita quidem, vt si quis inter Collegiatos p. 191 illos decederet, ex eodem Corpore ex quo ille qui decessit, erat, supplendus alius veniret: Nempe enim cum ad incendia restinguenda variis Artificibus opus esset, non vno Artificum genere, bonum erat ex eodem semper Corpore hoc Miscellum Collegii genus constare & conflare seu suppleri. Quid igitur? Tales *Collegiatos* hic intelligi oportet, qui non Constantinopoli, verum per Prouincias, & quidem per Occidentem sparsi erant, per singulas ciuitates, quique PER VICES ex Curialium dispositione patriæ suæ operas seu ministerium præberent. Atenim neque annonaria corpora seu corporatos annonæ Vrbis Romæ seruientes

tes hic iotelligendos docet *huius tituli* diuersitas a titulis superioribus. Quid igitur? Collegiati funr singulatum Vrbium Corporati: Cuiusmodi quidam recensentur *l. 2. infr. hoc tit.* Virutiarii, Nemesiaci, Signiferi, Cantabrarii. Item Centonarii, Dendrophori: de quibos *tit. proximo.* Fabri, de quibus *l. 1. d. tit. prox.* & similes. Qui alterum corpus in Ciuitatibus constituehaot, cum Curialibus, publice ministerium præbentes; vt docui in *Paratitlo.* Quorum Collegiorum Prouincialium passiua meotio occurrit io *Veteribus Inscriptionibus.* Alia enim Romæ fuere, & Constantinopoli; de quibus *supr. tit. de priuileg. Corpor. Vrbis Romæ.* Quæ quidem Collegia, sua singularia vexilla habuisse testatur Pollio *in Gallienis c. 8.* Capitoliom petiit, hastæ auratæ altrinsecus quingenæ, vexilla centena, & præter ea quæ Collegiorum eranr, dracones, & signa Templorum, omoiumque Legionum ibant. Vopiscus item *in Aureliano: c. 34.* & Eumenius *in Gratiar. act. c. 8.* Exornauimus vias qoibus in Palatium peruenitur, paupere quidem supellectile, sed omoium signa collegiorum, omnium Deorum nostrorum simulacra protulimus. Denique Collegiati eranr qui publicn *manuariam* aliquam artem, operam & ministerium præbebanr: cuiusmodi etiam inter Corporatos Vrbis Romæ memorat Symmachus, *lib. 10. epist. 27.* eos, *qui fabriles manus Augustis operibus accommodabant.*

Porro illud animaduerto sub Honorio potissimum Collegiatos ciuitates suas fugisse: Omnes eoim constitutiones, quæ septem sunr io vniuersum, de retrahendis his sunt Hooorii. Proculdubio quia plus æquo ea tempestate prægrauari: Quod inter ruentis Imperii præludia fuit: vel forte etiam, quod cum superstitione aliqua Gentilitia coniuncta essenr, vt patebir ex *l. 2. prox.*

II. (a) Impp. Honor. & Theod. AA. Liberio PF. P. (b) Post alia. (c)

Collegiatos, & (d) Vitutiarios, & Nemesiacos, Signiferos, Cantabrarios, & singularum Vrbium Corporatos, (e) simili (f) forma præcipimus reuocari. (g) Quibus etiam supplicandi inhibendam facultatem esse censuimus, ne originem (quod fieri non potest) commutare vlla iussio videatur; Ac si forte per sacram auctoritatem cognoscitur, aliquis liberatus, cessante beneficio ad originem reuertatur. Dat. VI. Kalend Decembr. Rau. Honor. IX. (h) & Theod. V. AA. Coss. [412.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* Iungendæ ei duæ aliæ, puta *lex 170. supr. de Decurionib.* & *lex 25. supr. de cohortalibus*: quæ idem de Officialibus statuit. Hanc *leg.* omiserat *Chronologia Theodosianae* Auctor. GOTHOF.

(b) *Liberius* PP. sub Honorio Italiæ vid. *Prosopogr.* ID.

(c) quæ continentur dictis duabus legibus. ID.

(d) *yg. ut &* ID.

(e) *Corporati*, & Collegiati distinguuntur. ID.

(f) Qua Officiales seu Apparitores *d. l. 25.* itemque Curiales, *d. l. 170.* ID.

(g) Eadem voce vtitur *d. l. 25.* ID.

(h) Ita quoque *d. l. 25.* Inemendate in *d. l. 170. Honorio VIII. & Theodosio III. AA. COSS.* ID.

COMMENTARIVS.

Retrahi Collegiatos ad cioitates soas, nec quicquam obstaote Rescripto seu beneficio Principis, rursum iubet Honorius Anoo D. 412. *Simili forma* ait, qua scilicet eadem constitutinna Apparitores seu Officiales retrahi iussit, *l. 25. supr. de cohortalib.* itemque Curiales, *leg. 170. supr. de Decurionib.* quæ vtraque *huic leg.* coniuogenda est: Absque qua seosus *huic leg.* integer oon constarer, cum non habeant hæc verba, *similis forma*, in *hac leg.* quo referantur. Vnde liquere potest de iniuria & oscitaotia *huius Codicis* Conditorum in discerpendis coostitutionibus: retro de vtilitate summa *legum* inter se rursum coassandarum & conglutinandarum. Nam & viceuersa *huius leg.* & *d. l. 25. supr. de cohortalib.* beneficio restituenda venit subscriptio *d. l. 170.* Igitur Honorius *hac leg.* Collegiatos reuocari iuber, *etiam* (oam ita hunc locum accipio) Vitutiarios, Nemesiacos, Signiferos, Cantabrarios: quantumuis otiosa corpora essent: in eo tamen hactenus vtilia, vt magnitudinem Vrbis & frequentiam tuerentur, & tristia ciuium solarentur. *Otiosa*, ioquam, (de cuiusmodi otiosis Corporibus in Vrbe Roma dixi *supr.* ad *l. vnic. de Mancipibus*, quæ vacantia vocat Symmachus, *lib. 10. epist. 58.*) Quod per singula comprobandum est.

Procedant primum *Nemesiaci.* Nam de *Vitutiariis*, qui primo loco nomioantur, velut mious cognitis, sub finem agemus. Nemesiacorum igitur horum vnus præterea Commodianus, e Gentili Christianus factus, de quo Gennadius *in Viris Illustribus*, Africanus, vt puto, scriptor, meminit: qui & alio loco *Didemorios* nominar, in eodem ludi genare versantes *Tom. XXVII. Biblioth. Patrum pagina 14.*

[da] Nemesiacis Vanis.

Non ignominiosum est, virum seduci prudentem,
Et colere talem, aut Dianam [*aut diuam*, nempe Nemesio] *dicere lignum?*
Mane ebrio, crudo, perituro, creditis viro:
Ex arte qui ficte loquitur, quod illi videtur:
Seuere dum agit, sibi viscera posiit:
Imopriat ciues vnus detestabilis omnes;
Adplicuitque (Adplicatque) *sibi simili* COLLEGIO *facto:*

Cum

P.193 *Cum quibus historiam fingit', vt Deum* (*Deam*, Nemesin scilicet) *adornet:*
Ipse sibi nescit diuinare, sateris audet:
Succollat quando libet eum, (eam) & quando, deponit,
Vertitur a se rotans sum ligno bifurci,
Ac si putes illum afflatum numine ligni.
Non Deos vos colitis, quos ipsi false prophetant,
Ipsos Sacerdotes colitis, in vano timentes:
Sed si sorde viges, fuge iam fatraria mortis.

Ex his Commodiani verbis colligimus: 1. *Nemesiacos* hos fuisse de *Vanorum* hominum genere aliquos, 2. qui videlicet madidi, Ligno bifurci, tanquam numine, ludos publice collecta turba agebant, ibique ligno modo succollato, modo deposito, bacchantes rotantesque, fabulam aliquam fingebant, Diuinos se & Prophetas agentes, fataque hominum explicantes, atque ita stipem emendicabant. *Diseurs de bonne fortune, au avanture. Nemesiasi*, a Dea Nemesi, quæ eadem est cum bona Fortuna. Hesychius; Ἀγαθὴ τύχη ἡ νέμεσις καὶ ἡ θέμις. Denique Nemesis & Noctis & Iustitiæ nuncia vel filia, fatorum dispensatrix, vltrix facinorum impiorum, bonorum præmiatrix, arbitra rerum, regina causarum, credita. Nemesiaci a Nemesi Dea: de qua vid. & quæ Plinius, *lib. 28. cap. 2.* sicut *Didemarii* apud eundem Commodianum ab Apolline Didymæo: cuius oraculum Milesium in Asia olim solemne fuisse notum est: cuius meminit etiam præter alios Sozomenus, *lib. 1. cap. 7.* vbi de Licinii interitu agit. Et hæc de Nemesiacis.

Signiferi post hos, sed his proximi iunguntur: qui scilicet signa, & in his Deorum, ferebant in pompis, festis, ludicris gentilitiis: de quibus signis iam dixi ad *l. 1. supr. hoc tit.*

His Signiferis vicini sunt *Cantabrarii*, qui in pompis *Cantabra* ferebant, vexilliferi. De quibus Cantabris iam alii, & nos ipsi alibi. De his Patres, qui pro Christianis Apologias aduersus Gentes scripsere. Minutius Felix, *in Octauio cap. 29. Vos plane, qui ligneos Deos consecratis, cruces ligneas, vt Deorum vestrorum partes, forsitan adoratis. Nam & SIGNA ipsa, & CANTABRA, & vexilla castrorum, quid aliud quam inaurata Cruces sunt & ornatæ?* Tertullianus *Apolog. cap. 16. Siphara illa vexillorum & Cantabrorum, stola Crucum sunt.* Idem ad Nationes *lib. 1. c. 12. in fin. Sic etiam in Cantabris, atque vexillis (qua non minore sanctitate militia custodit) Siphara illa, vestes crucum sunt.* Vetus Gloss. Cantabra, *vexilla, pallia*; Cantabra itaque erant signa, vexilla παραπήγματα ἐκ πορφύρας καὶ χρυσοῦ ferme, vt Cedrenus appellat *in Compend. hist. pag. 169. inter Script. R. B. Ed. reg.* quæ in pompis publicis & solemnitatibus lata per vrbem, iuxta cum signis Deorum: quibus signis ferendis, *Signiferi*, vt illis *Cantabrarii* vacabant: *Bannieres, porteurs de Bannieres aux Festes.* Quare & Signiferis Cantabrarii hic iunguntur, quomodo & Cantabra vexillis & signis apud Patres *superioribus locis.* Erant igitur hi, qui ferebant in pompis vexilla collegiorum Templorum, signaque, de quibus Vopiscus in *Aureliano cap. 34.* Trebellius in *Gallieno cap. 8.* Quid vero inter Vexilla & Cantabra esset? quæsierunt Viri Docti. Est qui putat *Vexilla* fuisse vela pura, colore suo nihilominus nota: *Cantabra* vero, quæ non colore modo nota erant, sed & carmine seu nomine aliquo inscripta *cantabant*, siue significabant illis aliquid grati & iucundi: sic vt Cantabra quidem Vexilla essent; sed non omnia Vexilla, Cantabra: allato etiam loco ex Dionis *lib. 40. pag. 128. 129. Edit. Wechel.* vbi de rebus infaustis, quæ M. Crasso acciderunt aduersus Parthos mouenti: σημεῖον δέ τι τῶν μεγάλων, τοῖς ἱστίοις ἐοικότων, καὶ φοινικᾶ γράμματα ἐπ' αὐτῆς πρὸς δήλωσιν τῆ τε στρατοῦ καὶ τῆ στρατηγοῦ σφῶν τοῦ αὐτοκράτορος ἐχόντων, εἰς τὸν ποταμὸν ἀπὸ τῆς γεφύρας περιτραπὲν ἐνέπεσε: *vexillum praterea quoddam ex earum numero, qua magna velorumque similia sunt, inscriptum puniceis literis ad notitiam exercitus imperatorisque faciendam euersum vi vehementis venti, a ponte in flumen decidit.* Si ariolari licet, Cantabra videntur fuisse origine vexilla Parthica: vocabulo composito ex voce κάνδυς, quod est χιτὼν περσικός, ὃν ἐκπορποῦνται οἱ στρατιῶται: & altera voce Parthica, τάβρα, quod quid sit nescio: quorum Parthorum vox quoque est ταβάλα, quo in bello vtebantur: vid. Hesychium.

De *Victuariis* tandem videamus, qui Nemesiacis, Signiferis, Cantabrariis, *hac leg.* iunguntur, imo primo loco ante hos omnes, sed cum *Nemesiacis* proxime nominantur. Vnde statim argumentum desumi potest, insigniore aliquo ministerio hos censitos, & tamen proximo cum Nemesiacis: quemadmodum Cantabrarii proximo cum signiferis. Igitur & hos vanorum hominum & ludionum numero fuisse oportet. Quare, quod *Vectuarios* hic quidam tentarent nihili est: quibus vtique cum Nemesiacis, Signiferis, Cantabrariis nil commune est. Adde, quod illi Corporati V. R. hi Collegiati vrbium singularum fuere. An igitur *vitriarii* hic reponendi, de quibus & *l. 2. supr. de excusat. artificum*: id est, vitrorum conflatores, ὑαλουργοί: de quibus præter Strabonem *lib. 16. pag. 1099. Edit. Almeloveen.* Lampridius, *in Alexandro Seuero c. 24. Braccariorum, Linteonum, Vitreariorum*, &c. *vectigal instituit.* Vopiscus *Saturnino, init.* vbi de Alexandria: *Ciuitas opulenta, diues, fœcunda: in qua nemo viuat otiosus: alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur, omnes certe cuiuscumque artis & videntur & habentur.* Et in *Firmo, cap. 3.* qui Aureliani temporibus Ægyptum occupauerat. *De huius diuitiis multa dicuntur, nam & vitreis quadraturis bitumine aliisque medicamentis insertis domum induxisse perhibetur, & tantum habuisse de chartis.* Verum neque hi stare hic possunt, quibus nulla cum Nemesiacis, Signiferis, Cantabrariis affinitas intercedit: cum Vitriarii Artificum numero fuerint, vt docet quoque *dicta lex 2.* An *Vittarios* igitur hic admittamus, a vittis ταινίαις, quarum frequens in sacris Gentilium vsus erat, neque tantum in Sacerdotibus & Victimis, verum etiam in pompis? An potius *Butinarii*, qui apud Cyprianum *ep. 59. siv. 42.* qui vel butina & acetabula faciebant, vel iis ludos agebant: *Butina*, vel βύτινα, βύτζια, lagenæ, vasa, acetabula, id genus. An vero *Victuarii*, id est, Victoriarii, vel *Victuriarii*, vt in *Indice Pithoëano* expressum, quasi victorias flantes, victorumque & triumphantium habitu coronati populo ludos facientes? Nam & Nemesiaci his iunguntur. *Nemesis* autem & *Victoria* cognata numina: & cæteri quoque bellicum ita quid & faustum spirantes: Signiferi scilicet & Cantabrarii: *Victoria*, & *victuria*, *victorius* & *victurius* promiscue in MSS. Verum nihil horum placet. Illud ex *hac leg.* satis liquet, vel saltem colligitur, *Victuarios*, sui spectaculum præbuisse populo, pariter vt Nemesiacos, ludosque populo fecisse, diuinitatis alicuius obtentu. Et quid si *Vidumarios*, illos ipsos hic reponamus, de quibus Commodianus? Certe ductus apicum haud adeo

adeo respuant hanc emendationem *Vitutiarios Vidumarios: Vidumarii & Didumarii*, δ in β mutando, quod alioquin Æoles fecere. Commodianus de his. *Instruction. n. 17. pag. 14. Tom. XXVII. Bibl. Patr.*

De simvlacris eorvm (Deorum Dearumque.)

Deludunt nos pauci scelerati, Vates inanes,
Extricare suam dum quarunt vitam,
Subornant aliis (a) *esse sub mysteria,* (b) *falsum.*
Inde simulantes, concuti Numine quodam,
P. 194 *Maiestatemque canunt, & sub figura fatigant,*
Vidistis sape DIDEMARIOS, quali fragore
Lusorias ineunt, dum furias fingere (c) *quarunt,*
Aut cum dorsa sua alludunt parca (d) *bipenne,*
Cum doctrina (e) *sua feruauit quod cruore sanant:* (f)
Respuite (g) *quo non* (h) *illos nomine* (i) *cogunt,*
Ipsi (k) *qui se primum componunt integra mente,*
Sed stipem vt tollant, ingenia talia quarunt.
Ex eo videte, quoniam sunt, omnia ficta;
Obumbrant populum supplice, (l) *perituri ne credant.* (m)
Res semel in (n) *vano de vetustate processit*
Vt Vatici manus (o) *credatur: pradenti falsa.*
Maiestas autem eorum nulla locutus (p) *est.*

(a) *esse sub*, pro subesse.
(b) Accusatiuo modo.
(c) id est fingunt, fictum eunt.
(d) *haud parca*, vel *parua*. Al. *spurca*.
(e) *de vstrina:* an *doctrina*, pro *industria*?
(f) *γρ. saniant.*
(g) *Respicite.*
(h) *quoniam.*
(i) *γρ Numina.*
(k) *Ipsique se.* Al. *ipsis.*
(l) *supplices.* Al. *simplicem.*
(m) *ni credant.*
(n) sic *sup.* de Nemesiacis. *Ipsos Sacerdotes colitis in vano timentes.*
(o) *vaticinanti.*
(p) *locuta est.*

Vt in hanc sententiam concedam, non vna ratio facit. Primo, quod Commodianus iunctim & continuo filo de his *Vidumariis* seu *Didumariis* & de *Nemesiacis* agit, pariter vt iidem *hac leg.* iunguntur, Secundo, quod & hi pariter vt Nemesiaci Vatum, imo vanorum hominum genus fuerint. Tandem, vt Commodiani carmina ad Africam pertinent, ita & eodem *hac lex* pertinere potest, quandoquidem ea data est ad *Liberium PP. Italia*, & sic Africæ quoque. His vero similes erant & Dendrophori & Frediani: de quibus in eiusdem Honorii *leg. 20. infr. de Paganis:* qui ligna seu arbores in honorem Deorum ferebant: de quibus ad *eam leg.* vel qui simulachra Deorum ferendo rotabant, quasi ἐν τῷ φέρειν διανεύοντες.

Vt ad *huius leg.* sententiam redeamus, Honorius eos omnes, de quibus modo dixi, ad ciuitates suas reuocari vult, non obstante rescripto vel indulgentia Principis. Nempe ab vna parte afflictæ hac tempestate vrbes, tristia sua, horum Collegiatorum quos dixi oblectamentis, consolari expetebant; ab altera vero, desertæ ciuitates, numero suo replendæ visæ: Quare & Collegiati & Corporati ad sua reuocari iussi *hac leg.* vt & Decuriones *d. l. 170. supr. de Decurionib.* & cohortales, *d. l. 25. supr. de cohortalibus:* quæ *huic legi* vti dixi iungendæ sunt, tanquam vnius & eiusdem constitutionis partes. Qua ipsa ratione hoc ipso Anno idem Honorius Corporatos V. R. in peregrina transgressos reuocari iussit, *l. vlt. supr. de priuil. corp. V. R.* Scilicet quod mirum satis, Honorius gentilitia huiusmodi corpora ferri posse ratus est, citra contemtum Religionis Christianæ, partim quia voluptatibus publicis deseruirent. Qui sane sensus eius fuit apertissime, *l. 17. infr. de Paganis: Vt profanos ritus*, inquit, *iam salubri lege submouimus, ita festos conuentus ciuium, & communem omnium lætitiam non patimur submoueri: vnde absque vllo sacrificio atque vlla superstitione damnabili, exhibere populo voluptates secundum veterem consuetudinem, iure etiam festa conuiuia, si quando exigunt publica vota, decernimus.* Quæ quidem *lex* ab Honorio data est, contra quam petierant Patres Africani, *Canone 6. Concilii Carthaginensis*, seu *Canone 61. Cod. African.* vbi etiam questi fuerant Patres, quod *Corporati* ad spectacula tum conuenire cogerentur.

DE CENTONARIIS ET DENDROFORIS.

TITVLVS VIII.

Abest hic *Titulus* a *Codice Iustinianeo*.

PARATITLON.

Centonarii de quibus *Rubrica huius tituli*, & *vtraque eius lege*, & *l. 162. supr. de Decurionibus*: item Dendrofori, de quibus præter *Rubricam*, & *l. 1. hoc tit.* Fabri de quibus *lib. 1. hoc tit.* & *l. 62. supr. de Decurionibus.* fuerunt Corpora, *l. 1.* & *2.* & *d. l. 162.* officia, *d. l. 62.* in singulis ferme oppidis *d. l. 1.* Ex corpore Centonariorum nemo se ad Curiam conferre poterat; *d. l. 2.* & viciſſim, *d. l. 162.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad EVAGRIVM. (b) PF. P.

AD omnes Iudices (c) litteras dare Tuam conuenit Grauitatem, (d) vt in quibuscunque oppidis Dendrofori fuerint, Centonariorum adque Fabrorum (e) adnectantur: quoniam hæc corpora frequentia hominum multiplicari expediet. (f) Dat. XIV. Kalend. Octobr. Naisso, Acc. VIII. Id. Nouemb. Constantino A. IV. & Licinio IV. Coss. (315.)

P.195

N O T Æ.

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) *Euagrius* PP. sub Constantino M. Eidem inscribitur hoc Anno post mensem, *l. 1. infr. de Iudæis: v. Prosopogr.* ID.

(c) *Iudices* seu Rectores Prouinciarum sub PP. dispositione fuere. ID.

(d) *Grauitatis* titulus Præfectis Prætorio tributus sub Constantino M. ID.

(e) *Corpora*, vel *corporibus* supplendum. ID.

(f) *Expedit.* ID.

COMMENTARIVS.

DENDROPHORORVM corpus, Centonariorum & Fabrorum corpori in oppidis vniri, adnecti, & sic vnum in collegium sociari, iubet *hac leg.* Constantinus M. Anno D. 315. Ratione addita, *Quod expediat hæc corpora frequentia hominum multiplicari.* Quod omne obscurum est quamdiu nescitur, quid & in quo occupata fuerint hæc collegia seu corpora. DENDROPHORORVM equidem, Centonariorum, (quorum etiam fit mentio *l. 162. supr. de Decurion.*) Fabrorum (quorum etiam mentio *l. 62. supr. de Decurion.*) frequens admodum mentio occurrit in veteribus *Inscriptionibus*, sed quibus excussis vel diligentissime, e nulla earum vel minimo indicio discere possis, in quo fuerint occupata hæc Corpora. *Fabrorum* equidem professio notior esse possit, quorum etiam duo genera Dendrophoris & Centonariis iunguntur, nempe alii Ferrarii, alii Tignarii: sed quid commune habuerint hæc Corpora actu seu genere vitæ, non liquet ex illis *Inscriptionibus*.

De *Dendrophoris*, quorum tam frequens iam ante *Cod. Theod. editum*, mentio occurrerat, ita nonnulli putabant, eos esse, qui in castris ligna militibus cædebant & in castra deferebant, vel qui materiam ad bellicas machinas aduehebant. Verum horum sententia recte explosa est ab Alciato I. *Prætermissorum v. Militia.* Et tamen post *Codicem Theodosianum editum* nonnulli adhuc opinati sunt, Dendrophoros fuisse, qui nemora cæderent, carbones torrerent, ad vsum balnearum, ædium, nauium, & ad arma fabricanda: sicuti Collegio Fabrorum ad vsum fabricandorum armorum legata dicuntur, *l. 93. § pen. D. de legat.* 3. Alii & in his Cuiacius *VII. Obseru. 30.* eosdem faciunt cum Dendrophoris qui memorantur *l. 20. infr. de Paganis:* vbi ita Honorius, *Omnis expensa illius temporis ad superstitionem pertinens, quæ iure damnata est, omniaque loca quæ Frediani, quæ Dendrophori, quæ singula quæque nomina & Professiones Gentilitia tenuerunt, epholis vel sumptibus deputata, fas est hoc errore submoto, compendia nostra domus subleuare.* Et ita ferme hodie censent: Ita olim ipse censui, *notis ad d. l. 20.* nempe Dendrophoros de quibus *hoc titulo* agitur, & in *Veteribus Inscriptionibus* eosdem videri cum illis, vbi & argumenta quædam cur ita sentirem collegi: ac nominatim quod vt hic, ita & *d. l. 20.* de Centonariis agatur: item quod *hic titulus de Centonariis & Dendrophoris* subiiciatur superiori *de Collegiatis*: quo quidem (vt hoc addam) de similibus professionibus agitur, puta de Viuutiariis, Nemesiacis, Signiferis, Cantabrariis. Verum ab hac sententia me reuocant nunc alia. Per Africam equidem qui Dendrophori, qui Centonarii item memorantur *d. l. 20.* professiones Gentilitiæ erant: Atenim hi, de quibus *hoc titulo*, non item. Primum argumentum sumo ex coniunctione Fabrorum: quid enim quæso *fabrili* arti cum professione illa Gentilitia, quæ in eo consistebat, vt ligna, vt arbores per vrbem humeris ferrent, seu vt loquitur Commodianus, *succollarent?* Deinde specta mihi sis Constantinum M. Christianum Principem, huiusce constitutionis Authorem: si Centonarii hi, si Dendrophori Religionis vel superstitionis Gentilitiæ numero fuissent, an dicturum putaremus, *Expedire hæc corpora frequentia hominum multiplicari?* Vnde iam quoque apparet, de eorum errore, qui a Dendrophororum & Centonariorum Collegiis Gentilitiis Christianos non abhorruisse scribunt. Quibus sane refragantur ea quæ definiuntur *l. 1. infr. de fide Cathol. l. 112. de Decurionib. l. 5. de Episcopis:* adquas *leges* vid. quæ notaui. Tertio Centenarii de quibus *d. l. 20.* agitur, *Centenarii* sunt, non *Centonarii*, & Chiliarchis iunguntur, & sic a numero his nomen inditum: At qui Dendrophoris iunguntur, & *hoc titulo*, & in *Inscriptionibus* constanter *Centonarii* vocantur: non ergo a numero, non proinde Centonarii iidem cum Centenariis. Verum in hoc pedem non figo. Quare, vt tandem dicam, omnes & *Dendrophori*, & *Centonarii*, circa domos seu ædificia, & quidem sarta tecta habenda occupati fuisse videntur. Et *Fabri* quidem, non tantum ad opera excitanda, verum ad incendia compescenda: quo fine iam olim collegium huiusmodi Fabrorum Nicomediæ institui voluit Plinius Bithyniæ Rector, *lib. 10. epist. 42.* Deque hoc Fabrorum collegio, & quidem Romæ accipio *legem 62 supr. de Decurionib.* vbi aliquid etiam de hoc Fabrorum collegio. Adde, in *Glossario* Fabros τεχνίτας explicari Quid *Centonarii?* Putet quis Centonarios dictos, a *Centonibus* consuendis; vel etiam venumdandis: quos Pater familias quisque ad tutelam domus suæ, & in instrumento domus habebat, instrumentoque domus continebantur, *l. 12. §. 16. & seqq. D. de instructo vel instrum. legato*: quæ denique vel tempestatis arcendæ, vel incendii causa, & huius proprie caussa, habebantur: de quibus ex *Sisenna*, *Cæsare*, *Vegetio*, iam alii dixere. Item quæ voluptatis gratia habebantur; puta vela, vt & quæ frigoris caussa, vel vmbræ in domo erant: item vela Cilicia, quæ ideo parabantur, ne ædificia vento vel pluuia laborarent, & vela quæ in hypethris extendebantur, & circa columnas. Hæc ita forte quis putet. Verum malim ego, argumento Dendrophororum & Fa-

Fabrorum, *Centenarios* hic accipera & restitui, qui materias scilicet maiores, centenatias cædebant, parabant, venundabant. *Centenarii* vox tralatitia de rebus quibusque hunc numerum exæquantibus. Sic Centenariæ rosæ, Tertulliano, *de corona militis, cap. 14.* Centenarii nummi Lampridio, *in Alexandro Seuero c. 39.* pecuniæ maiorinæ vel centenionales, *l. 1. supr. si quis pecun. confl.* Balistæ centenariæ & talentariæ Lucilio & Sisennæ apud Nonium *cap. 18. num. 22.* de quibus Lipsius *in Poliorcet. p. 130.* sic & Quinquagenariæ longioresque materiæ Ammiano Marcellino *lib. 18. cap. 2.* fistulæ Quinquagenariæ, Vitruuio, *lib. 8. cap. 7.* Quinquagenarius thorax, & quinquagenaria & centenaria pondera, Plinio *lib. 7. cap. 20.* Promulsis quinquagenaria, Tertulliano *de pallio cap. 5.* Vasa quinquagenaria, centenaria, Lampridio, *in Heliogabalo cap. 19.* *Dendrophori* vero fuerint, qui materiam rudem, non ita longam, ligna, arborea, tigna aliunde pe- P.196
tita ad ædificia, vendebant, *fustiers vendeurs de mairrin*, *Fabri* tignarii, qui ædibus aptabant tigna, dolabant, qui ædificabant. Sic igitur liquet, quam recte hæc tria Collegia in vnum coaluerint, quæ antea & aliquando separata fuerunt: Sane in veteribus quoque Inscriptionibus, modo *Dendrophori* soli, modo *Centonarii* soli occurrunt: modo *Fabri* & *Centonarii* iuncti, modo *Centonarii & Dendrophori*; modo omnes *Fabri*, *Centonarii*, *Dendrophori*. Illud ex Inscriptione, quæ occurrit apud Gruterum *MCI. 1.* notandum, Regii *Templum* peculiare *Collegii Fabrorum & Centonariorum* sub M. Aurelio Antonino memorari.

II. (a) Imppp. Valentinianvs, Valens, & Gratianus AAA. ad Olybrium P. V. (b)

Ne quis ex Centonariorum corpore subtrahere se possit ad Curiam: pœna eidem Corpori proposita, nisi ilico de eius abscessu querelam deposuerit. (c) Dat. V. Kal Febr. Triu. Valentiniano NB. P. & Victore COSS. (369.)

N O T Æ.

(a) Abest & *hæc lex a Cod. Iust.* GOTHOF.

(b) *Olybrius* P. V. sub Valentiniano Sen. vid. *Prosopogr.* & Ammianum Marcellinum, *lib. 28. c. 4.* ID.

(c) *Deponere* querelam, pro proponere. ID.

C O M M E N T A R I V S.

Svbtrahere sese Corpori suo, atque ad Curiam sese conferre, Centonarii *hac leg.* a Valentiniano Sen. vetantur Anno Domini 369. intra Præfecturam Vrbis Romæ: vti viceuersa Curiales, itemque Collegiati sese ad Corpus Centonariorum transferre vetiti, *l. 162. supr. de Decurionibus:* imo iam antea quoque vetiti ab eodem Valentiniano Curiales ad Fabrorum Collegium irrepere vel aspirare, *l. 62. supr. de Decurionibus:* Suum scilicet cuique Corpori numerum seruari expedit: neque alterum altero mutari, alteriusue causa nudari. Quod tamen solitum fieri a multis proprii muneris & officii impatientia: nam vt Curialium munus aliorum respectu lucrosum & obnoxium valde fuit; ita viceuersa, tanquam maius aliquid istud appetiisse alios, & in his Centonarios verosimile est, colludentibus ipsismet etiam Corporibus. Quare etiam, vt Centonariorum Corpus hac ratione non vacuaretur, vult Valentinianus, vt Corpus ipsum ilico de refugæ Centonarii abscessu querelam inferat, vt ita hac ratione peruestigari ilico possint. Pœna alioquin Corpori ipsi proposita. Quæ Pœna notanda est, toti Corpori proposita seu irrogata, si sui vtilitatem insuper habeat.

DE STVDIIS LIBERALIBVS VRBIS ROMÆ (*) ET CONSTANTINOP. (**)

TITVLVS IX.

Lib. XI. Cod. Ivst. Tit. XVIII.

Huic vicinus *titulus 3.* est *supr. lib. 13. de Medicis & Professoribus:* & *lib. 6. tit. 21. de Professoribus qui in Vrbe Constantinopolitana docentes ex lege meruerunt Comitiuam.*

(*) De hoc est *lex 1.*

(**) De hoc est *lex 2. & 3.*

PARATITLON.

STVDIA LIBERALIA *Rubr.* & *l. 1. supr. de Decuriis Vrbis Romæ:* liberales res, *l. t. vers. quin etiam, hoc tit.* professiones, *d. l. 1, vers. his sane:* Studia, *l. 3. h. t.* studia literarum, *d. l. 3. in fin.* Literatura, quæ omnium virtutum magistra est, *d. l. 1. supr. de Decuriis V. R.* in Vrbe Roma, de quo est *lex 1. h. t.* & Constantinopolitana, de quo est *lex 2.* & *3. h. t.* erant & exercebantur. Quo Discipuli *l. 3. h. t.* seu adolescentia, *d. l. 3. h. t.* discendi cupiditate veniebat: veluti ex Africa Romam, *d. l. 1. h. t.* ibique agebat sub *vndecim legibus Academicis*, quæ continentur Valentiniani Sen. *l. 1. hoc tit.*

Porro studia hæc exercebantur in Auditorio, seu intra Auditorium Capitolii Con-
P.197 stantinopoli: idque a Magistris tantum ab Imperatore constitutis, qui in priuatis ædibus docere prorsus prohibebantur, *d. l. 3. h. t.* viceuersa alii quam a Principe constituti, magistrorum nomina sibi vsurpare & in publicis magistrationibus cellulisque collectos vndecunque discipulos docere circumferreque vetabantur, *d. l. 3. h. t.*

Hi vero erant in vniuersum Constantinopoli, triginta & vnus: nempe Latini Oratores, tres: Latini Grammatici decem: Græci Sophistæ quinque, Grammatici decem, Philosophus vnus, duo Iuris Professores: *d. l. 3. h. t.* Cætera de Professoribus *suo titulo, iam supra.*

Bibliothecæ quoque publicæ (Romæ erant &) Constantinopoli: cuius posterioris mentio fit *l. 2. hoc tit.* cuius codicibus componendis, vel pro vetustate reparandis, Antiquarii septem destinati erant: puta Græci quatuor, Latini tres: Insuper custodiendæ illi Conditionales apponebantur, *d. l. 2. h. t.*

Circa STVDIOSOS *Romam studiorum gratia sese conferentes, vndecim leges* Academicæ *Valentiniani Sen.*

I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Olybrium (b) P. V.

QVICVMQVE ad Vrbem (c) discendi cupiditate veniunt, primitus ad Magistrum (d) Census, Prouincialium Iudicum, a quibus copia est danda veniundi, eiusmodi Litteras proferant, vt *oppida hominum,* (e) *& natales, & merita* expressa teneantur. Deinde, vt in primo statim profiteantur introitu, *Quibus potissimum studiis operam nauare proponant.* Tertio, vt hospitia eorum sollicite Censualium norit Officium, quo ei rei (f) impertiant (g) curam, quam se adseruerint (h) expetisse. Idem (i) inmineant Censuales, vt singuli eorum tales se in Conuentibus præbeant, quales esse debent, qui turpem inhonestamque famam, & *consociationes,* quas (k) *proximas putamus esse criminibus* æstiment fugiendas: neve spectacula frequentius adeant, aut adpetant vulgo (l) intempestiua conuiuia. Quinetiam tribuimus potestatem, vt si quis de his non ita in Vrbe se gesserit, quemadmodum liberalium rerum (m) dignitas poscat, publice verberibus adfectus, statimque nauigio (n) superpositus, abiiciatur Vrbe, domumque redeat. His sane qui sedulo operam professionibus (o) nauant, vsque ad vicesimum ætatis suæ annum Romæ liceat commorari: Post id vero tempus, qui neglexerit sponte remeari, (p) sollicitudine Præfecturæ, etiam impurius, (q) ad patriam reuertatur. Verum ne hæc persunctoria fortasse curentur, Præcelsa Sinceritas Tua, Officium Censuale commoneat, vt per singulos menses, *Qui,* vel *vnde veniant, quive sint,* pro ratione temporis (r) ad Africam vel ad ceteras Prouincias, remittendi, breuibus (s) conprehendat: His dumtaxat exceptis qui Corporatorum (t) sunt oneribus adiuncti. (v) Similes autem breues etiam ad scrinia Mansuetudinis Nostræ annis singulis dirigantur: quo, Meritis singulorum institutioni-

tionibusque (x) conpertis, vtrum quandoque nobis fint neceſſarii, judicemus. Dat. IV. (y) Id. Mart. Triu, (z) Valentiniano & Valente III. AA. Coss. (370.)

N O T Æ.

(a) Abeſt *hac lex* a *Cod. Iuſt.* velut temporaria. Iungendaque illi videtur *lex 9. ſupr. de Medicis & Profeſſoribus*, (quæ eſt *lex 10. Cod. Iuſt. eod. tit.*) & *lex 7. Cod. Iuſt. de poſtulando.* *GOTHOF.* Hanc legem illuſtrauit diſſertatione ſingulari HERMAN. CONRINGIVS, *Helmſtad.* 1655. quæ deinde cum operibus eius prodiit. *RITTER.*

(b) *Olybrius* P. V. Romæ, ſub Valentiniano Sen. de quo vid. *Proſopogr.* Elogium eius vide apud Ammianum Marcellinum, *lib. 28. cap. 4.* *GOTHOF.*

(c) *Vrbem* Romanam ſcilicet. *ID.*

(d) De *Magiſtro cenſus* dixi, ad *l. 8. ſupr. de donation.* & *l. 5. ſupr. de Senator.* *ID.*

(e) Eſt qui tentabat, *oppida*, *domum*: quo nil opus. *ID.*

(f) *Rei*, id eſt ſtudio, profeſſioni: ita mox rurſum, *liberalium rerum.* *ID.*

(g) Studioſi ſcilicet qui ad vrbem diſcendi, cupiditate veniunt. *ID.*

(h) Id eſt, profeſſi fuerint in introitu Vrbis Romæ. *ID.*

(i) *γρ.* vel *Iſdem*, id eſt, *iiſdem*: vel *Item.* *ID.*

(k) Eas quas. *ID.*

(l) *Vulgi intempeſtiva convivia*, legendum putat H. Conringius. *RITTER.*

(m) Ita *ſupr. ei rei impertiant curam.* *GOTHOF.*

(n) Africam tendenti: nam de Africanis ſed tranſmarinis adoleſcentibus & ſtudioſis hic nominatim agitur: vt docet verſ. *verum ne hac perfunctorie.* *ID.*

(o) *Profeſſionibus*, id eſt ſtudiis, artibus. *ID.*

(p) *γρ. remeare*, vel *remetiri.* *ID.*

(q) *Impurius*, id eſt, cum nota & dedecore. *ID.* *Etiam inuitus*, ſcribendum cenſet. H. Conringius. *RITTER.*

(r) Romæ ſcilicet exacti, & ſtudiis impenſi. *GOTHOF.*

(s) *Breves*, pro Matricula: vid. *Gloſſ. Theod.* *ID.*

(t) De *Corporatis*, ſuo titulo *ſupra*, hoc ipſo libro, *tit. 2.* *ID.*

(v) Iam adiuncti, nexi. *ID.*

(x) *Inſtitutiones*, pro genere ſtudiorum, & eruditione, *hic* & *l. 18. ſupr. de extraordin.* v. *Gl. Th.* *ID.*

(y) VI. Id. Mart. *d. l. 9. ſupr. de Medicis*; Kal. Mart. *d. l. 7. Cod. Iuſt. de poſtulando.* *ID.*

(x) *Treuiris* in Gallia conſtitutus hoc tempare Valentinianus Sen. vid. *Chronol. noſtram.* *ID.*

COMMENTARIVS.

P.198 VALENTINIANI Senioris Imperatoris hæc nobiliſſima, ſedulaque conſtitutio eſt, emiſſa ad Olybrium P. V. Romæ: Quæ nobis eo accuratius illuſtranda venit, quod ea abeſt a *Codice Iuſtinianeo*, velut temporaria & πρόσκαιρ☉: cum tamen aliis temporibus & occaſionibus, hac etiam ætate, vtiliter aptari poſſit. Ea vero continentur variæ *leges ACADEMICÆ*, circa STVDIOSOS ſeu ſcholares Romam commeantes, ibique commorantes ſtudiorum gratia: quibus mores eorum & conuerſatio componitur, legitimumque ſtudendi ſpatium præſcribitur. *Valentiniani*, inquam, Senioris *hac lex* eſt, quod primo loco *hic* notandum venit. Hic ſcilicet Princeps enixam ſtudiorum & ſtudioſorum Romæ curam & ſolicitudinem in ſe recepit, hoc nominatim Anno D. 370. pariter vt Profeſſorum & Advocatorum, literarumque adeo in commune, *l. 9. ſupr. de Medicis & Profeſſoribus*, & *l. 7. Cod. Iuſt. de poſtulando*: quæ quidem etiam *duæ leges* inter ſe coniungendæ veniunt: imo & cum hac noſtra coaſſandæ videntur, velut vnius, eiuſdemque Valentinianeæ conſtitutionis partes, ad eundem Olybrium P. V. datæ, iiſdemque Conſulibus, imo & eodem menſe emiſſæ. Certe ad eundem omnes illæ finem ſtudiorumque rationem collineant: Nam vt hæc ad ſcholarium ſeu ſtudioſorum inſtitutionem pertinet, ita duæ illæ, ad profeſſionem & exercitium ſtudiorum & literarum: *Lex 9.* quippe ad *Medicos* ſpectat, quos Romæ ſecundum *merita* ſua promoueri, compendiiſque annonarum iuuari iubet: quæ alioquin ipſa eiuſdem Valentiniani paulo ante quoque menſ fuera:, *l. 8. eod tit.* quæ ad Prætextatum P. V. data eſt. *Lex vero 7. Cod. Iuſt. de poſtulando*, ad Cauſidicos & ad Aduocatos pertinet: eaque iubentur, qui *meritis* nobiliſſimi ſunt in foro, non ab vnius tantum litigatoris parte conſiſtere, verum æquam eorum diuiſionem inter vtramque partem procedere: tum etiam patrocinium denegantes foro & poſtulationibus interdici. Hac proinde triplici ratione, vna eademque conſtitutione Valentinianus Imp. hoc tempore, ſtudiis in vniuerſum conſulendo, tria hominum genera circa hæc occupata in Vrbe Roma ad curam ſuam reuocauerit: Aduocatos ſcilicet *d. l. 7.* Medicos, *d. l. 9.* Scholares ſeu ſtudioſos, *hac leg.* ſinguiorumque adeo *meritis* prouidit. Et iſtud quidem, enixe: quomodo etiam idem Princeps, ſtatim vt imperio potiri cœpit, Doctores ſeu Profeſſores erudiendis adoleſcentibus, vita pariter & facundia idoneos, vel nouum Auditorium inſtituere, vel intermiſſum repetere iuſſit: *l. 6. ſupr. de Medicis & Profeſſorib.* Chriſtianos nempe, quos Iulianus Apoſtata a docendi munere ſubmouerat: de quo ad *l. 5. ſupr. eod. tit.* Neque ſecius quoque frater eius atque in imperio collega Valens Imp. in Oriente, qui eo quoque nomine commendatur a Themiſtio Philoſopho, in *προτρεπτικῷ*, *ſeu oratione II. p. 256. Edit. Petav. Flexiae 1613. in 8.* ad Valentinianum Iuniorem, quod ſub nullo Imperatore tantum ſplendoris & ornamenti Muſæ ſeu literæ acceperint, nullus Principum magis iuuenum animos ad ſtudia literarum erexerit, nullus Eloquentiæ & Orationum (hactenus ſcilicet Themiſtius Orator & Philoſophus conſiſtit) laude celebres magis ad dignitates euexerit: *ἐπί τινος γὰρ τῶν βασιλέων αἱ Μοῦσαι τοσοῦτον*

 ὅσον

σων ἐπὶ τῶ σῶ πατρὸς ἐξέλαμψαν καὶ ἐξήνθησαν; τίς δὲ ὕτως ἠρέθισε τὰς ψυχὰς τῶν νέων ἐπὶ τὰς λόγυς; τίς πρὐθῆκε τηλικαῦτα ἀγαθά; τίς ὁμότιμος ἐποίησατο τὰς ἀπὸ τῆς γλώττης ὁμοίμως τοῖς ἀπὸ τῶν ὅπλων; *Quo enim sub imperatore tantum, quantum sub patre euo ornamenti ac claritatis adepta sunt? Quis adeo iuuenum animos ad studia literarum erexit? Quis tanta præmia proposuit? Quis eloquentia laude celebres cum illustribus virtute bellica ducibus parem ad dignitatis gradum euexit?* Vt ed Valentinianum redeamus. Tandem Valentiniani studium erga studie ingerit quoque præter *hanc leg.* & *d. l. 6. supr. de Medicis & Professoribus, lex 10. eod. tit.* Etsi Ammienus Marcellinus *lib. 30. cap. 8.* inter vitia eius ponat, *Quod eruditos æmulatione quadam oderat, vt solus videretur bonis artibus eminere, quo vitio etiam Hadrianus exarsit.* Et hæc quidem de ipsomet Valentiniano Sen. Imp. *huius leg.* Auctore, quod primo loco hic moneri e re fuit.

Illud secundo loco obseruandum, *hanc legem* nominatim pertinere ad Vrbem *Romam*, eiusque Academiam; & scholares seu adolescentes discendi cupiditate seu studiorum gratia hoc æuo eo ex omnibus orbis Romani Prouinciis proficiscentes, ac nominatim ex Africa, de quo potissimum est *hac lex.* Scilicet hoc quoque æuo seu Valentiniani Sen. tempestate & proximis annis, Roma studiorum Nutricula seu Magistra erat, præstantissimisque Professoribus abundabat: cuius causa certatim eo iuuenes commeabant, & quidem ex Africa, vt modo dixi: cum alioquin Africa, ipsa tam olim Nutricula Causidicorum audiret, apud Iuuenalem *Satyr. VII. v. 148.* de quibus etiam Africæ Aduocatis est *lex 46. supr. de Decurionib.* quomodo & in eadem Africa, & Karthagine quidem, liberalium artium scholæ erant, teste Augustino, *lib. 5. Confess. cap. 8.* & Saluiano Massiliensi, *lib. 7. de Gubernat. Dei cap. 16.* Neque ex Africa tantum, verum etiam ex Gallia, aliisque Prouinciis iuuentus studiorum gratia Romam certatim confluebat, & id quidem IVRIS potissimum & Eloquentiæ addiscendæ gratia. Vtrumque discimus ex Symmacho: de Iuris scientia est *epist. 74. lib. 5.* de Eloquentia est *lib. 8. epist. 68.* vbi ideo Romam, *Latiaris facundiæ domicilium* vocat. Sic & Claudianus, *Panegyr. 3. in laud Stiliconis v. 137.* Romam vocat, *Armorum LEGVMQVE parentem, quæ primi dedit cunabula IVRIS:* & Panegyrico in *Cons. Olybrii, & Probini v. 127.* Eandem *legum genitricem* vocat: v. & quæ noto ad *l. 2. supr. de feriis.* Idque etiam comprobat Hieronymus Rustici exemplo, ad eum ipsum scribens *ep. 4 Tom. I. Oper. pag. 28. Edit. Frf. apud Christ. Gensch. Audio religiosam te habere matrem multorum annorum viduam, quæ aluit, quæ erudiuit infantem, ac post studia Galliarum, quæ vel florentissima sunt, misit Romam, non parcens sumptibus, vt vbertatem Gallici, nitoremque sermonis, grauitas Romana condiret.* Rutilius quoque Numatianus *Itinerarii sui lib. 1. v. 207.* de Palladio quodam Gallo agens:

Facundus iuuenis Gallorum nuper ab aruis
Missus Romani discere IVRA fori.

Augustinus, *lib. 6. Confess. cap. 8. Romam processerat, vt IVS disceret.* Sidonius quoque Appollinaris *lib. 1. epist. 6. Romam, domicilium LEGVM* vocat. Ennodius *Epist. lib. 2. ep. 6.* ad Pomerium quendam Arelatensem, *Tom. I. Oper. Sirmond. pag. 827. Et latiaris vnda venam alumnus Rhodani perquirebat.* Cassiodorus non *vno loco* id ipsum inculcat, *I. Variarum 39.* & *IV. Variar. 6.* vbi *facundam Eloquentia Matrem* vocat. Idem testetur *VIII. Var. 12.* æuo suo vulgo iactatum, Literas Latinas Romæ non etiam alibi addiscendas. Quod & ipsum iam olim nonnulli contendebant, Vide Ciceronem *diuinat. in Cæcil. v. 13.* & Epistol. Paulæ & Eustochii *inter Hieronymi 17. pag. 82. Tom. I. Oper. Edit. Francf.* Hinc adeo quoque Gothorum Reges, rerum post, magnam ibidem scholarum & Magistrorum curam gessere: & in his quidem Athalaricus apud Cassiodorum *IX. Variar. 21.* vid. & *X. Var. 7.* Constantinus *in vita S. Germani, cap. 1. Atque vt in eum perfectio literarum plena conflueret, post Auditoria Gallicana, intra Vrbem Romam IVRIS scientiam plenitudini perfectionis adiecit.* P. 199 Et hæc quidem ita quoque de Academia, ac nominatim IVRIS, Vrbis Romæ. De qua & illud præmonendum, hoc tempore Romam, antea virtutum omnium matrem, vitiis luxuque diffluxisse, velut sodalitatibus licentia vitiis: inter alia, intempestiuis conuiuiis, consortiis aleatorum, meretricum, ganeonum, immodico in spectacula studio: de quo Ammianus Marcellinus, non vno excessu, *lib. 14. c. 6. & lib. 28. c. 4.* Quo adeo pertinent quamplurima ex iis quæ mox subiicientur *hac leg.* Sequitur igitur, nunc de ipsa Valentiniani constitutione videamus: cuius hic scopus est, vt adolescentes Romam discendi causa missi hoc vnum serio agerent, inque literarum studiis proficerent, neque ad licentiam abriperentur, de qua modo dixi. Ea præsertim ætate, quæ maxima custodia eget: de quo ex Cicerone & Polybio postae, præsertim in Vrbe Roma, vbi magna tandem licentia: vt ita per hos vtilitati publicæ, ipsorumque simul eorum consuleretur. In id vero Valentinianus Vndecim cautiones, seu canones leges, sic vt dicam ACADEMICAS præstituit: quibus accuratiores vix fingi fingique possunt.

Prima hæc est, quod venturos ad Vrbem Romam scholares, *Copiam* veniendi seu *Commeatum* accipere velit a Iudicibus seu Rectoribus Prouinciarum, in quibus consistunt: Atque in id *Literas* ab his συςατικὰς, ἀπολυτικὰς accipere iubeat, quibus contineantur hæc tria: *Patria* eorum; *Natale*, quibus scilicet parentibus editi sint. Denique *merita*, id est, dignitas parentum & generis. Quod quidem epistolarum seu literarum ἀπολυτικῶν genus, scholaribus ad Academiam Romanam proficiscentibus dari solitarum, notandum est, præter alias ἀπολυτικῶν seu dimissoriarum species: Eiusque simul continentia notanda: eo scilicet fine, de quo *extrema legis parte.*

Secunda lex Academica hæc est, quod Valentinianus iubeat, studiosos Adolescentes, vbi Romam venerint, eas Literas dimissorias, ἀπολυτικὰς, ad *Magistrum Census* deferre. Nempe & alias Magistri census, eorumque Officialium seu Censualium Romæ muneris id inter alia erat, vt honestatis publicæ custodes essent: quod etiam patet ex *l. 1. in fine, infr. de habitu quo vti oport. intra vrbem.* Quare & peregrinorum qui ad Vrbem Romam accederent sollicitudinem gessere, vti honeste ibi sese gererent: Quod tota hæc *lex* de Studiosis nominatim testatur. Hoc, inquam, Magistri census & Censualium officium in Vrbe inter alia erat: de quibus alioquin Vrbicis Censualibus agitur, *l. 13. 26. 27. supr. de Prætorib. l. 4. de testam. l. 5. de Princip. Agent.* apud Symmachum *lib. 4. epist. 8. lib. 10. epist 36.* Capitolinum *in Gordiano Seniore. cap. 12.*

Tertia lex Academica hæc est, quod Valentinianus studiosos Romam commeantes *Profiteri* statim iubeat *in introitu*, proculdubio apud eundem Magistrum census, seu apud Censuales, quibusnam studiis operam nauaturi venerint? num Eloquentiæ videlicet Romanæ, vel Græcæ? num profundiori

alicui

alicui ſcientiæ, puta Philoſophiæ, aut Ivri: hæc enim ſtudia, vt antea oſtendimus, ſicut in noua Vrbe Roma, Conſtantinopoli (de quo *l. 3. infr. hoc cod. tit.*) ita & in Veteri Roma colebantur, docebanturque. Atque hæc quidem velut *Immatriculationis* ſpecies quædam erat, quæ in Academiis hodie obtinet.

Quarta lex Academica hæc eſt, quod Valentinianus *Hoſpitia* ſtudioſorum ſeu ſcholarium Cenſualibus, de quibus *ſupra*, quique una cum Magiſtro ceoſus ſub diſpoſitione Præfecti Vrbis erant, (vt præter *hanc leg.* integram, ac nominatim *verſ. verum*, docet vel *Notitia Imperii*:) nota eſſe velit: quo videlicet ii non ſinant ſcholares iis hoſpitiis vti, quibus a propoſito vel ab honeſtate abducantur: imo, vt diſerte hic dicitur, quo *et res imperitaut curam, quam ſe adſeruerint expetiuiſſe*: id eſt, vt id agant ſtudeantque ſchulates, cuius cauſa Romam miſſi ſuot ſeu venerunt: Non vero in locis Ædilem metuentibus, & damni conciliabulis hoſpitium figant. Atque id *ſollicite* Cenſuales agere iubentur, velut in vrbe omnis licentiæ, pro magnitudine videlicet Vrbis: vbi ſi hoſpitium moratum non ſit, fruſtra lubricam ætatem cohibeas, fruſtra ad ſtudia adigas, fruſtra ad frugem perducas.

Quinta lex, ſuperiori haud abſimilis, eſt: quod eoſdem Cenſuales *Conſortiis & Conuerſationis* ſcholarium inuigilare iubet: ne videlicet ad praua abducantur, & prauas *conſociationes*, quas Valentinianus *criminibus proximas putare ſeſe* ait. Recte omnino: cui ſimiles ſententiæ plures paſſim occurrunt, quibus inculcatur, ἀγαθοῖς ὁμιλεῖν oportere: quo pertinet etiam Menandri locus apud D. Paulum, 1. Cor. XV, 33. Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί: & illud eiusdem: κακοῖς ὁμιλῶν, καὐτὸς ἐκβήσῃ κακός: vt omittam alia, & in his Xenophontis *lib. I. ἀπομνημ. pag. 714. Oper. Edit. Leonclav.* & Theognidis *v. 35.* Baſilii item, & Cyrilli. Id vero vt in commune verum eſt & notiſſimum, ita in adoleſcentibus potiſſimum: Quo pertinet illud Plauti *Trinummo Act. II. ſcen. 2. v. 32. 33.* vbi adoleſcens ita de ſe:

Iſtæc ego mihi ſemper habui ætati integumentum mea,
Ne penetratem me vſquam, vbi eſſet damni conciliabulum.

Vide & Moſtellariam *Actu 1. ſc. 1. v. 20.* ac omnium maxime Romæ, vbi tot damni conciliabula erant, tot turpes, inhoneſtæ conſociationes, de quibus in partem dixi ad *l. 3. ſupr. ad leg. Iul. de adulteriis.*

Sexta lex Academica hæc Scholaribus Romæ, eorumque conuerſationi a Valentiniano Imp. figitur, ne *Spectacula* frequentius adeant. Immoderatum ſcilicet ſpectaculorum ſtudium omnibus qui grauioribus ſtudiis vel officiis incumbebant, vitio maxime datum: veluti Eccleſiaſticis, de quo videndi ſunt *canones Eccleſiaſtici.* Iudicibus item, ſeu Rectoribus Prouinciarum, *l. 2. ſupr. de officio Rectoris Prouinciæ*: & *l. 1. 2. 3. infr. de ſpectaculis*. Libanius *Oratione* quam edidi περὶ τῶν δεσμωτῶν *p. 62. 63.* & *pag. 405. 406. Oper. minor. Gothofr. Edit. Cl. Trotz.* Gregorius Nazianzenus *epiſt. 74.* vel *71.* Militibus item, de quo vid. Chryſoſtomi locum *homilia 14. in Timoth. 1. cap. 5.* in ἠθικῷ *in fin. pag. 1593. Edit. Commelin.* His adde ex *hac leg.* ſtudioſos. Quo tamen ſtudio ſicut Vrbs Roma in commune ardebat, ita & ipſemet ille Olybrius P. V. cui hæc conſtitutio inſcribitur, exarſit: quem ideo Ammianus Marcellinus, *lib. 28. cap. 4.* ſcribit, *ulteriorem vitam pene annem vergentem in luxum per argumenta ſcenica amoreſque, etſi nec vetitos, nec inceſtos, pergiſſe.* *Studioſi* igitur itidem ab immodico ſpectaculorum ſtudio *hac leg.* reuocantur. Prona quippe hæc, ſi quæ alia, morum corruptela, atque a ſtudiis abducendi materies, δεινὸν πρᾶγμα καταδουλώσασθαι τὸν νέον. Quo, vt & ad ſequentem mox *legem* pertinet protrepticon Petronii *cap. 4.* ad ſcholaſticos adoleſcentes, iuuenes ſtudioſos.

Artis ſeueræ ſi quis amat effectus,
Mentemque magnis applicat; prius mare
Frugalitatis lege polleat exacta:
Nec curet alta Regiam trucem vultu,
Clienſque COENAS impotentium captet:
Nec PERDITIS addictus, obruat VINO
Mentis calorem: neue PLAVSOR IN SCENA
Sedeat redemptus HISTRIONIÆ ADDICTVS. v. 200

Hinc adeo Libanius quoque in Codice Regio, *epiſtola ad Andrauicum 170.* & *in Edit. Wolfii 175.* Baſſum ex Phœnicia ſtudioſum eo commendat, quod ὕπνον Φυγὼν καὶ θεαμάτων ἡδονὰς βλαβερὰς, *ſomnium & noxia ſpectaculorum oblectamenta fugiens*, vnice ſtudiis & ſedulo incubuerit. Idque ipſum prædicat & de Fauſtino *ep. ad Italicianum 580. Edit. Wolff.* & de ſe ipſo adoleſcente *de vita ſua, p. 3. Edit. Morell.*

Septima lex Academica hæc conuerſationi pariter ſtudioſorum Romæ ponitur, ne *Conuiuia intempeſtiua* vulgo adpetant, ſeu commeſſentur. *Intempeſtiua* conuiuia ſunt ſiue frequentia, cum δεῖπνα δείπνοις συνείρονται; ſiue extra tempus, idque ſiue quia in noctem intempeſtiuam producuntur, trabuntur, vbi *nox patera ducitur, donec Iniiciat radios in mea vina dies*, vt Propertius, *lib. 4. epiſt. 6.* canit: & in lucem producta, vt Martialis *lib. 1. epig. 29.* Claudianus *l. 2. in Europ. v. 84.* vſque ad diurnam ſtellam craſtinam, vt Plautus *Menæch. Act. 1. ſc. 2. v. 62.* ἕωθεν *pag. 714.* Luciano in θεῶν Ἐκκλησίᾳ, & δικαστηρίοις, *pag. 223. Tom. II. Oper. Edit. Græv.* quæ & ipſa Intempeſtiua: non minus enim intempeſtiuum eſt, quod ante ſtatum tempus & præmaturum, quam quod vltra tempus trahitur: ſiue quia de die a primo die, vel multo die ante horam ſolitam, contra Maiorum diſciplinam: quæ *de die* conuiuia Curtio *lib. 5. cap. 7. num. 4.* dicuntur. Quintil. *declam. 260.* vbi de adoleſcente corrupto, *Cum ſodalibus iniit paulo tempeſtiuiora conuiuia.* Quorum poſtrema etiam *conuiuia tempeſtiua, cœna tempeſtiua*, apud alios dicuntur, quia ſcilicet tempori, mature, de tempore, ἕωθεν præmatura, atque ideo in vitio (niſi vbi officium aliquod veluti nuptiale intercederet, vel ſimile:) de quo multa V. C. Lipſius *ad 14. Annal. Taciti*, contra Turnebum *VI. Adu. 16.* & Manutium *de quæſitis per epiſtolam: 1. epiſt. 5. pag. 203. Tom. IV. Lampad. Gruteri.* Græcis δεῖπνον iſtud ἔνωρον, ἐνωρότερον, *temporius*, vel ἐνωρίτερον τοῦ καθεστηκότος καιροῦ, vel πρωιαίτερον, Græci etiam dicunt ἐν ὥρᾳ, *de bonne heure.* De quo Caſſaubonus *IV. Animad. in Athen. cap. 9.* quod τῶν ἀσότων erat. Cicero pro Muræna, *c. 6. Amœni loci, tempeſtiui conuiuii* (alii Codices habent *intempeſtiui*:) *multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio.* Alcæus hanc ἀσωτίαν notauit hiſce, πίνωμεν, δάκτυλος ἁμέρα, ſic & apud Chryſoſtomum *homilia 6. in cap. 1. Geneſ. in fin.* σύλλογοι ἄκαιροι, *intempeſtiua conuenticula*, & ἱπποδρομίαι, *circenſes ludi*, iunguntur. Contra, in laude apud Perſium *Satyra 5. primas* tantum *epulis decerpere noctis.* Intempeſtiua alioquin proprie nocturna, ſeu in multam noctem. Quem morem a Studioſis Athenis vſurpatum ſub Conſtantini M. extremis carpit Libanius *de vita ſua, p. 8. 9. Edit. Morell.* quo loco ſuam

ſuam Athenis (ſtudiis operantis) moram, ſuumque ab illis animum auerſum deſcribit. *Intempeſtiua* tandem conuiuia tertio quoque ſignificatu dicuntur, quæ tempori rebuſque gerendis, rerumque ſiue publicarum, ſiue priuatarum ſtatut non conueniunt, ſiue die ſiue nocte: vt apud Suetonium, *in vita Caligulæ*, *c.* 45. Curtium, *lib.* 6. *cap.* 2. *v.* 2. Tempeſtiui contra conuiuii mentio fit apud Apuleium, *in Apologia*, *p.* 283. *Edit. Lugd. Bat. apud Ioan. Mairo* 1623. quod ſcilicet ſuo ſtatoque & ſolemni tempore agitatur.

Octaua lex Academica hæc ſcholaribus a Valentiniano ponitur, quod iubeat, ſtudioſum, qui *Indigne* ſeſe in vrbe *gereret*, verberibus publice affici, vrbeque pelli, nauigioque impoſitum domum in Africam, in ſpecie *huius leg.* remitti. Quod quidem potiſſimum oſtendere videtur, quanta fuerit tum Romæ ſeu in Academia Romana Adoleſcentum & Scholarium hac tempeſtate licentia ſeu corruptela, quam grauiter adeo coerceri oportuerit, ſi *indigne* ſeſe gererent: quibus verbis non leue aliquod peccatum indicatur, verum indigna plane ſtudioſo vita. Quod de Adoleſcentibus *nauigio imponendis*, hic additur, haud abſimilis protſus mos, etſi fine diſpari, quo delatores olim vrbe pulſi, nauigioque impoſiti; de quo Martialis, & Plinius *Panegyrico*. *c.* 42. Et hactenus quidem *leges*, quibus, pœnarum etiam metu adoleſcentes ſeu ſtudioſi in officio habiti, modeſtiaque eorum & diligentia circa ſtudia Romæ exhibita.

Noua nunc lex ſequitur Academica, de SPATIO ſeu *Tempore* ſtudiis præſtituto Romæ. Valentinianus Imp. ſcilicet ſtudioſis ſeu ſcholaribus ad viceſimum ætatis annum vſque Romæ commorandi ſtudiorum cauſa, atque adeo ſtudiis incumbendi poteſtatem facit. Viceſimus ſcilicet iam olim annus meta fuit finiſque ſtudiorum: vt & inſtructionis in commune, quod docet quoque *lex.* 3. *§.* 5. *D. vbi pupillus educari.* Aliquando & alicubi fuit vigeſimus quintus tempore Diocletiani & Maximiani, vt docet *lex* 1. & 2. *Cod. Iuſt. qui ætate vel profeſſione ſe excuſ.* E quibus *lex* 1. ſingularis admodum hic ſterni meretur.

Impp. Diocletianus & Maximianus AA. Seuerino & aliis ſcholaribus Arabiæ.

Cum vos adfirmetis, liberalibus ſtudiis operam dare, maxime circa IVRIS profeſſionem, conſiſtendo in ciuitate Berytiorum Prouinciæ Phœnitiæ. prouidendo vtilitati publicæ & ſpei veſtræ, decernimus, vt ſinguli vſque ad viceſimum quintum annum ætatis ſuæ ſtudiis non auocentur. De Berytienſi equidem Iuris Academia celeberrima alibi dixi plene: at nunc notandum, eam *legem* inſcribi *ſcholaribus Arabiæ*; hi ſcilicet e vicina Arabia & contermina, Iuris ſtudii ergo Berytum paſſim commeabant: Qui quidem ipſi Scholares Arabiæ velut ſub certo Corpore, ſchola, πληρώματι eg ſſe videri poſſint, vt in nonnullis hodie Academiis Scholares in nationes & Prouincias diſtinguuntur. Ad idem ſtudiorum ſpatium ſeu tempus pertinet quoque Alexandri Seueri Imperatoris *lex* 2. *Cod. Iuſt. de incolis:* vbi dicitur, nec ipſos qui ſtudiorum cauſa aliquo loco morantur, veluti in ſplendidiſſima ciuitate Laodicenorum, domicilium ibi habere credi, niſi *decem annis tranſactis* eo loco ſibi ſedes conſtituerint, ſecundum epiſtolam D. Hadriani. Nempe olim a duodecimo ferme anno ad 14. vſque pueri ſtudiis liberalibus imbuebantur, id eſt, Grammaticos & Geometras adibant, teſte *Ægineta* περὶ διαίτης νηπίων *lib.* 1. *cap* 14. & *l.* 21. *§. vltim. D. de min. leg.* inde poſt decimumquartum ætatis annum ad ſcholas ſeu Academias mittebantur, Maioribus ſcientiis imbuendi: puta Eloquentiæ, Philoſophiæ, Mathematicæ, IVRIQVE: Quo pertinet omnino Pauli Æginetæ conſilium *d. lib.* 1. *cap.* 14. cuius verba aliaque plura retuli ad *l.* 1. *ſupr. de excuſat. artif.* Quinquennium proinde ſtudiis ſufficere viſum; Quinquennium ſcilicet quod eſt a tyrocinio ac ſumpta virili toga ad annum vſque viceſimum. Quo temporis ſpatio maxima cuſtodia adoleſcentes indigent teſte Cicerone *pro M. Cælio*, *c.* 5. Idemque ait Artemidorus *l.* 1. *c.* 56. & ex eo Suidas *voc.* ἔφηβος: ἡ δὲ ἐφηβεία καιρὸν ἦν ὀρθοῦ βίου καὶ ὑγιοῦς. Eodemque pertinet quod Polybius ſcribit in Excerptis Valeſ. *p.* 153. quo ſpectat & *lex* 3. *§. pen. D. vbi pupillus educ.* Ad viceſimum igitur ætatis annum vſque ſtudioſis in Academia Romana ſtudendi licentia a Valentiniano Imp. *hac leg.* tribuitur. Et quia ſufficere id tempus ad curſum ſtudiorum vt loquuntur, abſoluendum viſum, & ne ſtudiorum obtentu diutius patriæ munera defugerent: quo *hæc* quoque *lex* reſpicit, & *d. l.* 1. 2. *Cod. Iuſt. qui ætate, vel profeſſ.* & *d. l.* 2. *Cod. Iuſt. de incolis.* p. 101 Huic vero ſimile quid de ſcholiantans priuilegio, vide apud Paponium *Placitorum lib.* 5. *tit. vltim. arreſto* 1. Cæterum quod legitimum ſtudiorum tempus attinet: Iuris quoque ſtudio quinquennium a Iuſtiniano fixum *Conſtit. omnem Reipubl.* Quod etiam Salmanticæ ſtatutum memorant: Iure Pontificio, Theologiæ quinquennium itidem, *cap. vlt. de Magiſtr.* iuris vero Pontificii ſeptennium, *c. ex eo, de elect. in.* 6. Neque mirum, *hac* Valentiniani *leg.* ſtudiorum curſui abſoluendo viceſimum ætatis annum poni, (*) quia iuuentus Romana ancillaribus iam artibus domi ab ineunte ætate affatim inſtructa, maioribus diſciplinis addiſcendis ad Academias mittebatur, cum ad primores artes illas probe adſequendas multo tempore magnoque hodie labore & moroſitate opus eſt. Vt proinde hodie non ſtatim viceſimus annus ſtudiis abſoluendis poni debeat *huius leg.* argumento.

Decima lex Academica hæc a Valentiniano ponitur, quod iubeatur Præfectus Vrbis Romæ commonere Officium Cenſuale, (quod ſub diſpoſitione Præfecti Vrbis erat,) ſeu Cenſuales illos ipſos, qui *ſupra* iuſſi ſunt ſcholaribus inuigilare, ſiue in ipſo ad Vrbem Romam aduentu, ſiue in hoſpitandis iis, ſiue in officio continendis, ne ſuperiora perfunctorie fortaſſe curentur, *breuibus* ſuis, ſeu *Matricula*, ſic vt dicam, ſtudioſorum nomina adnotare per ſingulos menſes, Quinam ſtudioſi vel vnde venerint? quinam pro ratione temporis, Romæ ſcilicet exacti, domum remittendi ſint: Poſtremum iſtud ſcilicet ne diuturniorem moram Romæ peragerent, quam tempus legitimum quod dixi ferret. Sub hac tamen exceptione; *Exceptis bis*, inquit, *qui Corporatorum ſunt oneribus adiuncti*, (**) id eſt, exceptis iis Iuuenibus Scholaribus, qui cum ſtudiorum cauſa Romæ agerent, eo tempore

(*) *CONRINGIVS in differtat. ad h. l. pag.* 45. ad verba, *vſque ad viceſimum* &c. hoc notat. Licuit nimirum, niſi fallor ipſum annum viceſimum Romæ in ſtudiis abſoluere; Adeo benigne ſcilicet interpretanda arbitror 'a verba, *vſque ad viceſimum ætatis annum:* quæ fateor accipi etiam poſſint, quaſi & illum annum Romæ degere fuerit vetitum.

(**) *CONRINGIVS differt. cit. pag.* 84. fatetur ingenue, ſe non capere hæc verba, & multis de Corporatis diſputat, quorum notitiam tamen pleniorem ex noſtri Commentario *ad tit.* 2. huius libri haurire lectores poſſunt.

pore Corpori alicui Vrbis Romæ ſociati fuerunt. Peregrini ſcilicet Romæ agentes corporatis adnecti potuerunt ſæpeque ſoliti: vt præter *hanc legem* docet quoque *lex vnic. de Equeſtri dignitate:* vid. & quæ noto ad *l. vnic. de Mancipibus:* docet & Ambroſius *lib. 3. officior. c. 7.* vbi inter peregrinos ob famem Vrbe Roma eiectos, etiam Corporatos memorat: vid. & Nouellam Valent. inter Theodoſianas *de Pentapolis 40.* Et in his quidem Scholares, qui inde iam incolæ, vt in ſp. *d. l. 2. Cod. Iuſt. de incolis:* & Corporati. Ratio huius exceptionis hæc eſt, quod cum ordinarie Studioſi vltra legitimum tempus Romæ morati non poſſint, ne diutius his ſpatiis defraudetur, muneraque adeo publica illi declinent, certe aliorum ciuitatum vtilitatem communi patriæ, Romæ inquam, pro reuerentia Vrbis æternæ, vt loquitur idem Valentinianus, *l. 1. in* honorem æternæ vrbis, *l. 3.* cedere æquum ſit: cuius intereſt Corporatis eam augeri, vt videlicet neceſſitatibus publicis ibi conſulerent. Atque hoc inter extera priuilegium notandum eſt, vt Vrbis Romæ, ita & Corporatorum eius vrbis: de quibus alioquin priuilegiis Corporatorum eſt *titulus* peculiaris *ſupra*, hoc ipſo *libro*. Neque mirum ſtudiis quoque imbutos Corporatorum Corpori ſeſe ſociaſſe; nam & quædam proculdubio Corpora erant, in quibus litterarum peritia deſiderabatur.

Poſtrema lex Academica iſthæc ponitur a Valentiniano, ac velut omnium *legum Academicarum* clauſula, quod iubeat, hos ipſos *Breues* ſeu ſtudioſorum Matriculam ad ſcrinia ſua, ſeu ad *ſe Principem mitti:* non quidem ſingulis menſibus, ſed ſingulis annis: Studioſorum inquam, qui Romæ ſtudiis operarentur, vel operati domum remitterentur, remittendiue eſſent: Vt ita, quæ ratio hic expreſſe additur; *Meritis ſingulorum inſtitutionibusque compertis, vtrum quandoque futuri ſibi*, Principi, *ſint neceſſarii*, publiceque adeo vtiles, *iudicare ipſe poſſit.* Quod quidem egregium Valentiniani inſtitutum eſt, & laude cumprimis dignum. Cui geminum eſt Valentis inſtitutum hoc ipſo tempore, quem Themiſtius *orat. 11. pag. 256. Edit. Petauii Flexiæ 1613. in 8.* ait, *iuuenum animos, ad ſtudia plurimum inflammaſſe:* ἠρέθισε, inquit, τὰς ψυχὰς τῶν νέων ἐπὶ τοὺς λόγους. Huic ſane proxime accedit, quod Iuſtinianus præfatione Inſtitutionibus præmiſſa ad cupidam Legum iuuentutem ſcribit §. *vlt. Summa itaque ope & alacri ſtudio has leges noſtras accipite, & voſmet ipſos ſic eruditos oſtendite, vt SPES vos pulcherrima foueat, toto legitimo opere perfecto, poſſe etiam noſtram REMPVBLICAM in partibus eius vobis credendis gubernari.* Sic igitur Valentinianus vtilitati publicæ ſimul & Spei ſcholarium conſultum voluit: vt in ſp. quoque *d. l. 1. Cod. Iuſt. qui ætate vel profeſſione*, conſulitur. Quibus adde & ſimilia ex conſtitutione ad Anteceſſores §. 6. & 11. *ſeu vltim.* Quomodo & eidem *ſpei* alia adhuc ratione Conſtantium conſuluiſſe Auctor eſt Eumenius *Orat. pro ſcholis inſtaurandis, cap. 5.* Et vero non vltima hæc Principis laus & virtus eſt, non modo vt iuuenum indoli conſultum velit, idque agere vt ingenuis artibus erudiantur, verum & eorum merita noſſe: vnde poſtea ſuo tempore eos in partem curarum adſciſcere, Reique publicæ admouere poſſit. Hac igitur de cauſa Valentinianus ad ſe Principem de ſtudioſis referri voluit. Certe Iulianus Apoſtata quoque, de Magiſtris ſtudiorum Doctoribusque qui iudicio Ordinis, id eſt, Curiæ, probati fuiſſent, ad ſe referri voluit, hac equidem ratione prælata, vt altiore quodam honore ſuo iudicio ad ſtudia ciuitatum accederent, *l. 5. infr.* & *Cod. Iuſtin. l. 7. de Medicis & Profeſſoribus:* verum ſecretior illi adhuc cauſa quædam fuit: de qua *ad eam leg.* Et quid ſi Valentiniano quoque *hac ipſa lege* ſecretior cauſa fuit, vt ita ſcilicet Chriſtianos potiſſimum & Chriſtianorum ſobolem, qui ſtudiis operam dediſſent, ſibi Reique publicæ admoueret? Quod non adeo puto: nam *Olybrius* ipſe P. V cui *hæc lex* inſcribitur, paganus erat. Et quid ſi etiam arcano quodam politico Valentinianus id ita conſtituit, vt ita noſſet quænam pubes velut Prouinciarum obſes Romæ ageret? Sed nos rationi, quam Valentinianus ipſe reddit acquieſcamus. Atque illud, vt eo nunc redeam, imprimis notemus, *Sexennium* ferme ſtudio & quidem Ivris in Academia Romana *hac* Valentiniani *conſtitutione* præſtitui, prouidaque ſanctione; his inquam qui Stvdio operam profeſſionibus nauarent, quique legitimo ſpatio decurſo, Reipublicæ neceſſarii eſſe poſſent.

Ad hoc exemplum, vos, penes quos Imperium eſt, ſaluſque publica curæ eſſe debet, hodie prouocamus. Eia qui iuuentutis veſtræ indoli conſultum cupitis, qui adoleſcentum ſpei, quique adeo Rempublicam ſaluam vultis, ſimilem curam capeſſite, Annuariamque hodie ſtudiis ac nominatim Iuriſprudentiæ, legem figite, a qua Iuuenes in forum, vel ad rerum actum, aut Tribunalia mitti recte poſſint.

---

p. 202 *De* Antiqvariis, *& de* Cvstodibvs *Bibliothecæ Conſtantinopol. Valentis lex.*

II. (a) Idem AAA. Clearcho P. V. (b)

Antiqvarios, ad Bibliothecæ (c) codices componendos, vel pro vetuſtate reparandos, quatuor Græcos, & tres Latinos, ſcribendi peritos, legi (d) iubemus; quibus de caducis popularibus (& ipſi etenim videntur e populo) competentes impertiantur annonæ: Ad eiuſdem Bibliothecæ cuſtodiam Condicionalibus & requirendis & protinus adponendis. (e) Dat. VIII. Id. Maij, Modeſto & Arintheo Coſs. (372.)

N O T Æ.

(a) Abeſt & *hæc lex* a *Cod. Iuſtin.* Iungendæ autem ei *lex 20. ſupr. de Prætoribus:* & emendato die, *lex 7. infr. de annonis ciuicis.* GOTTOHF.

(b) Conſtantinopol. Meminit huius *Clearchi* P. V. Conſtantinop. Socrates *lib. 4. cap. 8.* & Hieronymus *Chronico*, Ann. 374. vid. *Proſopogr.* ID.

P.193. *Cum quibus historiam fingit', vt Deum (Deam,*
Nemesin scilicet) *adornet:*
Ipse sibi nescit diuinare, cæteris audet:
Succollat quando libet eum, (eam) & quando, deponit,
Vertitur a se rotans cum ligno bifurci,
At si putes illum afflatum numine ligni.
Non Deos vos colitis, quos ipsi falsè prophetant,
Ipsas Sacerdotes colitis, in vano timentes:
Sed si corde viges, fuge iam sacraria mortis.

Ex his Commodiani verbis colligimus: 1. *Nemesiacos* hos fuisse de *Vanorum* hominum genere aliquos, 2. qui videlicet madidi, Ligno bifurci, tanquam numine, ludos publice collecta turba agebant, ibique ligno modo succollato, modo deposito, bacchantes rotantesque, fabulam aliquam fingebant, Diuinos se & Prophetas agentes, fataque hominum explicantes, atque ita stipem emendicabant. *Diseurs de bonne fortune, ou avanture. Nemesiaci*, a Dea Nemesi, quæ eadem est cum bona Fortuna. Hesychius; Ἀγαθὴ τύχη ἡ νέμεσις καὶ ἡ θέμις. Denique Nemesia & Noctis & Iustitiæ nuncia vel filia, sanctorum dispensatrix, vltrix facinorum impiorum, bonorum præmiatrix, arbitra rerum, regina causarum, credita. Nemesiaci a Nemesi Dea: de qua vid. & quæ Plinius, *lib. 28. cap. 2.* sicut *Didemarii* apud eundem Commodianum ab Apolline Didymæo: cuius oraculum Milesium in Asia olim solemne fuisse notum est: cuius meminit etiam præter alios Sozomenus, *lib. 1. cap. 7.* vbi de Licinii interitu agit. Et hæc de Nemesiacis.

Signiferi post hos, sed his proximi iunguntur: qui scilicet signa, & in his Deorum, ferebant in pompis, festis, ludicris gentilitiis: de quibus signis iam dixi ad *l. 5. supr. hoc tit.*

His Signiferis vicini sunt *Cantabrarii*, qui in pompis *Cantabra* ferebant, vexilliferi. De quibus Cantabris iam alii, & nos ipsi alibi. De his Patres, qui pro Christianis Apologias aduersus Gentes scripsere. Minutius Felix, *in Octauio cap. 29. Vos plane, qui ligneos Deos consecratis, cruces ligneas, vt Deorum vestrorum partes, forsitan adoratis. Nam & SIGNA ipsa, & CANTABRA, & vexilla castrorum, quid aliud quam inaurata Cruces sunt & ornata?* Tertullianus *Apolog. cap. 16. Siphara illa vexillorum & Cantabrorum, stola Crucum sunt.* Idem ad Nationes *lib. 1. c. 12. in fin. Sic etiam in Cantabris, atque vexillis (qua non minore sanctitate militia custodit) Siphara illa, vestes crucum sunt.* Vetus Gloss. Cantabra, *vexilla, pallia*; Cantabra itaque erant signa, vexilla παραπετάσματα ἐκ πορφύρας καὶ χρυσοῦ ferme, vt Cedrenus appellat *in Compend. hist. pag. 169. inter Script. R. B. Ed. reg.* quæ in pompis publicis & solemnitatibus lata per vrbem, iuxta cum signis Deorum: quibus signis ferendis, *Signiferi*, vt illis *Cantabrarii* vacabant: *Bannieres, porteurs de Bannieres aux Festes.* Quare & Signiferis Cantabrarii hic iunguntur, quomodo & Cantabra vexillis & signis apud Patres *superioribus locis.* Erant igitur hi, qui ferebant in pompis vexilla collegiorum Templorum, signaque, de quibus Vopiscus in *Aureliano cap. 34.* Trebellius in *Gallieno cap. 8.* Quid vero inter Vexilla & Cantabra esset? quæsierunt Viri Docti. Est qui putat *Vexilla* fuisse vela pura, colore suo nihilominus nota: *Cantabra* vero, quæ non colore modo nota erant, sed & carmine seu nomine aliquo inscripta cantabant, siue significabant illis aliquid grati & iucundi: sic vt Cantabra quidem Vexilla essent; sed non omnia Vexilla, Cantabra: allato etiam loco ex Dionis *lib. 40. pag. 128. 129. Edit. Wechel.* vbi de rebus infaustis, quæ M. Crasso acciderunt aduersus Parthos mouenti: *σημείων δέ τι τῶν μεγάλων, τοῖς ἱστίοις ἐοικότων, καὶ φοινικᾶ γράμματα ἐπ' αὐτῆς πρὸς δήλωσιν τῆ τε στρατοῦ καὶ τοῦ στρατηγοῦ σφῶν τοῦ αὐτοκράτορος ἐχόντων, ἐς τὸν ποταμὸν ἀπὸ τῆς γεφύρας περιτραπὲν ἐνέπεσε: vexillum praterea quoddam ex eorum numero, qua magna velorumque similia sunt, inscriptum puniceis literis ad notitiam exercitus imperatorisque faciendam euersum vi vehementis venti, a ponte in flumen decidit.* Si ariolari licet, Cantabra videntur fuisse origine vexilla Parthica: vocabulo composito ex voce κάνδυς, quod est χιτὼν περσικός, ὃν ἐκπορποῦνται οἱ στρατιῶται: & altera voce Parthica, τάβρα, quod quid sit nescio: quorum Parthorum vox quoque est ταβάλα, quo in bello vtebantur: vid. Hesychium.

De *Vituttariis* tandem videamus, qui Nemesiacis, Signiferis, Cantabrariis, *hac leg.* iunguntur, imo primo loco ante hos omnes, sed cum *Nemesiacis* proxime nominantur. Vnde statim argumentum desumi potest, insigniore aliquo ministerio hos censitos, & tamen proximo cum Nemesiacis; quemadmodum Cantabrarii proximo cum signiferis. Igitur & hos vanorum hominum & ludionum numero fuisse oportet. Quare, quod *Vecturiarios* hic quidam tentarent nihili est: quibus vtique cum Nemesiacis, Signiferis, Cantabrariis nil commune est. Adde, quod illi Corporati V. R. hi Collegiati vrbium singularum fuere. An igitur *vitriarii* hic reponendi, de quibus & *l. 2. supr. de excusat. artificum:* id est, vitrorum conflatores, ὑαλουργοί: de quibus præter Strabonem *lib. 16. pag. 1099. Edit. Almelouen.* Lampridius, *in Alexandro Seuero c. 24. Brattariorum, Linteonum, Vitreariorum*, &c. *vectigal instituit.* Vopiscus *Saturnino, init.* vbi de Alexandria: *Ciuitas opulenta, diues, fœcunda: in qua nemo viuat otiosus: alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur, omnes certe cuiuscumque artis & videntur & habentur.* Et in *Firmo, cap. 3.* qui Aureliani temporibus Ægyptum occupauerat. *De huius diuitiis multa dicuntur, nam & vitreis quadraturis bitumine aliisque medicamentis insertis domum induxisse perhibetur, & tantum habuisse de chartis.* Verum neque hi stare hic possunt, quibus nulla cum Nemesiacis, Signiferis, Cantabrariis affinitas intercedit: cum Vitriarii Artificum numero fuerint, vt docet quoque *dicta lex 2.* An *Vittarios* igitur hic admittamus, a vittis ταινίαις, quarum frequens in sacris Gentilium vsus erat, neque tantum in Sacerdotibus & Victimis, verum etiam in pompis? An potius *Butinarii*, qui apud Cyprianum *ep. 39. siv. 42.* qui vel butina & acetabula faciebant, vel iis ludos agebant: *Butina*, vel βύτινα, βύτζια, lagenæ, vasa, acetabula, dogæ id genus. An vero *Victuriarii*, id est, Victoriarii, vel *Victuriarii*, vt in *Indice Pithoëano* expressum, quasi victorias flantes, victorumque & triumphantium habitu coronati populo ludos facientes? Nam & Nemesiaci his iunguntur. *Nemesis* autem & *Victoria* cognata numina: & cæteri quoque bellicum ita quid & faustum spirantes: Signiferi scilicet & Cantabrarii: *Victoria*, & *victuria*, *victorius* & *victurius* promiscue in MSS. Verum nihil horum placet. Illud ex *hac leg.* satis liquet, vel saltem colligitur, *Vituttiarios*, sui spectaculum præbuisse populo, pariter vt Nemesiacos, ludosque populo fecisse, diuinitatis alicuius obtentu. Et quid si *Vidumarios*, illos ipsos hic reponamus, de quibus Commodianus? Certe ductus apicum haud adeo

adeo respuant hanc emendotionem *Vitutiarios Vidumarios: Vidumarii & Didumarii*, δ in β mutando, quod ohoquin Æoles fecere. Commodianus de his. *Instruction. n. 17. pag. 14. Tom. XXVII. Bibl. Patr.*

De simvlacris eorvm (Deorum Dearumque.)

Deludunt nos pauci scelerati, Vates inanes,
Extricare suam dum quarunt vitam,
Subornant aliis (a) *esse sub mysteria,* (b) *falsum.*
Inde simulantes, concuti Numine quodam,
p. 194 *Maiestatemque sanant, & sub figura fatigant,*
Vidistis sæpe DIDEMARIOS, quali fragore
Lusorias ineunt, dum furias fingere (c) *quærunt,*
Aut cum dorsa sua alliduut parca (d) *bipenne,*
Cum doctrina (e) *sua seruant quod cruore sanant:* (f)
Respuite (g) *quo non* (h) *illos nomine* (i) *cogunt,*
Ipsi (k) *qui se primum componunt integra mente,*
Sed stipem vt tollant, ingenia talia quærunt.
Ex eo videte, quoniam sunt, omnia ficta;
Obumbrant populum supplice, (l) *perituri ne credant.* (m)
Res semel in (n) *vano de vetustate processit*
Vt Vatici manti (o) *credatur: prodenti falsa.*
Maiestas autem eorum nulla locutus (p) *est.*

(a) *esse sub*, pro subesse.
(b) Accusatiuo modo.
(c) id est fingunt, fictum eunt.
(d) *haud parca*, vel *parua*. Al. *spurea*.
(e) *de vstrina:* an *doctrina*, pro *industria*?
(f) γρ. *saniant.*
(g) *Respicite.*
(h) *quonam.*
(i) γρ. *Numina.*
(k) *Ipsique se.* Al. *ipsis.*
(l) *supplices.* Al. *simplicem.*
(m) *ni credant.*
(n) sic *sup.* de Nemesiacis. *Ipsos Sacerdotes colitis in vano timentes.*
(o) *vaticinanti.*
(p) *locuta est.*

Vt in hanc sententiam concedam, non vna ratio facit. Primo, quod Commodianus iunctim & continuo filo de his *Vidumariis* seu *Didumariis* & de *Nemesiacis* agit, pariter vt iidem *hac leg.* iunguntur. Secundo, quod & hi pariter vt Nemesiaci Vatum, imo vanorum hominum genus fuerint. Tandem, vt Commodiani carmina ad Africam pertinent, ita & eodem *hæc lex* pertinere potest, quandoquidem ea data est ad *Libertum PP. Italiæ*, & sic Africæ quoque. His vero similes erant & Dendrophori & Frediani: de quibus in eiusdem Honorii *leg. 20. infr. de Paganis:* qui ligna seu arbores in honorem Deorum ferebant: de quibus ad *eam leg.* vel qui simulachra Deorum ferendo rotabant, quasi ἐν τῷ Φέρειν διανύοντες.

Vt ad *huius leg.* sententiam redeamus, Honorius eos omnes, de quibus modo dixi, ad ciuitates suas reuocari vult, non obstante rescripto vel indulgentia Principis. Nempe ob vna parte afflictæ hac tempestate vrbes, tristia sua, horum Collegiatorum quos dixi oblectamentis, consolari expetebant; ob altera vero, desertæ ciuitates, numero suo replendæ visæ: Quare & Collegiati & Corporati ad sua reuocari iussi *hac leg.* vt & Decuriones *d. l. 170. supr. de Decurionib.* & cohortales, *d. l. 25. supr. de cohortalibus:* quæ huic legi vti dixi iungendæ sunt, tanquam vnius & eiusdem constitutionis partes. Qua ipsa ratione hoc ipso Anno idem Honorius Corporatos V. R. in peregrina transgressos reuocari iussit, *l. vlt. supr. de priuil. corp. V. R.* Scilicet quod mirum satis, Honorius gentilitia huiusmodi corpora ferri posse ratus est, citra contemtum Religionis Christianæ, partim quia voluptatibus publicis deseruirent. Qui sane sensus eius fuit apertissime, *l. 17. infr. de Paganis: Vt profanos ritus*, inquit, *iam salubri lege submouimus, ita festos conuentus ciuium, & communem omnium lætitiam non patimur submoueri: vnde absque vllo sacrificio atque vlla superstitione damnabili, exhibere populo voluptates secundum veterem consuetudinem, inire etiam festa conuiuia, si quando exigunt publica vota, decernimus.* Quæ quidem *lex* ab Honorio data est, contra quam petierant Patres Africani, *Canone 6. Concilii Carthaginensis*, seu *Canone 61. Cod. Africau.* vbi etiam questi fuerant Patres, quod *Corporati* ad spectacula tum conuenire cogerentur.

DE CENTONARIIS
ET DENDROFORIS.

TITVLVS VIII.

Abest hic *Titulus* a *Codice Iustinianeo.*

PARATITLON.

Centonarii de quibus *Rubrica huius tituli*, & *vtraque eius lege*, & *l. 162. supr. de Decurionibus:* item Dendrofori, de quibus præter *Rubricam*, & *l. 1. hoc tit.* Fabri de quibus *lib. 1. hoc tit.* & *l. 62. supr. de Decurionibus.* fuerunt Corpora, *l. 1.* & 2. & *d. l. 162.* officia, *d. l. 62.* in singulis ferme oppidis *d. l. 1.* Ex corpore Centonariorum nemo se ad Curiam conferre poterat; *d. l. 2.* & vicissim, *d. l. 162.*

L. (a)

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad EVAGRIVM. (b) PF. P.

AD omnes Iudices (c) litteras dare Tuam conuenit Grauitatem, (d) vt in quibuscunque oppidis Dendrofori fuerint, Centonariorum adque Fabrorum (e) adnectantur: quoniam hæc corpora frequentia hominum multiplicari expediet. (f) Dat. XIV. Kalend. Octobr. Naisso, Acc. VIII. Id, Nouemb. Constantino A. IV. & Licinio IV. Coss. (315.)

P.195

N O T Æ.

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iustin.* *GOTHOF.*

(b) *Euagrius* PP. sub Constantino M. Eidem inscribitur hoc Anno post mensem, *l. 1. infr. de Iudeis*: v. *Prosopogr.* *ID.*

(c) *Iudices* seu Rectores Prouinciarum sub PP. dispositione fuere. *ID.*

(d) *Grauitatis* titulus Præfectis Prætorio tributus sub Constantino M. *ID.*

(e) *Corpora*, vel *corporibus* supplendum. *ID.*

(f) *Expedit.* *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

DENDROPHORORVM corpus, Centonariorum & Fabrorum corpori in oppidis voiri, adnecti, & sic vnum in collegium sociari, iubet *hac leg.* Constantinus M. Anno D. 315. Ratione addita, *Quod expediat hæc corpora frequentia hominum multiplicari.* Quod omne obscurum est quamdiu nescitur, quid & in quo occupata fuerint hæc collegia seu corpora. DENDROPHORORVM equidem, Centonariorum, (quorum etiam fit mentio *l. 162. supr. de Decurion.*) Fabrorum (quorum etiam mentio *l. 62. supr. de Decurion.*) frequens admodum mentio occurrit in veteribus *Inscriptionibus*, sed quibus excussis vel diligentissime, e nulla earum vel minimo indicio discere possis, in quo fuerint occupata hæc Corpora. *Fabrorum* equidem professio notior esse possit, quorum etiam duo genera Dendrophoris & Centonariis iunguntur, nempe alii Ferrarii, alii Tignarii: sed quid commune habuerint hæc Corpora actu seu genere vitæ, non liquet ex illis *Inscriptionibus*.

De *Dendrophoris*, quorum tam frequens iam ante *Cod. Theod. editum*, mentio occurrerat, ita nonnulli putabant, eos esse, qui in castris ligna militibus cædebant & in castra deferebant, vel qui materiam ad bellicas machinas aduehebant. Verum horum sententia recte explosa est ab Alciato I. *Prætermissorum v. Militia.* Et tamen post *Codicem Theodosianum editum* nonnulli adhuc opinati sunt, Dendrophoros fuisse, qui nemora cæderent, carbones torrerent, ad vsum balnearum, ædium, nauium, & ad arma fabricanda: sicuti Collegio Fabrorum ad vsum fabricandorum armorum legata dicuntur, *l. 93. § pen. D. de legat.* 3. Alii & in his Cuiacius *VII. Obseru. 30.* eosdem faciunt cum Dendrophoris qui memorantur *l. 20. infr. de Paganis*: vbi ita Honorius, *Omnis expensa illius temporis ad superstitionem pertinens, quæ iure damnata est, omniaque loca quæ Frediani, quæ Dendrophori, quæ singula quæque nomina & Professiones Gentilitiæ tenuerunt, epbolis vel sumptibus deputata, fas est hoc errore submoto, compendia nostra domus sublevare.* Et ita ferme hodie censent: Ita olim ipse censui, *notis ad d. l. 20.* nempe Dendrophoros de quibus *hoc titulo* agitur, & in *Veteribus Inscriptionibus* eosdem videri cum illis, vbi & argumenta quædam cur ita sentirem collegi: ac nominatim quod vt hic, ita & *d. l. 20.* de Centonariis agatur: item quod *hic titulus de Centonariis & Dendrophoris* subiiciatur superiori *de Collegiatis*: quo quidem (vt hoc addam) de similibus professionibus agitur, puta de Vitutiariis, Nemesiacis, Signiferis, Cantabrariis. Verum ab hac sententia me reuocant nunc alia. Per Africam equidem qui Dendrophori, qui Centonarii item memorantur *d. l. 20.* professiones Gentilitiæ erant: Atqui hi, de quibus *hoc titulo*, num item. Primum argumentum sumo ex coniunctione Fabrorum: quid enim quæso *fabrili* arti cum professione illa Gentilitia, quæ in eo consistebat, vt ligna, vt arbores per vrbem humeris ferrent, seu vt loquitur Commodianus, *succollarent?* Deinde species mihi sis Constantinum M. Christianum Principem, huiusce constitutionis Authorem: si Centonarii hi, si Dendrophori Religionis vel superstitionis Gentilitiæ numero fuissent, an dicturum putaremus, *Expedire hæc corpora frequentia hominum multiplicari?* Vnde iam quoque apparet, de eorum errore, qui a Dendrophororum & Centonariorum Collegiis Gentilitiis Christianos non abhorruisse scribunt. Quibus sane refragantur ea quæ definiuntur *l. 1. infr. de fide Cathol. l. 112. de Decurionib. l. 5. de Episcopis*: ad quas *leges* vid. quæ notaui. Tertio Centonarii de quibus *d. l. 20.* agitur, *Centenarii* sunt, non *Centonarii*, & Chiliarchis iunguntur, & sic a numero his nomen inditum: At qui Dendrophoris iunguntur, & *hoc titulo*, & in *Inscriptionibus* constanter *Centonarii* vocantur: non ergo a numero, non proinde Centonarii iidem cum Centenariis. Verum in hoc pedem non figo. Quare, vt tandem dicam, omnes & *Dendrophori*, & *Centonarii*, circa domos seu ædificia, & quidem sarta tecta habenda occupati fuisse videntur. Et *Fabri* quidem, non tantum ad opera excitanda, verum ad incendia compescenda: quo fine iam olim collegium huiusmodi Fabrorum Nicomediæ institui voluit Plinius Bithyniæ Rector, *lib. 10. epist. 42.* Deque hoc Fabrorum collegio, & quidem Romæ accipio *legem 62 supr. de Decurionib.* vbi aliquid etiam de hoc Fabrorum collegio. Adde, in *Glossario* Fabros τεχνιτὰς explicari. Quid *Centonarii?* Putet quis Centonarios dictos, a *Centonibus* conficiendis; vel etiam venumdandis; quos Pater familias quisque ad tutelam domus suæ, & in instrumento domus habebat, instrumentoque domus continebantur, *l. 12. §. 16. & seqq. D. de instructo vel instrum. legata*: quæ denique vel tempestatis arcendæ, vel incendii causa, & huius proprie causa, habebantur: de quibus ex *Sisenna*, *Cæsare*, *Vegetio*, iam alii dixere. Item quæ voluptatis gratia habebantur; puta vela, vt & quæ frigoris causa, vel vmbræ in domo erant: item vela Cilicia, quæ ideo parabantur, ne ædificia vento vel pluuia laborarent, & vela quæ in hypethris extendebantur, & circa columnas. Hæc ita forte quis putet. Verum malim ego, argumento Dendrophororum &

Fa-

Fabrorum, *Centenarios* hic accipere & restitui, qui materias scilicet maiores, centenarias cædebant, parabant, venundabant. *Centenarii* vox tralatitia de rebus quibusque hunc numerum exæquantibus. Sic Centenariæ rosæ, Tertulliano, *de corona militis, cap. 14.* Centenarii nummi Lampridio, *in Alexandro Seuero c. 39.* pecuniæ maiorinæ vel centenionales, *l. 1. supr. si quis pecun. conf.* Balistæ centenariæ & talentariæ Lucilio & Sisennæ apud Nonium *cap. 18. num. 22.* de quibus Lipsius *in Poliorcet. p. 130.* sic & Quinquagenariæ longioresque materiæ Ammiano Marcellino *lib. 18. cap. 2.* fistulæ Quinquagenariæ, Vitruuio, *lib. 8. cap. 7.* Quinquagenarius thorax, & quinquagenaria & centenaria pondera, Plinio *lib. 7. cap. 20.* Promulsis quinquagenaria, Tertulliano *de pallio cap. 5.* Vasa quinquagenaria, centenaria, Lampridio, *in Heliogabalo cap. 19.* *Dendrophori* vero fuerint, qui materiam rudem, non ita longam, ligna, arbores, tigna aliunde petita ad ædificia, vendebant, *f-sters vendeurt de mairrin.* *Fabri* tignarii, qui ædibus aptabant tigna, dolabant, qui ædificabant. Sic igitur liquet, quam recte hæc tria Collegia in vnum coaluerint, quæ antea & aliquando separata fuerunt: Sane in veteribus quoque Inscriptionibus, modo *Dendrophori* soli, modo *Centonarii* soli occurrunt: modo *Fabri* & *Centonarii* iuncti, modo *Centonarii & Dendrophori*; modo omnes *Fabri*, *Centonarii*, *Dendrophori.* Illud ex Inscriptione, quæ occurrit apud Gruterum *MCI. 1.* notandum, Regii *Templum* peculiare *Collegii Fabrorum & Centonariorum* sub M. Aurelio Antonino memorari. P.196

II. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens, & Gratianus AAA. ad Olybrium P. V. (b)

NE quis ex Centonariorum corpore subtrahere se possit ad Curiam: pœna eidem Corpori proposita, nisi ilico de eius abscessu querelam deposuerit. (c) Dat. V. Kal Febr. Triu. Valentiniano NB. P. & Victore COSS. (369.)

N O T Æ.

(a) Abest & *hac lex a Cod. Iust.* GOTHOF.
(b) *Olybrius* P. V. sub Valentiniano Sen. vid. *Prosopogr.* & Ammianum Marcellinum, *lib. 28. c. 4.* ID.
(c) *Deponere* querelam, pro proponere. ID.

C O M M E N T A R I V S.

SVBTRAHERE sese Corpori suo, atque ad Curiam sese conferre, Centonarii *hac leg.* a Valentiniano Sen. vetantur Anno Domini 369. intra Præfecturam Vrbis Romæ: vti viceuersa Curiales, itemque Collegiati sese ad Corpus Centonariorum transferre vetiti, *l. 162. supr. de Decurionibus*: imo iam antea quoque vetiti ab eodem Valentiniano Curiales ad Fabrorum Collegium irrepere vel aspirare, *l. 62. supr. de Decurionibus*: Suum scilicet cuique Corpori numerum seruari expedit: neque alterum altero mutari, alteriusue causa nudari. Quod tamen solitum fieri a multis proprii muneris & officii impatientia: nam vt Curialium munus aliorum respectu lucrosum & obnoxium valde fuit; ita viceuersa, tanquam maius aliquid istud appetiisse alios, & in his Centonarios verosimile est, colludentibus ipsismet etiam Corporibus. Quare etiam, vt Centonariorum Corpus hac ratione non vacuaretur, vult Valentinianus, vt Corpus ipsum ilico de refugæ Centonarii abscessu querelam inferat, vt ita hac ratione peruestigari ilico possint. Pœna alioquin Corpori ipsi proposita. Quæ Pœna notanda est, toti Corpori proposita seu irrogata, si sui vtilitatem insuper habeat.

DE STVDIIS LIBERALIBVS VRBIS ROMÆ (*) ET CONSTANTINOP. (**)

TITVLVS IX.

Lib. XI. COD. IVST. Tit. XVIII.

Huic vicinus *titulus 3.* est *supr. lib. 13. de Medicis & Professoribus*: & *lib. 6. tit. 21. de Professoribus qui in Vrbe Constantinopolitana docentes ex lege meruerunt Comitiuam.*

(*) De hoc est *lex 1.*
(**) De hoc est *lex 2. & 3.*

PARATITLON.

STVDIA LIBERALIA *Rubr.* & *l. 1. supr. de Decuriis Vrbis Romæ:* liberales res, *l. 1. vers. quin etiam, hoc tit.* professiones, *d. l. 1. vers. his sane:* Studia, *l. 3. h. t.* studia literarum, *d. l. 3. in fin.* Literatura, quæ omnium virtutum magistra est, *d. l. 1. supr. de Decuriis V. R.* in Vrbe Roma, de quo est *lex 1. h. t.* & Constantinopolitana, de quo est *lex 2. & 3. h. t.* erant & exercebantur. Quo Discipuli *l. 3. h. t.* seu adolescentia, *d. l. 3. h. t.* discendi cupiditate veniebat: veluti ex Africa Romam, *d. l. 1. h. t.* ibique agebat sub *vndecim legibus Academicis*, quæ continentur Valentiniani Sen. *l. 1. hoc tit.*

Porro studia hæc exercebantur in Auditorio, seu intra Auditorium Capitolii Con-P.197stantinopoli: idque a Magistris tantum ab Imperatore constitutis, qui in priuatis ædibus docere prorsus prohibebantur, *d. l. 3. h. t.* viceuersa alii quam a Principe constituti, magistrorum nomina sibi vsurpare & in publicis magistrationibus cellulisque collectos vndecunque discipulos docere circumferreque vetabantur, *d. l. 3. h. t.*

Hi vero erant in vniuersum Constantinopoli, triginta & vnus: nempe Latini Oratores, tres: Latini Grammatici decem: Græci Sophistæ quinque, Grammatici decem, Philosophus vnus, duo Iuris Professores: *d. l. 3. h. t.* Cætera de Professoribus *suo titulo, iam supra.*

Bibliothecæ quoque publicæ (Romæ erant &) Constantinopoli: cuius posterioris mentio fit *l. 2. hoc tit.* cuius codicibus componendis, vel pro vetustate reparandis, Antiquarii septem destinati erant: puta Græci quatuor, Latini tres: Insuper custodiendæ illi Conditionales apponebantur, *d. l. 2. h. t.*

Circa STVDIOSOS *Romam studiorum gratia sese conferentes, vndecim leges* Academicæ *Valentiniani Sen.*

I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Olybrium (b) P. V.

QVICVMQVE ad Vrbem (c) discendi cupiditate veniunt, primitus ad Magistrum (d) Census, Prouincialium Iudicum, a quibus copia est danda veniundi, eiusmodi Litteras proferant, vt *oppida hominum*, (e) *& natales, & merita* expressa teneantur. Deinde, vt in primo statim profiteantur introitu, *Quibus potissimum studiis operam nauare proponant.* Tertio, vt hospitia eorum sollicite Censualium norit Officium, quo ei rei (f) impertiant (g) curam, quam se adseruerint (h) expetisse. Idem (i) immineant Censuales, vt singuli eorum tales se in Conuentibus præbeant, quales esse debent, qui turpem inhonestamque famam, & *consociationes*, quas (k) *proximas putamus esse criminibus* æstiment fugiendas: neve spectacula frequentius adeant, aut adpetant vulgo (l) intempestiua conuiuia. Quinetiam tribuimus potestatem, vt si quis de his non ita in Vrbe se gesserit, quemadmodum liberalium rerum (m) dignitas poscat, publice verberibus adfectus, statimque nauigio (n) superpositus, abiiciatur Vrbe, domumque redeat. His sane qui sedulo operam professionibus (o) nauant, vsque ad vicesimum ætatis suæ annum Romæ liceat commorari: Post id vero tempus, qui neglexerit sponte remeari, (p) sollicitudine Præfecturæ, etiam impurius, (q) ad patriam reuertatur. Verum ne hæc perfunctoria fortasse curentur, Præcelsa Sinceritas Tua, Officium Censuale commoneat, vt per singulos menses, *Qui*, vel *vnde veniant, quive sint*, pro ratione temporis (r) ad Africam, vel ad ceteras Prouincias, remittendi, breuibus (s) conprehendat: His dumtaxat exceptis qui Corporatorum (t) sunt oneribus adiuncti. (v) Similes autem breues etiam ad scrinia Mansuetudinis Nostræ annis singulis dirigantur: quo, Meritis singulorum institutioni-

tionibusque (x) conpertis, vtrum quandoque nobis sint necessarii, judicemus. Dat. IV. (y) Id. Mart. Triu. (z) Valentiniano & Valente III. AA. Coss. (370.)

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iust.* velut temporaria. Iungendaque illi videtur *lex 9. supr. de Medicis & Professoribus*, (quæ est *lex 10. Cod. Iust. eod. tit.*) & *lex 7. Cod. Iust. de postulando.* *GOTHOF.* Hanc legem illustrauit dissertatione singulari HERMAN. CONRINGIVS, *Helmstad.* 1655. quæ deinde cum operibus eius prodiit. *RITTER.*

(b) *Olybrius* P. V. Romæ, sub Valentiniano Sen. de quo vid. *Prosopogr.* Elogium eius vide apud Ammianum Marcellinum, *lib.* 28. *cap.* 4. *GOTHOF.*

(c) *Vrbem* Romanam scilicet. *ID.*

(d) De *Magistro census* dixi, ad *l. 8. supr. de donation.* & *l. 5. supr. de Senator.* *ID.*

(e) Est qui tentabat, *oppida, domum*: quo nil opus. *ID.*

(f) *Rei*, id est studio, professioni : ita mox rursum, *liberalium rerum.* *ID.*

(g) Studiosi scilicet qui ad vrbem discendi, cupiditate veniunt. *ID.*

(h) Id est, professi fuerint in introitu Vrbis Romæ. *ID.*

(i) γρ. vel *Isdem*, id est, *iisdem*: vel *Item.* *ID.*

(k) Eas quas. *ID.*

(l) *Vulgi intempestiva conuiuia*, legendum putat H. Conringius. *RITTER.*

(m) Ita *supr. ei rei impertiant curam.* *GOTHOF.*

(n) Africam tendenti: nam de Africanis seu transmarinis adolescentibus & studiosis hic nominatim agitur: vt docet vers. *verum ne hac perfunctorie.* *ID.*

(o) *Professionibus*, id est studiis, artibus. *ID.*

(p) γρ. *remeare*, vel *remetiri.* *ID.*

(q) *Impurius*, id est, cum nota & dedecore. *ID.* *Etiam inuitus*, scribendum censet. H. Conringius. *RITTER.*

(r) Romæ scilicet exacti, & studiis impensi. *GOTHOF.*

(s) *Breves*, pro Matricula: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

(t) De *Corporatis*, suo titulo *supra*, hoc ipso libro, *tit.* 2. *ID.*

(v) Iam adiuncti, nexi. *ID.*

(x) *Institutiones*, pro genere studiorum, & eruditione, *hic* & *l. 18. supr. de extraordin.* v. *Gl. Th.* *ID.*

(y) VI. Id. Mart. *d. l. 9. supr. de Medicis*: Kal. Mart. *d. l. 7. Cod. Iust. de postulando.* *ID.*

(z) *Treuiris* in Gallia constitutus hoc tempore Valentinianus Sen. vid. *Chronol. nostram.* *ID.*

COMMENTARIVS.

P.498 VALENTINIANI Senioris Imperatoris hæc nobilissima, sedulaque constitutio est, emissa ad Olybrium P. V. Romæ: Quæ nobis eo accuratius illustranda venit, quod ea abest a *Codice Iustinianeo*, velut temporaria & πρόσκαιρος: cum tamen aliis temporibus & occasionibus, hac etiam ætate, vtiliter aptari possit. Ea vero continentur variæ *leges ACADEMICÆ*, circa STVDIOSOS seu scholares Romam commeantes, ibique commorantes studiorum gratia: quibus mores eorum & conuersatio componitur, legitimumque studendi spatium præscribitur. *Valentiniani*, inquam, Senioris *hac lex* est, quod primo loco *hic* notandum venit. Hic scilicet Princeps enixam studiorum & studiosorum Romæ curam & solicitudinem in se recepit, hoc nominatim Anno D. 370. pariter vt Professorum & Advocatorum, literarumque adeo in commune, *l. 9. supr. de Medicis & Professoribus*, & *l. 7. Cod. Iust. de postulando*: quæ quidem etiam *duæ leges* inter se coniungendæ veniunt: imo & cum hac nostra coassandæ videntur, velut vnius, eiusdemque Valentinianeæ constitutionis partes, ad eundem Olybrium P. V. datæ, iisdemque Consulibus, imo & eodem mense emissæ. Certe ad eundem omnes illæ finem studiorumque rationem collineant: Nam vt hæc ad scholarium seu studiosorum institutionem pertinet, ita duæ illæ, ad professionem & exercitium studiorum & literarum: *Lex 9.* quippe ad *Medicos* spectat, quos Romæ secundum *merita* sua promoueri, compendiisque annonarum iuuari iubet: quæ alioquin ipsa eiusdem Valentiniani paulo ante quoque mens fuerat, *l. 8. eod. tit.* quæ ad Prætextatum P. V. data est. *Lex* vero *7. Cod. Iust. de postulando*, ad Causidicos & ad Aduocatos pertinet: eaque iubentur, qui *meritis* nobilissimi sunt in foro, non ab vnius tantum litigatoris parte consistere, verum æquam eorum diuisionem inter vtramque partem procedere: tum etiam patrocinium denegantes foro & postulationibus interdici. Hac proinde triplici ratione, vna eademque constitutione Valentinianus Imp. hoc tempore, studiis in vniuersum consulendo, tria hominum genera circa hæc occupata in Vrbe Roma ad curam suam reuocauerit: Aduocatos scilicet *d. l. 7.* Medicos, *d. l. 9.* Scholares seu studiosos, *hac leg.* singulorumque adeo *meritis* prouidit. Et istud quidem, enixe: quomodo etiam idem Princeps, statim vt imperio potiri cœpit, Doctores seu Professores erudiendis adolescentibus, vita pariter & facundia idoneos, vel nouum Auditorium instituere, vel intermissum repetere iussit: *l. 6. supr. de Medicis & Professorib.* Christianos nempe, quos Iulianus Apostata a docendi munere submouerat: de quo ad *l. 5. supr. eod. tit.* Neque secius quoque frater eius atque in imperio collega Valens Imp. in Oriente, qui eo quoque nomine commendatur a Themistio Philosopho, in προτρεπτικῷ, *seu oratione 11. p. 256. Edit. Petav. Flexiae 1613. in 8.* ad Valentinianum Iuniorem, quod sub nullo Imperatore tantum splendoris & ornamenti Musæ seu literæ acceperint, nullus Principum magis iuuenum animos ad studia literarum erexerit, nullus Eloquentiæ & Orationum (hactenus scilicet Themistius Orator & Philosophus consistit) laude celebres magis ad dignitates euexerit: ἐπὶ τῷ γὰρ τῶν βασιλέων αἱ Μοῦσαι τοσοῦτον

δσον ἀπὸ τῦ σῦ πατρὸς ἐξέλαμψαν καὶ ἐξήνθησαν; τίς δὲ ὕτως ἠρέθισε τὰς ψυχὰς τῶν νέων ἐπὶ τὺς λόγυς; τίς πρυθῆκε τηλικαῦτα ἀγαθά; τίς ὁμότιμος ἐποίησατο τὺς ἀπὸ τῆς γλώτῆς ὁμοτίμυς τοῖς ἀπὸ τῶν ὅπλων; *Quo enim sub imperatore tantum, quantum sub patre tuo ornamenti ac claritatis adepta sunt? Quis adeo iuuenum animos ad studia literarum erexit? Quis tanta præmia proposuit? Quis eloquentia laude celebres cum illustribus virtute bellica ducibus parem ad dignitatis gradum euexit?* Vt ad Valentinianum redeamus. Tandem Valeotiniaoi studium erga studia ingerit quoque præter *hanc leg.* & *d. l. 6. supr. de Medicis & Professoribus, lex 10. eod. tit.* Etsi Ammianus Marcellinus *lib. 30. cap. 8.* inter vitia eius ponat, *Quod eruditos æmulatione quadam oderat, vt solus videretur bonis artibus eminere, quo vitio etiam Hadrianus exarsit.* Et hæc quidem da ipsomet Valentiniano Sen. Imp. *huius leg.* Auctore, quod primo loco hic moneri e re fuit.

Illud secundo loco obseruandum, *hanc legem* nominatim pertinere ad Vrbem *Romam*, eiusque Academiam; & scholares seu adolescentes discendi cupiditate seu studiorum gratia hoc æuo eo ex omnibus orbis Romani Prouinciis proficiscentes, ac nominatim ex Africa, de quo potissimum est *hac lex*. Scilicet hoc quoque æuo seu Valentiniani Sen. tempestate & proximis annis, Roma studiorum Nutricula seu Magistra erat, præstantissimiaque Professoribus abundabat: cuius causa certatim eo iuuenes commeabant, & quidem ex Africa, vt modo dixi: cum alioquin Africa, ipsa iam olim Nutricula Causidicorum audiret, apud Iuuenalem *Satyr. VII. v. 148.* de quibus etiam Africæ Aduocatis est *lex 46. supr. de Decurionib.* quomodo & in eadem Africa, & Karthagine quidem, liberalium artium scholæ erant, teste Augustino, *lib. 5. Confess. cap. 8.* & Saluiano Massiliensi, *lib. 7. de Gubernat. Dei cap. 16.* Neque ex Africa tantum, verum etiam ex Gallia, aliisque Prouinciis iuuentus studiorum gratia Romam certatim confluebat, & id quidem IVRIS potissimum & Eloquentiæ addiscendæ gratia. Vtrumque discimus ex Symmacho: de Iuris scientia est *epist. 74. lib. 5.* de Eloquentia est *lib. 8. epist. 68.* vbi ideo Romam, *Latiaris facundia domicilium* vocat. Sic & Claudianus, *Panegyr. 3. in laud. Stiliconis v. 137.* Romam vocat, *Armorum LEGVMQVE parentem, quæ primi dedit cunabula IVRIS:* & Panegyrico in *Conf. Olybrii, & Probini v. 127.* Eandem *legum genitricem* vocat: v. & quæ noto ad *l. 2. supr. de seruis.* Idque etiam comprobat Hieronymus Rustici exemplo, ad eum ipsum scribens *ep. 4 Tom. I. Oper. pag. 28. Edit. Frf. apud Christ. Gensch. Audio religiosam te habere matrem multorum annorum viduam, quæ aluit, quæ erudiuit infantem, ac post studia Galliarum, quæ vel florentissima sunt, misit Romam, non parcens sumptibus, vt vbertatem Gallici, nitoremque sermonis, grauitas Romana condiret.* Rutilius quoque Numatianos *Itinerarii sui lib. 1. v. 207.* de Palladio quodam Gallo agens:

Facundus iuuenis Gallorum nuper ab aruis
Missus Romani discere IVRA fori.

Augustinus, *lib. 6. Confess. cap. 8. Romam processerat, vt IVS disceret.* Sidonius quoque Appollinaris *lib. 1. epist. 6. Romam, domicilium LEGVM* vocat. Eonodius *Epist. lib. 2. ep. 6.* ad Pomerium quendam Arelatensem, *Tom. I. Oper. Sirmond. pag. 827. Et latiaris vnda venam alumnus Rhodani perquirebas.* Cassiodorus non *vno loco* id ipsum inculcat, *I. Variarum 39.* & *IV. Variar. 6.* vbi *fæcundam Eloquentia Matrem* vocat. Idem testatur *VIII. Var. 12.* æuo suo vulgo iactatum, Literas Latinas Romæ non etiam alibi addiscendas. Quod & ipsum iam olim nonnulli contendebant, Vide Ciceronem *diuinat. in Cæcil. c. 13.* & Epistol. Paulæ & Eustochii *inter Hieronymi 17. pag. 82. Tom. I. Oper. Edit. Francf.* Hinc adeo quoque Gothorum Reges, tanto post, magnam ibidem scholarum & Magistrorum curam gessere: & in his quidem Athalaticus apud Cassiodorum *IX. Variar. 21.* vid. & *X. Var. 7.* Constantinus *in vita S. Germani, cap. 1. Atque vt in eum perfectio literarum plena conflueret,* P.319 *post Auditoria Gallicana, intra Vrbem Romam IVRIS scientiam plenitudini perfectionis adiecit.* Et hac quidem ita quoque de Academia, ac nominatim IVRIS, Vrbis Romæ. De qua & illud præmonendum, hoc tempore Romam, antea virtutum omnium matrem, vitiis luxuque diffluxisse, velut indulta bi licentia vitiis: inter alia, intempestiuis conuiuiis, consortiis aleatorom, meretricum, ganeonum, immodico in spectacula studio: de quo Ammianus Marcellinus, non vno excessu, *lib. 14. c. 6. & lib. 28. c. 4.* Quo adeo pertinent quamplurima ex iis quæ mox subiicientur *hac leg.* Sequitur igitur, nunc de ipsa Valentiniani constitutione videamus: cuius hic scopus est, vt adolescentes Romam discendi causa missi hoc vnum serio agerent, inque literarum studiis proficerent, neque ad licentiam abriperentur, de qua modo dixi. Ea præsertim ætate, quæ maxima custodia eget: de quo ex Cicerone & Polybio postea, præsertim in Vrbe Roma, vbi magna tandem licentia: vt ita per hos vtilitati publicæ suæque simul eorum consuleretur. In id vero Valentinianus Vndecim cautiones, seu canones leges, sic vt dicam ACADEMICAS præstituit: quibus accuratiores vix fingi figique possunt.

Prima hæc est, quod venturos ad Vrbem Romam scholares, *Copiam* vendendi seu *Commeatum* accipere velit a Iudicibus seu Rectoribus Prouinciatum, in quibus consistunt: Atque in id *Literas* ab his συςατικὰς, ἀπολυτικὰς accipere iubeat, quibus contineantur hæc tria: *Patria* eorum; *Natale,* quibus scilicet parentibus editi sint. Denique *merita*, id est, dignitas parentum & generis. Quod quidem epistolarum seu literarum ἀπολυτικῶν genus, scholaribus ad Academiam Romanam proficiscentibus dati solitarum, notandum est, præter alias ἀπολυτικῶν seu dimissoriarum species: Eiusque simul continentia notanda: eo scilicet fine, de quo *extrema legis parte.*

Secunda lex Academica hæc est, quod Valentinianus iubeat, studiosos Adolescentes, vbi Romam venerint, eas Literas dimissorias, ἀπολυτικὰς, ad *Magistrum Census* deferre. Nempe & alias Magistri census, eorumque Officialium seu Censualium Romæ muneris id inter alia erat, vt honestatis publicæ custodes essent: quod etiam patet ex *l. 1. in fine, infr. de habitu quo vti oport. intra vrbem.* Quare & peregrinorum qui ad Vrbem Romam accederent sollicitudinem gessere, vti honeste ibi sese gererent: Quod tota hæc *lex* de Studiosis nominatim testatur. Hoc, inquam, Magistris census & Censualium officium in Vrbe inter alia erat: de quibus alioquin Vrbicis Censualibus agitur, *l. 13. 26. 27. supr. de Prætorib. l. 4. de testam. l. 5. de Princip. Agent.* apud Symmachum *lib. 4. epist. 8. lib. 10. epist 36.* Capitolinum *in Gordiano Seniore. cap. 12.*

Tertia lex Academica hæc est, quod Valentinianus studiosos Romam commeantes *Profiteri* statim iubeat *in introitu*, proculdubio apud eundem Magistrum census, seu apud Censuales, quibusnam studiis operam nauaturi venerint? num Eloquentiæ videlicet Romanæ, vel Græcæ? num profundiori alicui

alicui ſcientiæ, puta Philoſophiæ, aut Ivri: hæc enim ſtudia, vt antea oſtendimus, ſicut in noua Vrbe Roma, Conſtantinopoli (de quo *l. 3. infr. hoc eod. tit.*) ita & in Veteri Roma colebantur, docebanturque. Atque hæc quidem velut *Immatriculationis* ſpecies quædam erat, quæ in Academiis hodie ubrinet.

Quarta lex Academica hæc eſt, quod Valentinianus *Hoſpitia* ſtudioſorum ſeu ſcholarium Cenſualibus, de quibus *ſupra*, quique una cum Magiſtro cenſus ſub diſpoſitione Præfecti Vrbis erant, (vt præter *hanc leg.* integram, ac nominatim *verſ. verum*, docet vel *Notitia Imperii*:) nota eſſe velit: quo videlicet ii non ſinant ſcholares iis hoſpitiis vti, quibus a propoſito vel ab honeſtate abducantur: imo, vt diſerte hic dicitur, quo *ei rei impertiant curam, quam ſe adſeruerint expetiiſſe:* id eſt, vt id agant ſtudeantque ſcholares, cuius cauſa Romam miſſi ſunt ſeu venerunt: Non vero in locis Ædilem metuentibus, & damni conciliabulis hoſpitium figant. Atque id *ſollicite* Cenſuales agere iubentur, velut in vrbe omnis licentiæ, pro magnitudine videlicet Vrbis: vbi ſi hoſpitium notatum non ſit, fruſtra lubricam ætatem cohibeas, fruſtra ad ſtudia adigas, fruſtra ad frugem perducas.

Quinta lex, ſuperiori haud abſimilis, eſt: quod eosdem Cenſuales *Conſortiis* & *Conuerſationi* ſcholarium inuigilare iubet: ne videlicet ad praua abducantur, & prauas *conſociationes*, quas Valentinianus *criminibus proximas putare ſeſe* ait. Recte omnino: cum ſimiles ſententiæ plures paſſim occurrunt, quibus inculcatur, ἀγαθοῖς ὁμιλεῖν oportere: quo pertinet etiam Menandri locus apud D. Paulum, 1. Cor. XV, 33. Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί: & illud eiusdem: κακοῖς ὁμιλῶν, κἀυτὸς ἐκβήσῃ κακός: vt omittam alia, & in his Xenophontis *lib. I. ἀπομνημ. pag. 714. Oper. Edit. Leonclau.* & Theognidis *v. 35.* Baſilii item, & Cyrilli. Id vero vt in commune verum eſt & notiſſimum, ita in adoleſcentibus potiſſimum: Quo pertinet illud Plauti *Trinummo Act. II. ſcen. 2. v. 32. 33.* vbi adoleſcens ita de ſe:

> *Iſtæc ego mihi ſemper habui ætati tegumentum meæ,*
> *Ne penetrarem me vſquam, vbi eſſet damni conciliabulum.*

Vide & Moſtellariam *Actu 1. ſc. 1. v. 20.* ac omnium maxime Romæ, vbi tot damni conciliabula erant, tot turpes, inhoneſtæ conſociationes, de quibus in partem dixi ad *l. 3. ſupr. ad leg. Iul. de adulteriis.*

Sexta lex Academica hæc Scholaribus Romæ, eorumque conuerſationi a Valentiniano Imp. figitur, ne *Spectacula* frequentius adeant. Immoderatum ſcilicet ſpectaculorum ſtudium omnibus qui grauioribus ſtudiis vel officiis incumbebant, vitio maxime datum: veluti Eccleſiaſticis, de quo videndi ſunt *canones Eccleſiaſtici.* Iudicibus item, ſeu Rectoribus Prouinciarum, *l. 2. ſupr. de officio Rectoris Prouinciæ*: & *l. 1. 2. 3. infr. de ſpectaculis*: Libanius *Oratione* quam edidi περὶ τῶν δεσμωτῶν *p. 62. 63.* & *pag. 405. 406. Oper. minor. Gothofr. Edit. Cl. Trotz.* Gregorius Nazianzenus *epiſt. 74. vel 71.* Militibus item, de quo vid. Chryſoſtomi locum *homilia 14. in Timoth. 1. cap. 5.* in ἠθικῷ *in fin. pag. 1593. Edit. Commelin.* His adde ex *hac leg.* ſtudioſos. Quo tamen ſtudio ſicut Vrbs Roma in commune ardebat, ita & ipſemet ille Olybrius P. V. cui hæc conſtitutio inſcribitur, exarſit: quem ideo Ammianus Marcellinus, *lib. 28. cap. 4.* ſcribit, *citeriorem vitam pene omnem vergentem in luxum per argumenta ſcenica amoreſque, etſi nec vetitos, nec inceſtos, peregiſſe.* *Studioſi* igitur itidem ab immodico ſpectaculorum ſtudio *hac leg.* reuocantur. Prona quippe hæc, ſi quæ alia, morum corruptela, atque a ſtudiis abducendi materies, δεινὸν πρᾶγμα καταδουλώσασθαι τὸν νέον. Quo, vt & ad ſequentem mox *legem* pertinet protrepticum Petronii *cap. 4.* ad ſcholaſticos adoleſcentes, iuuenes ſtudioſos.

> *Artis ſeueræ ſi quis amat effectus,*
> *Mentemque magnis applicat; prius more*
> *Frugalitatis lege polleat exacta:*
> *Nec curet alto Regiam trucem vultu,*
> *Clienſque COENAS impotentium captet:*
> *Nec PERDITIS addictus, obruat VINO*
> *Mentis calorem: neue PLAVSOR IN SCENA*
> *Sedeat redemptus HISTRIONIÆ ADDICTVS.* P. 200

Hinc adeo Libanius quoque in Codice Regio, *epiſtola ad Andronicum 170.* & *in Edit. Wolfii 175.* Baſſum ex Phœnicia ſtudioſum eo commendat, quod ὕπνον φυγὼν καὶ θεαμάτων ἡδονὰς βλαβεράς, *ſomnium & noxia ſpectaculorum oblectamenta fugiens*, vnice ſtudiis & ſedulo incubuerit. Idque ipſum prædicat & de Fauſtino *ep. ad Italicianum 580. Edit. Wolff.* & de ſe ipſo adoleſcente *de vita ſua, p. 3. Edit. Morell.*

Septima lex Academica hæc conuerſationi pariter ſtudioſorum Romæ ponitur, ne *Conuiuia intempeſtiua* vulgo adpetant, ſeu commeſſentur. *Intempeſtiua* conuiuia ſunt ſiue frequentia, cum δεῖπνα δείπνοις συνείρονται; ſiue extra tempus, idque ſiue quia in noctem intempeſtiuam producuntur, trahuntur, vbi *nox patera ducitur, donec Iuſitas radios in mea vina dies*, vt Propertius, *lib. 4. epiſt. 6.* canit: & in lucem producta, vt Martialis *lib. 1. epig. 29.* Claudianus *l. 2. in Eutrop. v. 84.* vſque ad diurnam ſtellam craſtinam, vt Plautus *Menæch. Act. 1. ſc. 2. v. 62.* ἕωθεν *pag. 710.* Luciano in θεῶν Ἐκκλησίᾳ, & δικαστηρίοις, *pag. 223. Tom. II. Oper. Edit. Græu.* quæ & ipſa Intempeſtiua: non minus enim intempeſtiuum eſt, quod ante ſtatum tempus & præmaturum, quam quod vltra tempus trahitur: ſiue quia de die a primo diei, vel multo die ante horam ſolitam, contra Maiorum diſciplinam: quæ *de die* conuiuia Curtio *lib. 5. cap. 7. num. 4.* dicuntur. Quintil. *declam. 260.* vbi de adoleſcente corrupto, *Cum ſodalibus iniit paulo tempeſtiuiora conuiuia.* Quorum poſtrema etiam *conuiuia tempeſtiua, cœna tempeſtiua*, apud alios dicuntur, quia ſcilicet tempori, mature, de tempore, ἕωθεν præmatura, atque ideo in vitio (niſi vbi officium aliquod veluti nuptiale intercederet, vel ſimile:) de quo multa V. C. Lipſius *ad 14. Annal. Taciti*, contra Turnebum *VI. Adu. 16.* & Monitium *de quæſitis per epiſtolam: 1. epiſt. 5. pag. 203. Tom. IV. Lampad. Gruteri.* Græcis δεῖπνον iſtud ἐνωρὶς, ἐνωρότερον, *temporius*, vel ἐνωρίτερον τοῦ καθεστηκότος καιροῦ, vel ἐνωρέστερον, Græci etiam dicunt ἐν ὥρᾳ, *de bonne heure.* De quo Caſaubonus *IV. Animad. in Athen. cap. 9.* quod τῶν ἀσώτων erat. Cicero pro Muræna. *c. 6.* *Amœni loci, tempeſtiui conuiuii* (alii Codices habent *intempeſtiui*:) *multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio.* Alexus hanc ἀσωτίαν notauit hiſce, πίνωμεν, δάκτυλος ἡμέρα, ſic & apud Chryſoſtomum *homilia 6. in cap. 1. Geneſ. in fin.* σύλλογοι ἄκαιροι, *intempeſtiua conuenticula*, & ἱπποδρομίαι, *circenſes ludi*, iunguntur. Contra, in laude apud Perſium *Satyra 5.* *primas* tantum *epulis decerpere noctes.* Intempeſtiua alioquin proprie nocturna, ſeu in multam noctem. Quem morem a Studioſis Athenis vſurpatum ſub Conſtantini M. extremis carpit Libanius *de vita ſua, p. 8. 9. Edit. Morell.* quo loco

ſuam

ſuam Athenis (ſtudiis opetantis) moram, ſuumque ab illis animum auerſum deſcribit. *Intempeſtiua* tandem conuiuia tertio quoque ſignificatu dicuntur, quæ tempori rebuſque gerendis, rerumque ſiue publicarum, ſiue priuatarum ſtatui non conueniunt, ſiue die ſiue nocte: vt apud Suetonium, *in vita Caligula*, *c. 45.* Curtium, *lib. 6. cap. 2. v. 2.* Tempeſtiui contra conuiuii meotio fit apud Apoleium, *in Apologia*, *p. 283. Edit. Lugd. Bat. apud Ioan. Maire 1623.* quod ſcilicet ſuo ſtatoque & ſolemoi tempote agitatur.

Octaua lex Academica hæc ſcholaribus a Valeotiniano pooitur, quod iubeat, ſtudioſum, qui *Indigne* ſeſe in vrbe *gereret*, verberibus publice affici, vrbeque pelli, nauigioque impoſitum domum in Africam, in ſpecie *huius leg.* remitti. Quod quidem potiſſimum oſtendere videtur, quanta fuerit tum Romæ ſeu io Academia Romana Adoleſcentum & Scholarium hac tempeſtate licentia ſeu corruptela, quam grauiter adeo coerceri oportuerit, ſi *indigne* ſeſe gererent: quibus verbis oon leue aliquod peccatum indicatur, verum indigna plaoe ſtudioſo vita. Quod de Adoleſcentibus *nauigio imponendis*, hic additur, haud abſimilis prorſus mos, etſi fine diſpari, quo delatores olim vrbe pulſi, nauigioque impoſiti; de quo Martialis, & Plinius *Panegyrico. c. 42.* Et hactenus quidem *leges*, quibus, pœnarum etiam metu adoleſcentes ſeu ſtudioſi in officio habiti, modeſtiaque eorum & diligentia circa ſtudia Romæ cohibita.

Nona oune lex ſequitur Academica, de SPATIO ſeu *Tempore* ſtudiis præſtituto Romæ. Valentinianus Imp. ſcilicet ſtudioſis ſeu ſcholaribus ad viceſimum ætatis aonum vſque Romæ commoraodi ſtudiorum cauſa, atque adeo ſtudiis incumbendi poteſtatem facit. Viceſimus ſcilicet iam olim annus meta fuit finisque ſtudiorum: vt & inſtructionis in commune, quod docet quoque *lex. 3. §. 5. D. vbi pupillus educari.* Aliquando & alicubi fuit vigeſimus quintus tempore Diocletiani & Maximiani, vt docet *lex 1. & 2. Cod. Iuſt. qui ætate vel profeſſione ſe excuſ.* E quibus *lex 1.* ſingularis admodum hic ſterni meretur.

Impp. Diocletianus & Maximianus AA. Seuerino & aliis ſcholaribus Arabiæ.

Cum vos adfirmetis, liberalibus ſtudiis operam dare, maxime circa IVRIS profeſſionem, conſiſtendo in ciuitate Berytiorum Prouinciæ Phœniciæ. prouidendo vtilitati publicæ & ſpei veſtræ, decernimus, vt ſinguli vſque ad vicesimum quintum annum ætatis ſuæ ſtudiis non auocentur. De Berytienſi equidem Iuris Academia celeberrima alibi dixi plene: at nunc notandum, eam *legem* inſcribi *ſcholaribus Arabiæ*; hi ſcilicet e vicina Arabia & conterminа, Iuris ſtudii ergo Berytum paſſim commeabant: Qui quidem ipſi Scholares Arabiæ velut ſub certo Corpore, ſchola, πληρώματι eſſe videri poſſint, vt in nonnullis hodie Academiis Scholares in nationes & Prouincias diſtinguuntur. Ad idem ſtudiorum ſpatium ſeu tempus pertinet quoqua Alexandri Seueri Imperatoris *lex 2. Cod. Iuſt. de incolis*: vbi dicitur, nec ipſos qui ſtudiorum cauſa aliquo loco morantur, veluti in ſplendidiſſima ciuitate Laodicenorum, domicilium ibi habere credi, niſi *decem annis tranſactis* eo loco ſibi ſedes conſtituerint, ſecundum epiſtolam D. Hadriani. Nempe olim a duodecimo ferme anno ad 14. vſque pueri ſtudiis liberalibus imbuebantur, id eſt, Grammaticos & Geometras adibant, teſte Ægineta περὶ διαίτης νηπίων *lib. 1. cap 14.* & *l. 21. §. olim. D. de ann. leg.* inde poſt decimumquartum ætatis annum ad ſcholas ſeu Academias mittebantur, Maioribus ſcientiis imbuendi: puta Eloquentiæ, Philoſophiæ, Mathematicæ, IVRISQVE: Quo pertinet omnino Pauli Æginetæ conſilium *d. lib. 1. cap. 14.* cuius verba aliaque plura retuli ad *l. 1. ſupr. de excuſat. artif.* Quinquennium proinde ſtudiis ſufficere viſum; Quinquennium ſcilicet quod eſt a tyrocinio ac ſumpta virili toga ad annum vſque viceſimum. Quo temporis ſpatio maxima cuſtodia adoleſcentes indigent teſte Cicerone *pro M. Cælio. c. 5.* Idemque ait Artemidorus *l. 1. c. 56.* & ex eo Suidas *voc.* ἔφηβος: ἡ δὲ ἐφηβεία καιρὸς ἦν ὀρθοῦ βίου καὶ ὑγιοῦς. Eodemque pertinet quod Polybius ſcribit in Excerptis Valeſ. *p. 153.* quo ſpectat & *lex 3. §. pen. D. vbi pupillus educ.* Ad viceſimum igitur ætatis annum vſque ſtudioſis in Academia Romana ſtudendi licentia a Valentiniano Imp. *hac leg.* tribuitur. Et quia ſufficere id tempus ad curſum ſtudiorum vt loquuntur, abſoluendum viſum, & ne ſtudiorum obtentu diutius patriæ munera defugerent: quo *hæc* quoque *lex* reſpicit, & *d. l. 1. 2. Cod. Iuſt. qui ætate, vel profeſſ.* & *d. l. 2. Cod. Iuſt. de incolis.* p. 31 Huic vero ſimile quid de ſcholiaritatis priuilegio, vide apud Papooium *Placitorum lib. 5. tit. olim. areſto 1.* Cæterum quod legitimum ſtudiorum tempus attinet: Iuris quoque ſtudio quinquennium a Iuſtiniano fixum *Conſtit. omnem Reipubl.* Quod etiam Salmanticæ ſtatutum memorant: Iure Pontificio, Theologiæ quinquennium iidem, *cap. vlt. de Magiſtr.* iuri vero Pontificio ſeptennium, *c. ex eo, de elect. in. 6.* Neque mirum, *hac* Valentiniaoi *leg.* ſtudiorum curſui abſoluendo viceſimum ætatis annum poni, (*) quia iuuentus Romana aocillaribus iam artibus domi ab ineunte ætate affatim inſtructa, maioribus diſciplinis adduſceodis ad Academias mittebatur, cum ad primores artes illas probe adſequeodas multo tempore magnoque hodie labore & moroſitate opus eſt. Vt proinde hodie non ſtatim viceſimus annus ſtudiis abſoluendis poni debeat *huius leg.* argumeoto.

Decima lex Academica hæc a Valentiniano ponitur, quod iubeatur Præfectus Vrbis Roma commonere Officium Cenſuale, (quod ſub diſpoſitione Præfecti Vrbis erat,) ſeu Cenſuales illos ipſos, qui *ſupra* iuſſi ſunt ſcholaribus inuigilare, ſiue in ipſo ad Vrbem Romam aduentu, ſiue in hoſpitandis iis, ſiue in officio continendis, ne ſuperiora perfunctorie fortaſſe curentur, *breuibus* ſuis, ſeu *Matricula*, ſic vt dicam, ſtudioſorum nomina adoorare per ſingulos menſes, Quinam ſtudioſi vel vnde venerint? quinam pro ratione temporis, Romæ ſcilicet exacti, domum remittendi ſint: Poſtremum iſtud ſcilicet ne diuturniorem moram Romæ peragerent, quam tempus legitimum quod dixi ferret. Sub hac tamen exceptione; *Exceptis his*, inquit, *qui Corporatorum ſunt oneribus adiuncti*, (**) id eſt, exceptis iis Iuuenibus Scholaribus, qui cum ſtudiorum cauſa Romæ agereot, eo tempore

(*) *CONRINGIVS in differtat. ad h. l. pag. 45.* ad verba, *vſque ad viceſimum &c.* hoc notat. Licuit nimirum, niſi fallor ipſum annum viceſimum Romæ in ſtudiis abſoluere; Adeo benigne ſcilicet interpretanda arbitror 'a verba, *vſque ad viceſimum ætatis annum*: quæ fateor accipi etiam poſſint, quaſi & illum annum Romæ degere fuerit vetitum.

(**) *CONRINGIVS differt. cit. pag.* 84. fatetur ingenue, ſe non capere hæc verba, & multis de Corporatis diſputat, quorum notitiam tamen pleniorem ex noſtri Commentario *ad tit.* 2. huius libri hamire lectores poſſunt.

pore Corpori alicui Vrbis Romæ sociati fuerunt. Peregrini scilicet Romæ agentes corporatis adnecti potuerunt sæpeque soliti: vt præter *hanc legem* docet quoque *lex vnic. de Equestri dignitate:* vid. & quæ noto ad *l. vnic. de Mancipibus:* docet & Ambrosius *lib. 3. afficior. c. 7.* vbi inter peregrinos ob famem Vrbe Roma eiectos, etiam Corporatos memorat: vid. & Nouellam Valent. inter Theodosianas *de Pantapolis 40.* Et in his quidem Scholares, qui inde iam incolæ, vt in sp. *d. l. 2. Cod. Iust. de incolis:* & Corporati. Ratio huius exceptionis hæc est, quod cum ordinarie Studiosi vltra legitimum tempus Romæ morari non possint, ne diutius his patria destaudetur, muneraque adeo publica illi declinent, certe aliorum ciuitatum vtilitatem communi patriæ, Romæ inquam, pro reuerentia Vrbis æternæ, vt loquitur idem Valeotinianus, *l. 1. ao tit.* in honorem æternæ vrbis, *l. 3.* cedere æquum sit: cuius interest Corporatis eam augeri, qui videlicet necessitatibus publicis ibi consulerent. Atque hoc inter cætera priuilegium notandum est, vt Vrbis Romæ, ita & Corporatorum eius vrbis: de quibus alioquin priuilegiis Corporatorum est *titulus 2* peculiaris *supra,* hoc ipso *libro.* Neque mirum studiis quoque imbutos Corporatorum Corpori sese sociasse; nam & quædam proculdubio Corpora erant, in quibus litterarum peritia desiderabatur.

Postrema lex Academica isthæc ponitur a Valentiniano, ac velut omnium *legum Academicarum* clausula, quod iubeat, hos ipsos *Breues* seu studiosorum Matriculam ad scrinia sua, seu ad *se Principem mitti:* non quidem singulis mensibus, sed singulis annis: Studiosorum inquam, qui Romæ studiis operarentur, vel operati domum remitterentur, remittendiue essent: Vt ita, quæ ratio hic espresse additur; *Meritis singulorum institutionibusque compertis, vtrum quandoque futuri sibi,* Principi, *sint necessarii,* publiceque adeo vtiles, *iudicare ipse possit.* Quod quidem egregium Valentiniani institutum est, & laude cumprimis dignum. Cui geminum est Valentis institutum hoc ipso tempore, quem Themistius *orat. 11. pag. 256. Edit. Petauii Flexiæ 1613. in 8.* ait, *iuuenum animos, ad studia plurimum inflammasse:* ἠρέθισε, inquit, τὰς ψυχὰς τῶν νέων ἐπὶ τοὺς λόγους. Huic sane proxime accedit, quod Iustinianus præfatione Institutionibus præmissa ad cupidam Legum iuuentutem scribit §. *vlt. Summa itaque ope & alacri studio has leges nostras accipite, & vosmet ipsos sic eruditos ostendite, vt SPES vos pulcherrima foueat,* *toto legitimo opere perfecto, posse etiam nostram REMPVBLICAM in partibus eius vobis credendis gubernari.* Sic igitur Valentinianus vtilitati publicæ simul & SPEI scholarium consultum voluit: vt in sp. quoque *d. l. 1. Cod. Iust. qui ætate vel professione,* consulitur. Quibus adde & similia ex constitutione ad Antecessores §. 6. & 11. *seu vltim.* Quomodo & eidem *spei* alia adhuc ratione Constantium consuluisse Auctor est Eumenius *Orat. pro scholis instaurandis, cap. 5.* Et vero non vltima hæc Principis laus & virtus est, non modo vt iuuenum indoli consultum velit, idque agere vt ingenuis artibus erudiantur, verum & eorum merita nosse: vnde postea suo tempore eos in partem curarum adsciscere, Reique publicæ admouere possit. Hac igitur de causa Valentinianus ad se Principem de studiosis referri voluit. Certe Iulianus Apostata quoque, de Magistris studiorum Doctoribusque qui iudicio Ordinis, id est, Curiæ, probari fuissent, ad se referri voluit, hac equidem ratione prælata, vt altiore quodam honore suo iudicio ad studia ciuitatum accederent, *l. 5. infr.* & *Cod. Iustin. l. 7. de Medicis & Professoribus:* verum secretior illi adhuc causa quædam fuit: de qua ad *eam leg.* Et quid si Valentiniano quoque *hac ipsa lege* secretior causa fuit, vt ita scilicet Christianos potissimum & Christianorum sobolem, qui studiis operam dedissent, sibi Reique publicæ admoueret? Quod non adeo puto: nam *Olybrius* ipse P. V cui *hac lex* inscribitur, paganus erat. Et quid si etiam arcano quodam politico Valentinianus id ita constituit, vt ita nosset quænam pubes velut Prouinciarum obses Romæ ageret? Sed nos rationi, quam Valentinianus ipse reddit acquiescamus. Atque illud, vt eo nunc redeam, imprimis notemus, *Sexennium* ferme studio & quidem IVRIS in Academia Romana *hac* Valentiniani *constitutione* præstitui, prouidaque sanctione; his inquam qui SEDVLO operam professionibus nauarent, quique legitimo spatio decurso, Reipublicæ necessarii esse possent.

Ad hoc exemplum, vos, penes quos Imperium est, salusque publica curæ esse debet, hodie prouocamur. Eia qui iuuentutis vestræ indoli consultum cupitis, qui adolescentium spei, quique adeo Rempublicam saluam vultis, similem curam capessite, Annuariamque hodie studiis ac nominatim Iurisprudentiæ, legem figite, a qua Iuuenes in forum, vel ad rerum actum, aut Tribunalia mitti recte possint.

---

p. 205

De ANTIQVARIIS, *& de* CVSTODIBVS *Bibliothecæ Constantinopol. Valentis lex.*

II. (a) Idem AAA. Clearcho P. V. (b)

ANTIQVARIOS, ad Bibliothecæ (c) codices componendos, vel pro vetustate reparandos, quatuor Græcos, & tres Latinos, scribendi peritos, legi (d) iubemus; quibus de caducis popularibus (& ipsi etenim videntur e populo) competentes impertiantur annonæ: Ad eiusdem Bibliothecæ custodiam Condicionalibus & requirendis & protinus adponendis. (e) Dat. VIII. Id. Maij, Modesto & Arintheo Coss. (372.)

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Iungendæ autem ei *lex 20. supr. de Prætoribus:* & emendato diu, *lex 7. infr. de annonis ciuicis.* GOTTOFR.

(b) Constantinopol. Meminit huius *Clearchi* P. V. Constantinop. Socrates *lib. 4. cap. 8.* & Hieronymus *Chronico*, Ann. 374. vid. *Prosopogr.* ID.

(c) Constancinopolitanæ: *de* qua mox. *ID.*

(d) A te P. V. *ID.*

(e) *Adponendi* vox propria de Custode: vid. Martial. *lib.* 1. *epig.* 74. Sueton. *Tiberio*, *c.*22. & *Claudio*, *c.* 2. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTIS hæc constitutio est: qua BIBLIOTHECAE Constantioopolitaoæ consulit Anno D. 372. partim codicibus eius componendis, vel pro vetustate reparandis; partim ad eius Custodiam. Scilicet, ad prius illud *Antiquarios* septem, puta quatuot Græcos, tres Latinos, scribendi peritos eligi, iisque annonas competentes de caducis popularibus præberi: Ad istud vero custodes conditionales requiri, protinusque adponi iubet. Quæ quidem *lex* pars est prolixioris *Valentiaca* constitutionis, ad *Clearchum P. V.* emissa: qua Valens Imp. in vniuersum populi Constaotinopolitani commodis consultum iuit: & quidem in tribus, 1. oblectatiunibus inquam populi, quo pertinet *lex* 20. *supr. de Prætoribus*: 2. Annonæ populari, quo spectat *lex* 7. *infr. de Annonis Ciuicis*, & in partem *hæc* ipsa quoque: denique vtilitati populi ex Bibliotheca, quo potissimum pertinet *hæc lex*: cui proinde duæ illæ velut votus & eiusdem constitutionis partes coassandæ veniunt. Nunc de *huius leg.* sententia, quæ vt dixi est de Bibliothecis. De Bibliothecis Vrbis Romæ non ast hic agendi locus: De Constantinopolitana, quo *hac lex* pertinet tantum videndum est. Eam primum publicate cœpit *Constantius Imp.* ante annos viginti ferme, circa Annum D. 354. Quo nomine Constantium multis laudat Themistius *Oratione* 13. quæ habita est eo Anno 354. a *pag.* 305. *ad* 309. *Edit. Petau. Flexiæ* 1613. *in* 8. vbi etiam addit (quod *huic leg.* proximum est) ei operi *Curatorem* a Constantio præfectum, cui annonam & impeodia dederit, καὶ ταύτῃ μὲν ἄρχοντα ἐπὶ τῷ ἔργῳ, καὶ ἐπιδίδωσι τὴν χορηγίαν τῷ δαπανήματι, *eique operi curatorem præficit, cui sumptus omnes ac impendia subministrat*, sub quo tamen alii Librarii fuerint. Ita quidem Constantiua inter initia huius Bibliothecæ, excitaodæ. Atenim aucta iam in immensum Bibliotheca, Valens septem ei præficit *hac leg. Antiquarios*: nempe, vt ipse Antiquarios describit, qui codicibus componendis, vel pro vetustate reparandis vacarent. *Antiquarius* in Glossis est ἀρχαιογράφος, καλλιγράφος. Horum frequeos mentio apud Veteres. Ausooius, *epist.* 16. ad Probum PP. *Oblata per Antiquarios mura.* Hieronymus *Epist.* 6. ad Florentium, *tomo I. pag.* 34. *Edit. Francof. apud Christ. Gensch. Habeo alumnos qui Antiquaria rei seruiunt.* Augustinus *de verbis Domini*, *sermone* 44. siv. 98. *n.* 3. *Edit. Benedictin. Quemadmodum qui videt literas in Codice optime scripta, & non nouit legere, laudat Antiquarii manum, admirans apicum pulchritudinem.* Adde Sidonium *lib.* 9. *epist.* 16. Cassiodutum *diuinar. lect. cap.* 15. & 30. (vbi scite Antiquarios describit:) Historiam Tripartitam *lib.* 2. *cap.* 16. Gregorium *l.* 1. *Dialog. c.* 4. sunt qui hos Ἀρχαιώτας dici putant *l.* 18. §. 10. *D. de muneribus.* Sed male. Isidorus quoque *Origin. VI.* 14. ait, Librarium noua & vetera scripsisse: Antiquarium, qui tantummodo vetera, vnde & nomen sumpserit. Id quod verum esse *hac lex* ostendit: *Antiquarios*, inquit, *ad Bibliotheca Codices componendos, vel pro vetustate reparandos, scribendi peritos.* Themistius *d. loco*, ita describit, οἱ ἱκανοὶ εἰσι τὸν νοῦν μετοικίζειν ἐκ παλαιοῦ σκήνους ἐκλελοιπότος εἰς ἀρτιπαγές τε καὶ νεουργὸν, id est, *qui ea facultate præditi sunt, vt mentem ex antiquo & vniuerso tabernaculo in recens ac nuper fabricatum transferant.* Et vt paulo ante dixit, qui animas sapientum ex sepulchris in lucem reuocant, τὰς ψυχὰς αὐτὰς τῶν σοφῶν ἀνακαλεῖται, καὶ ἀνίστησιν ἐκ τῶν τάφων. Proximo sensu *Antiquarii* dicti, qui intermortua atque ab vsu remota verba vsurpaot. Iuuenalis *Satyra VI, v.* 454.

Ignotosque mihi tenet Antiquaria versus.

De Antiquorum cæteroquin Coditum collationa dixi ad *l. vnic. supr. de responsis Prudentum*. Memorantur & Antiquarii quatuor in scrinio memoriæ, Leonis *l.* 11. *Cod. Iust. de proxim. sacrorum scriniorum*: quos cum his confundunt Viri docti: qui scilicet adnotationes Principis & veteres preces in scrinio memoriæ tractabant.

De his igitur Bibliothecæ Constantinopolitanæ Antiquariis a Valente duo *hac leg.* constituuntur. Primo quidem *Numerus* eorum definitur: nempe, Antiquarios quatuor Græcos, tres Latinos Bibliothecæ Constantinopolitanæ adponi iubet: & sic septem in vniuersum. Vbi obseruandum, maiore numero Græcos ordinari, vtpote in Græca regione, & in quam Græcorum cummaxime scripta coacceruarentur: de quo & Themistius, *d. loco.* Pari ratione Theodosius Iun. plures in Academia Constantinopolitana Sophistas esse voluit, quam Oratores, *l. vltim. prox.* Secundo, *Annonas* his Antiquariis præberi iubet Valens de caducis popularibus: addita ratione: *& ipsi etenim videntur e populo.* Popularia, seu populares annonæ sunt, veluti panes, cæteraque quæ de publico populo siue Constantinopoli siue in Vrbe Roma distribuebantur: de quibus erit *infr. tit. de annonis ciuicis.* Quæ & commoda popularia dicuntur, *l.* 3. *supr. tributa in ipsis speciеb.* commoda populi, *l.* 3. *infr. de Canone frum. V. R. l.* 8. *supr. de Medicis.* Nempe Annonæ, quæ Constantinopoli nominatim præbebatur, tres species erant: aliæ Palatioæ, quæ Palatinis: Militares, quæ Militatibus: popularea, quæ populo seu popularibus dabantur: vt docet *lex* 7. *infr. de annonis ciuicis*, qoæ *huic leg.* vt iam notaui, coassanda venit, voa cum *l.* 7. *supr. de Prætoribus*: De quibus popularibus annonis Constantinopoli videndus quoque Sozomenus, *lib.* 3. *cap.* 7. Cæterum hæ aononæ, & populares quidem certis casibus *caduca* fiebant, (vnde & *caduci panes* in eiusdem Valentis Constitutione, *l.* 1. *infr. de annonis ciuicis*, vbi dicam:) id est, deberi desinebant, atque adeo fisci viribus vindicabantur, & in horreorum condita recidebant & residebaot, vt docent disette *d. l.* 1. & 7. Ex his igitur popularibus annonis caducis, annooas Antiquariis præberi iubet Valens *hac leg.* ratiooe addita, *& ipsi etenim Antiquarii e populo videntur*, id est sunt: neque enim aut Palatini, aut Militares erant: verum e populo: *du tiers Estat.* Popularis scilicet annona caduca populari recte Antiquatio cedit, vt in commuoe sui cuiusque Ordinis annonas cuique Ordini seruari voluit idem Valeos Imp. *d. l.* 7. quæ vt dixi *huic* coassoda est. Ergo Antiquariis Bibliothecæ Constantinopolitaoæ ex annonis popularibus & quidem caducis annonas adsignat *hac leg.* Valens Imp. Et sic de Antiquariis, quod primum est caput. (p. 203)

Secundo

Secundo capite *Custodia* Bibliothecæ Constantinopolitanæ consulit Valens: Nempe ad Bibliothecæ custodiam Conditionales adponi vult. *Conditionales* sunt, qui conditione personæ suæ & officii munerisque ita adstricti sunt, vt & emeritæ conditioni, id est, quæstioni seu tormentis subiici possint. Ergo hoc sensu Conditionales Bibliothecæ custodes esse vult Valens: quomodo & Auri flutores, *l. vltim. supr. de Ponderatoribus*: conditionales Annonarii, Actuarii Numerarii, *l. 5. 7. 8. supr. de Numerariis*. Conditionales Tabularii, *l. 11. Cod. Iust. qui potiores in pign.* serui quoque quidam Conditionales, *l. 5. supr. de iure fisci*, vbi dixi, seu *l. 7. Cod. Iust. eod. tit.*

De PROFESSORIBVS *publicis Constantinopolitanis: 1. vt his tantum, non aliis, 2. & publice quidem tantum docere ius sit: 3. deque certo eorum Numero, Theodosii Iun.* lex.

III. (a) Impp. THEOD. & Valentinianus Cæs......(b)

VNIVERSOS, qui vsurpantes sibi nomina *Magistrorum*, in publicis magistrationibus (c) cellulisque (d) collectos vndecumque discipulos circumferre (e) consueuerunt, ab ostentatione vulgari præcipimus amoueri; Ita vt, si qui eorum post emissos (f) diuinæ sanctionis adfatus, (g) quæ prohibemus adque damnamus iterum forte temptauerit, non solum eius quam meretur infamiæ notam subeat, verum etiam pellendum se ex ipsa, vbi versatur inlicite, Vrbe, (h) cognoscat. Illos vero, qui intra plurimorum domus eadem exercere priuatim studia consueuerunt, si ipsis tantummodo discipulis vacare muluerint, quos intra parietes domesticos docent, nulla huiusmodi interminatione prohibemus. Sin autem ex eorum numero fuerint, qui videntur (i) intra Capitolii Auditorium constituti, hi omnibus modis priuatarum ædium studia sibi interdicta esse cognoscant: (k) Sciturí, quod si aduersum cœlestia (l) statuta facientes fuerint deprehensi, nihil penitus ex illis priuilegiis consequentur, quæ his qui in Capitolio (m) tantum docere præcepti sunt, merito deferuntur. Habeat igitur Auditurium specialiter Nostrum in his primum quos Romanæ eloquentiæ doctrina commendat, Oratores quidem tres numero, decem vero Grammaticos: in his etiam, qui facundia Græcitatis (n) pollere noscuntur, quinque numero sint Sophistæ, & Grammatici æque decem. Et quoniam non his artibus tantum adolescentiam gloriosam (o) optamus institui, profundiores (p) quoque scientiæ adque doctrinæ memoratis Magistris sociamus auctores. (q) Vnum igitur adiungi ceteris volumus, qui Philosophiæ arcana (r) rimetur: duos quoque, qui Iuris ac Legum formulas (s) pandant. Ita vt vnicuique loca specialiter deputata adsignari faciat Tua Sublimitas: (t) ne discipuli sibi inuicem possint obstrepere, vel Magistri: neue linguarum confusio permixta, vel vocum, aures quorundam, aut mentes a studio litterarum auertat. Dat. III. (v) Kalend. Mart. Constantinop. Theod. A. XI. & Valent. (x) Coss. (425.).

N O T Æ.

(a) *Lex vnic. Cod. Iustin. eod. tit.* Iungenda autem *huic* est *lex vlt. infr. de operibus publicis.* Imo & *lex vnic. supr. de Professoribus qui in Vrbe Constantinopol. docentes ex lege meruerunt Comitiuam.* Etsi aliqua in Inscriptione & Subscriptione diuersitas intercedat. GOTHOF.

(b) In *Codicis Iustinianei* Editionibus omnibus, additum *P. V.* In *d. l. vltim.* aperte additum *Constantio P. V.* in *d. l. vnic. Theophilo P. V.* quod Cuiacius *huic leg.* in *Codice* inscripsit, ex ingenio, an ex MS. aliquo? incertum. Certe, & hanc P. V. inscriptam fuisse, docent vel extrema illa *huius leg. adsignari faciat Tua Sublimitas*, col-
P.204 lata cum *legis* argumento, vtpote, in qua agitur de Professoribus in *Vrbe* Constantinop *ID.*

(c) *Magistrationes* seu Cellulæ, in quibus Magistri docebant: e Magistris *Magistrandi* vox, quod est docere. Spartianus Adriano *cap. 10. vitam militarem magistrans.* Festus *voc. magisterare: Magisterare regere & temperare est: magisterare, moderari: vnde Magistri non solum Doctores Artium*, &c. *Magistrare experientia*, apud Cassianum. Inde *Magistrationes*, luca ipsa. *ID.*

(d) *Cellulæ*: de his quoque agitur *d. l. vlt. infr. de operib. publ.* quæ huic coniungenda est. *ID.*

(e) *Circumferre*, vox agyrtis, circitoribus, periodeutis propria; qui ostentationem vulgarem sectantur. *ID.*

(f) Hos scilicet. *ID.*

(g) *Affatus* diuinæ fanctionis, pro conftitutionibus & Refcriptis: vid. *Gloff. Theod.* *ID.*

(h) Hac Conftantinopolitana. *ID.*

(i) *Videntur conftituti*, pro funt conftituti. Ita *d. l. vlt. fupr. de operib. publ.* quæ *huic* coniungenda eft. *Quæ Septentrionali videntur adhærere portioni.* Et ita paffim *hoc Codic*: vid. *Gloff. Theod.* *ID.*

(k) *Agnofcant*, Cod. Iuft. *ID.*

(l) *Cæleftia* ftatuta, id eft, Imperialia: vid. *Gloff. Theod.* *ID.*

(m) In Capitolio. *ID.*

(n) *Græcitas*, pro *Græca Lingua.* *ID.*

(o) *Gloriofa* adolefcentia, nondum gloriæ compos, fed ad gloriam affectans, graffans. *ID.*

(p) *γρ. profundioris.* Et ita habet *Cod. Iuft.* *ID.*

(q) *Auctores*, funt Magiftri, Profeffores. *ID.*

(r) κρύφια λέξις, *Arcana* Philofophiæ ? Iuris *formulæ.* *ID.*

(s) Loco *formulas*, repofuit hic *Tribon. voluntates*, nimia fuperftitione: de quo mox. *ID.*

(t) *Præfectum* vrbis alloquitur *ID.*

(v) Ita quoque *d. l. vlt. de oper. publ.* quod Parifienfis Editio omiferat: et *in d. l. vnic.* Idib. Mart. *ID.*

(x) id eft, *Valentiniano*, quod in *Valente* perperam mutauit *Editio Parifienfis.* *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iunioris hæc *lex* eft, non vero Conftantini, aut Gratiani, quod nonnulli temere prodidere: neque etiam ea Valentiniano Tertio, communicanda venit: quod & ipfum tamen quidam tradunt, etfi pro more tum recepto eius quoque nomen *legi* infcribatur. Et eft ea (quod fecundo notandum) prolixioris Theodofianæ conftitutionis pars, de ACADEMIA, vt hodie loquimur, & PROFESSORIBVS Vrbis Conftantinopolitanæ: vnde duæ præterea *leges* fuperfunt, puta *lex vlt. infr. de operibus publ.* & *l. vnic. fupr. de Profefforibus qui in Vrbe Conftantinop.* quæ proinde huic coaffandæ veniunt: etfi aliqua Infcriptionum & Subfcriptionum diuerfitas intercedat, vt iam in *Notis* monui. Minor fane in *d. l. vltim.* ibi enim omnia fimilia funt; excepto quod *ibi* Infcriptio *Conftantii P. V.* nomen præfert, quod *hic* intercidit. Maior diuerfitas in *d. l. vnic.* quia & Infcriptio præfert, *Theophilo P. V.* & Subfcriptio, *diem Iduum Mart.* Et liquidum tamen, has tres *leges* inter fe coaffandas: non argumenti tantum paritate, verum etiam quia quædam in iis occurrunt, quæ fefe mutuo refpiciunt, alteræque ad alteras fefe referunt: veluti illa in *d. l. vltim.* SVPRADICTORVM *confeffibus*, ad Profeffores refpiciunt, de quibus *hac leg.* agitur: nam in *illa l. vltim.* nulla Profefforum mentio fit. Item illa in *d. l. vnic. qui in MEMORATO Auditorio Profefforum fungantur officio*: ad *hanc* pariter *leg.* apertiffime refpiciunt, vbi Auditorium exprimitur, in Capitolio videlicet, & ex parte ad *d. l. vltim.* Eft item *hac lex* (quod Tertio monendum) de Academia & Profefforibus *Conftantinopolitanis*: non vero de Romanæ Vrbis Profefforibus, vt perperam nonnulli tradunt, etiam Theatri Rhetorici Author: non item de Berytienfi, vt alii tradidere; de quo paulo poft plenius, quod etiam ex *dictis legibus* difcimus. Poftremo monendum, ficut *tres illæ* quas memoraui *leges* in commune funt de Academia & de Profefforibus Conftantinopolitanis, ita fingulas continere, quod *fuo titulo* fub quo pofitæ funt conuenit: fcilicet in *d. l. vltim. de operibus publ.* agitur de *Auditorio* Profefforum, quod Theodofius Iun. his adfignat, quod duobus locis *hac leg.* obiter indicatur; in Capitolio nempe Auditorium adfignat, & in eo Capitolio porticuum exedras. *Lex* vero *vnic. fupr. de Profefforibus*, &c. eft de Priuilegiis, deque dignitate Profefforum, quorum fit quoque mentio obiter *hac leg.* ibi enim Comitiuam primi Ordinis Profefforibus ibidem nominatis tribuit, & deinceps quoque cæteris qui viginti annis docuerint. Hæc tandem lex noftra feu ἀπόμοιρον hoc ipfum, PROFESSIONIS DOCENDIQVE MVNVS, & ad dignitatem Academiæ illius tuendam refpicit. Quinque eam in rem conftitutis, quot etiam eius capita numerari poffunt.

Primo capite vetat Theodofius Iun. Magiftros alios extra Profefforum publicorum numerum Conftantinopoli publice docere feu profiteri, in publicis magiftrationibus cellulifque collectis vndecunque difcipulis, id eft, fcholas publicas habere, quo iuuentus commeet: *publicas*, id eft, quo paffim conuenitur, oppofite ad parietes domefticos, (quod vnum his mox permittitur.) Neque eo minus tamen ἐν γωνίᾳ in angulis artem facere dicti: in quos vid. quæ Arrianus *1. in Epictetum 29.* & *lib. 2. cap. 13.* Themiftius, *orat. 3. pag. 61. Edit. Petav. Flexiæ 1613. in 8.* hique γωνίας ἄξιοι ἄνθρωποι, Ariftidi. Quod quidem a Theodofio Iun. Academiam Conftantinopolitanam bene fundaturo *hac leg.* conftitutum, tuendæ Profefforum, publicæque Profeffionis, feu Academiæ Conftantinopolitanæ dignitati: ne alioquin paulatim publici Profeffores fibi foli in fcholis relinquerentur, quod ille dixit, & agyrtæ, circumforanei, docendi munus indebite vfurpantes, ferrentur, *circumferentes* difcipulos vndecunque collectos oftentatione vulgari; vel denique ne ftudiofi in partes & factiones abirent. Vbi *oftentatio* vulgaris, non eft, vt inepte Gloffa, conuerfatio cum laicis, verum fui oftenfio apud vulgus fine legitima ordinatione & electione. Et hæc quidem eft *huius leg.* hoc capite fententia. Non quod volunt Interpretes, quafi Imperator vetuerit, Profeffores, non debere pompofe docere, oftendentes fuam in populis linguam, vt loquuntur, vt inde vulg. gloriam quærant. Non etiam quod tradidit Auctor Theatri Rhetorici *lib. 4. cap. 11. p. 435.* quafi ambitioni gloriofforum hominum & Sophiftarum occurrere voluerit Theodofius *hac leg.* id eft, qui Auditorum feu Difcipulorum numero ftipari in publicum procedebant: & fic quafi *lege hac* coërcita fuerit iuuenum affectatio. Nil tale, verum quia extra Auditorium publicum nollet Iuuentutem doceri, & ab aliis, quam qui publice in Collegium Profefforum afciti effent & adprobati. Ad quod idem proxime alludit *lib. 3. cap. 5. p. 179.* Fuit quidem tempus Romæ, cum Magiftri priuatas tantum pergulas & cellulas magiftrales haberent, quo iuuentus commeabat: de Mathematicis, testis Suetonius, *in Augufto cap 94* de Grammaticis, idem *lib. de Illuftrib. Grammaticis cap. 18.* vbi de Craffitio. Primus Adrianus Imp. Athenæum, ludum ingenuarum Artium Romæ conftituit, vt P.105

Aurelius

Aurelius Victor tradit *cap. 14.* & vt existimare licet *Regione VIII.* fori Romani: eo quippe loco ponit P. Victor *ludos literarios*: & manet hodienum eo tractu ad radices Auentini *schola Græcorum* meotio. Huius Atheoæi meminit & Xiphilinus ex Dione *in Didio Iuliano in fin. pag. 395. Edit. Sylburg.* *συναγαγὼν ἡμᾶς ἐς τὸ Ἀθήναιον καλούμενον ἀπὸ τῆς ἐν αὐτῷ τῶν παιδευομένων ἀσκήσεως*: *conuocat nos in Athenæum (templum Mineruæ) quod nomen traxit ab exercitatione eorum, qui in ipso erudiuntur.* Lampridius *in Alex. Seuero cap. 35. Ad Athenæum*, inquit, *audiendorum & Græcorum & Latinorum Rhetorum vel Poetarum causa frequenter processit*: vid. & Capitolinum *in Pertinace cap. 11.* & *Gordiano cap. 3.* & Symmachum, *lib. 9. epist. 84. in fin.* Alexander quoque Seuerus Auditoria publica instituit: sic enim de eo Lampridius *cap. 44. Rhetoribus Grammaticis, Medicis*, &c. *salaria instituit, & Auditoria decreuit, & Discipulos cum annonis pauperum filios, modo ingenuos, dari iussit.* Et post Athenæum tamen institutum, licuit etiam priuatim docere. De Rhetoribus Vopiscus *in Saturnino in fin. Fuit reuera nonparum literatus: nam & in Africa Rhetoricæ operam dederat, Romæ frequentauerat pergulas Magistrales.* Erant hæ scilicet pergulæ priuatæ, & eodem tamen sensu publicæ, quo *hac leg.* publicæ Magistrationes & cellulæ, nempe quod eo vndique conueniretur. Denique licuit ante Theodosium Iun. & in Occidente, Romæque, priuata Auditoria habere, quod manifestissime etiam docet *hoc Codice, lex 6. supr. de Medicis & Professoribus.* Atenim Theodosio Iun. vti dixi, iis quas dixi rationibus, fundata Academia Constantinopol. Magistrationes has & cellulas extra Auditorium Capitolii inhibere visum. Quod institutum etiam hodie seruari publicæ operæ foret: Et vero alicubi obtinuisse memini Legitimos Iuris Antecessores aduersus huiusmodi circitores, periodeutas, qui locis nonnullis Iurisprudentiam cauponantes, disputantes, & Academias & Auditoria desolauere. Ad quam alioquin quæstionem vid. apud Bouchellum & Ioly *Arrestum 29. lib. 2.* Sed Theodosii indignationem potius audiamus. Is huiusmodi Agyrtis *infamiæ pœnam* minatur: qui casus cæteris addendus est, quibus infamia ipso iure contrahitur; & expulsionis Vrbe Constantinopolitana. Priuatim equidem, quæ *secunda* sententia *huius leg.* est: seu intra domesticos parietes vnius tantum familiæ liberos docere iis permittit, seu priuatos præceptores agere. Vicecria, quæ *Tertia* sententia est, vetat *hac leg.* Theodosius Iun. publicos & *statutos* Professores alibi, quam in Auditorio publico docere, extra Capitolium scilicet. Nempe Theodosius Iun. Constantinopoli in Capitolio Auditorium Professoribus assignauit, *hac leg* & *d. l. vltim. infr. de operibus publ.* deputaris in eo porticuum exedris. Quod quidem Capitolium Constantinopoli fuit *Octaua Regione*, quæ a mari semota erat, & mediterranea: vt docet vetus Vrbis Constantinopolitanæ descriptio, præfixa *Notitiæ Imperii*: vbi & plures pariter porticus memorantur. Huius etiam Capitolii atque in eo auditoris Professorum meminit Cledonius Grammaticus Constantinopol. *in arte pag. 1866. inter H. Putschii Grammaticos*: *Quodam tempore dum Ars in Capitolio die competenti tractaretur, vnus e florentibus discipulis Iohannes, a Grammatico venia postulata intendent in alterum scitatus est.* De Capitoliis alioquin in genere dixi ad *l. 34. supr. de annona & trib.* Grauis ille error est eius, qui de Capitolio expresse scripsit *cap. 35.* cum de Capitolio Romano *hac leg.* agi tradidit. In Capitolio sane Romano fuit quoque olim Bibliotheca, teste Eusebio, *in Chronico*, in *Commodo, Ann. 189.* & Orosio *lib. 7. cap. 16.* & in ipso olim Templo Apollinis Capitolini factæ recitationes Poëmatum, seu vt hæc comissionum quasi arena esset. Horatius *Serm. I. Satyra 10. v. 38.*

Quæ nec in Æde sonent certantia, Iudice Tarpa:

Vide eundem *lib. 2. epist. 2. v. 94.* Nos ad Constantinopolitanum, & sic ad *legem* nostram redeamus. Ergo tribus superioribus sententiis voluit Theodosius Iun. Academiam Constantinopol. priuata Institutione vilescere; siue dum priuati, publice docere audent: siue dum statuti & publici, priuatim: Hoc etiam addito postremo casu, si quisquam Professorum priuatim doceret, Priuilegia his Professorum denegari oportere: Nempe a gradu honorifico descendentes, priuilegiis sese indignos reddunt: quæ ratio redditur ab Interpretibus. Quæ vero ea Priuilegia Professorum fuerint? dictum plene ad *tit. de Medicis & Professoribus*: Imo & *d. l. vnic. supr. de Professoribus*, quæ *huic* coniungenda est, vbi vnum ex his & vel præcipuum continetur: Quare qui viginti annis alibi quam in Auditorio Capitolino docuerit, Comitiuam primi ordinis non adsequetur. Et hæc de primo *huius leg.* capite.

Secundo huius *leg.* capite, Theodosius Iun. Genera, Nvmervmqve Professorum Constantinopolitanorum determinat: numerum inquam, in vniuersum *vnius supra Triginta*: scilicet Romanæ *Eloquentiæ* tres Oratores, decem Grammaticos: Græcæ vero, quinque Sophistas, & decem pariter Grammaticos. Vbi obiter Quinque notanda veniunt. Primo notandum, Græcam & Romanam institutionem seu professionem distinctam seu diuisam fuisse: de quo plene dixi ad *l. 11. supr. de Medicis & Professorib.* Secundo notandum, hic dicere dici Græcis *Sophistas*, qui Latinis *Oratores* dicebantur: Ergo Sophistæ Græci, Oratores seu Rhetores fuere: atque hoc sensu alibi Rhetores & Sophistæ iunguntur, vt *l. 6. §. 1. D. de excusat.* Hoc sensu *σοφιστεύειν* apud Socratem *lib. 4. histor. Eccles. 26.* de quo loco vid. Heraldum *lib. 7. in Salmas. cap. vltim.* Est enim nauus Accursii interpretantis in *l. 1. Cod. Iust. de professor. qui in Vrb. Constantinop.* Sophistas, *Dialecticam docentes.* Tertio, *Grammatici* hic & alibi sunt, qui prima eruditionis rudimenta ponebant: quod *infinitis locis* comprobatur: Quidque ad eorum partes pertineret, vt aliunde clarum, nominatim ex Quintiliano *lib. 1. cap. 4.* ita insignis de eo Gregorii Nazianzeni locus in *orat. 20. funebr. in laudem Basilii pag. 333. Edit. Lips. apud. Weidm.* vbi quatuor hæ eorum partes indicantur: *γλῶσσαν ἐξελληνίζειν, ἱστορίαν συνάγειν, μέτροις ἐπιστατεῖν, ποιήμασι νομοθετεῖν*, *linguam ad græcismum formare, historias colligere, metris præesse, carminibus leges præscribere.* Quarto obseruandum, plures Sophistas Græcos, quam Oratores constitui: velut in Græca vrbe, & ad quam Græci magis commeatent: qua causa etiam plures Antiquarii Græci quam Latini Bibliothecæ Constantinopolitanæ a Valente instituti, *l. 2. supr.* Tandem Oratorum & Sophistarum numerus in vnum collectus octo fuit: cum tamen Antiochiæ quatuor tantum Rhetores essent iam olim, vt testatur Libanius, *Oratione ὑπὲρ τῶν Ῥητόρων, p. 87.* & *p. 98. Edit. Morell.* Et hactenus quidem Professores viginti octo partim Grammatici, partim Oratores & Sophistæ. His vero omnibus tres adhoc Professores in Academia Constantinopolitana addit Theodosius Iun. *profundiorum* scilicet *scientiarum & doctrinarum*, vt ipsemet ait, id est, Philosophiæ & Iurisprudentiæ. Igitur vnum tantum Philosophiæ Professorem constituit: duos vero Iuris Professores: qui anterioribus Theodosii etiam Iun. ipsius constitutionibus in Professorum censu non reperiuntur, veluti *l. 16. supr de Professoribus & Medicis*: P.206
Quare post *eam leg.* & sic post annum demum 414.

ab eo Iuris Professores, & duo quidem, cæteris additi: cum hactenus vnus tantum fuisset, quod discimus ex *d. l. vnic. de Professoribus*, &c. quæ *huic leg.* iungenda est, vbi Leontium vnicum Iurisperitum memorat. Cæterum Theodosius Iun. Iuris Professores ita describit: *qui iuris ac legum formulas pandant.* Quod quidem eodem sensu dictum, quo illud Iuuenalis, *Satyra VIII. v. 50.*

Qui iuris nodos ac legum ænigmata soluat.

Vbi vetus Scholiastes interpretatur, *quæstiones obscuras.* Sidonius etiam Apollinaris *lib. 4. epist. 1. Iurisconsulto abscurum* tribuit: vid. & *Nouellam Theodosii 1.* Idem Scholiastes ad illud *Satyr. I. v. 128. iurisque peritus Apollo:* quod tam *dubia*, inquit, *Iurisperitorum responsa sunt quam Apollinis.* Vbi *dubia* responsa sunt λοξὰ, vnde & Apollo ipse λοξίας, Pacuuius, *Peribœa p. 1482. Corpor. Poetar. Volum. II Edit. Londinens. Flexa non falsa autumare dictio Delphis solet:* vid. & Sidonium *lib. 8. epist.* 16. & Commonitorium Aniani. Tandem Iuris & legum *formulæ* sunt legum & Iuris textus, dispositiones: sic & *l. vnic. supr. de vsuris rei iudicatæ: Quod a nobis exemplo æquabili ex iuris prisci est formulis introductum:* sic & Sidonius Apoll. *lib. 1. epist. 7.* in iudicio de Aruando PP. *Hanc epistolam*, inquit, *læsæ maiestatis crimine ardenter Iurisconsulti interpretabantur.* Et post: *Reum se læsæ maiestatis confitentem teneri. Ad hoc & millibus FORMVLARVM IVRIS id sancientum iugulabatur.* Non aliud igitur *hic* & apud *Sidonium* sunt *formulæ legum*, seu *Iuris*, quam Textus & Lectiones iuris, vt eas vocat Ammianus Marcellinus *lib. 30. c. 4.* de quibus ad *l. vnic. supr. de Responsis Prudentum.* Quare nimia superstitio fuit Tribuniani, hic vocem *voluntatis*, loco *formulæ* substituentis: & Viri docti Iureti ad *Symmachi lib. 6. epist. 74.* error est, qui ex hoc loco colligebat, nonnullas adhuc formulas hoc æuo in foro obtinuisse, quamuis sublatis ferme formulis: quod non magis ex hoc loco colligi potest, quam ex tertio hoc Symmachi loco *lib. 6. epist 74.* vbi *inania fori & sutelas formularum* dixit: neque enim ibi formulæ iuris solemnes, in foro seruandæ intelliguntur, verum solitæ & solemnes, quæ negotiis veluti Transactionibus inseri solent. Reuera enim omnes illæ formulæ hoc æuo abolitæ erant. Sed a quonam Imp. sublatæ eæ, id ἐκ παρόδου videndum: quia & hac parte non vnus error admittitur. Aiunt, iam Marcum Imp. plurimas huiusmodi formulas correxisse bono litigatorum: idque auctoritate Sex. Aurelii Victoris, qui de Marco *cap. 16.* ait, ab eo *legum ambigua mire distincta: vadimoniorumque solemni* (ita enim legendum) *remoto, denunciandæ litis opperiendæque ad diem commode ius introductum.* Verum quam parum locus hic ad formulas faciat, ostensum est *suo titulo, de denunciatione, lib. 2. t. 4.* de solemni enim vadimoniorum sublato ibi agitur, non de *solemni formularum.* Secundo aiunt a Constantino M. eas sublatas. At quis Auctor? Nazarius aiunt, qui *fine Panegyrici* scribit, *veterum calumniosas ambages ab eo recisas, captandæ simplicitatis laqueos perdidisse.* Verum nihil hæc ad formulas. Sed Tertio, aiunt, id testari aperte *legem* Constantini *1. Cod. Iust. de formulis sublatis:* & alteram eiusdem *legem 15. Cod. Iust. de testamentis:* & Eusebium *lib. 4. de vita Constantini, cap. 26.* qui eius *leg.* Auctorem Constantinum M. diserte facit. Eodemque Quarto loco trahunt nonnulli, *l. 7. §. 3. Cod. Iust. de Curatore furiosi*, qua dicitur, *petitionem bonorum possessionis Constantiniana lege sublatam & ab eo introductam obseruationem quæ pro antiqua sufficit petitione:* eiusque argumento, definiunt *legem vltim. Cod. Iust. qui admitti ad bon. poss.* male Constantio tribui. Verum hæc omnia contra fidem omnem. Nam neque id quod dicitur *d. l. 7. §. 3. Cod. Inst. de curator. furios.* ad verborum formulas pertinet, verum ad actus cuiusdam solemnitatem & necessitatem, & quidem intra certum tempus expediendam, quam Constantinus sustulerat, vt docet diserte *lex 8 seu penult. Cod. Iust. qui admitti ad bon. poss.* Quid igitur? Constantius Imp. Constantini M. filius formulas sustulit: cuius est *lex. 1. Cod. Iust. de formulis:* & *lex vltim. Cod. eod. qui admitti ad bon poss.* & *d. l. 15. Cod. eod. de testamentis:* & *lex 21 Cod. eod. de legatis:* vt docent earum legum subscriptiones omnes, datæ scilicet mense Februario *Constantio 2. & Constante COSS.* id est, Anno D. 339. vel vt habet *d. l. 1. Cod. Iust. de formulis: Constantio 3 & Constante 2. COSS.* id est, Anno D. 342. Quorum tamen illud verius. Imo *d. lex 21. Cod. Iust. de legatis* diserte præfert in Inscriptione tres filios Constantini M. *Imppp. Constantinus, Constantius, & Constans.* Constantius igitur formulas antiquauit, cuius sunt omnes illæ constitutiones: Ita quidem, vt *lex 15. Cod. Iust. de testamentis: lex 21. Cod. eod. de legatis: lex vltim. Cod. eod. qui admitti ad bon. poss.* sint vnius & eiusdem Constantiani Edicti partes *ad Populum*, vt Inscriptio earum præfert, emissi; atque adeo inter se coniungendæ: Quibus & quarta illa, puta *lex 1. Cod. Iust. de formulis* socianda videtur: etsi *Marcellino Præsidi Phœniciæ* inscribatur. Neque enim nouum est, imo passimum, idem Edictum missum & ad Magistratus, & ad populum, eodem exemplo. Nisi putemus *ea lg.* de nouo sanciri, quod paulo ante iam sancitum fuerat, quod verba suadere videntur. Quod vero Auctorem vitæ Constantini attinet, hic error est eius Scriptoria de proximo Constantii *legem* pro Constantini *lege* accipientis. De cuius erroribus semel dicam & cum lectoris fructu. Sed quo tempore a Constantio formulæ sublatæ? Eo, vt mihi videtur, quo ipse in Phœnicia agebat: Nam non tantum *dict. lex 1. Cod. Iust. de formulis sublatis:* Marcellino *Præsidi Phœniciæ* inscribitur, qua iubet, iuris formulas aucupatione syllabarum insidiantes, cunctorum actibus *radicitus* amputari, verum etiam *d. lex vltim. Cod. Iust. qui admitti ad bon. poss* dicitur data LAODICEÆ, non vt habet *d. l. 15 Cod. eod. de testamentis*, Serdicæ. Reperio quippe Constantium fine Anni 338. & Anno 339. in Phœnicia egisse: hinc scilicet Anno 338. data ab eo EMESA *lex 25. supr. de Decurionibus:* (quo etiam forte referendus Libanii locus, *orat. 12. p. 400.* & *orat. 13. ad Theodosium p. 413. 414 Edit. Morell.*) Sed & ad Dionysium data An. 339. *lex. 4. supr. de maternis bonis*, quæ *PP. Heliopoli*, vel *data Heliopoli:* vt habet *Codex Iust. l. 8. Cod. Iust. qui admitti ad bon.* Quæ omnia loca habes ordine in *Itinerario Peutingeriano pag. 762. 763. inter Opera Velseri* sic notata. *Berutho IX. Eliopoli XX. Heldo XXVIII. Fl. Eleuter XXII. Laudicia scabiosa XX. Nemesa* (*γρ. Emes*) *XVI. Aretusa Fl. XX.* Et sane Iulianus *orat. 1. pag. 20. 21. Edit. Spanhem. Lips.* auctor est, hoc tempore Constantium in *Syria* constitisse, & inter alia quæ in Persas molitus est, latrones Arabum per Legatos in Persas concitasse: quibus vtique Arabibus *Phœnice* vicina fuit. Vt his omnibus expensis, omnino inducar, vt credam, Constantium Imp. de consilio Iurisconsultorum *Berytiensium* in Phœnicia hasce formulas sustulisse: qui hac ætate clarissimi fuere, & apud quos celeberrima *legum* Auditoria erant: ac nominatim sub hoc Constantio: de quo fidem facit vel *vetus Orbis descriptio* sub Constantio & Constante: ad quam *etiam dixi.* Et hæc quidem coniectura mea est.

Verum e diuerticulo in viam. *Iurisperiti* itaque 207
hoc æuo quoque in Professorum publicorum numero fuere Constantinopoli, qui scilicet de publi-

co

P. 307 co salaria acciperent. Quod a Theodosio Ioo, primum Constantinopoli inslitutum puto. Nempe quia iuris cognitio & scientia, tum plurimum decoxerat, imo ferme abolita erat, sic vt pauci ad hanc professionem idonei essent: cum essent antea, equidem qui publice docerent, sed non publice conducti, parabiliorque multu esset antea Iuris cognitio: Quod & ipsum colligimus ex *l. vnic. supr. de Resp. Prud.* Et stetere quoque deinceps Professores Iuris Constantinopoli, cuiusmodi memorat Iustinianus Theophilum, aliosque. Ita quoque deinceps Romæ sub Gothis inter alios Professores, Iuris Expositores erant: quod discimus ex Athalarici ad Senatum Vrbis Romæ *epist.* apud Cassiodorum 21. *lib. IX.* Certe Iustinianus tribus tantum locis Iura doceri voluit, in vtraque Vrbe Regia Roma, & Beryti: non Alexandriæ, non Cæsareæ; *constitutione ad Antecessores*, quæ incipit, *Omnem* §. 7. Postremo *huius leg. capite* Theodosius Iun. LOCA quoque seu AVDITORIA singulis Professoribus adsignari iubet, in quibus ipsi profiteri possint: ne videlicet sibi mutuo obstrepant vel Magistri vel scholares: singulares ideo exedras singulis: de quibus exedris *d. l. vltim. infr. de operibus publicis:* quæ *huic leg.* non tantum, vt dixi, coniungenda est, verum immediate etiam subiicienda venit.

DE HABITV, QVO VTI OPORTET INTRA VRBEM.

TITVLVS X.

Abest hic *Titulus* a *Codice Iustinianeo*.

PARATITLON.

HABITVS, *Rubr.* & *l. 1.* & 4. *hoc. tit.* & *l. 12. infr. de Scænicis*, consuetus, *l. vnic. supr. de Præpos. S. Cubiculi:* seu vestimenta, *l. 1. h. t.* indumenta *l. vltim. hoc tit.* capitis item ornatus, veluti crines, *l. 4.* seu *vlt. hoc tit.* publice quoque constitutionibus Principum definita fuere: quibus videlicet vti quemque oporteret vel liceret, *Rubr.* & *l. 1. h. t.* pro conditione cuiusque *l. 1. h. t.* & dignitate *l. vnic. supr. de præpos. S. Cub.* quibus contra vti non liceret *omnibus huius tituli legibus.* Ac nominatim intra Vrbem, *Rubr.* venerabilem, *l. 2. hoc tit.* sacram, *l. 3. h. t.* sacratissimam. *l. vltim. hoc tit.* intra mœnia vrbis, *l. 1. h. t.* id est, intra Vrbem Romam: quo pertinent *tres huius tituli leges*, puta *lex 2. 3. 4.* Constantinopolitanam, quo spectat *lex 1. hoc tit.* imo & in vicinis Vrbi Romæ regionibus *d. l. vltim.*

Memorantur certe *hoc Cod.* & *tit.* hæc habitus siue vestimentorum genera, partim a materia, partim a forma discreta, in Orbe Romano vsitata: Chlamys, *leg. 1. h. t.* & *l. 4. supr. de militari veste*, qui habitus militaris erat, *l. 1. hoc tit.* Indeque etiam *Terror Chlamydis* dicitur *d. l. 1. hoc tit.* Colobia, & Penulæ, quæ & quieta vestimenta dicuntur, *d. l. 1. hoc tit.* Toga *d. l. 1. hoc tit.* Interior vestis, *d. l. 1. h. t.* Pallia discoloria, *d. l. 1. h. t.* Byrrhi, *d. l. 1. hoc tit.* Cuculli, *d. l. 1. h. t.* Holosericæ vestes, *l. 1. infr. de expensis ludorum:* quas sub qualibet editione largiri omnibus priuatis interdictum. Sigillatæ, Sericæ, Textæ, auratæ, Crustæ, quæ mimis interdictæ *l. 11. infr. de scænicis*, Scutulatæ, Sericæ varii coloris, quibus vti permissum mimis, *d. l. 11.* Holouerae vestes, Paragaudæ auratæ ac Sericæ auro intextæ, de quibus *mox:* Tunicæ lineæ, *l. 2. supr. de vestibus oloueris.* Vide plura in *Indice*, *de re vestiaria.* Peregrinæ item vestes hæ memorantur, Tzangæ, *l. 2.* & *3. hoc tit.* Brachæ, *l. 2. hoc tit.* Ragæ, *l. 3. h. t.* Pellium denique indumenta, *l. vltim. h. t.* Igitur *Senatores* Chlamyde vti intra Vrbem Constantinop. prohibiti, contra Colobiis & penulis vti permittuntur: Toga vero indui iubentur in Senatu & Iudiciis, *l. 1. hoc tit. Officiales* penulis interiore veste cingulis obfirmata, & discoloribus palliis vti iubentur, *d. l. 1. hoc tit. Serui* (paganorum,) byrris & cucullis, *d. l. 1. h. t. Mimæ* quoque, & quæ ludibrio corporis sui quæstum faciebant, publice habitu earum *Virginum*, quæ Deo dicatæ erant, vti prohibebantur: *l. 12. infr. de Scænicis*, item gemmis, sigillatis, sericis, textis auratis, crustis:

ftis: *l. 11. eod. tit. de Scenicis,* etfi fcutulatis, & fericis varii coloris, auroque fine, gemmis vti poffent, *d. l. 11.* Peregrina vero indumenta intra Vrbem Romam, & in vicinis regionibus etiam feruis interdicta fuere: puta Tzangæ, brachæ, ragæ, pellium indumenta, maiores denique *Crines l. 2. 3. 4. hoc tit.* Tandem priuatis omnibus quædam veftes interdictæ, & Principibus folis referuatæ: Puta veftes olouera, paragaudæ auratæ, vel fericæ auro intextæ: *toto tit. fupr. de veftibus oloueris & auratis.*

P.208 **I. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AAA. ad Pancratium (b) P. V.**

SINE exceptione temporis matutini, dumtaxat intra mœnia (c) conftitutus nullus *Senatorum* habitum fibi vindicet militarem: (d) fed, chlamydis terrore depofito, quieta coloborum (e) ac penularum induat veftimenta. Cum autem vel conuentus Ordinis candidati (f) cœperit agitari, vel negotium eius (g) fub publica Iudicis feffione cognofci, Togatum eundem intereffe mandamus. *Officiales* quoque (per quos (h) ftatuta (i) complentur, ac neceffaria peraguntur) vti quidem penulis iubemus, verum interiorem veftem admodum cingulis obferuare: (k) ita tamen, vt difcoloribus quoque palliis pectore (l) contegentes, condicionis fuæ neceffitatem ex huiuscemodi agnitione (m) teftentur. *Seruos* fane omnium (quorum tamen dominos follicitudine conftat militiæ non teneri) aut byrris vti permittimus, aut cucullis. Si quis de Senatoribus ftatuta neglexerit, proprii auctoritate honoris exutus ingrediendi Senatum iam non habeat poteftatem: Officiales vero, fed & Serui (qui pudoris non poffunt difpendium fuftinere) exilii pœnam fubire iubeantur: Officio Cenfuali viginti librarum auri non inmerito difpendii fubiugando, fi culpam vfurpationis huiusce, aut diffimulatione fubprefferit, aut accepta pretii mercede fubtraxerit. (n) Dat. Prid. Id. Ian. Conftantinop. Antonio & Syagrio Coss. (382.)

N O T Æ.

(a) Abeft *hac lex* a *Cod. Iuftin.* *GOTHOF.*

(b) *Pancratius* P. V. Conftantinop. fub Theodofio M. Eidem infcribitur Anno 379. *lex 4. fupr. de auro coronario*: quanquam ibi malim infcribi Com. R. P. Anno 381. *lex 6. fupr. de fepulchris violatis*: & hoc ipfo Anno *lex 3. fupr. de cognitor. & procur.* Hic fecundum Præfectus Vrbi fuiffe videtur, An. 389. *l. 4. infr. de Aquaductu. ID.*

(c) Vrbis Conftantinopol. Porro hic *mœnia* in proprio fuo fignificatu, pro muris ciuitatis. *ID.*

(d) *Militaris habitus*, chlamys. *ID.*

(e) An *Colobiorum*, quomodo frequentius vocantur: fed *coloborum* ferri poteft: de quo mox. *ID.*

(f) Id eft cum Senatus habebitur: *Ordo Candidatus*, *hac leg.* & iterum *l. 22. fupr. de Prætoribus*, eft Ordo fenatorius: vnde videlicet Candidati Quæftores, Prætores nominabantur, eligebantur: de quibus affatim *fupr. titulo, de Prætorib. & Quæftoribus*: ac nominatim *l. 21.* & paffim *Symmachus*. *ID.*

(g) Senatoris. *ID.*

(h) *Officialium* hæc defcriptio: *Officiales* funt per quos ftatuta Iudicum fcilicet complentur, & neceffaria peraguntur. *ID.*

(i) *Iudicum*. *ID.*

(k) Ferri poteft hæc vox *obferuare*, pro *obferare*: vt alicubi *hoc Codice*, *ad obferuandum aditum*: quod quis mutaret vel in *obferare*, vel in *obfirmare*. *ID.*

(l) *γρ. pectore*. *ID.*

(m) Γνώρισμα, *Agnitio*. *ID.*

(n) Ita Editiones priores omnes, male fola Parifina *fubtraherit*. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

THEODOSII M. hæc conftitutio eft data Anno D. 382. qua tribus hominum generibus fuum cuique in *Vrbe Conftantinopolitana habitum* feu veftis genus adfignat: alienum contra a fingulis fubmouet: Quanam, inquam, vefte finguli ex iis quas hactenus vfurpabant, vti poffent, quaue conditione, a qua viciffim abftinere deberent: vbi octo veftium genera feu nomina expreffa occurrunt: Chlamys, Colobium, Penula, Toga, Interior veftis fub penula, Pallia difcoloria, Byrrhus, & Cucullus. Hæc fcilicet quoque res Principum curam fubinde procurare debet, & vero Principes Ro-

Romanos prouocauit, sua vt cuique Ordini propria vestis, σημειώδης, ἔξαλλ@, constet. Quo sane non pertinet Augusti institutum, qui, teste Suetonio *cap. 40. etiam habitum vestitumque pristinum reducere studuit. Vt visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans, En, ait, Romanos rerum Dominos Gentemque Togatam: negotiumque Ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur, in foro circoue, nisi positis lacernis Togatum consistere.* Id inquam Augusti institutum huc non facit, vtpote quod vniuersum populum Romanum spectabat, non vero certos tantum Ordines generaque personarum: Atenim huc pertinet exemplum quod memorat Lampridius de Alexandro Seuero *cap. 27.* qui in animo habuisse dicitur, *omnibus Officiis genus vestium proprium dare, & omnibus Dignitatibus, vt a vestitu dignoscerentur: & omnibus seruis, vt in populo possent agnosci, ne quis seditiosus esset, simul ne serui ingenuis miscerentur.* Sed hoc Vlpiano, Pauloque displicuisse addit *Lampridius*, dicentibus, *plurimum rixarum fore, si sic* (ita enim lego,) *faciles essent homines ad iniurias*: Tum Alexandrum Seuerum satis esse constituisse, vt Equites Romani a Senatoribus *Claui* qualitate discernerentur; Penulis intra vrbem frigoris causa vt Senes vterentur permisisse; cum id vestimenti genus semper itinerarium aut pluuiæ fuisset: matronas tamen intra vrbem penulis vti vetuisse, in itinere permisisse, vt refert idem Lampridius.

Ceterum etsi non omnibus Officiis, non omnibus hominum generibus suam cuique vestem dari publice expediat, quod Vlpiano & Paulo ICtis nostris visum, attamen nonnullis, vt in veteri Vrbe Roma, ita & in noua, puta Constantinopoli sua vestis fuit, qua ipso occursu noscerentur: & vt *hae lex* loquitur, *huiusmodi* AGNITIONE *conditionem suam testarentur*, eoque proinde conditio vel dignitas vestitet, vt loquitur Tertullianus *cap. 1. de Pallio.* Huiusmodi sane vestem idem Tertullianus 3. *aduers. Marcionem*, 19. & *cap. 10. adu.*
P.109 *Iudaos, propriam vestem* vocat: habitum consuetum, *l. vnic. supr. de Præpos. S. Cubiculi*: ἐσθῆτας σημειώδης, *insigniorem vestium*, eodem argumento vocat Antoninus *de vita sua lib. 1. §. 17. pag. 17. Edit. Lipsiens.* ἐσθῆτες ἁρμόζουσαι, *vestes conuenientes*, Clementi Alex. *lib. 3. pædag. cap. 11.* Vestes insignes, Lactantius *lib. 5. cap. 6. Aliorumque se cæteris hominibus, satellitum comitatu & ferro & insigni veste faciebant*: ἐξάλλως μὲν ἐσθῆτας, eleganter Polybius *lib. 6. pag. 456. Edit. Paris. Is. Casaubon.* ἐξάλλως μὲν ἐσθῆτας ὑπέλαβον δεῖν ἔχειν τοὺς ἡγεμένους τῶν ὑποτεταγμένων, *arbitrati sunt debere principes alio, quam subditos vti cultu.* Aliud vero est *circumspecta vestis*, quæ sane non tam genere, ab aliis differt, quam nitela, munditie, aut ostentatione. Quomodo *circumspectam a cunctis ac notabilem vestem* Monachorum dixit Cassiani Interpres, *lib. 1. cap. 3.* Quomodo Marcellinus *lib. 27. cap. 3.* de Episcopis Romanis scribit, *procedere eos vehiculis insidentes, circumspecte vestitos*; quo eodem sensu idem dixit, *parietes lapidum circumspectis coloribus nitidos, lib. 28. cap. 4.* Quomodo Gellius *lib. 1. cap. 5.* vbi de Demosthenis in vestitu munditia ei probro data, seu cultu corporis nitido venustoque & nimio accurato egit, mox de Hortensio oratore ob eiusmodi munditias quoque maledictis compellationibusque probrosis iactato, scribit: *Ad eundem modum Hortensius*, &c. *quod multa munditia & CIRCUMSPECTE compositeque indutus & amictus esset*, &c. Ad rem. Nolo per singula nunc ire, neque hanc antiquitatem omnem eruere, ac nominatim de γνωρισμα-

σι τῆς ἀρχῆς: satisque habeo *huius Codicis* historiam sectari. A nonnullis viceuersa vestibus, tanquam a conditione sua alienis nonnulli arcebantur. Cuius vtriusque exemplum suppeditat hæc constitutio, per tria hominum genera, de quibus agit Theodosius M. puta de Senatorum, de Officialium, & de Seruorum veste seu habitu.

1. De Senatoria veste intra vrbem seu intra mœnia Vrbis Constantinopolitanæ, tria constituuntur. Prima parte cuiusdam vestis vsus prorsus Senatoribus interdicitur: secunda, cuiusdam vsus eis permittitur: tertia, cuiusdam certo casu gerendæ necessitas imponitur. Nempe *Chlamydis* vsum Senatoribus intra mœnia interdicit Theodosius M. quem tamen hactenus vsurpasse hinc liquet, spreta toga tanquam molesta, vtpote quod hic habitus *militaris* esset, vt eum vocat; & vero alioquin notissimum est: de quo etiam *l. 4. supr. de militari veste*: vnde & *chlamydis terrorem* hac eadem *leg.* vocat, & *quietis vestimentis* opponit. Quibus omnibus rationem huius prohibitionis satis indicat Theodosius: nempe vrbana quiete & intramurana, præsertim in vrbe totius Imperii Orientalis Principe, seu vertice, inconueniens visum, alium quam *Ciuilem habitum* Senatores præferre: seu *pacis habitum*, (vt *togam* vocat Tertullianus *de pallio, statim initio*:) Patricios habitus Claudianus *initio panegyr. in 4. Cos. Honorii*: quomodo etiam *ciuilium decorum indumenta*, palmatam Consulatem dixit Ausonius *in Panegyr. c. 21.* quomodo *Pacificatorem* habitum dixit Quintilianus, *lib. 11. cap. 3.* εἰρηνικὴν ἐσθῆτα, Dio, *lib. 48. ad An. V. C. 714. pag 366. Edit. Leunclav.* εἰρηνικὸν σχῆμα, Herodiano *lib. 2. cap. 42.* Ciuiles vestes, Cassiodorus *VII. Var. 1.* Ciuilis habitus, quietum vestimentum, quo intra vrbem, extra castra vti consuetum est. Huc illa quoque facit vetus Inscriptio Romæ, *apud Gruterum CCCCLVII. 2.*

STATVAM. PONI HABITV. CIVILI. IN. FORO. DIVI. TRAIANI
PECVNIA. PVBLICA. CENSVIT

Item altera Romæ, *apud eundem CCCLXXV. 1.*

AVCTOR. IMPP. ANTONINO... ET...
COMMODO. AVGG. STATVAM. ARMAT
IN. FORO. DIVI. TRAIANI. ET ALIAM
CIVIL. AMICTV. IN TEMPLO. DIVI. PII
ET. TERTIAM. LORICATAM. IN. TEMPLO
- - - - - - - - - - - - - - - - NENDAS
- -

Quæ in aliis Inscriptionibus *apud eundem CCCXLIV. 2. & CCCCLXXI. 8. Togata statua* dicitur: cuius etiam meminit Cornutus in illud Persii *Satyr. V. v. 14. Verba Toga sequeris.* Et generaliter quidem Theodosius Senatoribus Chlamydis vsu intra Vrbem Constantinop. interdicit, *sine exceptione temporis matutini.* Quæ verba superesse quidam male autumabant: scilicet, saltem matutino tempore videbatur Senatoribus chlamydis vsus permittendus; quod hic tamen etiam negatur: nempe quo tempore Senatores Imperatoribus salutationem matutinam velut officium aliquod necessarium præstabant: quæ salutationum res aliunde notissima est. Igitur Theodosius ne eo quidem tempore vel prætextu Senatores chlamydatos in vrbe esse voluit: contra eo quoque tempore in ciuili habitu esse iussit. Sane Togati salutationes suas olim fecere, neque in alia veste *matutinum* illud *Aue* adferre fas erat: quod sciunt, qui vel Martialem legerunt: Quo pertinet & illud Spartiani *Hadriano cap. 3. Vnde hodieque Impera-*

pulos quosdam suos Senatores, quos viderat diefestiato tunicis & lacernis indutos: *Equidem maluissem vos Togatos esse, pigitum est Cinctos saltem esse & Penulatos.* Mox tamen ad alios in Vrbe exemplum propagatum. De spectatoribus ludorum, & de funeribus, Lampridius Imp. Commodo. *c.16.* Et *contra consuetudinem Penulatos iussit Spectatores non Togatos, ad munus conuenire: quod funeribus solebat.* Vbi non probo qui reponunt, *Senatores.* Inde ad Senes omnes. De Alexandro Seuero Lampridius, *c.27.* *Penulis intra vrbem frigoris causa vt senes vterentur permisit, quum id vestimenti genus semper itinerarium, aut pluuia fuisset: matronas tamen intra vrbem penulis vti vetuit, in itinere permisit.* Quo loco pariter non possum assentiri reponentibus *Senatores* loco *senes.* Nouum enim istud institutum Alexandri, non ad Senatores, sed senes omnes respexisse, tum ipsa causa eius constituendi generalis ostendit, *frigoris* nempe causa; tum oppositio pristini moris, quo itinerarium fuit apud omnes in vsu; ergo nunc vrbanum senibus omnibus in vsu: tandem exceptio Matronarum, quæ vtique non solæ Senatoriæ fuerunt. Tandem post Alexandrum Penulati omnes, qoibus liberet, aut frigoris, aut pluuiarum gratia: sed tamen præcipuum hoc habuere Senatores, vt quemadmodum colobia Senatorum signum intertextum e purpura habebant, ita & Penulæ Seoatoriæ purpuræ quid haberent. Quare io *Glossis* Cyrilli, *συγκλητικὸς ἀνὴρ, ὁ ἔχων πορφύραν, Penulatus:* quomodo ibidem *συγκλητικὸν φόρημα, ὁλοπόρφυρον, Prætexta:* & mox, *συγκλητικὸν φόρημα, Toga.* Vnde vero *Penulæ* nomen dictum, quænam ea vestis fuerit, adstrictane, an laxa? aliaque id genus disquirit Ioan. Bapt. Dooius *in dissertat. de vtraque Penula.* Nos enim alio properamus. Et hæc de veste, quam Senatoribus indulget Theodosius M. *hac leg.*

Tertium Vestis Seoatoriæ genus est iam necessarium: Nempe Togatos Senatores esse iubet Theodosius M. duobus in locis & occasionibus, in *Senatu*, & in *Iudiciis litigantes:* Et sic colobiis & penulis depositis Senatores Togatos in Senatu esse voluit, quibus extra Senatum colobiis amictis & penulatis esse licuit. Quo pertinet & hic Sidonii Apollinaris locus *lib. 1. epist. 5.* vbi de Ricimeris nuptiis cum filia Anthemii Imp. *Iam Toga Senator honoratur, iam penulam deponit inglorius.* Ergo in Senatu solo Iudiciisque Togatos esse voluit Theodosius M. cum antea, seu priscis temporibus Togati semper fuissent Senatores: vnde & *Senatus Togatus*, Acroni *l. 1. ep. 7. v. 65.* Plebs *Togata*, Iuuenalis Interpreti *Sat. 8. v. 49.* pro Senatu: *Mancipia Togata*, Heliogabalo, teste *Lamprid. c. 19.* Sidonius *l. 1. ep. 5. Iam Toga Senator honoratur*, &c. Verum Senatores paulatim aliis vestibus adsueuere: & quidem Tunicarum & Lacernarum vestibus iam de multo vsu ignoscibilis erat, quod docet Castritius apud Gellium *lib. 13. cap. 20.* cui tamen Hadrianus medelam instituit, teste Spartian. *c. 22. Senatores*, inquit, *& Equites Romanos semper in publico Togatos esse iussit, nisi si a cœna reuerterentur.* Priscum igitur morem seruauit Theodosius saltem in Senatu & in Iudiciis, quæ *Togatorum sedes*; in Senatu inquam, vel vt hic vocatur & *l. 21. supr. de Prætorib.* in Ordinis Candidati conuentu, qui cur ita dicatur, *ibi* dixi: in *Iudiciis*, vel vt hic loquitur, si Senatoris negotium sub publica Iudicis sessione cognoscatur, id est, si in Iudiciis litiget. Litigatoribus Senatoribus togatis esse necesse est, ne alioquin vilescat eorum dignitas, quem scopum huius rei esse puto. Extra ordinem certe aliquando Senatores in Senatu non Togam, verum peculam purpuream cum foccis sumebant, vt in publicis conuentibus & lætitia. Sic Themistius *orat. 14. pag. 316. Edit. Petav. Flexiæ 1613. in 8.* testatur, cum in Senatu legeretur oratio seu epistola Constantii super Themistio, de quo dixi ad *leg. 12. supr. de Prætorib.* Senatum habitum festiuum sumpsisse; *ὑμεῖς δὲ ὥσπερ ἐν πανηγύρεσι μεταμφιεσάμενοι τὰς τηβέννας, καὶ τὰ ὑποδήματα ἀλλαξάμενοι, συγκαθεζόμενοι ἐπὶ τῶν δίφρων: Vosque interim, quasi in ludis, togati, & permutatis calceis, in sellis considentes.* Et hactenus quidem de Senatoria veste.

2. OFFICIALIVM vestem secundo loco Theodosius M. *hac leg.* definit. Officialium, inquam, id est, vt hic recte definiuntur, *eorum per quos statuta* (seu præcepta Iudicum) *complentur & necessaria peraguntur:* de qoibus plene *lib. 8. supr.* Triplicem igitur vestem hos gerere vult. Primo *Interiorem vestem, eamque cingulis* admodum *obseruatam, obseratam, obfirmatam.* Apparitores seu Officiales iam olim cincti. Tiro apud Gellium, *lib. 12. cap. 3. Lictorem vel a lino vel a licio dictum: licio enim transuerso, quod limum appellatur, qui Magistratibus præministrabant, cincti erant.* Isidorus *lib. 15. c. 14. Hinc & limus vocabulum accepit, cingulum quo serui publici cingebantur:* vid. eundem & *lib. 19. cap. 22.* & *lib. 19 cap. 33. Limus est cinctus, quem publice habent serui*, &c. Nempe cincti & *ἔνζωνοι* omnes, ministeriales. Ita apud Petronium *cap 21. pag. 12. Edit. Wouwer. Cynædus superuenit myrtea subornatus gausapina, cinguloque succinctus:* vid. & Senecam *de breu. vita cap. 12.* Cincti & mobiles. Notum Dominicum & Paulinum illud, de militia Christiana; *Estote lumbis succincti.* Huc refero & illud Castritii apud Gellium *lib. 13. cap. 20. Pigitum est cinctos saltem esse & penulatos.* Non quod ipsæ penulæ cinctæ, sed sub penulis interior vestis cincta esset. Denique cincti omnes, qui aliquid serii facere parabant. Apud Phædrum *lib. 2. fab. 6. v. 11. Alticincti atriensis*, quibus tunica ab humeris linteo erat destricta. Apud Suetonium *in Caio c. 26. Caius quosdam summis honoribus functos, cænanti modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo passus est.* Apud Horatium *Satyr. 8. lib. 2. v. 10. Puer alte cinctus acernam Gausape purpureo mensam pertersit.* Plura non addo iam alibi obuia. Secundo, Officialibus Iudicum penulatis sub ea conditione, vt vestis interior sit cincta, esse permittit: Sidonius, equidem de Censualibus, *lib. 8 epist. 6. Mixtumque turma Censualium penulatorum*, &c. cui loco illustrando Sauaro *hanc leg.* aptauit. Sed Censuales Officialium numero non fuere, sed ministerium ciuitatum. *l. 4. supr. de testament.* de quibus *fine leg.* Tandem iubentur Officiales pectora sua discoloribus palliis contegere, vt ita conditionis suæ necessitatem ex huiusmodi agnitione testentur. Cui optime conuenit Petronii locus *cap. 57. pag 39. Edit. Wouwer.* vbi de furto per lancem & licium agit. *Intrat stabulum præco cum seruo publico*, &c. *Nec longe a præcone Asclytos stabat amictus discoloria veste, atque in lance argentea indicium & fidem præferebat.* Amicti igitur prisco more serui publici, Officialesque discoloria veste, vt ita agnoscerentur. Qui mos ad alias deinceps gentes manauit. In Francia iam olim vetitum, ne Officiales quidquam exequerentur, nisi discoloribus suis palliis obtecti. Huc pertinent illa ex veteri Poeta.

Mais qu'il ne vous veuille desplaire,
Ne sçay quel VESTV DESVOYE,
Mon bon Seigneur, tout DESVOYE,
Qui tenoit vn fouet sans corde
M'a dit, &c.

Nempe

Nempe hoc vult, Officialem, qui virgam tenebat, & vestem discolorem gestabat, eum citasse. Parlamenti quoque Parisiensis Attesto cautum Anno 1537. ne citationes vel executiones vllas Officiales facerent, nisi ita vestiti, *Sergens mipartis:* Quam in rem plura Antiquitatis Franciæ callentissimus Pasquierus, ex quo & hæc ipsa habeo *lib. 4. des Recherches. cap. 27. Discoloris* porro hic sunt, & apud Petronium duplicis coloris. In Glossis *Discolar*, *δίχρως* & *διχρώμος*: sed an ita vt mixti coloris essent, *drap mesle?* an ita, vt ex duplici panno diuersi coloris idem pallium contextum esset, quod hodie ferme obtinet? Illud mihi verosimile. De coloreis vestibus alias dictum.

Illud hic tantum obseruandum, quod discoloribus palliis *pectora* nominatim contecta fuerint. Vnde videatur *pallium*, non vt Petronii ætate, fuisse vestis integra quæ amictui esset, sed tantum pannucia quædam, quæ pectori aptaretur, pariter vt colobia: cuiusmodi Pallia sunt quibus Religiosi quidam hodie pectora contegunt crucibus signata, conditionem suam ex huiusmodi agnitione, *γνωρίσματι*, testantes: cuiusmodi Pallia Sacerdotalia sunt, quæ a Pontifice Romano accipiuntur. Pallium scilicet dictum non tantum vestis integra, verum omne etiam amiculum quod superiniicitur, *ἐπίβλημα*, etiam partis alicuius corporis integumentum, veluti omne quod capiti tegendo fuit. Pallio denique caput velabatur, & frigus a capite defendebatur, vt iam notum est ea Seneca *epist. 114.* Rutilio Lupo *lib. 2. de figuris sententiar. pag. 9. inter Rhetores Pithai.* Petronio *cap 32. p 19. Edit. Wouwer.* & Plutarcho *in Pompeio*, vbi *Demetrii* liberti eius superbiam taxat, & Fulgentio *de prisco Sermon. num 14.* vbi de *Tutulo* agit. Igitur Pallium hoc, quo *pectus* contegitur, instar Lati Claui fuerit: quomodo etiam Claui Senatorum & Equitum in pectus vsque demissi supra vestem Horatius *Serm. I. Satyr. 6. v. 28.* meminit.

—— Latum demisit pectore Clauum.

Vbi Acron: *Latum Clauum Purpuram dicit, qua in pectore extenditur Senatorum: Græci τὸν κολοβιῶνα vocant: vsum eius retinent Principes, inicientes vesti a ceruice ad pectus indumentum ex purpura vel pellibus pretiosis muris pontici, vel aliis, dum Regia habitu prodeunt in publicum.* Ita Claudianus *Rufino* vitio vertens barbarum habitum *lib. 2. in Ruffin. v. 78. sequ.*

Ipse inter medios, ne qua de parte relinquas
Barbariem, reuocat fuluas IN PECTORE pelles: &c.

Idem de Trabea Consulari *de laudib. Stilicon. 2. v. 365.*

Tunc habiles humeros armis Dea vestibus ambit
Romuleis, Latii sederunt PECTORE cultus.

Pallia autem hæc ex lana facta, seu lanea fuere: & quo quæsitioris elegantiæ lautitiæque, ex mollissima lana, teste Petronio *cap. 28. pag. 16. Edit. Wouwer.* Et hæc quoque de Officialium veste: cuius hæc summa; *Penularum* vsum his concedi, sub duabus tamen conditionibus, vt & interior vestis cingulo firmata sit, & discolori pallio pectori aptato suam conditionem testentur.

3. Tandem Theodosius M. *hac leg.* SERVILEM quoque habitum seu vestem distinguit: quomodo & alias seruilis vestis ab aliis distincta: cuius meminit Tacitus *non semel.* Lampridius *Alex. Seuero cap. 23. 27.* Vopiscus *Aureliano cap. 49.*

SERVIS igitur vti permittit Theodosius vel *birris*, vel *cucullis*. Non erat igitur hæc proprie seruilis vestis, quod ex *hac leg.* quidam colligunt; cum his vti non iubeantur, verum harum vsus his *permittatur.* Permittitur, inquam, eo quod omnium P. 2 vilissimæ vestes fuerint, *κοιναὶ. κοινῶς πολιτευόμεναι, κοινὸν σχῆμα, κοινὴ ἐσθής*, cumque aliis seruis quoque *ἐπίκοινος*: Igitur aliis vestibus vti prohibentur, quæ non ita vulgares, cum tamen alias quoque vsurparent: adeo quidem vt sua ætate iam Appianus queratur *lib. 2. de bello ciuili p. 820. Edit. Tollii*: *καὶ ὁ δουλεύων ἔτι τὸ σχῆμα. τοῖς δεσπόταις ὅμοιος, χωρὶς γὰρ τῆς βουλευτικῆς ἡ ἄλλη στολὴ τοῖς θεράπουσιν ἐστὶν ἐπίκοινος*: *& seruus cultu eodem vtitur, quo dominus, exceptaque Senatoria veste, cæterarum vsus est promiscuus.* Igitur *hac leg.* Theodosius interdicto aliarum vestium, quæ liberis hominibus conueniunt vsu, solius *byrri*, aut *cuculli* vsum seruis permittit. Nempe *byrrhum* vulgarem vestem, & *βιῤῥοφόρους* plebem infimam, tenues Quirites & *εὐτελεῖς* fuisse, sexcentis testimoniis confirmari possit: etiam ex his quæ notaui ad *Veterem Orbis descr. cap. 48.* Sane *βίῤῥον ἐν ὀνείρῳ βλεπόμενον θλῖψιν καὶ στενοχωρίαν σημαίνειν, διὰ τὸ ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα*, *birrum in somnio apparentem portendere tribulationem & angustias, propterea quod corpus circumamplectatur*, Somniorum coniectores censebant, teste Artemidoro *lib. 2. cap. 3.* & ex *eo* Suidas *in v. ἐφεστρίς*, nempe quia stricta hæc vestis & miseræ plebis erat. Hinc adeo Ascetarum & Clericorum ea vestis velut humillima, vt ea *canone 12. Gangrensi* liquet *p. 535. 536. Tom. I. Concil. Ed. Harduin.* *τῶν μετ' εὐλαβείας τοὺς βήρους φορούντων, καὶ τῇ ἄλλῃ κοινῇ, καὶ ἐν συνηθείᾳ οὔσῃ ἐσθῆτι κεχρημένων*: *qui cum reuerentia birris vtuntur, & alia veste communi, qua in vsu est*, vbi damnantur, qui *διὰ νομιζομένην ἄσκησιν περιβολαίῳ*, *propter continentiam qua putatur, amictu pallii*, vtebantur, id est pallio, & velut in hoc iustitiam collocantes, eos condemnabant, qui cum pietate & humilitate Birris, aliaque communi & consueta veste vtebantur. Certe a colobiis & a penula diuersam hanc vestem fuisse docet *hac lex* apertissime. Artemidorus *loco* quem *supra* allegaui, Chlamydis genus facit, *ἣν ἔνιοι μανδύην, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, οἱ δὲ βηῤῥίον καλοῦσιν*, *quam alii mandyan, alii ephestriden, alii birrum vocant*, eamque adstrictam vestem fuisse docet, & ideo in somnis *θλῖψιν καὶ στενοχωρίαν* significasse, *διὰ τὸ ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα.* Quod vero Artemidorus birrum eundem facit cum *ἐφεστρίδι* & *μανδύῃ*, id quoque Suidas ait: *ἐφεστρὶς ἱμάτιον Ῥωμαϊκόν λέγεται δὲ καὶ μανδύας καὶ βίῤῥον. ἐφεστρὶς vestis romana, quam alii etiam mandyan & birrum vocant.* Palladius etiam in Lausiaca in *Serapione Ascete*, populum Atheniensem omnem tum diuidit in *τριβωνοφόρους*, id est Philosophos Ascetas, & *βιῤῥοφόρους*, vt recte ibi restituit Salmasius *ad Tertull. de pallio pag. 82.* nempe plebem vulgarem hac voce indigitat Palladius. Tandem passiones Sanctorum plenæ sunt de Birro, vel Birra veste, qua pro humilitate Episcopi, Clerici, aliique vsi: vid. Palladium *in Lausiaca*, & Heraclidis Pontici versionem, quam adducit Salmasius *ad Tertull. de pall. pag cit.* Acta Passionis Cypriani, Augustinum *sermone diuers. ad Clericos.* Quanquam & postea birris Monachis vti interdictum, tanquam adhuc pretiosioribus: vid. Cassianum *de institut. cænob. c. 5. de habitu Monachorum*, Regulam Isidori *c. 13. Linteo non oportet Monachum vti: Orarium, planetas, birras, non est fas indui.* De Birris istis, deque eorum nominis

miois ratiooe, plura noo addo, quæ aliuode facile arcelli poffunt. (*)

De *Cucullo* idem iudicium faciendum, vilem καὶ εὐτελῶν, hanc veftem fuiffe, non vero peculiarem feruorum: Neque etiam hic *Cucullus* eo feorfu accipiendus, quo alias pro quo tegumento, σκεπάσματι τῆς κεφαλῆς, περικεφαλαίῳ: verum eo, qui cum *birro* eodem iure æftimandus venit: fic tamen, vt ea veftis proculdubio illud ipfum capitis tegumentum (qui alias *cucullus*) haberet. Plura ouac oon addo de Cucullo, ootiffima ex Iuuenali. & Martiali.

Exceptio hæc tamen additur, libertatem feu licentiam hanc birris & cucullis vtendi feruis conceffam, intelligendam de feruis illis, *quorum dominis follicitudine militia non tenentur*. Cuius exceptionis hic fenfus eft, feruis præterquam militum, permitti birris vti, vel cucullis. Cuius Exceptionis rationem hanc reddebat P. Pithœus l. *Aduerf.* 16. quod milites quoque domioi birris paffim vterentur: Quo & refert illud Interpretis Perfii, qui lacernam *Birrum* ioterpretatus, ait fuiffe pallium fimbriatum, quo *olim foli milites velabantur*, *feu vtebantur*. Addo in eam feotentiam & *cucullos* militare geftamen fuiffe: cuiusmodi *cucullos Bardaicos* memorat Capitolious *in Pertinace*, *cap.* 8. & quidem *Bardaicos* a Bardeis, qui Ἰλλύριοι ὄχλοι στρατευόμενοι, in *Gloffis*, inde & *Bardaicus Iudex*, Iouenali *Satyr.* XVI. v. 13.

Sequitur fecunda *huius leg.* parte *Sanctio legis* qua Senator aduerfus *hanc leg.* admittens Senatorio iure multatur: Officiales & ferui exilii pœna afficiuntur: de quibus dicitur, eos pudoris difpendium non fentire, & ideo exilii pœnam fubire. Magnum pudoris difpendium eft Senatori, Senatu moueri: nullum, Officiali, & feruo actu fuo moueri, quia imo honos hic effet: ergo exilio plectuntur: quæ pœna in feruum quoque cadit, vt alibi *fupra* oftendi. Tandem & officio *Cenfuali* pœna 20. librarum auri imponitur, fi contra *hanc leg.* veftem vetitam vfurpari viderit, idque vel diffimulauerit, vel accepta pecunia cognitioni Iudiciariæ fubtraxerit. Fuerunt fcilicet Cenfuales, id eft officium Magiftri cenfus publicæ honeftatis cuftodes, & politiæ: quod vt ex *hac leg.* ita ex *l.* 5. *fupr. de ftudiis lib. V. R* liquet; & ex iis quæ plene de Cenfualium officio notaui ad *l.* 5. *fupr. de Senatoribus*, Errat enim Vir doctus I. Sauaro ad Sidooii *lib.* 8. *epift.* 6. qui Cenfuales hic accipit eosdem cum Officialibus, de quibus *fupra*: ac proinde hic Officialibus pœnam proponi putat, fi in *hanc leg.* ipfe aliquid admiferit, vfurpata videlicet vefte fibi non licita, vel non vfurpata ea quæ imperatur *hac leg.* Quod a Theodofii meote alienum eft.

(*) Confer præter ootas *SALMASII* in *Tertullian. de pallio*, *Cl. du FRESNE in Gloffar. latin.*

De Extero Tzangarvm *&* Bracharvm *vfu Romæ prohibito*, *Honorii lex.*

II. (a) Impp. Arcad. & Honor. AA. ad Populum. (b)

Vsvm Tzangarum adque Bracharum intra Vrbem venerabilem (c) nemini liceat vfurpare. Si quis autem contra hanc fanctionem venire temptauerit, fententia (d) Viri Inluftris PF. fpoliatum eum omnibus facultatibus tradi in perpetuum exilium præcipimus: &c. Dat. (e) PP. Romæ (f) in Foro diui Traiani, (g) Cæfario & Attico Coss. (397.)

N O T Æ.

p.213.

(a) Abeft *hæc lex a Cod. Iuftin.* Iungenda autem ei *lex vnic. infr. quibus militantibus ad vrbem non liceat accedere: item lex vnic. infr. de Campo Martio Vrbis Romæ: lex 3. infr. de Gladiatoribus.* GOTHOF.

(b) Romanum, vt docet vel fubfcriptio *legis*. ID.

(c) Romam. ID.

(d) Sequentia, totidem pene verbis extant *d. l. vnic. infr. de Campo Martio.* ID.

(e) *Locus*, vbi datum hoc Edictum, *hic*, & *dictis tribus legib.* omiffus. ID.

(f) Dies *hic*, & *l. vnic. infr de Campo Martio*: & *l.* 3. *infr. de Gladiatorib.* omiffus, fupplendus ex *d. l. vnic. infr. quib. militantib.* ita, *VII. Id. April.* ID.

(g) Ita quoque habet fubfcriptio *d. l. vnic. infr. de Campo Martio*: de quo mox. ID.

COMMENTARIVS.

Peregrinorvm feu Barbarorvm veftimentorum vfus, in Vrbe Roma, Anno D. 397. vt biennio poft rurfum A. D. 399. *l. prox.* 3. hac *leg.* omnibus interdicitur ab Honorio Imp. ac nominatim duorum. *Hac* inquam *leg.* quæ prolixioris Edicti Honoriani *ad populum* Vrbis Romæ emiffi, Romaque propofiti in Foro Traiani pars eft: quo Honorius Vrbis Romæ tum Maieftati, tum & Securitati, & Quieti potiffimum enixe confultum iuit: vt patet ex aliis tribus eius Edicti partibus; puta ex *l. vnic. infr. quibus milit. ad Vrbem*: *l. vnic. infr. de Campo Martio V. R.* & *l.* 3. *infr. de Gladiatoribus*: quæ proinde *huic* fociandæ veniunt omnes: Quintomo fexto poft die, idem Honorius rurfum prolixa conftitutione *ad Senatum & Populum* emiffa, tum Senatus tum populi vtilitati confultum iuit: cuius

partes sunt *lex. 6. 7. supr. de Senatoribus: lex 35. supr. de Prætoribus: lex 27. supr. de Nauicul. lex 5. supr. de Naufragiis: lex 3. infr. de Canone frum. V. R. lex 24 infr. de Susceptoribus.* Inter alia igitur, quibus Romanæ Vrbis Maiestati, vel etiam quieti vrbanæ consulium iuit hoc Anno & Edicto Honorius, ista fuere: Quod otiosos & peregrinos formidandosque Vrbe Roma submouit, quo pertinet *d. l. vltim. de Gladiatoribus tollendis: & d. l. vnic. quibus milit.* & forte *d. l. vnic. de Campo Martio.* Item: quod Exoticarum seu peregrinarum & Barbararum vestium vsum ea prorsus exulare voluit, tum *hac leg.* tum biennio post rursum *l. prox. 3.* & tandem tertia constitutione Anno Domini 416. *l. vltim. hoc tit.* Indicto proinde vel reducto indigeni habitus vsu: vt Claudianus *in 6. Honorii COS. v. 4.*

Quam suo cum pariter trabeis repetatur & Vrbi
Maiestas.

Et mox. *v. 6 seqq.*

..... Species nec dissona cultu,
Aut peregrina nitet simulati iuris imago,
Indigenas habitus natiua Palatia sumunt.

Posteaquam scilicet Barbari in Romanum Imperium atque in militiam adsciti, & ad dignitates euecti, ac nominatim Gothi fuere, Barbararum vestium vsus passim inoleuit, ita quidem vt non vulgus tantum eum sibi vindicaret, vel in Prouinciis, verum etiam Principes viri in vtraque Roma, etiam Constantinopoli. Claudianus testis *de Rufino, lib. 2. v. 78. seqq.*

Ipse inter medios, ne qua de parte relinquat
Barbariem, reuocat fuluas in pectora pelles.
Frenaque & immanes pharetras, arcusque sonoros
Assimulat, mentemque palam sectatur amictus.
Nec pudet Ausonios currus & iura regentem
Sumere deformes ritus, vestemque Getarum,
Insignemque habitum Latii mutare, togaque,
Mœrent captiua pellito Iudice leges.

Imo & Arcadio ipsi Synesius id exprobrat multis *de regno pag. 23. Edit. Petau.* Barbarum scilicet nouumque & insolentem cultum. Imo & Vrbem *Romam* ipsam non minus peruasit barbarus habitus: quod præter *hanc leg.* docebunt & *duæ sequentes.* Cui obuiam ire conatus Honorius, sed conatus: Ideo postea quoque, post *hanc leg. & prox.* tertiam edere coactus: quo ipso tempore Rutilius Claudius Numatianus *Itinerarii lib. 2. v. 49. seq.* in Stiliconem hæc scribebat:

Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat:
Et captiua, prius quam caperetur, erat.

Quamlibet grauissima pœna proposita Honorius id inhiberet: veluti *hac leg.* pœna proscriptionis omnium bonorum & exilii perpetui: *l. prox.* coërcitionis pro conditione personæ, & Vrbe expulsionis: vel etiam ea quæ continetur *l. vltim.* Cæterum & olim iam Barbaro habitu procedere, contra bonos mores visum: & conditio, *si Barbaro habitu processerit*, nullius momenti habita, velut contra bonos mores adscripta, Paulus 3. *sent. 4. §. 2.* Porro *Tzangas & Brachas* nominatim vrbe exulare iubet *hac leg. & l. prox.* de quibus nunc prolixius agendum venit. *Tzanga*, hac leg. quæ & *Tzanca* proxima leg. *Zanga* Acroni *ad Horat. lib. 1. Satyr. 6 v. 27.* *Tzangia* in Fastis Græcis seu Chronico Alexandrino *pag. 768. Edit. Raderi. Zancha* in epistola Gallieni apud Pollionem, *in vita Claudii Imp. cap. 17.* vbi inter cætera dona, quæ Gallienus Imp. Claudio misit ad eum placandum, numerat *Chlamydes vero luminis limbatas duas, vestes diuersas XVI. Albam subsericam paragaudem triuncem, vnam, Zanchas, de nostris Parthicis, paria tria: Singiliones Dalmatenses X. Chlamydem Dardanicam mantuelem vnam, Penulam Illyricianam vnam, Bardocucullum vnum, Cucutia villosa duo, Oraria Sarapterna quatuor.* Vbi nil mutandum, *Zanchas, de nostris Parthicis, paria tria:* nempe cum Zanchæ ex variis pellibus conficerentur, nominatim Zanchas ex earum numero quæ suæ essent, & de Parthicis pellibus confectæ, Claudio dono dedit, etsi eodem sensu sint qui mallent, *Parthicas*: sed nil necesse: Parthicæ, ex pelle Parthica. *Parthicarum* mentio multa apud Veteres. Inter alios in *l. vltim. §. 7. D. de publicanis & vectigalib.* vnde & Parthicarii, *l. 1. Cod. Iust. de excus. Artific.* pelliones scil. Parthicarum: *Corrigia* ex iis *Parthica* mentio apud Scholiastem Iuuenalis in illud, *Satyr. 5. v. 165.*

Vel nodus tantum & signum de paupere loro.

Parthici sacculi apud Ammianum Marcellinum *lib. 22. cap. 4.* Ait Gallienus, *de NOSTRIS Parthicis:* nempe de Parthicis fiebant Imperatoriæ Zanchæ. Corippus *lib. 2. de laudibus Iustini iunior.* ita calceos Imperatorios describit:

Purpureo suras resonans fulgente cothurno
Cruraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica Campano dederant quatergora fuco, &c.
Augustis solis hoc cultu competit vti.

Erant igitur Tzanchæ, non tantum quo pedes, sed & quo suræ ad genua vsque tegebantur. *Glossæ* equidem *Basil.* τζάγγα, τὸ ὑπόδημα. Sed Acron ad Horatii illud 1. *Satyr. 6. v. 27. Insanus nigris medium impedit crus Pellibus*, &c. *Nigris pellibus*, id est, *Zangis.* Ideo Isidoro *in Gloss. Zanga, pellis;* Procopius etiam περὶ κτισμάτων *lib. 3 cap. 1 pag 53. Edit. reg.* de his sensit, ὑποδήματα μέχρι ἐς γόνυ φοινικῷ χρώματι, ἃ δὴ Βασιλέα μόνον Ῥωμαίων τε καὶ Περσῶν ὑποδεῖσθαι θέμις: *calceamenta coloris punicei, ad genu pertinentia, quæ nemini præterquam romanorum Imp. ac Persarum regi induere licet.* Fastorum Alexandrinorum seu Siculorum Auctor *pag. 768. Edit. Rader.* τὰ Τζαγγία αὐτοῦ ἦν ἀπὸ τῆς χώρας αὐτοῦ ῥουσαῖα Περσικῷ σχήματι, ἔχοντα μαργαρίτας: *Tzangia ipsius e sua regione russea, persico more gemmas habebant.* C'estoient donques des bottines: Perones. Harum vsus interdicitur Monachis Synodi Aurelian. 1. *cap. 20. pag. 1011. Tom. II. Concil. Edit. Harduin.* & Clericis, *Capitularium lib. 7. cap. 304.* De voce ipsa verum dixit Salmasius ad Pollionis *cap. 17.* ab ἄγχω, quod est *constringo*, ἄγχη vinculum, quo quid constringitur: ζάγχη, pro διαζάγχη, vt pro *Diabolo Zabolus:* & *Zeta* pro *diæta:* et Barbarica addit one τζάγχη: vt τζῖνα, τζάκωμα, & alia mille. (*) Germani quoque forcipem vocant, *Tzange.* De *Brachis*, vel *braccis*, notius est quam vt hic pluribus agatur: dixit de his plene Salmasius *ad Lamprid. Alexandr. Seuer. c. 40.* Braccarum quidam vsus iam olim apud Gallos, aliosque populos fuit: verum bracharum vsum, de quibus *hac leg.*

(*) Adi etiam *Cl. Meursium in Glossar.* C A R. *du* F R E S N E *in Glossar. vtroque*, cui *Zanga* deducenda potius videtur a Gallico *Sangle*, id est, *cingulum*, cum τζ apud græcos recentiores pro διά vsurpatum, vix reperiatur.

P.214 *leg.* & quorundam iudicio *leg. prox.* Romani a populis Septentrionalibus Gothis traxere, pariter vt extera quæ *hac leg.* & duabus proximis vetantur: quo pertinet illud Claudiani *supr. vestemque Getarum.* Sane Ouidius 5. *Trist. eleg.* 7. v. 49. Braccatos Getas iam olim fecit:

Pellibus & laxis arcent mala frigera braccis.

Et *lib.* 4. *eleg.* 6. *v.* 47.

-----Braccataque turba Getarum.

Ergo, cum Barbarica vestis iam inoleuisset, & Barbari quamplurimi in Vrbe Roma versarentur, imo serui, de quo *l. vlt. inf.* (pariter vt in Oriente, quod Synesius de regno queritur *p. 21. Edit. Petau.*) saltem maiestatem Vrbis Romanæ peregrino habitu contaminari noluit Honorius, imo & securitati eius prouidere: & quia a plerisque id omini habebatur, tanquam Barbaris Vrbe Roma, orbeque Romano mox potituris. In quo sane omine erat Synesius scribens ad *Arcadium de regno*, cuius verba summe notanda sunt *p. 21. 22. Edit. Petau.* Quo spectat & Rutilii illud, quod *supra* iam retuli. Igitur NEMINI in Vrbe Roma peregrini habitus licentiam patere voluit Honorius, nequidem Barbaris, nequidem seruis (vt *l. vlt. infr.*) vt ita cum peregrinis, vel saltem, si non peregrinos, peregrinum habitum excluderet. Verum quam parum obsequentes habuerit Romanos Honorius, docent iteratæ *leges* aduersus Romanorum contumaciam, puta *leges duæ proximæ.*

De eadem re, altera Honorii lex.

III. (a) Idem AA. Flauiano (b) P. V.

INTRA Vrbem Romam nemo vel ragis, vel tzancis (c) vtatur. Quod si quisquam post præceptum nostræ clementiæ in hac contumacia perdurauerit, prout condicio siuerit, cohercitus Sacra Vrbe pelletur: & cetera. (d) Dat. VIII. Id. Iun. Brixiæ (e) Theodoro V. C. Cos. (399.)

N O T Æ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustinianeo.* GOTHOFR.

(b) *Flauianus* P. V. Romæ sub Honorio. Eidem inscribitur Anno 400. proximo *lex* 61. *supr. de appellat. l.* 9. *infr. de aquæductib. l.* 29. *de Nauicul.* Fit eiusdem mentio *l.* 33. *supr. de erogat. mil. ann.* Meminit huius Flauiani Præfecturæ & Symmachus *lib.* 7. *epist.* 50 & 95 perstringit eandem *epist.* 92. 94. 103. & *lib.* 4. *epist.* 5. 7. qui & illud docet, Decium huic in P. V. successisse. Quod etiam docet collatio legum huic Flauiano P. V. inscriptarum, & eius *legis* quæ Decio P. V. inscribitur Anno 402. puta *lex* 15. *supr. de Tyronibus*: vid. *Prosopogr.* ID.

(c) De *tzangis* dixi ad *leg. superiorem.* ID.

(d) Hæc cætera penitus interciderunt. ID.

(e) Iterum ibidem data, mox VII. Kal. Iul. hoc ipso Anno *lex* 34. *infr. de Episcopis.* ID.

C O M M E N T A R I V S.

PEREGRINÆ vestis geminæ vsum rursum (bienniu post *legem superiorem*) interdicit Honorius, cum in contumacia sua Romæ positi perdurarent, A. D. 399. Ad quam nihil præterea notandum est: nisi quod de *RAGIS* hic dicitur, quod *superiore leg.* de *Bracchis*: vt dubium videri possit alicui, num vtrobique *Raga*, an vero *Bracha* reponendæ sint. Ego non temere hic *Brachis* reponam; aut sollicitem vocem *Ragis*, etsi eandem vestem putem. *Raca* sunt, quæ ῥάκη vel ῥάκια: ῥάχη & βράκη idem. Ῥάκος certe idem cum Τριβωνίῳ, & Recentioribus Græcis proprie Monachorum pallium dictum περιβόλαιον, quod supra vestem inicitur: vid. Zonaram & Balsamonem *in Canone* 12. *Concilii Gangrensis pag.* 421. *Tom. I. Pandect. canon. Guil. Beueregii*: apud quos etiam Monachi ῥακοδυτεῖν, vel ῥακενδυτεῖν *pannos induere*, dicuntur, & ῥακενδύτης pro Monacho apud *Nicetam Choniatem* in Isacio *lib.* 3. *num.* 2. & in Alexio *lib.* 2. *n.* 5. Palladius quoque de Taor virgine *in Lausiaca*: ἐκείνη δὲ ῥακοδυτοῦσα ἀδιαλείπτως ἐν τῇ μονῇ ἐν τῷ ἐργῳ καθεζομένη, *ipsa vero pannis induta semper in monasterio in opere sedit.* Apud Nicephorum In *Catalogo Patriarcharum Constantinop.* de Basilio Diacono dicitur, γυνὴ ῥίψασα τὰ ῥάκη, quæ habitum Monialem eiurauit & abiecit. Est qui legat *Ruchis*, quod & Græci ῥοῦχον seu ῥουχίον vocant: inter alios Codinus *de offic. Constant. cap.* 3. *n.* 3. τὸ κόκκινον ἱμάτιον, ἤγουν τὸ ῥοῦχον, *tunica coccinea siue ruchum.* Nicetas pluries, ac nominatim in *Isacio*, *lib.* 1. *num.* 10. Φραγγικὰ ῥοῦχα Φορέσαντες καὶ τζέφετα, *francica rucha portantes & zibettum.* Vid. plura apud Meursium *in v.* ῥουχίον, & *in v.* ῥουχαρεῖον. (*) His affinia & ῥηγεα, de quibus Stephanus, Hesychius; & *Racana*, de quibus Ennodius, Nicetas, Mauritius, Constantinus.

IV. (*) Impp.

(*) Adi etiam *CL. du FRESNE in Glossar. vtroque* vocc. ῥάκος, ῥακοδυτεῖν, *racana*, *rachana*, & ῥοῦχον: & *IACOB. GRETSERVM Obseruat. in Codin. lib.* 2. *c.* 4. qui scribit ῥοῦχον, siue ῥουχίον esse ipsissimam germanorum voculam *Rock*: inde & *Rochetum*, vox obuia in libris ritualibus romanis, inde ῥουχαρεῖον, *rucharium*, siue *vestiarium*, locus in quo ῥοῦχα, *rucha*, asseruantur.

p.415. **IV. (a) Impp. HONOR. & Theod. AA. Probiano (b) P. V.**

MAIORES crines, indumenta pellium, etiam in seruis, intra Vrbem sacratissimam præcipimus inhiberi: Nec quisquam posthac inpune hunc habitum poterit vsurpare. Si quis autem neglexerit nostræ sanctionis vigorem, ingenuus legis laqueos (c) non euitet, seruus operi publico vindicabitur. Quod innotescere non solum intra Vrbem petimus, (d) verum etiam in Vicinis regionibus non licere sancimus. Dat. Prid. Id. Dec. Rau. D. N. Theod. A. VII. & Palladio COSS. (416.)

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iustin.* velut localis & temporaria. *GOTHOFR.*

(b) *Probianus* P. V. sub Honorio vid. *Inscript.* apud Grutetuno *CLXXI. 7. MLXXX.* 11. *ID.*

(c) Id est multam, *legis laquei*, pro multa, *hac leg.* & *l. 8. supr. de re militari: l. 9. supr. de fil. mil. appar. l. 16. supr. de diu. offic. l. 38. infr. de hareticis. ID.*

(d) Id est, iubemus. *ID.*

COMMENTARIVS.

PEREGRINVM habitum & cultum, hac tertia, *hoc titulo*, iam constitutione prohibet Hooorius intra Vrbem Romam, Anoo Domini 416. & quidem post liberatam a Gothis Romam instaurandæ vrbi vacans hoc tempore oon vna ratiooe; Triplici enixæ Voluntatis testimonio, tum pœnæ grauitate, proposita multa Ingenuis, seruis vero operis publici pœna: tum gemina ampliatione, ratione personarum, seruis etiam hoc interdicto comprehensis: & ratione locorum, non Romæ scilicet tantum, sed & in vicinis Regionibus. De quibus antequam dicimus, de ipsa habitus & cultus interdictione videamus, quæ sane hic amplior adhuc: nam & quod primo loco hic oecurrit, MAIORIAVS CRINIAVS interdicit Honoriut. Comam scilicet Septentrionales, Germanicæ, Barbaræ geotes aluere. De Gothicis crinium flagellis testis Sidonius *lib. 1. epist. 2.* & Francorum Regalibus, Gregorius Turonensis *lib. 6. cap. 24. aliique.* De Saxooum diffusa cæsarie Vitichindus *lib. 1. Annal. pagina 4. Edit. Hen. Meibomii, 1621. Francaf. in f.* de cæsarie & comis Germanorum Iuuenalis *Satyra 13. v. 165.* Tertullianus *lib. de virginib. veland. cap. 12.* de Sicambrorum, mox Francorum crinibus & coma cæsarieque, passiua notatio. Scythis denique prolixam cæsariem fuisse, testis est Synesius *in encomio Caluitii, pag. 77. Edit. Petau.* vbi ait, seruos Scythas permultos in vrbe, prolixa cæsarie fuisse: *ἐμοὶ οἰκέται καμοὶ, καὶ συχνοῖς ἄλλοις εἰσὶν ἐν ἄστει Σκύθαι καὶ Σκυθικῶς ἀνεικότες τὰς κόμας, nempe mihi quoque & aliis permultis in vrbe serui sunt genere Scytha, promissa Scythico more casarie.*

Hinc & Hieronymus hac ætate sua, *comam demittere proprium esse* dixit *luxuriosorum, Militantium, & Barbarorum.* Recte *Barbarorum*; Comam quippe demittebant omnes ferme barbaræ Gentes, quæ Romanum Imperium occuparuot. Et hæc de maioribus erinibus.

Secuodo PELLIVM indumeotis interdicit *hac leg.* intra Vrbem Romam, & vicinas Regiones, Honorius: cuiusmodi fuere *tzanga* & *bracha*, de quibus *duabus superioribus legibus*, a quibus Gothi ipsi *Pelliti* dicti apud *Rutilium Itinerar. lib. 2. c. 49.* qui hoc ipso Anno, vel proximo sane scribebat:

Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat.

Ante vicennium Claudiaous *in Rufinum lib. 2. v. 85.*

Mærent captiua pellito Iudice leges.

Sidooius vero *epist. 2. lib. 1.* de Theodorico Gothorum Rege: *Circumsistit sellam comes armiger, pellitorum turba satellitum ne absit, admittitur.* Hieronymus quoque de Gothis, *Epitaph. Nepotiani pag. 15. Tom. I. Oper. Edit. Francf.* Et *pellitorum turba populorum.* Item *Mastruca*, quæ erant vestes pelliceæ, Prudentius *lib. 2. contra Symmachum v. 495. seqq.*

Tentauit Geticus nuper delere Tyrannus
ITALIAM, patrio veniens iuratus ab Istro,
HAS ARCES aquare solo, tecta aurea flammis
Soluere, MASTRVCIS Proceres vestire Togatos.

Coiusmodi fuerunt & *Rheuones* Germanorum. Σισυροφόρους vocat Synesius in eodem argumento, & querela ad Arcadium, *de Regno, p. 23. Edit. Petau.* & vestem ipsam *ibidem* κῴδιον, κῴδια. Κῴδιον est δέρμα: σισύρα autem *corium hadinum* Hesychio. Vide & Ammianum de Hunois *lib. 31. cap. 2.*

Igitur horum vsum omnibus Romæ interdicit Honorius: *etiam Seruis.* Quorum sane bona pars hac tempestate barbari fuere: vt probat quoque Theodosii M. in Orieote *l. vnic. supr. de addictis actionibus.* Imo de eo ex professo queritur Synesius apud Arcadium *lib. de regno, pag. 23. Edit. Petau.* vbi ait, quamlibet domum quantumeunque felicem Scythicum seruum habere: esse vnicuique τραπεζοποιὸν, τὸν περὶ τὸν ἰπνὸν, καὶ τὸν ἀμφορεαφόρον, *structorem, & furnarium, & amphorarium* Scytham: nee non pedissequos, qui sellas post dominum ferant, quibus domini insidere possint, omnes Seythas esse, quasi iam olim hæc Gens designata esset aceommodatissima & dignissima seruitio Romanorum. Id ipsum idem testatur *prædicto loco, in Encomio Caluitii.* De ipsa Vrbe Roma, in eaque satellitibus Barbaris Rutilii locus expressissimus iam *supr.* indieatus:

Ipsa

Ipsa SATELLITIBVS pellitis Roma patebat,
Et captiua prius, quam caperetur, erat.

Et hæc de ipso Interdicto.

Sequitur *Ampliatio* altera ratione *loci:* non tantum Roma scilicet, verum & vicinis Vrbi Regionibus Barbarum cultum exulare iubet Honorius: *vicinis* Regionibus, Vrbi Romæ scilicet, quæ tum vrbi proximæ connexæ erant, tum sub dispositione P. Vrbis, vt patet ex *Inscriptione.* Ergo *hac leg.* vicinæ eædem cum suburbicariis: duplici argumento, non tantum quia *Vicinæ Vrbi,* sed & quia sub Præfecti Vrbis dispositione fuisse indicantur, cuius vtique Diœcesis intra suburbicarias, seu vrbicarias regiones consistebat. *Finitima Vrbi* eædem vocantur in *veteri Inscriptione* Romæ in basi statuæ, apud Gruterum *CCCLXX. 3.*

L. AVR. AVIANO. SYMMACHO. V. C. PRAEFECTO. VRBI. CONSVLI. PROPRAEFECTIS PRAETORIO. IN. VRBE. ROMA FINITIMISQVE PROVINCIIS. PRAEFECTO. ANNONAE. VRBIS. ROMAE. PONTIFICI MAIORI. QVINDECEMVIRO. S. F. MVLTIS. LEGATIONIBVS PRO. AMPLISSIMI. ORDINIS. DESIDERIIS APVT. DIVOS. PRINCIPES. FVNCTO. QVI PRIMVS. IN. SENATV. SENTENTIAM. ROGARI SOLITVS. AVCTORITATE. PRVDENTIA. ATQ ELOQVENTIA. PRO. DIGNITATE. TANTI. ORDINIS. MAGNITVDINEM. LOCI. EIVS. IMPLEVERIT. AVRO. INLVSTREM. STATVAM. QVAM A. DOMINIS. AVGVSTISQ. NOSTRIS. SENATVS AMPLISSIMVS. DECRETIS. FREQVENTIB. IMPETRAVIT. IDEM. TRIVMFATORES. PRINCIPES NOSTRI. CONSTITVI. ADPOSITA. ORATIONE. IVSSERVNT. QVAE. MERITORVM. EIVS. ORDINEM AC. SERIEM. CONTINERET. QVORVM. PERENNE IVDICIVM. TANTO. MVNERI. HOC. QVOQVE. ADDIDIT. VT. ALTERAM. STATVAM. PARI. SPLENDORE. ETIAM. APVD. CONSTANTINOPOLIM COLLOCARET.

Alioquin *Vicinas* Regiones remotiorum aliarum respectu, vlterius accipi posse fateor, quo sensu P. à 6
Nouella Valentiniani *de Suarus 15.* Lucania Prouincia, *Vicina* dicitur, Sardiniæ videlicet, opposita. Hoc sensu Frontinus, *de controu. agrorum: p. 54. Edit. Rigalt.* & *pag. 41. Edit. Gœs.* & Auctor *de Coloniis p. 104. Edit. Rigalt.* & *pag. 118. Edit. Gœs.* agros vltra quartum vel quintum vicinum dicunt, seu agrum a fundo tertio vel quarto vicino submotum: vicinus non est tantum proximus, sed etiam vlterior, *l. 1. §. 11. D. de Cloacis: l. 8. D. de operis noui nunciat.* deoque vicinum sæpe dicitur, etsi media alia loca interueniant, *d. l. 8.* & *l. 17. §. 3. D. de aqua & aquæ pluu.* vicini appellatio habet vim τῶν πρός τι. Sed ideo *hac leg.* vicinæ vrbi regiones non aliæ sunt, quam finitimæ, quam suburbanæ, connexæ, proximæ: nempe quia Ius quod *Vrbi* Romæ statuitur, idem ad vicinas eius regiones porrigitur ob eandem videlicet rationem: item quia *lex* hæc *Præfecto Vrbi* inscribitur, cuius Diœcesis vtique non vltra suburbanas seu suburbicarias, omnium confessione, procurrit. Et hæc quidem quantum ad propositam materiam sufficit: de hoc enim alibi plenius & ex professo. Illud adhuc addo, vicinas (vrbi scilicet) vrbes eodem sensu vocari, *l. 20. infr. de hæreticis.* Nempe vbi ius, quod Romæ dicitur, ad vicinas regiones vel vrbes extenditur, necesse est immediate vicinas accipi, & sic quæ intra Diœcesim Vrbis positæ sunt: scilicet non satis Vrbi Romæ prospectum visum Principibus nonnullis, nisi quod ius in Vrbe Roma constituissent etiam ad vicinas, contiguas, continuas, vrbi regiones, vel vrbes traherent, porrigerent: vbi par honestatis ratio.

Ex *hac* iam *leg.* colligat quis, aliis locis Barbarum habitum tulisse Honorium. Sed & illud hinc videmus, Honorium neque hanc rem siue curam, quo honestas etiam in *Coma* seruaretur, a se alienam putasse, pariter vt Theodosius M. pater eius; in sp. *l. 27. infr. de Episcopis.*



QVIBVS MILITANTIBVS AD VRBEM NON LICEAT ACCEDERE.

TITVLVS XI.

Abest hic *Titulus* a *Codice Iustinianeo:* vtpote momentanei iuris, & ad horum temporum historiam pertinens.

I. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. ad Populum. (b) Post alia.

AGENTES in rebus, adque Palatinos, aliosque milites inferiorismilitiæ (exceptis his, quibus negotium aliquod, aut munus fuerit iniunctum) omni penitus arceri Vrbis (c)

venerabilis iubemus accessu: ita, vt si quis nostri *Edicti* auctoritatem violare temptauerit, deportatione plectatur: & cetera. Dat. (d) & PP. Romæ, VII. (e) Id. April. Cæsario & Attico Coss. (397.)

N O T Æ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Est enim *hæc lex* horum temporum propria. Quænam vero *leges* aliæ *illi* iungendæ sint? mox dicam. *GOTHOF.*

(b) Romanum, vt docet vel *subscriptio* legis: *PP. Romæ. ID.*

(c) *Roma*, Vrbs venerabilis: vid. *Gloss. ID.*

(d) Locus vbi hoc Edictum datum *hac leg.* omissum est: paritar vt *tribus legibus*, quæ *huic* iungendæ sunt. *ID.*

(e) Hinc supplenda subscriptio trium *dictarum legum*: vt viceuersa ex *duabus* hic supplendum: PP. Romæ, *in foro Diui Traiani. ID.*

COMMENTARIVS.

Formidandos, & Violanties admittendis, turbisque ciendis opportunos, aduenas & incolas, ab Vrbe Roma submouet Honorius Imp. *hac leg.* Anno Domini 397. Quæ *lex* pars est Honoriani Edicti: Edicti inquam; Nam præterquam quod Inscriptio *ad populum*, satis arguit, Edictum hoc esse ad populum Vrbis Romæ emissum, in *ipsa* etiam *leg. Edictum* diserte vocatur. Pars autem *Edicti* prolixioris, quo Honorius Imp. Quieti & Paci Vrbis Romæ enixe consultum iuit, vt patet quoque ex aliis tribus huius Edicti partibus, quæ *huic* coniungendæ sunt: puta ex *l. 2. supr. de habitu quo vti intra vrbem: l. vnic. infr. de Campo Martio V. R. l. 3. supr. de Gladiatoribus.* Inter cætera igitur quæ ad hunc finem tenderent, formidandos Vrbi Romæ incolas & aduenas vrbe submouit: quo vt *d. lex. 3. infr. de Gladiatorib.* apertissime pertinet, ita & hæc. Ad eam scilicet siue annonæ difficultatem, siue Turbarum metum, Romæ tum deuentum, vt vtrique mederi Honorius instituerit: quo pertinet hæc quoque Edicti portio. Scilicet Agentes in rebus, Palatinos, aliosque milites inferioris militiæ omnino vrbe submouet, sub deportationis pœna, extra quam si negotium aliquod aut munus his fuerit iniunctum. Agentes in rebus erant, qui missionibus Principis parebant, quibus a Principe negotii alicuius executio iniungebatur, qui Principis iussis obsecundabant, qui ad Vrbem vel in prouincias necessitatis causa dirigebantur: vnde *executio Agentium in rebus* dicebatur, & agentes plenum vigiliarum munus exercere, denique dicuntur eorum labores, sollicitudines tantæ vigiliæ esse, vt soli
P. 217. quicquid oneris est & profiteri & efficere videantur, eorumque schola Principibus maxime necessaria: quæ omnia docuit *Titulus de Agentib. in rebus, supr. l. 6.* Et fuit tamen hoc genus hominum rapacissimum, de quo insignis extat Ammiani Marcellini locus, *lib. 16. cap. 5.* sed & de furtis, adulteriis, & libidine eorundem, est *lex 3. supr. de Iurisdictione:* His denique Romæ consistentibus nonnulli vsi ad violentias suas, vt docet Symmachus *lib. 10. epist.* 36. Igitur & hos quoque tanquam Vrbi Romæ formidandos, ab vrbe submouit, seu ad vrbem accedere hoc Edicto suo vetuit Honorius, vrbicæ quieti consulens. Qua ipsa quoque ratione in eam Prouinciam ex qua oriundi erant, vel in qua latere conlocassent, mitti vetiti, ante vndecim annos a Valentiniano Iun. *l. 4. supr. de executorib.*

De Palatinis id ipsum cauet Honorius: de *Palatinis*, inquam; id est, Officialibus Comitis S. L. & Comitis R. P. de quibus fuit *titulus supr. de Palatinis:* qui Palatini vtriusque officii vocantur, pariterque Agentibus in rebus iunguntur, *d. l. 4. supr. de executoribus:* nam & hi Prouinciæ suæ aditu vetiti: sicut hic vrbis aditu ob eandem videlicet rationem: Et hi Palatini ipsa scilicet militia formidandi erant, vtpote profligandorum debitorum, & calumniarum concitandarum & rapinarum perquam gnari: vt docent duæ Valentiniani Tertii constitutiones, *Nouella* inter *Theodosianas, de Palatinis 42.* quarum etiam posteriore ait se *ad Prouincialium QVIETEM tuendam simul ad AVARITIAM Palatinorum artendam remedia quæsiuisse.* Quæ sane ipsa causa fuit Honorio *huiusce legis* ferendæ. Hinc adeo his in Vrbe Roma consistentibus quidam ad vim & violentiam vsi, pariter vt Agentibus in rebus: vt docet Symmachus *d. epist. 36. lib. 10.* Quare error est grauis Scriptoris, *de officiis domus Augustæ lib. 3. cap. 10.* cum ait *hac leg.* Agentium in rebus quosdam vocari, *inferioris militia milites:* diserte enim hic milites inferioris militiæ separantur ab Agentibus in rebus, & a Palatinis.

Id ipsum & tertio loco Honorius de Militaribus inferioris militiæ cauet, vt videlicet & ipsi (tanquam vrbi formidabiles seu metuendi,) vrbe arceantur. Quinam autem hi sunt? scilicet Stratores, Domesticos, Protectores intelligit, qui & ipsi in interdicto *dictæ legis 4. supr. de executorib.* iunguntur Agentibus in rebus & Palatinis. Excipit tamen Honorius milites inferioris militiæ, itemque Palatinos, & Agentes in rebus, quibus negotium aliquod vel munus fuerit Romæ iniunctum. Nempe otiosos tantum, & vacantes seu vacantiuos vrbe submouet Honorius: non vero mandato Principis, aut summorum Magistratuum negotium aliquod vel munus explentes: vt subinde omnes hi pro rerum necessitate ad vrbem quoque Romam missi. Ita Palatinorum muneratorum sacrarum, vt quæstus publicos eruerent, Romæ agentium, meminit Symmachus *lib. 10. epist. 43.* Agentium in rebus, Romæ negotium aliquod exequentium Idem non *vno loco: lib. 10. epist. 37. & lib. 2. ep. 24.* (quæ data Anno 383.) & 62. (quæ data Anno 390) & *lib. 6. epist. 36.* (quæ data Anno 400.) & *epist. 5 4.* (quæ data Anno Domini 401.) & *lib. 10. epist. 44.* (quæ data Anno Domini 384.) Cæterum quam res hæc Honorio curæ fuerit, vt inquam hæc hominum genera Vrbe Roma abessent, grauissima pœna proposita id ostendit, nempe deportationis, pariter vt Gladiatores in extremas solitudines mandari præcepit, *d. l. 3. infr. de Gladiatoribus:* quæ *huic* inter alias iungenda est. Simili prorsus ratione Arcadius *l. 14. supr. de Numerar.* Actuarios intra 50. dies Vrbe Constantinopolitana excedere iussit. Alia vero ratione Theodosius Imp.

Prouin-

Prouinciæ Rectores Illyrici ad Augustissimam Vrbem sine iussione Principis adire vetuit *l. 9. Cod. Iust. de off. Rect. prou.* ne videlicet vrbis deliciis capti ab officio suo abducantur, Prouinciamque sibi commissam negligant, cuius interest esse aliquem, qui præsens ei prosit. Alia ratione, ob formidatam alimentorum inopiam, & ob famem, peregrini, aliique nonnulli, Vrbe Roma pulsi: de quo Ammianus Marcellinus quoque in vtroque excessu de Vrbe Roma *lib. 14. cap. 6. & lib. 28. cap. 4.* Libanius *in Antiochico pag. 366. Edit. Morell.* Themellius *orat. 6. pag. 160. Edit. Petau. Flexiæ 1613.* Et sic vrbe pulsi, vel vrbis aditu exclusi varii vario subinde fine, quæ multi turbide commiscent.

DE HONORATORVM VEHICVLIS.

TITVLVS XII.

Lib. XI. Cod. Ivst. Tit. XIX.

Vsvs *vehiculorum omnibus Honoratis Constantinopoli iniungitur a Theodosio M.*

I. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Nebridio (b) P. V.

Omnes Honorati, seu ciuilium, seu militarium dignitatum, (c) vehiculis dignitatis suæ, (id est, carrucis biiugis) (d) intra Vrbem sacratissimi nominis, (e) semper vtantur. Dat. III. Kalend. Febr. Constantinopol. Honor. NB. P. & Euodio Coss. (386.)

NOTÆ.

p.218. (a) *Lex vnic. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOF.

(b) *Nebridio* huic P. V. Constantinopol. inscribitur hoc ipso Anno III. Kal. Iul. *lex vnic. supr. de adilit. actionibus*: Inscribitur & *lex vnic. Cod. Iusti t. de offic Praef. vigilum*: vbi perperam in *Inscriptione* editum *Nephtidio*: Etsi quoque lex ea inscriptos habeat, *Theodos. & Arcadium.* ID.

(c) Abest hæc vox a *vulgatis Codicib. Iustin.* ID.

(d) Abest & hæc vox a *Cod. Iustin.* Ita Sueton. *Caio cap. 19. Curriculoque biiugi famosorum equorum.* ID.

(e) *Sacratissimi nominis* vrbs, Constantinopolis: *ominis* etiam. ID.

COMMENTARIVS.

Honoratos, cuiuscunque dignitatis ii sint, siue ciuilis, siue militaris, intra Vrbem Constantinopolitanam, vehiculis dignitatis suæ semper vti *iubet hac leg.* Theodosius M. Anno 386. In qua interpretanda tot ferme errores vulgo admittuntur, quot verba occurrunt, quot item circumstantiæ. Primum, non est hæc constitutio de Vrbe Roma, verum de Constantinopolitana: vt docet primum subscriptio *legis*, ac proinde eius Auctor Theodosius M. Docet id ipsum & inscriptio legis: Inscribitur enim ea, *Nebridio P. V.* pariter vt *lex vnic. supr. de adilit. actionib.* quem P. V. Constantinopolitanæ fuisse testatur Palladius, *in Lausiaca in Olympiade, p. 189.* docet & *lex vnic. Cod. Iust. de off. Praef. Vigilum.* Denique docent & illa, *sacratissimi nominis Vrbem*: Nempe de Constantinopoli id accipiendum, quæ vt *æterno nomine donata* dicitur *l. 7. supr. de Nauicular.* vbi vide quæ dixi, ita & *sacratissimi NOMINIS Vrbi*, Constantini videlicet nomine: Etsi alioquin Vrbs Roma quoque *sacratissima* diceretur, & vero dicitur ab Ammiano Marcellino *lib. 27. c. 3.* & Symmacho *in Auctario ep. 25. & 28.*

Secundo erratum, etiam a Cujacio, cum putauit, *Honoratos* hac *leg.* esse præditos ciuili militariue dignitate, veluti Præfectos Vrbi, Magistros militum, & similes. *Honorati* enim *hac leg.* non eo sensu, verum eodem dicuntur, quo innumeris aliis *legibus*, & inter alias *l. 1. supr. de officio Iudicum Ciuilium*: vbi de Honoratis his plene dixi: nempe, non qui præditi sunt dignitatibus, verum qui administratione perfuncti dicuntur, *l 2. supr. de Med. & Profess.* emerito honore pollebant, *l. 1.* iuncta *l. 2. & 3. infr. ne quid publ. laetit.* vel etiam, qui officiis ac ministeriis perfuncti merito stipendiorum consecuti fuerant dignitates, *l. 1. supr. de milit. veste:*

veste: l. 4. supr. de susceptor. Quod præter genuinam nominis Honoratorum significationem ostendit insuper id, quod de Carrucarum tantum vsu hic agitur: non vero de Carpentorum vsu. Verum de hac *Honoratarum* appellatione dixi plene ad *d. l. vnic. supr. de aff. Iud. ciuil.* vid. & Ambrosium *non vno loco*, & Nouellam Valentiniani *de honoratis*, inter *Theodosianas 45.* His addendi & qui Honorarios dignitatum codicillos adepti fuerant: de quo *tit. de honorar. codicill.* Quare recte nonnulli ex Interpretibus hic *Honorarios* interpretantur, habentes dignitates sine administratione.

Tertio notandum, hac tempestate (nam aliquando antea *inuidiosum* vel *illicitum* fuit in ciuitatibus vehiculis vti, vt docet Capitolinus *in Marco cap. 23.* & Vopiscus *in Aureliano cap. 5.*) suum cuique dignitati vehiculi genus attributum fuisse, seu *sua dignitatis* cuiusque vehicula fuisse, quibus vel honores gerentes, vel Honorati vti vehique solebant: & quidem non intra Vrbem Romam tantum, sed & Constantinopolitanam. Quorum vehiculorum frequens intra Vrbem Romam mentio occurrit apud Ammianum Marcellinum. inter alia *lib. 14.* in excessu de Vrbe Roma, *c. 6.* & *lib. 15. cap. 7.* vbi de Leontio P. V.

Quarto ad *hanc leg.* notandum venit, Honoratos *Carrucis* tantum *biiugis*, quam vocem recidit Tribonianus, vti potuisse, id est, vehiculo quod a duobus equis trahebatur: non etiam quadrigis vehi poterant seu carpentis, quibus Amplissimæ dignitates veluti Præfecti Prætorio vehebantur, qui actu eas dignitates administrabant: scilicet Carpentum seu Carrucha, de cuius etiam vsu seu luxu Romæ, Marcellinus *lib. 14. cap. 6.* in genere erat τε ῥακυκλον ὄχημα: *Carruca* autem *biiugis* (vt curriculum biiuge Suetonio *in Caligula, cap. 19.*) quæ a duobus animalibus trahebatur. Ergo *Carruca biiuges*, vehicula erant Honoratorum: *Dignitatis sua vehicula*, vt *hac leg. ipsa* vocantur. *Vehiculorum* nomen generale sub se complectitur varia vehiculorum genera, inter cætera Carpentum & Carrucas Biiuges: Carpentum, inquam, a quo vehiculum carpentarium Pollioni *de trigint. tyr. in Zenobia cap. 29.* a quo & carpentarius artifex Lampridio, *in Alex. Seuero cap. 52.* Fuere porro carpenta Principium & Imperatorum ipsorum: Ita Constantius Romam aureo carpento fulgenti claritudine lapidum variorum ingressus, ante annos ferme 30. A. D. 357. teste Ammiano Marcellino, *lib. 16. cap. 10.* Item Iudicum seu Magistratuum maiorum, puta Præfectorum Prætorio & Præfectorum Vrbis: Vopiscus *in Aureliano cap. 1. init. Vehicula suo me & Iudiciali carpento Præfectus Vrbis Vir Illustris Iunius Tiberianus accepit.* Symmachus, ipse Præfectus Vrbi, carpenti huius, quo Præfectus Vrbi vehebatur, meminit duobus locis, *lib. 9. epist. 61.* & *lib. 10. epist. 33.* qui & *Carrucam* generali significatu vocat, *d. epist. 33.* vt & Chronici Alexandrini Auctor Anno D. 409. *pag. 716. 717. Edit. Raderi.* Huius Carpenti Præfecti Vrbis meminit & Cassiodorus *lib. VI. Var. 4.* & *18.* vt & Præfecti Prætorio *lib. VI. Var. 3.* Idem Cassiodorus 2. *diuinar. Instit. c. 32. si Præfectum vox præconis enunciat, si carpentum ipsius strepentibus rotis transire noscamus.* Idem & *VI. Var. 15.* Vicarium Vrbis Romæ carpento vectum scribit. Iustinianus certe quoque *Nouella 72. cap. 1.* indicat, Præfectis Vrbium Romæ & Constantinopoleos, vt & Præfectis Prætorio id honoris delatum fuisse, vt carpento publice veherentur, ὥστε μεγάλης αὐτὰς ἠξιωμένας τιμῆς ἀπήνῃ τε ἐποχουμένας, *quatenus magno promeriti honore, & in carpentis vecti.* De eodem sensu & Asterius *homilia in festum Calendarum pag. 59. Edit. Rubenii*, cum de Rufino PP. agens, scribit, ὅτε φερόμενος ἐπὶ τῆς δίφρου ἐγαυρία τῷ ἀξιώματι, *cum in curru sublimis & exultabundus transueheretur.* Imo & Prouinciarum quoque Rectores Carpentis vecti, Ammianus Marcellinus *lib. 29. cap 6. vt Messala Prouinciæ Rector eam Iudiciali carpento impositam ad Sirmium cursu reduxisset effuso:* Cledonius alioquin in arte Grammatica *pag. 1864. inter H. Putschii Grammat.* *Carruca Proconsulis* meminit; de Prætoris Lycaoniæ & Proconsulis Cappadociæ ἀπήνῃ ἀργυρᾷ, *carruca argentaria*, vt vertit Iulianus, vid. *Nouell. 25.* & *30.* De huiusmodi Iudicum carpento censet quoque idem Ammianus Marcellinus, *lib. 14. c. ult.* cum scribit Gallum Cæsarem *carpento priuato impositum:* Priuato, id est, qui non conueniret Cæsari: ne cum Interprete erremus: pari sensu quo *Iudiciale carpentum:* Priuatus enim omnis censeba- P. 219
rur, extra Imperatorem & Cæsarem. Ac vt maxime omnes hi Iudices carpento in commune veherentur, attamen carpenta alia aliis augustiora fuere seu cultus vnius alio insignior erat. Sane Carpentum Præfecti Vrbis memorat quoque sub Valentiniano & Valente vetus epigramma quod quidam Themistii ipsius putant; Ἀνθολογ. *lib. 2. cap. 52. n. 7.* cui titulus: Εἰς Θεμίστιον τὸν φιλόσοφον γενόμενον ὕπαρχον Κωνσταντινουπόλεως, ἐπὶ Οὐαλεντινιανοῦ καὶ Οὐάλεντος.

Ἄντυγος οὐρανίης ὑπερήμενος εἰς πόθον ἦλθες
Ἄντυγος ἀργυρέης αἶσχος ἀπειρέσιον.

In Themistium Philosophum, factum P. V. Constantinopoleos, sub Valentiniano & Valente.

Super ambitu cœlesti sedens in desiderium venisti
In ambitu argentea, dedecus infinitum.

Vbi ἄντυξ ἀργυρέη, est *argenteum carpentum;* ἄντυξ pro ipso vehiculo, a curuatura, ambitu, circulo sedis in vehiculo, quem exhibet quoque *Notitia:* id enim est proprie ἄντυξ. Nouum sane cultu insigniore Præfecti Vrbis Romæ carpentum argenteum peregrinum ac superbum Gratianus Imp. instruerat, quod postea velut inuidiosum nimis, vtpote quo Præfectus Vrbi velut Salmoneus aliquis inueheretur, a Valentiniano suo. summoueri impetrauit Symmachus, *lib 10. epist. 17.* & 33. Ex his iam apparet, errorem esse P. Fabri I. *Semestr. 3.* qui nullos alios Magistratus præter Præfectum Prætorio carpento vectos scribit: eoque Vopiscum hominem Syracusium καταχρηστικῶς, *carpentum* pro sella curuli nominasse: vti viceuersa error est Viri Doctissimi, qui quodcunque vehiculum apud Historiæ Augustæ Scriptores carpentum vocari scribit. Tandem Carpentum hoc Præfectorum Prætorio & Præfectorum Vrbis quadriiuge, alteriusque inter alia eorum insignia erat: quod exhibuit *Notitia Dignitatum vtriusque Imperii*, quadraginta ferme post *hanc leg.* annis vltra Arcadii & Honorii tempora scripta, vt alibi prolixe ostendo.

Maioris igitur fastigii fuere Carpenta: vnde verum dixit, etsi falsa originatione, Isidorus *Origin. XX. 12. Carpentum vehiculi genus est, quasi carrum pompaticum.* Quomodo & in re vehiculari seu in argumento cursus publici, carpenta maiori oneri trahendo erant: vt docet *lex 18.* & *30. supr. de cursu publica*: vt & in militia: vid. Lampridium, *Alexandro Seuero cap. 52.* Inde etiam olim Carpenta in pompis Deorum vsitata, teste Ouidio *Fast. I. 619.* & Suetonio *Caligul. c. 15.* proque magno datum a Senatu Mulieribus Augustis, vt carpento veherentur, veluti Messalinæ & Agrippinæ: Suetonius, *Claudio, cap. 11. 17.* Tacitus *lib. 12. Annal.*

Annal. cap. 42. Dio, *lib. 60. pag. 679. & 686. Edit. Leunclav.* Alias fœmineo sexui id inconueniens. Quare de Zenobia, velut extraordinarium quid notat Trebellius Pollio *de trigint. tyran. num 29.* eam *vsam vehiculo carpentario: raro, pilento.* Denique Carpentum, Quadriga equorum trahebatur; (quanquam & mularum & boum carpentum memoratur apud Lampridium *in Heliogabalo cap. 4.*) Et hæc de summis & ἰμπράκτοις dignitatibus, quæ Carpento procedebant per vrbem. Alii vero ἄπρακτοι, seu *Honorati*, vt ex *hac leg.* apparet (minoresque etiam forte Dignitates) carrucis bijugibus tantum vtebantur. In quibus tamen ipsis hac tempestate magnus luxus erat: Ammianus Marcellinus testis *lib. 14. cap. 6.* inania studia Vrbis Romæ notans: *Alii*, inquit, *summum decus in Carrucis solito altioribus & ambitioso vestium cultu ponentes.* Qui idem alioquin *lib. 27. cap. 3.* scribit, *Episcopos Romanos processisse vehiculis insidentes circumspecte vestitos.* Et hæc quidem de vehiculorum vsu hoc ævo delibasse sufficiat: neque enim aut antiquiorem circa hæc luxum, vetustioresque circa vehiculorum pompam constitutiones hic attingo: de quo Vopiscus *in Aureliano c. 46.*

Nunc de quæstione, seu fine *huius legis* videamus, quam aliter atque aliter accepere Iuris Interpretes, aliique Viri docti. Sunt enim qui *Fastum* vehiculorum *hac leg.* reprimi censent, solisque Honoratis, id est vt ipsi volunt, in dignitate positis Carrucarum vsum intra Vrbem concedi putant. Alii censent, dubium fuisse, vtrum Carrucis intra vrbem vti possent Honorati, id vero *hac leg.* his permitti: qua in sententia est quoque Petauius in Themistii *orat. 6. pag. 580.* Atque adeo multi in ea sunt sententia, *hac leg.* non imponi necessitatem, neque cogi inuitos Honoratos vehiculis incedere, sic vt pedestres vel equestres ire possint. Quod voluit Glossa, quæ ideo vocem *vtantur*, exponit, vtc valeant si volunt. Verum potior mihi sententia sedet, neque fastum *hac leg.* premi, neque Honoratis tantum Carrucarum vsum permitti: verum, si recte capio, omnibus Honoratis *necessitatem* imponi vehiculis dignitatis suæ, (quæ vtique erant Carrucæ bijuges) semper vtendi intra vrbem: *Vehiculis*, inquit, *dignitatis sua SEMPER VTANTVR:* quæ verba, ni fallor, necessitatem important omni loco & tempore: Nempe Vrbis Constantinopolitanæ dignitati datum id videtur, a Theodosio M. vt videlicet Honorati hoc vehiculario seu Carrucario processu dignoscerentur, ipsaque adeo inde etiam Vrbis magnitudo seu Maiestas nosceretur. Et alioquin ex aliis *legibus* & Scriptoribus notum, quot & quanta Theodosius M. ad Vrbis Constantinopolitanæ maiestatem & magnificentiam augendam contulerit. Videatur saltem Themistius *d. orat. 6.* quam ante biennium A. D. 384. habuit.

Exemplum proinde iam & rationem in *hac leg.* habemus, ad vsum seu praxim, qua partim maestati vrbis alicuius Regiæ consuli potest: Quo sane fine expresse Lampridius ait, Alexand. Seuerum Carrucas Romæ, & rhedas Senatoribus omnibus vt argentatas haberent, permisisse: interesse Romanæ dignitatis putans, vt his tantæ Vrbis Senatores vectarentur: partim ob & meritis eorum qui semel honoribus functi sunt, vel honorum codicillis decorati, ne per incognitam turbam velut incogniti transmittantur.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

P.110

DE IVRE ITALICO VRBIS CONSTANTINOPOL.

TITVLVS XIII.

Lib. XI. Cod. Ivst. Tit. XX.

Vbi tamen *Titulus* ita immutatus est, generaliore iam significatu sensuque: *de Priuilegiis Vrbis Constantinopolitanæ.* De causa huius mutationis dicam ad *ipsam leg.*

1. (a) Imppp. Valentininianus, VALENS & Gratianus AAA. ad Clearchum (b) P. V. Constantinopolitanæ. (c)

ITALICI iuris auxilium, (d) arbitra æquitate, (e) renouamus. Concessi igitur gratia beneficii (f) publicis actibus (g) intimetur, & incisa Tabulis (h) debita sollemnitate permaneat. Dat. Prid. Non. Aug. Hieropoli, (i) Valentiniano & Valente (k) AA. Coss.

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iustin.* eiusque loco *lex vnic. eod. tit.* interpolata, occurrit potissimum ex *l. 45. infr. de Episcopis Eccl. & Clericis:* paucissimis tamen ex *hac leg.* interspersis ita; *Impp. Honorius & Theodosius AA.* Philippo

Philippo PP. Illyrici. Vrbs Constantinopolitana non solum iuris Italici, sed etiam ipsius Romæ veteris prærogatiua lætetur. Dat Prid. Id. Iul. Eusthathio & Agricola COSS. De quo mox plura. GOTHOF.

(b) *Clearchus* hic idem & Anno 372. Præfectus Vrbis Constantinopolitanæ fuit: vt docet *lex 7. infr. de annonis ciuic. lex. 2. supr. de studiis lib. l. 20. supr. de Prætoribus. ID.*

(c) Ad initium quoque *legis* hæc verba retrahenda, *Vrbi Constantinopolitanæ. ID.*

(d) *Auxilium*, quod mox *beneficium, gratia.* Ita *Auxilium*, de Iure & priuilegio liberorum, *l. 1. supr. de iure liberorum. ID.*

(e) *Arbitra* æquitate, *hic*, & *l. 10. supr. de petitionib.* (quæ *lex* est Valentiniani, sicut *hæc* Vale[illegible]:) pro æquitatis arbitrio, seu arbitrio & iudicio ad æquitatem comparato. *ID.*

(f) *Beneficium* sæpe [illegible] pro Immunitate a tributis: vid. *Gloss. ID.*

(g) An potius *Astis*? an *Fastibus*? Illud, *Astibus*, sustineri cui posse videatur. *ID.*

(h) Æneis scilicet, vt multæ aliæ *leges*, hoc *Codice. ID.*

(i) *Hierapoli*: Ibidem data Anno 368. *lex 3. Cod. Iust. de defensor. ciuit. lex 6. supr. de Tyronib. lex. 19. infr. de Episcopis.* De hac Valentis Hierapoli mora, vid & Zosimum *lib. 4. cap. 13. ID.*

(k) *ᵹϛ.* Vel II. AA. Coss. id est, Anno D. 368. (quod ferme malim) vel III. AA id est, Anno D. 370. vt docet etiam *d. lex 6. supr. de Tyronib.* neque enim Valens Anno 365. Hierapoli constitit. *ID.*

COMMENTARIVS.

IVS ITALICVM Vrbi Constantinopolitanæ iam olim concessum, paulo antea vero labefactatum vel ademptum, renouat & instaurat hac constitutione Valens Imp. (non Valentinianus, vt quidam temere scribunt:) Ita quidem, vt id in publica acta referri, Tabulisque (æneis scilicet) incidi & proponi solemniter iubeat: vt cæteroquin magni momenti res, legesque Tabulis æneis incidi solitæ: veluti quod *huic legi* proximum est, *lex* Constantini M. de *ἰσοτιμίᾳ* Vrbis Constantinopolitanæ cum Roma, vt testatur Socrates *lib. 1. cap. 16.* aliæque quas in *Indicem* congessi: de quo more alibi pleoe dictum.

Cum autem manifesta in spec. *huiusce leg.* sententia videatur, Tres nihilominus difficultates ea etiamnum habet: 1. Quidnam videlicet in ea sit *Ius Italicum.* 2. Quid opus fuerit hoc tempore id tribui Vrbi Constantinopolitanæ, quæ iamdudum Veteri Romæ exæquata fuerat. 3. Quæ denique huius Iuris reuocandi seu instaurandi causa Valenti fuerit.

1. *Ius* equidem *Italicum*, Auxilii, Gratiæque & Beneficii genus quoddam fuisse, vel hæc *lex* ostendit, quæ has tres voces de eo vsurpat: Quod Ciuitatibus scilicet nonnullis concedi solitum fuit: Ciuitatibus inquam, seu Coloniis; quo pertinet illa Coloniarum diuisio apud *Asconium*, quod *aliis ius Italiæ dabatur, Alia Latinorum essent*: Item quod aliæ Coloniæ fierent *saluis tributis*, vt loquitur I. C. in *l. 8. §. 5. D. de censib.* Aliis remitteretur tributum capitis; Aliis etiam solum immune esset, *d. l. 8. §. 7. D. de censib.* Cuiusmodi Ciuitatum seu Coloniarum Iuris Italici per Orientem recensum sub Antonino Caracalla, & quidem in Syria, Bythinia, Ponto, Cilicia, Dacia, instituit Vlpianus *lib. 1. de censib.* in *l. 1. D. de Censib.* & Paulus itidem *lib. 1. de Censibus*, distincte per Hispaniam, Galliam, Syriam, Macedoniam, Asiam, Pisidiam, & Africam: *l. vltim. eod. tit. D. de Censibus.* Sed & quarundam meminere sub Traiano vel Hadriano, Celsus ad *leg. Iuliam & Papiam*, de fundo dotali Italico agens, *l. 6. d. tit. D. de Censibus*: sub Marco, Caius, *l. 7. eod.* quibus locis eos Principes, qui Ius Italicum nonnullis Coloniis dedere, memorant Vlpianus & Paulus, Seuerum scilicet & Antoninum Caracallam. Idemque Vlpianus indicat passim, pro magno id nonnullis & paucissimis quidem Coloniis datum, ob merita, atque egregiam in Rempubl. Imperiumque Romanum insignem fidem. In quo autem constiterit Ius hoc Italicum? videndum est. Primo, vel *huius tituli*, qui *hoc libro 14* locatus est, situm, imo argumentum generale huius libri spectantibus, vt & *beneficii, auxilii gratiæque* vocabula *hac leg.* illud planum apparet, *προνόμιον* istud fuisse quarundam ciuitatum, & inter alias quidem, P. 221 Constantinopolitanæ: Eo scilicet pertinet hic *liber* integer, ad vtilitatem videlicet seu commoda, & *προνόμια* quatuor ferme præcipuarum in Imperio Romano Ciuitatum, puta Vrbis Romæ, Constantinopoleos, Carthaginis, & Alexandriæ. Id vero speciatim quoque docet *huius tituli* Rubrica *de Iure Italico Vrbis Constantinopolitanæ*: quæ postrema etiam verba, *Vrbi Constantinopolitanæ*, ex huius *leg.* inscriptione, ad *legis* initium retrahenda videntur. Secundo *huius tituli seriem* & *ἀλληλουχίαν* cum *titulis proxime superioribus*, & cum *proxime sequenti* spectantibus, illud conicere licet, fuisse ius istud seu priuilegium & beneficium datum *Maiestati* Vrbis Constantinopolitanæ: pariter, vt quod statuitur *tit. prox. supr. de Honoratorum vehiculis*: *tit. prox. infr. de Campo Martio Vrbis Romæ.* Tertio, priuilegium istud seu Ius Italicum in *ipsa leg.* vocari video, vt iam dixi, *Gratiam & Beneficium*: quæ quidem voces etsi in vniuersum de omni priuilegiorum genere vsurpentur, speciatim tamen de immunitate a censibus & tributis eas ferme vsurpari video. Eo sensu, *Gratia* accipitur *l. 1. 26. supr. de annona & trib.* & *Beneficii* vox, vt prolixe ostendi ad *l. 4. supr. de constitut. Principum*: Quod *Auxilii* vocem attinet, ea indicari solet dispensatio omnis a iure communi & ordinario. Hæc tria, inquam, ex *hoc titulo* & ex *hac leg.* discimus: Quin & Quarto loco ex *hac ipsa leg.* colligimus, Ius istud Italicum antea quoque Vrbi Constantinopolitanæ competiisse; verum infractum id aliquando, a Valente vero hac lege *renouari, permanereque* iuberi: de quo postea. Imo & Quintum istud, fuisse hoc Ius promiscuum & commune omnium ciuium & incolarum Vrbis Constantinopol. quandoquidem id publicis Actis intimari, Tabulisque debita solemnitate incidi cum Præfecti Vrbis authoritate iubetur.

Sed enim vlterius pergamus, & aliunde huius Iuris Italici notitiam pleniorem eruamus. Primum igitur Rubricam *Digestorum de Censibus*, spectantibus, in quem Vlpiani, Celsi, Gaii, Pauli leges de iure Italico, deque Coloniis iuris Italici agentes, relatæ

relatæ sunt, liquido apparet, priuilegium & beneficium istud iuris Italici *censum* respexisse. Quod & ipsum secundo colligimus ex eo, quod Vlpiani Paulique super iure Italico *leges* desumptæ sunt ex *libris* eorum *de Censibus*: Puta *lex 1.* ex Vlpiani *lib. 1. de Censibus*: Pauli *lex vltim.* ex *libro* eius *secundo de Censibus*. Qua parte etiam obseruo, Vlpianum *libros quinque de Censibus* ita scripsisse, vt *Libro Primo* egerit, de *locis* a censibus immunibus, vnde desumpta est *d. lex. 1.* Libro secundo, de *Censu capitis*, deque Ætatibus & dignitatibus a censu immunibus, vt & de immunitatibus singularibus: quo pertinet ex eo libro, *lex 12. D. de Sanatoribus*: *lex 3. D. de Censibus*: Libro Tertio, de *Forma* censuali, inque censum deferendi: quo spectat ex eo libro, *lex de forma censuali 4. D. de Censibus*. Libro Quarto egerat Vlpianus de *Exactione* census, quo spectat *lex 34. D. de adquir. rerum dom.* Quinto seu postremo Libro, egerat Vlpianus de *Pœnis* census, fraudati, vel non illati: quo pertinet *lex 26. D. de obligat. & action.* Ad rem. Ergo vel ex his satis conficitur, Ius Italicum spectasse rem *censualem*, immunitatemque a censu. Id vero tertio loco vel maxime patet ex Pauli *d. l. vltim. D. de Censibus*: Ex eo primum, quod Hispaniæ Colonias Iuris Italici recensens, cum dixisset, *in Lusitania Pacenses & Emeritensee iuris Italicè esse, idemque ius habere Valentinos & Licitanoe*, statim subicit, *Barcenonensee* QVOQVE *ibidem immunee esse*. Quod vtique ostendit, quod rem saltem tributariam & censualem attinet, idem fuisse Colonias Iuris Italici, & immunes a censu: Alioquin si differrent, dixisse Paulum oportuerat, *Barcenonenses* VERO. Quanquam dici contra possit, Paulum duas Coloniarum species ibi distinxisse: quarum aliæ iuris Italici essent, aliæ immunes a censibus Verum id admittendum non est: Nam & mux, quod secundum, eo ipso loco Paulus Coloniis Iuris Italici opponit Colonias, quæ saluis tributis factæ fuerant: *Diuus Antoninus*, inquit, *Antiochenses colonas fecit saluis tributis.* Imo ex eodem Paulo apparet, ius Italicum fuisse plenariam immunitatem non tantum a tributo capitis, sed etiam soli. (Quod etiam Marcellus Donatus *in Suetonium*, recte existimauit: & probasse postea vidi Dominicium *p. 17. de prærogat. allodior. cap. 2.*) Sic enim de Cæsariensi colonia, deque Ælia Capitolina scribit *d. l. 8. §. 7. Diuus Vespasianus Cæsarenses colonos fecit, non adiecto, vt & iuris Italice essent: sed tributum his remisit capitis: sed Diuus Titus* ETIAM SOLVM *immune factum interpretatus est: similes eis Capitulenses esse videntur.* Qua etiam parte obseruo, etsi Paulus & Vlpianus sub eodem Imp. Antonino Caracalla scripserint, (vt alibi ostendo aduersus Sam. Petit. *lib. 2. Obseru. cap. 4.*) Paulum Iurisconsultum rem narrationemque suam de Coloniis Iuris Italici altius repetisse: Vlpianum vero sui tantum temporis & ætatis obseruantiam consignasse: cum ait *leg. 1. §. 6. D. de censib. In Palæstina duas fuisse colonias, Cæsariensem & Æliam Capitolinam, sed neutram ius Italicum* HABERE: Nempe, quod Hadrianus Imp. proculdubio Cæsareæ & Æliæ Capitolinæ Ius Italicum detraxerat: Et Seuerus quoque Imp. etsi Palæstinæ iura plurima fundauit, attamen ius Italicum non restituit. Atque ita interim Vlpianum cum Paulo concilio: non quasi sub diuersis Imperatoribus scripserint. Certe Paulus etiam in eo περισσολογεῖ, quod cum dixisset, Laodiceam in Syria & Berytum in Phœnice *iuris Italicè esse*, addit, *& solum earum*: nam certe, qui *Iuris Italici* esse dicit, eo ipso & solum immune esse dicit. Et sane Vlpianus Syro-Phœnix ipse in *d. l. 1.* de his ipsis vrbibus, Laodicea inquam, & Berytо agens, simpliciter & absolute ait, *eas ius Italicum habere.* Iam igitur clarum, Iure Italico plenariam immunitatem a censu non tantum capitis, sed & soli comprehensam fuisse: Quare & Paulus vti dixi, promiscue *Colonias iuris Italicè*, & *immunes* dixit. Hinc etiam pariter, quas Paulus *Ilicitanae* (nam ita *leg. d. l. 8.*) in Hispania ius Italicum habere dixit, Plinius *lib. 3. cap. 3.* immunes dixit: *Colonia*, inquit, *immunis Illici, vnde Illicitanus sinus.* Quomodo & eodem capite mox, *Cæsar Augustam coloniam immunem* vocat: Et mox. *Ex colonia Accitana Gemellenses & Libisosona cognomine Foro augustana, quibus duabus Italia ius datum.* Idem *cap. 21. Ius Italicum habent eo conuentu* (Scardonitano in Illyrico) *Aluta, Flanates, Lopsi, Varubarini, immunesque Assesiates*, &c. quanquam hoc loco *immunes* iam alio forte sensu dicantur, pariter vt *cap. 3.* scilicet conuentus immunes Coloniæ, quæ nempe conuentui alicui non respondebant. Et ita quidem clarum iam, Ius Italicum plenam immunitatem a censu cum *capitis*, tum *soli*, complexam fuisse. Et vero ideo *Italicum* dictum, quia iam olim *lege Metella Cæcilia*, a Metello Nepote Prætore lata, immunes a Tributis Roma & Italia factæ, teste Dione *lib. 37. pag. 53. Edit. Leonclau 1606. in f.* Sc Italia quidem stipendio liberata temporibus Marii, vt ait Florus *in epit. Liu. lib. 80.* ciuitate donata fuit, & legitimi dominii iura sibi vindicauit, nul- p.222
lis tributis obnoxia. Indeque iam prædia *stipendiaria*, & *tributaria*, ab Italicis separantur, §. 40. *Instit. de rer. diuis.* vid. & *l. vnic. Cod. Iust. de vsucap. transformanda.* Sed enim Ius Italicum alia quoque priuilegia seu προνόμια complectebatur, quæ ento iure notissima sunt: puta in ACTIAVS, & negotiis priuatis: veluti in alienationibus, traditionibus nexi, mancipationibus, vsucapionibus, annali exceptione, in iure capiendi: de quo videndus Vlpianus *fragm. tit. 19. de dominiie & adquisitionibus rer. l. vnic. Cod. Iust. de vsucap. transform. §. 4a. Instit. de rerum diuisione.* Quin etiam referri potest quod Sozomenus, *lib. 7. cap. 9.* scribit de exæquatione Vrbis Constantinopol. cum Vrbe Roma: ἤδη γὰρ οὐ μόνον εἶχε ταύτην τὴν προσηγορίαν ἡ πόλις, καὶ γερουσίᾳ, καὶ τάγμασι δήμων, καὶ ἀρχαῖς ὁμοίως ἐχρῆτο, ἀλλὰ καὶ τὰ σύμβολα κατὰ τὰ νόμιμα τῶν ἐν Ἰταλίᾳ Ῥωμαίων ἐκρίνετο, καὶ τὰ δίκαια καὶ τὰ γέρα περὶ πάντα ἀνατέρᾳ ἰσάζετο: *iam tum enim vrbs illa, non solum hanc appellationem meruerat, & senatum & ordines populi, ac magistratus similiter habebat; verum etiam contractus ciuium eius vrbis, iuxta leges Romanorum qui in Italia sunt, iudicabantur, iuraque omnia & priuilegia æqualia seniori Romæ possidebat:* vbi forte σύμβολα sunt κατὰ τὰ νόμιμα τῶν ἐν Ἰταλίᾳ Ῥωμαίων κρινόμενα, negotia & conuentiones priuatorum, quæ iure Italico discingebantur æstimabanturque. Huius Iuris Italici exemplum in alienationibus istud inter alia erat, circa fundum dotalem ex *l. Iulia & Papia*: quod Italicum fundum tantum dotalem maritus inuita muliere alienare prohibebatur, volente vero ea poterat, vt docet *tit. Inst. quibus alienare licet vel non*: quo etiam referenda est Gaii *lex 7. D. de Censibus*, e *libro* eius *sexto, ad l. Iul. & Papiam*: quod docuerunt iam *Nota nostra ad leg. Iul. & Papiam, p. 37.* Exemplum & in Interdictis, quo referenda *lex 6. D. de Censibus*: cuius Inscriptio nec quicquam sollicitanda erat ex *l. 32. D. ad SC. Trebellian.*

Ergo Iuris Italici duo potissimi effectus fuere: Primus Actuum & negotiorum celebratio eodem iure quo in Italico solo: Secundus Immunitatis plenariæ a censu. Et sic quoad rem censualem attinet,

attinet, seu ad rem tributariam, Ius Italicum & immunitas a censibus eadem fuere. Quare error Cuiacii, X. *Obsern. 35.* censentis, Ius Italicum, quoad rem censualem, seu functionem tributariam, fuisse tantum leuationem census: & plus fuisse immunem esse ciuitatem, quam habere ius Italicum: Quod vel *hac lex* satis refutat. Ecquis enim putet, non Vrbi Constantinopolitanæ iuris Italici auxilio plenam immunitatem tributam, cum pleno honore haberetur, & æquo iure cum Vrbe Roma? Et vt Claudianus ait, de bello Gildonico, *par Roma foret, diuisaque sumpsisset Æquales TOGAS.* Quam & ideo mox *ALTERAM* vocat: de quo adhuc ad *l. 45. de Episcopis.* Rursum dicamus, & vt summatim rem complectar, Ius Italicum constitit in immunitate plenaria tributorum, & in priuilegiis quibusdam circa Actus & negotia: & sic ius Italicum ad alia quoque sese extendit, quam ad immunitatem: ac proinde hoc contemplatu *immunitatem* & *ius Italicum* aliud quid fuisse, quia scilicet ius Italicum plus aliquid fuit: Et sic, vt genus & speciem; vel vt totum & partem considerari posse. Fuit tempus cum crederem, huius quoque Italici Iuris partem fuisse eam qua insigniores quædam Vrbes alias sibi vectigales se censuales & obnoxias habebant, iisque iura dicebant: ac multo magis eas, penes quas de eo decernendi ius erat: Quo referri posset, quod Dio narrat apud Xiphilinum *in Seuero pag. 404. Edit. Sylburg.* & Herodianus *lib. 3. cap. 6.* Byzantium Perinthiis adiudicatam in seruitutem, vt & Antiochiam Laodicenis. Eodemque olim referebam Iuliani Imp. *epistolam 35. pro Argiuis:* vbi ait Corinthios, Coloniæ olim Romanæ ius, τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀποικίαν adeptos, ante septennium sub Constantio videlicet, Argiuos adsignatos vectigalesque factos. Eodem referebam superiorem Sozomeni locum: quia reperiebam apud Harpocrationem, σύμβολα dicta quoque τὰς συνθήκας, ἃς ἂν ἀλλήλαις αἱ πόλεις θέμεναι τάττωσι τοῖς πολίταις, ὥστε διδόναι καὶ λαμβάνειν τὰ δίκαια: *pacta conuenta ciuitatum quæ statuunt, vt inter ciues ius & æquum præstetur & obtineatur:* vnde & ἀπὸ συμβόλων δικάζειν, apud Hesychium. Verum id reprehensum, neque tamen confutatum video a quodam, qui tamen ipse se vicissim reprehendi in duobus mox patietur. Intra hos igitur duos fines & effectus quos *supra* designaui, consistit Ius Italicum.

Nunc videndum est de Iure isto Italico Vrbi Constantinopolitanæ tributo: cur inquam, id speciatim ei tributum? cur hoc tempore renouatum? denique quale hoc ius fuerit? In quo certe explicando multi hactenus adlaborant.

Dubium maxime mouet, quod istud Italici iuris auxilium a Maiestate Regnantis Nouæ Romæ, id est, Constantinopoleos semotum, nihilque adeo ei accedere exinde potuisse videatur, quæ iam summa omnia nacta fuerat, & vt loquitur *Vetus Orbis Descriptor*, sub Constantio & Constante *num. 33. pag. 29. Edit. Gothofred. omnia præcipua habebat propter Constantinum.* Sane enim Constantinopolim non tantum a Constantino M. maximo Senatu βουλευτηρίῳ μεγάλῳ ἢ συγκλήτῳ illustratam & donatam, auctor est Sozomenus *lib. 2. cap. 3.* & Auctor *Chronici Alexandrini*, Anno 330. *pag. 665. 667. Edit. Rader.* & Anonymus Sirmondi *pag. 715. ad calcem Marcellini Edit. Gronou.* consentit & Libanius *Oration. 13. ad Theodosium post conciliationem cum Antiochen. pag. 412. Edit. Morell.* etsi id Zosimus ad Iulianum referat, *lib 3. cap. 11.* Præfectumque Vrbis accepisse idem Auctor *Chron. Alexandr. & c.* prodit. Verum exerte Philostorgius *lib. 2. c. 9.* Socrates *lib. 1. cap. 16.* Sozomenus *lib. 2. cap. 3.* & ex iis Paulus Diaconus *lib. 11. Miscella histor. pag. 73. Tom. I. Script. Rer. Ital. Ant. Murator.* Constantinum M. Vrbem Constantinopolitanam Romæ honore parem effecisse, & *Nouam* seu *Secundam Romam* appellasse, appellarique voluisse, *lege* in id etiam *lata*, quæ columnæ lapideæ incisa fuerit, & in strategio posita prope statuam Constantini equestrem: Quomodo & *hac leg.* Valens priuilegium illud iuris Italici publicis non tantum actibus intimari, sed & Tabulis incidi, debita solemnitate, publiceque adeo proponi, iubet. Denique in omnibus ἰσόπαλιν τῇ παρὰ Ἰταλοῖς Ῥώμῃ fecisse. Imo Socrates *lib. 1. cap. 39.* & Sozomenus *lib. 2. cap. 34.* tradunt, Constantinum testamento suo priuilegia vt Romæ, ita & Constantinopoli multa reliquisse: de quo ad *Vet. Orbis Descript. pag 34.* Inde sub Constantio, Iulianus *orat. 1. in Constantium*, Anno 356. aperte ait, Constantinopolim secundam a Roma iam tum fuisse, δευτέραν τετάχθαι *p. 8. Edition. Lips. Spanhemii*, & ex eo Suidas *voc.* Κωνσταντινούπολις. Item Libanius *orat. funebri in Iulianum, p. 263. Edit. Morell.* aperte ait, sub Constantio iam Constantinopolim πρὸς τὴν Ῥώμην εἰκασμένην τοῖς ὅλοις, *Roma comparem fuisse:* & Eunapius *in Vita Libanii, p 169. Edit. Commelin.* ἄρτι παριοῦσαν εἰς μέγεθος καὶ ἀκμάζουσαν, id est, *iam pridem magnum nomen indeptam, atque opibus florentem.* Sub Iuliano idem Libanius *legat. pro Antioch. ad Iulianum, p. 159. Edit. Morell.* vtramque *Romam* nominat, & Antiochiam *Tertiam* facit, νεῦσον δὴ πρὸς τῆς Ἀθηνᾶς, ἧς τὴν πόλιν, ὥσπερ Ῥώμην εκατέραν ἐπιθυμεῖς ἰδεῖν: *annue quæso per Mineruam, cuius ciuitatem non minus quam vtramque Romam videre percupis.* Item *pag. 165.* ἐν ταῖς μετὰ δύο τὰς πρώτας τετάγμεθα: *inter eas vrbes, quæ duas primarias sequuntur collocati sumus.* Quid igitur inquies ex iure Italico, quod *hac leg.* Valens tribuit, ad præclara illa πρεσβεῖα addi potuit? quid enim ad cumulum accedere potest, cui ad summum nil iamdudum deerat; imo optimo iure erat? Quem scrupulum etiam vidit, nec tamen exemit Berterius, *Pithan. 1. cap 1. pag. 804. Tom. IV. Thesaur. Iur.* Responsio procliuis; non nouum quidem priuilegium Vrbi Constantinopolitanæ a Valente *hac leg.* tribui, verum iam olim datum *arbitra æquitate renouari*, quod proinde nuper inique ademptum fuerat. p. 113

Vera inquam hæc. Sed dubium adhuc, quidnam de Iure Italico Vrbi Constantinop. ademptum fuerit, & an omnia, & a quo? vt id iam renouari oportuerit a Valente Imp. Ego ita censeo, nuper admodum infractum id a PROCOPIO Tyranno, fine Anni D. 365. & initio Anni 366. Constantinopoli quippe Tyrannide arrepta, & Senatum & populum Constantinopolitanum a Procopio attritum, etiam TRIBVTIS, auctor est Themistius Philosophus, *Orat. 9. ad Valentem, p. 205. Edit. Petau. 1613. Flexiæ in 8.* καὶ τὴν μὲν σεμνὴν γερουσίας εἰσεπράττε ο εἰσφορὰς πολυπλασίους, οὐχ οἷόν ὅπως ἐνιαυτοῦ, μᾶλλον δὲ χειμῶνος ἑνὸς, οὐχ ἑορτῆς χρόνον ὥσπερ Νέρων, τὸν τῶν Ὀλυμπίων μετατιθεὶς καὶ μεταβάλλων, ἀλλὰ τὰ εἰς πέρυσι, καὶ τὸ εἰς νέωτα, τὸν ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν μήνα στενοχωρῶν ταῖς εἰσπράξεσι: ὁ δὲ Κωνσταντίνου δῆμος ὁ τρυφῶν, ὁ ἐν ἀδείᾳ ζῶν, ὁ κακῶν ἀπείρατος μέχρι τῆς ἑσπέρας ἐκείνης, &c. ὑπὸ τοῦ Κωνσταντίνου προσιόντος, καὶ τοὔνομα τοῦτο ἀναισχύντως προϊσχομένου, ὥσπερ θαλλὸν ἀφαιρεθεὶς τὴν συνήθη τροφὴν, ἠγάπα συμπαρατρεφόμενος τοῖς βοσκήμασι, id est, *Et venerabilis quidem Senatui acerbissima tributa*

buta indixit nescio quomodo, anni, imo hyemis vniut, non festi, (quomodo Nero, qui Olympicorum tempus distulit & commeauit) verum superiaris & præsentis anni simul exactionem, in vnum & eundem mensem concludens. Constantini vero populus (id est, populus Constantinopol.) *ille deliciis affluens, ille in securitate viuens, ille malorum ante vesperam illam expers*, &c *sub Constantini* (larua) *eo procedente & nomen istud impudenter ceu oliua ramum præferente, solutis deliciis capitisque spoliatus, iam cum pecudibus pasci sustinuit.* Et ita quidem hanc io partem censeo; nam quod quidam hac opinione ducitur, Seuerum Imp. iam olim ei ciuitati ius Italicum, quod ei prius donatum fuerat, ademisse, propterea quod Pescenoii Nigri partes pertinacius defenderat, quando & Byzantium mœnibus ac priuilegiis omnibus spoliatum Perinthiis adiudicauit, vt Herodianus & Dio, aliique testantur, nullo modo admitti potest: nam neque ante Seuerum Italicum ius ei datum legimus, neque a Seuero ei ademptum: Et quis credere possit, si ius Italicum ei a Seuero olim ademptum fuisset, Coostantinum id ei noo statim restituturum fuisse, verum quadraginta ferme post annis tantum a Valente id ei redditum? Sed & *Constantinopolitana* nominatim Vrbi, non Byzantinæ olim, id ius antea datum, postea ademptum, ex tota *hac leg.* discimus. A Procopio igitur ademptum vel infractum Vrbis Constantinopolitanæ ius Italicum, immunitasque a censu & tributis: Quod Valens Imp. *hac leg.* nunc ad Clearchum P. V. data renouauit, restituit: Qui Principi alioquin etiam tributorum onera non auxit, sed imminuit, teste Ammiano Marcellino *lib. 31. cap. 14.* Quod quidem etiam *renouandi* verbo, *permanendique* innuitur, itemque *Auxilii*, *Gratiæ* & *Beneficii*. Gratiæ inquam, quomodo & Themistius *d. orat. pag. 208. Edit. cit.* τὴν χάριν Valentis, post Procopium sublatum memorat, quam is primum non reuerit, sed distulerit. Tandem & *caute ssi beneficii* (iam antea scilicet) nomine id hic indicatur: Nempe inter alia æqualia Vrbi Romæ priuilegia a Constantino M. Constantinopoli ante 50. ferme annos *concessa*, fuit & hoc Ius Italicum, quod quidem nunc Valens Imp. *Arbitra æquitate* reuouare se ait, id est, ipsa æquitate dictante, vt Ammianus Marcellinus, de Iuliani quadam lege, *lib. 22. cap. 6.* Arbitra *æquitate*, qua formula ipse Valentinianus frater eius & Collega *l. 10 supr. de petit. & delator.* ait, *in tantum se humani generis inimicos* (delatores) *persequi arbitra æquitate, vt delatores pronunciatas puniri gladio iusserit.* Vbi Valentinianus *arbitra æquitate* dixit: hoc sensu; ei vitam adimi æquum esse, qui ipse calumniosa delatione alterius vitam appetitum iuit: ita quoque *hac leg.* Valens dixit, *Arbitra æquitate*, id est, iure æquabili, & ἀπαραλλάκτως alteri: quæ ipsa alioquin *æquitatis* vox in releuatione censuum tributorum, vsurpata ab Vlpiano *lib. 3. de censib.* in *l. 4. §. 1. D. de censib.* Proportio autem seu μέτρον æquitatis istius, quodnam? 1. Nempe adæquatio Vrbis Romæ & Constantinopoleos: 2. Qua sane ipsa *arbitra æquitate* paulo post Anno 381. Constantinopolitano Concilio I. Oecum. *can. 5. pag. 810. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopus iussus habere *priuilegia honoris*, πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, post Romanum Ep. διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην, *propterea quod sit noua Roma.* 3. Qua itemque arbitra æquitate Theodosius Iun. *leg. 45. infr. de Episcopis*, voluit, vt si quid dubietatis emersisset in Illyrico circa Canones pristinos Ecclesiasticos, id reseruaretur Conuentui Sacerdotali, sanctoque iudicio, non absque scientia Antistitis Vrbis Constantinopolitanæ, *quæ Romæ veteris*, inquit, *prærogatiua lætatur.* 4. Qua rursum arbitra æquitate Chalcedonenses Patres *can. 28. pag. 614. Tom. II. Concil. Edit. Harduin.* priuilegia Sedi Senioris Romæ, διὰ τὰ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, *quod vrbs illa imperaret*, tributa, τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι, *eadem arbitra æquitate*, τὰ ἴσα πρεσβεῖα, *æqualia priuilegia* Sedi nouæ Romæ tribuerunt: εὐλόγως κρίναντες, *recte iudicantes*, (ea arbitram æquitatem) Vrbem, quæ & Imperio & Senatu honorata sit, & æqualibus priuilegiis cum seniore Regia Roma fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis non secus ac illam extolli ac magnifieri, &c. Qua postremum arbitra æquitate, Iustinianus siue Tribonianus *l. vnic. Cod. Iust. de priuileg. Vrb. Constantinop.* quam ex *hac leg.* & *d. l. 45.* deformauit, sub Theodosii Iun. nomine sancit, *Vt Vrbs Constantinopolitana non solum Iuris Italici, sed etiam ipsius Romæ veteris prærogatiua lætetur.* Sic igitur patet, Ius Italicum partem quoque fecisse iuris & prærogatiuæ Vrbis, Romæ, & sic Ius Italicum & Ius Vrbis Romæ, tanquam totum & partem tantum inter se differre. Apage ergo eam sententiam, quæ ex hoc Italici iuris beneficio Constantinopolim in *Coloniæ* gradum & speciem deturbatam voluit: (*) quasi *Coloniæ* vestigia fixa ad memoriam sempiternam in *hac leg.* extent: *Coloniarum* enim (cuiusmodi eæ olim fuere) nullus hac tempestate vsus amplius fuit: ac vt maxime multæ ex Vrbe Roma familiæ a Constantino M. Constantinopolim traductæ sint, domus Romanis similes ac pene geminæ ædificatæ, ingens etiam Capitolii moles; Rursum etsi Pletho *Orat. 1. de reb. Peloponn.* eam ἀποικίαν τῆς ἐν Ἰταλίᾳ Ῥώμης, *coloniam Italicæ Romæ*, faciat; etsi Themistius *orat 4. pag. 126. Edit. Petau. 1613. Flexiæ in 8.* Romam μητρόπολιν ἡμετέραν, Constantinopolitanos alloquens dicat, & rursum *orat. 6. pag. 160. Edit. cit.* Etsi Constans Heraclii nepos postea, teste *Zonara in Annal. l. 14. p. 89. Tom. II. Edit. Reg.* æquarit Romam matri, Constantinopolim filiæ: quod & ipsum voluit Augustinus, *5. de Ciuit. 21.* Hæc tamen omnia non ea ratione dicuntur, quasi *colonario* iure Constantinopolis censeretur, vel colonia eo deducta fuerit, verum quia antiquior illa foret, hæc recentior, imo & eius dispendio incrementum sumpsisset: in cæteris ἰσόδυναμος, & citra ordinis prærogatiuam æquo iure: vtraque sui orbis Regina: neque vna alteri vllo iure subiecta: quo sane alioquin iure *Coloniæ* omnes subiectæ fuerunt Vrbi Romæ.

Obseruandum iam igitur istud inter cætera Valentis Imp. animi studiique erga Vrbem Constantinopolitanam argumentum: quis Imperator & alias eam vrbem variis rationibus excoluit: operibus quoque publicis in ea quamplurimis & maximis P. 234 excitatis: cuiusmodi sunt Aquæductus Valentianus, Thermæ item de filiarum nominibus Anastasianæ & Carosianæ, imo & Ecclesia Sanctorum Apostolorum.

Obseruandum quoque, *hanc legem* datam ad *Clearchum* Præfectum Vrbi, qui & ipse Præfectus, Vrbi Constantinopolitanæ plurimum commodauit seu consuluit; vt prolixe ostendo ad *leg. 3. supr. de Statorib.* Ad quem ideo etiam plures aliæ extant Valentis constitutiones, quibus Vrbis commodis consultum iuit; Annonæ, inquam, eius, & voluptatibus, studiisque, *leg. 7. infr. de annonis ciuicis*, *l. 2. supr. de studiis liber. V. R. & Constantinop.*

(*) PHILIPPVM BERTERIVM notat, qui *Pithan. l. 1.* eam fouet opinionem, Constantinopolin populi Romani coloniam esse, Romamque agnouisse metropolin.

P.224 *imop. l. 20. supr. de Praetorib.* (quomodo & sub Theodosio M. *l. 3. infr. de Aquaductu.*) Ordinum item ibi dignitati, *l. 1. supr. vt dignitat. Ordo:* Senatus dignitati, *l. 5. Cod. Iust. de dignit.* (quæ Constantio Imp. perperam ascribitur.) & *l. 93. supr. de Decurionib.*) tandem totius vrbis dignitati *hac leg.* Quæ omnia hic notasse non abs re puto. Nam ex his iconismum & characterem colligimus Valentis & Clearchi animi in Vrbem Constantinopol.

Et hactenus quidem de hac Valentis constitutione: Nam quod Petauius *in notis ad Iuliani Epistol. 35. pag. 121. Edit. Lipf. Spanhem.* hoc ipsum a Theodosio Iun. Anno Christi 421. Eustathio & Agricola Coss. confirmatum scribit, *l. vnic. Cod. Iust. de priuileg. Vrb. Constantin.* arguit, quam parum is in Imperatorum constitutionibus, Triboniani manum faciousque internouerit: illa quippe verba, *non solum iuris Italici* in eam *legem*, ex *hac*, a Tribuniano transfusa sunt: quæ absunt a *leg. 45. infr. de Episc.* vnde *lex* illa *Codicis Iustin.* desumpta est. Adeo periculosum est, Tribon ani fidem sequi, vbi authenticæ leges ipsæ vel non comparent, vel non inspiciuntur.

DE CAMPO MARTIO VRBIS ROMÆ.

TITVLVS XIV.

Abest hic *Titulus* a *Codice Iustinianeo.*

De CASIS *seu Tuguriis in Campo Martio non conlocandis.*

I. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. ad Populum. (b) Post alia.

EOs qui in Campo Martio casas, seu tuguria, conlocare temptauerint, sententia (c) Viri Inlustris PF. (d) spoliatos omnibus facultatibus tradi in perpetuum exilio (e) præcipimus: & cetera. Dat. (f) & PP. Romæ (g) in foro diui Traiani, (h) Cæsario & Attico Coss. (*397.*)

NOTÆ

(a) Abest & *hac lex a Cod. Iustin.* Quibus autem ea iungenda sit? mox dicam. *GOTHOF.*

(b) Romanum: vt docet vel subscriptio *legis.* *ID.*

(c) Sequentia totidem pene verbis extant *l. 2. supr. de habitu.* *ID.*

(d) Vrbis, scilicet. *ID.*

(e) *Exilium*, *l. 2. supr. de habitu*: quanquam & istud rectum. *ID.*

(f) Locus vbi datum hoc Edictum, *hic & trib. legib.* quas mox indicabo, *huic* adiungendis, omissus est. *ID.*

(g) Dies *VII. Id. April.* hic supplendus ex *d. l. vnic. supr. quib. milit.* *ID.*

(h) Eadem subscriptio in *d. l. 2. supr. de habitu.* De hac subscriptione: vid. in *Geograph.* vbi de V. R. *ID.*

COMMENTARIVS.

CASAS seu *Tuguria* in Campo Martio conlocari vetat, collocantesque bonis proscriptis, deportari iubet Honorius *hac leg.* Anno D. 397. Quæ quidem *lex* pars est prolixioris Edicti Honoriani ad populum Vrbis Romæ emissi, vnde *tres* præterea *leges hoc Codice* occurrunt, *huic* proinde coassandæ, puta *lex 2. supr. de habitu: lex vnic. supr. quibus milit.* & *lex 3. infr. de Gladiatoribus.* Hoc vero Edicto, Vrbis Romæ Quieti potissimum Honorium variis rationibus consultum iuisse reperio, Gladiatoribus inter alia vetitis ad Senatorum seruitia transire *d. l. 3. infr. de Gladiatorib.* Item vetito Vrbis accessu Agentibus in rebus, Palatinis, aliisque militibus inferioris militiæ, *d. l. vnic. supr. quibus milit.* Ad quem finem hoc argumento videri possit *hac* quoque *lex* pertinere: quasi Honorii mens & scopus hic sit; Vrbe Roma eiectos, in tantum eiectos velle se, vt neque in Campo Martio casas seu tuguria conlocare possint: quod tamen fecisse nonnulli videantur. Verum possit & hæc sententia videri Edicto illo, Honorium non tantum Vrbis quieti consultum iuisse (quo sane pertinent *duæ* illæ *leges*, puta *lex vnic. supr. quibus militantibus:* & *lex 3. infr. de Gladiatoribus.*) verum etiam publicæ honestati & decori. Hinc adeo, Peregrinæ vestis vsus prohibitus, *l. 2. supr. de habitu quo vti oportet:* quæ & ipsa huic coniungenda est. Quare & Campi Martii laxitatem casis seu tuguriis occupari vetuerit *hac leg.* Honorius; Nempe Campus Martius, Marti olim sacer, extra Vrbem Tiberi vicinus (vnde & *Tiberinus* dictus) amœnitate & magnitudine admirabilis, solemnibus

bus populi Romani destinatus erat. Vt omittam P 225 vetera, de *Lustro* ibi coodito, de Regibus & Magistratibus ibi creatis, de *Comitiis* io eo centuriatis, de sepiis seu ouil bus, quæ inclusa tabulatis & porticibus circumiectis ornata erant eum in finem; de Amphitheatro apud ea septa, vbi ludi & munera exhibita: Saoe area Campi Martii ludicris & exercitationibus populi patebat, sic vt hæc schola, & Palastra esset, & Gymnasium omnis generis armorum & exercitiorum, vt ex Dionysio Halicarn. Strabone, Horatio, Claudiano, discimus, & ex Vegetio *lib. 1. de re militari, cap. 10.* Populi etiam inambulationibus, vt qui vicino Tyberi apricus esset, & salubriori cœlo accedentibus præsertim porticuum deliciis: cuius campi graphicam descriptionem habes apud Straboeem, *lib. 5 pag. 361. Edit. Almeloueen.* Statius Papioius *lib. 4. Syluar. 6. init.*

Forte remittentem curas, Phœboque leuatum
Pectora, cum patulis tererem vagus otia septis,
Iam moriente die, rapuit me cœna benigni
Vindicis--------

Martialis *lib. 9. epigr. 60. init.*

In septis Mamurra diu multumque vagatus,
Hic vbi Roma suas aurea vexat opes:
Inspexit molles pueros--------

Sed & inibi delectus cohortium habiti a Consulibus, villa publica quæ ibi erat, aciesque patente Campo ibi explicata, armaque ostensa: de quo Varro *lib. 3 de re rustica, cap. 2.* Dionys. Halicarnass. *lib. 8. c. 101.* & *lib. 11. cap. 54.* Dio in *excerptis Valesianis, p. 657.* censusque ibi actus: quod præter Varronem *superiore loco*, etiem Victor docet *in descript. Vrbis Romæ: Villa*, inquit, *publica vbi primum populi census actus est in Campo Martio. Equiria* quoque in eo iam olim (id est equorum cursus) III. Kal. Martias celebrata: de quo Varro, Ouidius, & Festus: Imo & Zosimus horum istorum temporum Scriptor, *lib. 2. cap. 2.* io rebus Constantioi M. eius meminit, ibique ait fuisse τόπον εἰς γυμνάσιον ἵππων, *locum vacuum ad equorum exercitium.* Ibi quoque ludi sæculares, triduo habiti. Eius denique adhuc mentio fit in veteri Vrbis descriptione, quæ præmissa *Notitia Imperii, 30.* ferme post *hanc leg.* annis. Huius igitur Campi Martii aream & laxitatem ædificiis quibuscunque veluti casis, tuguriis occupari Imperatores subiode noluere, & si quid ibi excitatum esset, dirui iussere: Imo & eodem fine Hadrianus Imp. Theatrum, quod Traianus sibi posuerat, destruxit, contra omnium vota: teste Spartiano *in Vit. c. 9.* Etsi postea quoque porticum Traiani in Campo Martio memoret P. Victor, & villam publicam, de qua *supra.* Itaque & *hac leg.* Honorius Imp. eum *casis* & *tuguriis* occupari vetuit; proposita etiam grauissima pœna proscriptionis bonorum & exilii perpetui, seu deportationis. Tanti scilicet ea res visa, ne publicis actibus & lætitiæ publicæ obstaretur, *casis* forte, vel *tuguriis* ibi politis.

Porro quia de loco quodam Vrbis Romæ hic agere cœpimus, de Foro quoque Traiani etiam hic commodius agetur, quam alibi: vbi *PP.* hæc *lex* dicitur in *Subscriptione*: cui par subscriptio in *d. l. 2. supr. de habitu, quo vti oportet:* & *l. 3. supr. de sepulchro violato.* Io eo scilicet foro hoc facullo Edicta ad *Populum* pertioentia (cuiusmodi istud est) proposita; ceu in frequentissimo, quo Populus conueniret. De cuius magnificentia Auctor veteris descriptionis Orbis sub Coostantio *cap. 43.* & Ammiaous *lib. 16. cap. 10.*

DE CANONE FRVMENTARIO VRBIS ROMÆ. (*)

TITVLVS XV.

Lib. XI. Cod. Ivst. Tit. XXII.

(*) De Canone frumentario Vrbis Constantinopolitanæ erit *titulus proximus.* Porro Prouinciæ ex quibus hic Canon vrbicarius illatus, præcipuæ fuere Africa; de quo *l. 3. hoc tit.* Sicilia, Sardinia, de quo vide quæ dicta sunt *infr.* ad *leg. 5. de annon. ciuicis.*

PARATITLON.

Canon *Rubr.* & *l. 3. 5. hoc tit. l. 30. supr. de annona: l. 2. supr. de conditis in publ. horr. l. 27. 35. supr. de Nauicular.* qui & commeatus dicitur *l. vnic. infr. de Patronis horr. Portuens. l. 32. supr. de Nauiculariis.* Vrbis Romæ, *Rubr.* & *l. 5. hoc tit.* (quæ & sacra vrbs dicitur, *l. 2 3. hoc tit.* sacratissima vrbs, *l. 35. supr. de Nauicular.* Vrbs venerabilis, *l. 4. hoc tit.* veneranda Vrbs, *l. 5. hoc tit.*) vnde & canon vrbicarius, *l. 3. 6. hoc tit.* Vrbanus, *l. 27. supr. de Nauicular.* Item Entheca populi Romani, *l. 12. supr. de*

operibus publicis. Erat collatio ſeu penſitatio, illatio ſpecierum, *l. 2. hoc tit. l. 8. ſupr. de annona:* annonæ, *l. 4. hoc tit.* quæ a Prouincialibus poſſeſſoribus, veluti in Africa *l. 3. hoc tit.* & *l. 13. 30. 34. ſupr. de annona & tribut* populi Romani vſibus, *l. 1. hoc tit.* vnde populi commoda dicuntur *dict. l. 3. hoc tit.* fiebat annuatim, vnde annua vrbis æternæ annonæ penſitatio, *l. 18. ſupr. de annona*, puta frumenti, *l. 3.* (vnde Canon frumentarius, *Rubr. hoc tit.* & commeatus frumentarius, *d. l. 32. ſupr. de Nauicular.*) Ex quo panis po-
P.226 puli Romani vſibus miniſtrabatur a Piſtoribus, *l. 1. hoc tit.* Item olei *d. l. 3. hoc tit.* Huic canoni continendo in Prouinciis quædam horrea deſtinata erant, vt docet Ammianus *lib. 28. cap. 1.* Exinde Nautici, *leg. 2. hoc tit.* ſeu Nauicularii (de quibus eſt expreſſus *titulus lib. 13 ſupr. de Nauicular.* item qui ei ſubiicitur alter, *de prædiis Nauiculariorum:*) ad Portum Vrbis Romæ e Prouinciis ſubuehebant, *l. 2. hoc tit.* ibique primum in horreis recondebatur (vnde Annona ita in Portu condita, *Portuenſia condita* dicebantur, *l. 9. ſupr. de Suariis:* horrea, in quibus condita, horrea Portuenſia: de quibus *tit. de Patronis horr. Portuenſium:*) per menſores ante menſa (vnde Portuenſes menſures, *l. 9. ſupr. de Suariis:* de quibus menſoribus: vid. & *l. 5. hoc tit.* & *l. 1. ſupr. de condit. in publ. horr.*) perque ſaccarios eo comportata, *l. vnic. infr. de ſaccariis Portus Romæ.* Quæ deinde vel in ipſo Portu Vrbis Romæ Piſtoribus vendebatur, *l. 1. & 4. in fin. hoc tit.* qui in id Cellulas ibi habuere, *d. l. 4. hoc tit.* atque exinde panem populo vendidere, *d. l. 5. hoc tit.* qui panis Oſtienſis & fiſcalis dicebatur, *l. vnic. infr. de pretio panis Oſtienſis:* vel Tiberi aduerſo Romam ſubuehebatur per Caudicarios, *l. 1. hoc tit. l. 9. ſupr. de Suariis: l. 2. de Piſtorib.* hiſque ſociatos, nautas Tiberinos, de quibus *infr. tit. de nautis Tiberinis:* in horrea Vrbis Romæ: vnde annona ciuibus gratuita poſtea diſtribuebatur, de quo *infr. titulus, de annonis ciuicis:* per Piſtores confecta, de quibus *ſupra, titulus de Piſtoribus.*

Huius Canonis curam enixam Principes geſſere, *l. 3. hoc tit.* Tum inferendi eius, Quare Canon hic remitti ſpeciali cuiquam beneficio non potuit, *l. 3.* non mutari, *l. 5. hoc tit.* veluti vt aurum pro ipſis ſpeciebus inferretur, *l. 8. ſupr. de annona:* non retardari: itaque moratori in exoluendis iis pœna poſita, *l. 8. ſupr. de annona.* Item conſeruandi eius; hinc adeo vetitus alio, quam ad Vrbis Romæ vſum tranſmitti, *l. 3. hoc tit.* vel a priuato quoquam vſurpari ſeu attingi, *d. l. 3. & 6. hoc tit.* quo pertinet etiam forma inducta, *l. 13. ſupr. de annona:* aduerſus Caudicariorum & Menſorum furta, quomodo prouiſum? vid. *l. 9. ſupr. de Suariis:* vt & piſtorum, *l. 16. ſupr. de Piſtoribus:* Item vt Incorruptæ ſpecies manerent, forma inducta; *l. 2. hoc tit.* Tandem vt bonus panis populo Romano miniſtraretur, prouiſum *l. 1. hoc tit.*

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Symmachum P. V.

NE peſſimus panis Populi Romani vſibus miniſtretur, ſola ducentena milia modiorum frumenti, integri adque intemerati, iuxta priſcum (b) morem Menſores (c) & Caudicarii (d) leuioribus pretiis piſtoribus venundare cogantur. Dat. VI. Id. Iul. (e) Naiſſo, Diuo Iouiano & Varroniano Coss. (364.)

NOTÆ.

(a) Abeſt *hac lex* a *Cod. Iuſtin.* quænam aliæ ſint ei iungendæ? mox dicam. *GOTHOFR.*

(b) Ita quoque *d. l. 2. ſupr. de calcis coctoribus: priſca atque inueterata conſuetudine.* *ID.*

(c) De *Menſoribus* his vid. & *l. 1. ſupr. de condit in publ. horr.* & *l. 9. ſupr. de Suariis.* *ID.*

(d) de *Caudicariis:* vid. & *d. l. 9.* & *l. 2. ſupr. de Piſtoribus.* *ID.*

(e) *yg. Iun.* vt dictis *legibus* quas *huic* coniungendas mox dicam. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. duæ conſtitutiones hic ſeſe primo de Canone frum. V. R. offerunt: quibus curam & ſollicitudinem ſuam circa annonam vrbis ſeu populi Romani teſtatam facit. Quod ipſum aliæ plures eiusdem conſtitutiones teſtantur, quæ *hoc Codice* paſſim occurrunt per omnes *titulos,*

los, qui ad rem hanc annonariam pertinent. *Hac* nominatim *lege* BONI PANIS populi Romani vsibus ministrandi curam suscipit: sancito veteri certæ quantitatis frumenti modo, pistoribus vendendæ, e Canone scilicet frumentario Vrbis Romæ: eoque & intemerato & leuiore pretio. Quæ quidem *lex* pars est prolixioris Valentinianeæ constitutionis, vnde desumptæ quoque sunt iodubie *lex 2. supr. de calcis coctoribus: lex vnic. infr. de Saccar. Portus: l. 5. 6. supr. de Pistorib. lex. 12. infr. de operib. publ.* & vt existimo *lex. 5. supr. de pœnis*: & *lex 4. 5. 6. supr. de Pistoribus*: & *lex 8. supr. de annona*: quæ proinde omnes *huic* coniungendæ veniunt: Qua quidem constiturione Valeotinianus Sen. Anoonæ Vrbis variis rationibus plene, effecte, enixe, consultum iuit: eaque data ad Symmachum P. V. *quo instaute* (ioquit Ammianus Marcellinus *lib. 27. c. 3.*) *Vrbs sacratissima otio* COPIISQVE *abundantius solito fruebatur:* Copiis id est, annona; copiæ enim pro annona eo loco, pariter vt *l. 4. infr. de operib. publ. & l. vltim. in fin. supr. de Suariis:* & apud alios Auctores, quos in *Glossarium* congero.

Inter alia igitur remedia seu consilia quibus annonæ vrbis consultum iuit Valentinianus, & istud est, quod *hac leg.* continetur: quod vt intelligatur, prænoscendum: ex Annona Vrbicaria in Vrbis Romæ vsum destinata partem populo Romano gratis præbitam, de quo erit *infr. titulus de annonis ciuicis & pane gradili:* aliam vero venditam pistoribus, (quomodo pariter vinum aliud gratuitum præbitum, aliud venditum: vid. *l. 2. 3. supra, Tributa in ipsis specieb.*) Cæterum Pistores ideo seu eo fine horrea cellulasue Romæ & in Portu Vrbis habebant, *l. 4. infr.* qui postea panem populo vendebant: qui ideo *panis Ostiensis* atque
P. 237 *fiscalis* dictus, *l. vnic. infr. de pretio panis Ostiensis.* Igitur eo fine ex prisco more seu instituto certa quantitas frumenti, & quidem integri & intemerati pistoribus ex publico Canone frumentario vendebatur: *Ne*, inquit, *pessimus panis populi Romani vsibus ministraretur:* Pessimus, id est, infimæ qoalitatis, sordidus: *l. 5. infr. de annonis ciuicis: Pessimus*, pro *vltima qualitatis:* Ita omnion in eodem argumento *l. 9. supr. de Suariis, ne quid ex specie fraus occulta vectorum pessima qualitatis immutet.* Ita *supr. l. 1. ad l. Iul. repetundarum*, Theodosius, *insignibus & honore exuti, inter pessimos quosque & plebeios habeantur. Pessimi* Plebeiis sociantur & Hoooratis opponuntur. Quare non admitto hanc vocem apud Spartianum, *Hadriano cap. 7. in fin. Ad honores explendos, non solum amicis, sed etiam pessimis aliquantis multa largitus est.* Ecce *pessimi* ibi pessime stant: qoandoquidem his postremis verbis indicantur & ipsi Honorati. Ergo melius ibi *passim*, vel *passiuitus aliquantis:* nempe ibi opponuntur amicis homines passiui, quicunque tandem, etsi non amici, quibus tamen Hadrianus ad honores expleodos non minus quam amicis, multa largitus fuerit.

Vendi autem hoc frumentum Pistoribus solitum, docet *hac lex* a Mensoribus & Caudicariis; Nempe ab eorum Patronis, qui conditorum (in Portu Vrbis Romæ) custodiam habebant, vt docet diserte *lex 9. supr. de Suariis:* vbi plura. Ergo ab his vendi oportuit Pistoribus integri atque intemerati frumenti certam quantitatem, non corrupti, non pessimæ qualitatis (vt vocatur *d. l. 9.*) ne alioquin pessimus panis populi Romani vsibus ministraretur. Quantitas porro hæc prisco more erat duceotenorum millium modiorum frumenti: nam & hic frumenti seu Canonis modus fuit qui antiquitus ex Africa Romæ pendebatur: Plutarchus *Cæsare pag. 733. Edit. Wechelian.* ὡς ἐπανῆλθεν εἰς Ῥώμην ἀπὸ Λιβύης, πρῶτον μὲν ὑπὲρ τῆς νίκης ἐμεγαληγόρησεν πρὸς τὸν δῆμον ὡς τοσαύτην κεχειρωμένος χώραν, ὅση παρέξει καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν εἰς τὸ δημόσιον, σίτου μὲν εἴκοσι μυριάδας ἀττικῶν μεδίμνων, *vt ad vrbem est ex Africa regressus, primum hanc victoriam in concione venditauit, commemorans, se tam latum subegisse tractum, qui vectigal quotannis penderet frumenti, ducenta millia medimnum Atticorum.* Viginti myriadas efficiunt ducenta millia modiorum: μυριάς enim, quod notissimum, facit decies mille: vicesies decies mille, sunt ducenta millia. At Augusti tempore, ex *Ægypto vrbi annua ducenties centena millia frumenti illata* scribit alter Victor in Epitome *in Augusto.* Ergo vetustum Canonis Africani modum & hic seruari vult Valentinianus Senior: sic tamen vt ab vna parte *sola* ea, ab altera *leuioribus pretiis* venundari pistoribus velit: *sola:* nempe videntur Pistores maiorem modum exegisse, quia scilicet leuiore pretio id eis coostabat, quod quidem *leuiore pretio* id eis vendebatur; vt ita hac quasi mercedula peosaretur graue eorum ministerium: ergo in ipsorum fauorem.

II. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus (b) AAA. ad Iulianum (c) PF. Ann.

NAVTICI (d) aput Curatorum (e) vel Magistratuum acta fateantur, (f) *incorruptas se* (g) *species* (h) *suscepisse*, eorumque aput quos deponitur ista testatio, præsens aspectus probet, nihil in his esse vitii: Quod (i) eo tempore, quo ad sacræ Vrbis Portum peruenit Præfectura, (k) iugiter (l) obseruare (m) præceptum est. Dat. XVIII. Kal. Iul. Remis, Gratiano A. I. (n) & Dagalaifo Coss. (366.)

NOTÆ.

(a) *Lex 1. Cod. Iustin. eod. tit.* GOTHOF.

(b) Gratiani A. nomen hic inducendum: quia Anno demum sequente Gratianus A. factus Ambianis, mense Augusto. vid. *Chron.* ID.

(c) Eidem *Iuliano* inscribitur altera Valentiniani constitutio, puta *lex. 2. Cod. Iust. de veteris numism. potest* vbi perperam in inscriptione PP. id est, Præfectus Prætorio indigetatur: quod non tantum *huius leg.* Inscriptione confutatur, verum etiam argumento illius ipsius *leg. Pro imminutione*, inquit, *qua, in æstimatione solidi for-*

te tractatur, omnium quoque pretia SPECIERVM decrescere oportet. Vbi *specierum* appellatione intelligi oportet *species annonarias:* pariter vt hac ipsa *leg.* nostra, *incorruptas se species suscepisse:* quarum vtique cura Præfecto annonæ incumbebat: & vt recte Græci in *Synopsi Basilic. lib. 54. tit. 18. cap. 2. pag.* 463. interpretati sunt res venales, τὸ τίμημα τῶν ὠνίων. Quare lapsi in *eius leg.* interpretatione Cuiacius ad *eam leg.* & Hotomannus 15. *Illustrium:* De qua plenius ago ad *l. vnic. supr. de oblatione votorum. ID.*

(d) *Nautici*, id est nauicularii, nautæ; sic quoque Apuleius *lib. 11. pag. 226. Edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire* 1623. Curtius *l. 9. c. 9.* Ammianus Marcellinus non vno loco *l. 14. c. 2. & l. 15. c. 9. l. 16. c. 12.* Sic Vegetius *l. 4. c. 33.* dixit, *nautica obseruationis curam. ID.*

(e) *Præsidum, aut magistratuum*, Cod. Iust. *ID.*

(f) *Fateantur*, id est profiteantur. In Cod. I. *confiteantur. ID.*

(g) Abest hæc vox a *Cod. Iust. ID.*

(b) Annonarias. *ID.*

(i) Quod ipsum *scilicet. ID.*

(k) *Præfecturam*, Cod. Iust. sub hac interpunctione: *peruenit, Præfecturam iugiter*, &c. Et intelligit Præfectum annonæ, ex *Inscript. ID.*

(l) *Iugiter*, id est, pariter vel tractim, continuatim: Glos. *Iugiter* ἐφεξῆς, id est, deinceps, consequenter. *ID.*

(m) *Obseruari. ID.*

(n) Ita quoque COS hic designatur *l. 10. de pœnis: l. 14. supr. de annona: l. 1. supr. de postliminio.* Sed rectius alibi NB. P. id est, Nobili Puero: vel vt est in *l. 8. supr. de accusat. Nob. Cæs.* nondum enim hoc Anno Augustus erat Gratianus. *ID.*

COMMENTARIVS.

VT INCORRVPTA annona frumentaria Vrbis Romæ habeatur, prospicit *hac leg.* Valentinianus Sen. Anno D. 366. (qui cæteroquin vt ad *l. 1.* dixi, enixam Vrbicæ annonæ curam gessit) Idque gemina ratione seu inspectione. Primum inspectione Curatorum vel Magistratuum, in locis vbi Canon siue annona in nauem infertur: scilicet, Nauicularios, vbi species susceperint Romam perferendas, apud illorum acta profiteri iubet, se incorruptas species annonarias accepisse: mox & Magistratus illos, eas species oculis suis & aspectui subiicere iubet, vt ita de integritate specierum fides ei fiat: *Curatores* hic non sunt Siliginis, verum Curatores ciuitatum. De Curatoribus his &
P. 228 Magistratibus municipiorum alibi prolixe dictum. Inter alia apud hos horumque acta testationes seu professiones factæ, reique exhibiti: vt præter *hanc leg.* docet quoque *lex 5 supr. de reparat. appellat. l. 3. supr. de superexactionib. l. 5. supr. de exhib. reis:* de quibus plene dixi ad *l. 20. supr. de Decurion.* Quare non debuit hic Tribonianus loco *Curatorum*, reposuisse, *Præsidum.* Nam neque *Magistratus* hic pro Rectoribus Prouinciarum accipiendi sunt, verum pro Duumuiris: quo sensu passim hoc Codice *Magistratus* vox exaudienda est: de quo vid. *Paratitl. de Decurionibus.* Et hæc quidem prior inspectio ἐπισκοπὴ est, qua annonæ vrbicæ integritati consultum voluit Valentinianus: nempe in loco ipso, vbi nauis speciebus oneraretur. Alterum iam inspectionis genus est in loco, quo perlatæ sunt species: nempe non naue Romam appulsa (quod putauit hic Cuiacius) verum 12. ab vrbe miliario: puta in Portu Vrbis Romæ (quo felix embola importabatur, de quo iam sæpe *supra*, & adhuc *infr. titulo de Saccariis Portus Romæ: & tit. de Patronis horreorum Portuensium: & l. vltim. supr. de Nauiculariis:*) scilicet Præfectum annonæ, cui *hac lex* ideo etiam inscribitur, quem Roma ad Portum certis temporibus conferre se oportebat, Canonem frumentarium inspicere Valentinianus iubet: vt ita de integritate vel corruptione specierum perlatarum iudicet. De Præfecti annonæ officio in commune, alibi dictum. Is vero sub dispositione Præfecti Vrbis positus vna cum Præfecto, sed sub eo annonæ Vrbis Romæ curam gerebat, quod præter singularem *legem 1. Cod. Iust. de off. P. V.* quæ & ipsa est Valentiniani Sen. & *legem 1. supr. de condit. in publ. horreis: l. vltim. supr. de Nauiculariis:* & *hanc leg.* vt & *d. l. 2. Cod. Iust. de veteris numism. pot.* testatur quoque Symmachus *l. 10. epist. 48.* & Sidonius Apollinaris, *lib. 1. epist. 10.* Ad huius igitur officium pertinebat, Integritatem Canonis siue specierum inspicere & exigere: quomodo etiam Cassiodorus VI. *Var. 18.* scribit, eum pensum & munditiem panis exegisse. Eoque fine certis temporibus subinde ad Portum Vrbis Romæ sese conferebat, inspiciendi Canonis gratia: Quod, præter *hanc leg.* docet quoque Sidonius Apollinaris, ipse Præfectus Vrbi *lib. 1. epist. 10.* ad Campanianum. *Accepi per Præfectum annonæ literas tuas: vereor autem ne famem Populi Romani theatralis cauea fragor insonet, & infortunio meo publica deputetur esuries: sane hunc ipsum e vestigio ad PORTVM mittere paro, quia comperi naues quinque Brundusio profectas cum speciebus tritici ac mellis, Ostia Tiberina tetigisse: quarum onera expectationi plebis, si quid strenue gerit, raptim faciet offerri, commendaturus se mihi, me populo, vtrumque tibi.* Quin & ipse Præfectus Vrbis quandoque ad Portum Vrbis Romæ se conferebat, vbi videlicet nauicularius diametrum incidisset præsente Præfecto annonæ: *l. vlt. supr. de Nauicular.* Alioquin & stato tempore idem Ostiam sese conferebat solemnitatis siue sacrificandi gratia in æde Castorum: cuius meminit Ammianus *lib. 19. cap. 10. Dum Tertullus* (P. V.) *apud Ostia in æde sacrificat Castorum tranquillitas mare mollinit, mutatoque in austrum placidum vento, velificatione plena Portum naues ingressæ, frumentis horrea referserunt.* Et Æthicus *in Cosmog. p. 716. Ed. Gronou. Tiberis,* inquit, *intra Ostiensem portam & viam Portuensem Vrbem egreditur, qua naues de Portu Vrbis ad dominam totius mundi Romam ascendunt. Hic iterum circa sextum Philippi, (quod prædium missale appellatur.) geminatur, & in duobus ex vno effectus, insulam facit inter Portum Vrbis & Ostiam ciuitatem: vbi populus Romanus cum Vrbis Præfecto vel Consule, Castorum celebrandorum causa egreditur solemnitate iucunda.* De hoc solemni Castorum sacro, est & vetus *Epigramma.* Ex *hac* iam *leg.* exemplum duci ratioque iniri potest: qua specierum annonarum subuehendarum integritati consuli, nautarum contra fraudibus con-

contra iri poteſt: Nam quæ Actorum & Teſtationis, de quibus *hac leg.* agitur, occaſione hic prolixe a multis cumulantur, de Inventarii & quidem a tutore conficiendi ratione *ἀπροσδιόνυσα* ſunt, id eſt, *abſurda*. Suidas quoque *voc. μαϊουμᾶς*, Maiumam feſtum fuiſſe ait Romæ menſe Maio, quo οἱ τὰ πρῶτα τῆς πόλεως τελοῦντες, *principes ciuitatis* Oſtiæ voluptatibus indulgentes, alii alios in aquas mans deirudebant: De quo tamen ad *tit. de Maiuma*.

III. (a) Impp. Arcad. & Honor. AA. ad Senatum. (b)

Certvm habetis, Patres Conſcribti, quantum curarum inpendimus (c) pro veſtris, ac populi commodis: (d) Ideoque hac lege ſancimus, Vt ſi (*) quid frumenti vel olei, (e) vrbicarii canonis remiſſione, indultum eſt ſpeciali beneficio, contra publicum commodum elicita non valeant. Vrbani etiam vſus frumenta, ſi quando vel fortuna, vel ratio in Africa (f) coëgerit reſidere litoribus, adtingere nullus audeat: aut mutatis directoriis (g) quoquam præter (h) ſacram Vrbem, præſcribti (i) vllius innouatione, tranſmittere: *& cetera*, Dat. XVII. Kalend. Maii, Med. Cæſario & Attico Coss. (397.)

NOTÆ.

(a) Reſecata a *Cod. Iuſt.* tum prior, tum poſterior huius conſtitutionis pars, media tantum retenta in *l. 2. Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungendæ autem illi ſex aliæ: puta *lex 6. 7. ſupr. de Senatoribus: l. 31. ſupr. de Pratoribus; lex. 24. ſupr. de Suſceptoribus: lex 27. ſupr. de Nauicular. lex. 5. ſupr. de Naufragiis:* Item *lex 3. Cod. Iuſt. quæ res venire.* GOTHOF.

(b) *Et populum*, hoc amplius additum in ſex illis *legibus* omnibus. Imo & in *Cod. Iuſt. l. 2. Cod. eod. tit.* quæ ex *hac leg.* deſumpta eſt. *ID.*

(c) Loco *impendamus.* *ID.*

(d) Etſi hæc *Commodi* vox accipi poſſit de omni Senatus populique vtilitate: imo & voluptatibus, quo pertinet *d. l. 6. 7.* & *d. l. 31.* attamen ſpecialius adhuc de annonariis commodis accipienda eſt: quo ſpeciali ſignificatu *commodorum* vox *hoc Codice* frequenter effertur. Et vero hic exaudiri ſuadet vel *huius leg.* argumentum, quod totum eſt de commodis annonariis, vna cum *d. l. 24.* & *d. l. 27.* & *d. l. 5.* *ID.*

(*) In leg. 2. *Cod. Iuſt. eod. tit.* hæc vnica ſententia coniecta, cæteris reſecatis. *ID.*

(e) In nonnullis Codicibus Iuſtin. *hordei.* Sed tamen *olei* habuerunt veteres, vt patet quoque ex Luca de Penna, & Græci quoque habent *ἐλαίου*. Error natus (vt iam notauit Leonclau. *lib.* 2. *Notat. p.* 359.) ex affinitate vocis *olei*, & *hordei.* *ID.*

P.289 (f) Nil opus mutare hanc vocem in *Africa*: nam mox, *reſidere litoribus* dicitur, pro *in litoribus.* *ID.*

(g) *Directorium* eſt iter rectum, *recta nauigatio*, vt vocatur *l. 31. ſupr. de Nauicular.* cuius ſententia eodem pertinet: ſic & *ὁδηγούμενος*, quaſi dicas director viarum, manſionum, qui ſcilicet viam dirigit, præparat, apud *Suidam.* *ID.*

(h) Id eſt, *quam ad ſacram vrbem.* *ID.*

(i) Et hæc vox retinenda: *Præſcriptum* hic eſt, vel Iter præſcriptum, atque adeo idem cum directorio *ſupr.* vel *præſcriptum* ſeu forma publica. *ID.*

COMMENTARIVS.

Honorii Imp. quatuor *hoc tit.* conſtitutiones ſequuntur, quibus *Annona* Vrbis Romæ ſedulo proſpectum iuit: quod ſtudium ſuum initio ſtatim ſeu prologo orationis effert. Et id quidem nunc, ſeu hac tempeſtate, qua populus Romanus cum fame, vel famis metu conflictabatur: vt ex aliis *legibus* quamplurimis liquet, & ex *Symmacho*, & *Claudiano*, horum temporum ſcriptoribus. Cuius quidem annonæ defectus non tantum publicis ex cauſis, turbata videlicet a Gildone Africa, (quæ Romæ nutricula erat, de qua mox plenius:) verum priuatis quoque ex cauſis & fraudibus, & vel maxime tum obortus erat. His igitur priuatis cauſis & fraudibus occurrere Honorius Imp. in animum ſubinde induxit: intra hoc quadriennium nominatim, id eſt, Anno D. 396. 397. 398. 399. *Fraudibus*, inquam: Primo collatorum ſeu Prouincialium: impetrata forte immunitate *hac leg. 3.* vel mutatione canonis, *l. 5. in fin.* Iudicum item, vſurpato videlicet canone *l. 6. ſeu l. vltim. hoc tit.* vrbicario canone alio quam ad Vrbem Romam tranſmiſſo: *hac leg. in fin.* priuatorum in Vrbe Roma vel Portu eius, interuerſis aquis molarum, horreis, cellulisue ad piſtorum ius pertinentibus: *l. 4. hoc tit.* ſuſceptorum item, *l. 24. ſupr. de Suſceptoribus*: & Nauiculariorum, de quibus mox. Et hæc quidem Honorii *lex*, pars eſt prolixioris Honorianæ conſtitutionis ſeu Orationis *ad Senatum & populum* emiſſæ, qua in vniuerſum tum Annonæ, tum voluptatibus populi Romani conſultum iuit. Quæ gemina ſemper populi Romani cura erat, circa panem, & Circenſes. Ad eum vero voluptatum ſeu ludorum finem pertinent ex ea Oratione *lex 6. 7. ſupr. de Senatoribus & glebali collat.* & *lex 31. ſupr. de Pratoribus.* Ad Annonæ Vrbicæ vtilitatem *lex 24. ſupr. de Suſceptoribus: lex 27. ſupr. de Nauicular. lex. 5. ſupr. de Naufragiis: lex 3. Cod. Iuſtin. quæ res venire*: & hæc *lex* noſtra tandem, cui ſuperiores

riores omnes cossandæ veniunt: Cuius præfatione vt dixi testatam facit curam suam eoxam, quam pro Senatus populique commodis gereret, ac nomioatim pro commodis gereret, ac nominatim pro commodis Annonariis. Imo ea ipsa præfatio indicio esse potest, quanto in honore Senatum habuerit Honorius Imp. Cuius sane honoris ab Honorio Senatui Romano tributi testimonium insigne est, quod bello Gildonem petere exercitumque aduersus eum non ante mouere hoc ipso Anno 397. voloerit, quam Senatusconsulto more Maiorum super eo facto, & Gildone hoste publico declarato: de quo Claudiaous *lib. 1. in laud. Stiliconis v. 327.* & Symmachus *lib. 4. epist. 4.* pleoe dixi ad *l. 7. supr. de Metatis*: Quo rursum pertinet quod idem Claudianus in 4. *Honoris COS.* scribit. *v. 502.*

———————————*qua denique Roma*

Cura tibi? quam fixa manet reuerentia Patrum,

Duplici igitur inter alia plura, remedio *hac leg.* Annonæ Vrbis Romæ laboranti Hoorius succursum it, adversus duplicem fraudem.

Primum quidem IMMVNITATES aonnoarum, seu remissiooem Canoois Vrbicarii priuatis quibusdam Rescripto concessas reuocat (pariter vt Immunitates a Præturæ munere, *d. l. 31. supr. de Pratoribus*: quæ inter alias vti dixi *huic* socianda venit:) vt cæteroquin immunitates io dispendium publicum, ac nomioatim in fraudem rei annonariæ & tributariæ non valent, & a bonis Principibus in irritum deuocantur: de quo fuit *titulus* io eam rem expressus *supr. lib. 11. de immunitate concessa*, & aliquot etiam *leges*, supra, *l. 1. de diuersis rescriptis*: quibus ex locis similes plures *leges* huc arcessi possunt.

Secundo capite Honorius Imp. VSVRPARE, contrectari, vendi, auerti, Canonem Vrbicarium, alioue quam ad Vrbem Romam transmitti vetat *hac leg.* & *d. l. 3 Cod. Iust. qua res venire*: quæ vt *huic leg.* inter alias cossanda est: ita *huic* ductum subiicienda venit: *Quia nonnunquam in diuersis locis distrahi publici canonis frumenta dicuntur, vendentes & ementes sciant, capitali pœna se ipsi subdendos, & in publicam fraudem commercia contracta damnari*: Cuius *leg.* Inscriptio cum *hac leg.* oronino concordat: subscriptio vero ex *hac leg.* & aliis suppleoda venit. Porro hanc vsurpationem fieri solitam ostendit *hac lex*, & *d. l. 3.* in littoribus: vbi fortuna, vel ratione cogente, frumenta & naues sæpe residebant: eaque occasione vel inde quædam attingebantur seu vsurpabantur, vel mutatis directoriis, alio quam ad Vrbem Romam transmittebantur. Quod vtrumque *hac leg.* & *d. l. 3.* prohibetur: de quo alioquin est *tit.* expressus *supr. de his qua ex publica collat. illata sunt, non vsurpandis.*

De quatuor adhuc ad *hanc leg.* videndum est. Primum de *Africa*: vnde potissimum canon frumentarius Romam subuectus. Omitto vetustiora ex Varrone *lib. 2. de vita pop. Rom.* Tacito, *lib. 12. Ann. cap. 43.* omitto de classe Africana a Commodo instituta, teste *Lampridio in Commod. cap. 17.* sufficiat hæc notasse. Primo, de hoc canone Africano, præter *hanc leg. nostram*, complures alias occurrere *hoc Codice*: puta *l. 13. 30. 34. supr. de annona & trib. l. 8. supr. de indulg. debit.* item plerasque positas, sub *tit. de Nauiculariis*, & *tit. de naufragiis.*

Secundo obseruandum, Modum huius canonis frumentarii Africani fuisse ducenta millia modiorum, quod ex Plutarcho, imo & *l. 1. supr. hoc tit.* probatur, vbi dixi: Quomodo Alexandrinus canon sub Augusto erat ducenties centenorum millium frumenti, teste altero Victore *in V Augusti.*

Tertio notandum, cum ante Constantinopolim excitatam etiam Alexandrinus canon Vrbi Romæ, & vel maxime destinatus fuisset, deinceps tamen pariter alias Occidentis Prouincias, (ad quas extra ordinem famis tempore recurrebatur) præter Siciliam & Sardiniam, quæ & Vrbis Romæ nutriculæ erant, solam iam Africam ferme Vrbi Romæ relictam via suffecisse: de quo dicam plene *infr. titulo prox. de frument. Vrbis Constantinop.*

Quarto, de *oleo* vrbicario videndum est, *olei* scilicet modum ex Africa quoque Romam destinatum *hac lex* testatur. Huius vero olei vsus in gymnasia erat, (quam luxuriam a Græcis inuentam proscribit Plinius *lib. 15. cap. 4.*) Item ad balnea aliaque. Datumque id populo gratis olim etiam a Scipione, teste Liuio *lib. 25. c. 2.* a Cæsare, teste Suetonio *in Vit. cap. 38.* Quo tempore modus canonis Olearii erat, tricies centena millia li- P.230 brarum: Plutarchus *Cæsare pag. 733. Edit. Wechel.* *ὅση παρέξῃ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν εἰς τὸ δημόσιον ἐλαίου λιτρῶν μυριάδας τριακοσίας*, *qua* (prouincia Africa) *vectigal quotannis penderet olei tricies centena millia librarum*: a M. Agrippa: Auctor Dio *lib. 49. pag. 417. Edit. Leonclau.* a Nerone, vt scribit Tacitus *lib. 14. Annal. cap. 47.* Seuerus Imp. accepto quoque oleo a Tripolitanis dono, & ipse auxisse eam præbitionem videtur. De hoc Tripolitanorum sane dono, Seuero Imp. facto, Spartianus *in eius v. cap. 18 Tripolin, vnde oriundus erat, contusis bellicosissimis gentibus, securissimam reddidit: ac pacem diuturnam, oleum gratuitum & fœcundissimum agrum donauit.* Quem locum sanare cœperunt Viri Doctissimi ita ea MSS. *ac populo Romano diurnum oleum*: quasi eo loco dicatur, oleum populo Romano a Seuero donatum. Quod probare non possum: eo loci quippe Spartianus nondum agit de iis, quæ Seuerus in gratiam P. R. fecit, verum de victoriis ipsius aduersus Persas, Arabes, Adiabenos, item de Britanniæ munimento, & de Tripoli a bellicosissimis gentibus secura reddita: quibus statim illa, quæ vitium sapiunt, subiicit: Quare eo loci, non quid P. R. contulerit Seuerus, verum quid ei oblatum a Tripolitanis inuicem fuerit pro liberata securaque reddita patria sua, Spartianus scribit: itaque reslim: *ad vicem, diurnum ei oleum gratuitum, & fœcundissimum agrum donauit.* Nempe ipsi Seuero oblatum a Tripolitanis oleum: sicut & fœcundissimus ager donatus. Ecce alter Victor *de Cæsar.* in Constantioo *cap. 41. Remota olei frumentique aduentitia præbitiones, quibus Tripolis ac Nicaa acerbius angebantur: quas res, superiores* (id est Tripolitani) *Seueri imperio, gratantes Ciui obtulerant: verteratque gratiam muneris huius in perniciem, posterorum dissimulatio.* (dissimulatio) *Alteros* (Nicæos) *M. Boronius affixerat muba*, &c. Ecce & ipsemet Victor ait, Tripolitanos oleum ciui suo Seuero obtulisse, eius Imperio gratantes; *gratantes*, (non, vt mutant, *gratanter*) id est, gratulantes: Verum tamen illud, oleum a Seuero P. R. datum, & largius quidem. Lampridius *Alexandro cap. 22. Oleum, quod Seuerus populo dederat, quodque Heliogabalus imminuerat, turpissimis hominibus Præfecturam annonæ tribuendo, integrum restituit.* De quo Seuero, & illud Spartianus *in Vit. c. 23.* eum *olei tantum reliquisse, vt per quinquennium non solum Vrbis vsibus, sed totius Italiæ, quæ oleo egeret, sufficeret.* Exinde, post Seuerum & Alexandrum oleum gratuitum P. R. porro donatum: sub Aureliano testis Vopiscus *in Vit. c. 48. Statuerat,* inquit,

inquit, *& vinum gratuitum P. R. dare, vt quemadmodum oleum, & panis, & porcus gratuita præberetur, sic etiam vinum daretur.*

Ad Constantini seculum descendamus. Is aduentitiam illam quidem Tripolitanorum præbitionem remouit, vt Victor ait: sed nihilominus oleum gratuitum populo Romano ab eo datum, atque oleum vrbicarii canonis pars fuit. Hinc adeo Constantini M. *l. vnic. infr. de mensis oleariis,* (vbi adhuc dicam) *mensa olearia* mentio fit. Sub Valentiniano quoque Iuniore *l. vltim. supr. de Curatoribus Kalendarii* agitur de arca olearia & frumentaria: sub eodem, huius olei vrbicarii ex Africa meminit Symmachus P. V. *lib. 10. epist. 48. Frumenti cotidianus vsus in facili est: Olei tantum species victum plebis tenuiter inuecta sollicitat: Cuius rei V. C. PRÆF. ANNONÆ, partium suarum diligens executor, Prætoriana amplissima Præfectura, vt ipse asserit, dudum fecit indicium, missis de more breuibus, quæ angustias patefacerent conditorum.* Mox: *Quare omnes suppliciter oramus: vt quamprimum Iudices AFRICANOS super hac specie Romanis horreis inferenda diutius ferme DISTIMVLET: nam properato opus est, priusquam reliquum profliget DIVRNA præbitio.* Hæc Symmachus, qui & frugis oleique baiulos inter cæteros Vrbis Corporatos memorat *lib. 10. epist. 27.* sed & *epistola 55. lib. 9.* docet, *Firmianis ad egestatis leuamen certum ex Africa olei modum decreuisse Antiquitatem.* Tandem idem Vrbis querelas de olei penuria, non minus quam de frugum defectu, memorat non tantum *superiore epistola 48. lib. 10.* sed & *lib. 4. epistola 18.* Quo pertinet hæc ipsa Honorii constitutio. Et hæc de Vrbe Roma. De oleo vero Constantinopolitano est *lex vlt. infr. de annonis ciuicis.*

IV. (a) Idem AA. Theodoro PF. P. (b)

INPROBORVM petitiones, qui inpudentius ausi sunt postulare pensiones (c) aquæ molarum, quæ Vrbi (d) venerabili annonas abundantius præstitissent, quinque librarum auri multa infligat, (e) nisi ab hac petendi inportunitate discedant. Illos etiam qui potestati Præfecturæ Annonariæ præsunt, & Apparitores qui hisdem ministeriis obsecundant, par multa retineat: (f) si cuiusquam inprobissimi hominis consenserint, vel paruerint, voluntati. Simili autem pœna teneantur, qui aliquid ex his horreis, cellulisue, quæ intra Vrbem Romam, adque in Portu constitutæ, pistorio iure retinentur, sibimet, tanquam possessione priuata, ausi fuerint vindicare. Dat. Prid. Id. April. Med. Honor. A. IV, & Eutychiano Coss. (398.)

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Iungenda autem si *lex vnic. infr. de pretio panis Ostiensis.* GOTHOF.

(b) *Theodorus* PP. Italiæ sub Honorio: vid. *Prosopogr.* ID.

(c) *Pensiones* sunt moduli aquarum, quibus aqua expenditur seu erogatur: & sic *expensiones.* ID.

(d) Romæ. ID.

(e) Insolens locutio, qua *multa aliquem infligere* dicitur; cum alias multa *infligi* dicatur. *Infligat* igitur pro *affligat.* ID.

(f) *Retineat*, pro teneat: vt fine legis, *pistorio iure retinentur.* ID.

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc Honorii constitutio est, *hoc titulo.* Quæ quidem prolixioris constitutionis pars est: qua Canoni frumentario seu annonæ Vrbis Romæ consultum iuit, post Gildonem iam cæsum: Cuius pars altera superest, *l. vnic. infr. de*
P. 231 *pretio panis Ostiensis*, quæ proinde *huic* coassanda venit. Atque vt variis aliis rationibus Honorius Imp. Annonæ consultum iuit, fraudibusque annonæ vrbicæ damnosis occurrit; ita *hac leg.* & *d. l. vnic.* PISTORVM & PISTRINORVM nominatim cura suscepta: tum aduersus ipsos consulendo, quo pertinet *d. l. vnic.* ne videlicet pretium panis ipsi augerent; tum ipsis: quo pertinent duo *huius leg.* capita (quæ non minus recte sub *titulo de pistoribus* starent.)

Priore capite priuatos AQVÆ molarum publicarum, pistoribus seruientium, *pensiones*, id est modulos, a Principe petere vetat; proposita multa quinque librarum auri aduersus supplicantem seu impetrantem: imo & aduersus Præfectum annonæ (qui vt annonæ cæteroquin præerat, ita nominatim Pistoribus: vt docet quoque *lex. 1. 3. 12. 14. 15. 21. vltim. supr. de pistoribus:* & *lex 3. 6. supr. de panis:*) eiusque Officiales, si consensum suum adhibuerint: pariter vt duarum librarum auri multam imponit supplicanti, vt pretium panis augeatur, *d. l. vnic.* Ita quidem, vt factum istud *Impudens & improbum*, seu hanc petitionem maxime insectetur: nempe quod in vsus suos priuatos huiusmodi modulos aquarum conuertendo, impedirent, quominus *annona Vrbi Romæ abundantius præstaretur.* Nempe modulos hos aquæ priuati petebant in agrorum irrigationem, vel ad hortorum delicias, ad balnea item & nymphæa, molasque priuatas, vt cæteroquin id factum testatur *lex 4. 7. & vltim. tit. fin. de Aquæductu: l. 9. 11. Cod. Iust. eod. tit.* Cassiodorus quoque III. *Variar. 31. Dicitur, commodi cura priuati, aquam formarum, quam summo deceret studio communiri, ad aqua molas exercendas, vel hortos irrigandos, fuisse deriuatam.* Scilicet pistores non tantum panem coquebant, verum etiam fruges ipsas molebant: quod prolixe docui ad *l. 7. supr. de Pistoribus:* Hinc adeo Molæ in pistrini huiusmodi publici instru-

mento fuere, quarum vt *hac leg.* ita & *d. l. 7.* mentio fit; vt & io priuati, *d. l. 7.* quarum priuatarum mentio fit *d. l. 10. Cod. Iust. de aquaductu*, & superiore *Cassiodori* loco. Quæ quidem *molæ* pistrinorum publicorum Romæ ad radices Ianiculi io Tyberi fuere, vt docet Procopius, *lib. 1. Gothicorum, c. 19.* & Prudeotius *lib. 2. contra Symmachum, v. 948.*

Quæ regio gradibus vacuis ieiunia dira
Sustinet? aut quæ ianiculi MOLA mota quiescit?

Vbi & Ison Magister in Glossis, *Ianiculus mons est, vbi templum Iani erat, & multa molæ constructa.* Quanquam ex *hac leg.* coniicere mihi videor, molas in Vrbe Roma non io ipso Tiberi fuisse, verum exiode sulcos aquatios proxime ad molas ductos: quæ *pensiones* aquæ molarum vocaotur, id est, moduli sulcique.

Posteriore capite Honorius pari multa prosequitur priuatos qoi aliquid sibi vindicare ausi fuerint ex HORREIS cellulisue, quæ in Vrbe Roma, vel in Portu Vrbis Romæ (de quo dixi plenissime ad *l. 9. supr. de suar.* & iterum dicam ad *l. vnic. infr. de saccar. Portus Romæ:*) ad Pistorum iura pertinent. Nempe (quod iam docui ad *l. 1. supr. hoc tit.*) Pistores sua horrea seu cellulas tum in Portu Vrbis Romæ, cum in ipsa Vrbe Roma habuere, condendis frugibus, quas ipsi a Caudicariis & Mensoribus emerant, vnde postea panem confectum populo venderent. Ergo aliquam ex his horreis Cellulisue partem a priuatis occupari vetat. Pariter, vt *horrea fiscalia* apud Vrbem Romam, nec non etiam Portus, io vsus priuatos translata, Valentioisnus Seo. ad pristinum fisci ius reuocari iusserat, *l. 12. infr. de operibus publicis.*

V. (a) Idem AA. Messalæ PF. P. (b)

NEMINEM patimur in mutando Canone Vrbis Romæ Nostræ Clementiæ beneficium (c) postulare: Ideoque (d) euidenti (e) præceptione consulentes: non solum ea Rescribta quæ quoquomodo potuerint impetrari, (f) suscipi non finimus, verum etiam illa vacuari, quæ præteritum quoque tempus elicuit. Ac ne vllus subreptioni patefcat (g) aditus, eos qui posthac commutari sibi canonem in fraudem venerandæ Vrbis popofcerint, ad duplum retinendos (h) esse decernimus, vt vetus dispositio (i) suum robur obtineat. Dat. Prid. Non. Septemb. Altino, Theodoro V. C. CONS. (399)

NOTÆ.

(a) *Legis 3. Cod. Iustin. eod. tit.* pars prior hinc desumpta, eaque *lex ex hac leg. & proxima* conflata contractaque est. Iungenda autem *huic*, vt existimo, *lex 30. supr. de annona & trib.* GOTHOF.

(b) *Messala* PP. Italiæ sub Honorio: vid. *Prosopogr.* GOTHOF.

(c) *Beneficium* pro rescripto, vt mox vocatur, seu indulto singulari, & quidem in re annonaria: vid. *Gloss.* & *Paratitl. de diu. rescr.* ID.

(d) Sequentia ita contracta Cod. Iust. *Sed ea rescripta, quæ quo modo potuerint impetrari, suscipi non finimus; eos vero, qui contra hæc fecerint, in duplum retinendos esse decernimus:* Nempe recisis quæ ad præsens tempus tantum respiciebant. ID.

(e) Ita quoque *l. prox.* ID.

(f) In posterum. ID.

(g) *Patescere*: vid. *Gloss.* ID.

(h) *Retineri* ad duplum aliquis dicitur: id est teneri, obstringi, ac proinde multari: vid. *Gloss.* Sic *l. prox. deportationis pœna retinendos.* ID.

(i) *Dispositio* proprie de canone annonario seu tributario: vid. *Gloss.* Ita *d. l. 30. vetera decreta.* ID.

COMMENTARIVS.

TERTIA hæc Hooorii coostitutio est *hoc titulo*, Canoni frumentario, Vrbis Romæ consuleotis, & quioto quidem FRAVDIS generi aduersus commodum Vrbis Romæ, occurreotis, Anno D. 399. cui non inani coniectura iungenda est *lex 30. supr. de annona & tributis:* vt ad *eam leg.* edisserui: si non hoc, saltem argumento pariare vtramque eertum est: pariter vt *l. 8. supr. d. tit. de annona & trib.* & *lex 1. 2. 4. 5. supr. tributa in ipsis speciebus.* Scilicet MVTARI impetrato rescripto Canonem Vrbicarium vetat *hac leg.* & *d. l. 30.* Hoooriu : vt & Valentinianus Senior, *dict. l. 8.*
P. 292 & *d. l. 1. 2.* pariter vt Canonem Orientalem Theodosios M. *d. l. 4. 5.* cui contrarius aliquo modo extitit Theodosius Ion. *l. vltim. d. tit. de annona & tributis.* *Mutari* canon *hac leg.* & *d. l. 30.* dicitur: cum videlicet quis impetrato rescripto id obtinet, non tantum vt pro vnâ specie annonaria aliam possit inserre, veluti vt pro indicto frumento, oleum: verum etiam, vt pro quacunque tandem specie, pecuniam præstare possit: qood proprie *adærari*, & *adæratio* dicitur, cum species, videlicet pecuoia taxatur. De quo ad eas *leges* pleoissime: Item *apochare*, *d. l. 1. & 2. supr. tributa in ipsis speciebus:* cum videlicet apochæ tributi soluti in pecunia dantur: denique cum loco specierum, nummis exactis apochæ dantur ab exactoribus, seu securitates, vt in eodem argumento vocantur, *d. l. vltim. tributa in ipsis speciebus:* Ergo mutare canonem, adærare, apochare, idem. Prohibitionis porro istius Ratio in aperto: oempe quia hoc io fraudem vrbis non potest non cedere, vt *hac lex* indicat, captiosumque

sumque ideo vocatur *d. l. vltim.* Aurum scilicet pro speciebus acceptum facilius interuertitur, neque tam facile in coemptionem specierum Vrbi necessariarum collocatur. Ceterum dupli pœna proposita id prohibet *hac leg.* Honorius, pariter vt *d. l. 30.*

VI. (a) Idem AA. Messalæ PF. P. (b)

NE deinde (c) facinora inpunita (d) coalescant, euidenti præceptione decernimus vt a Vicario, (e) ceterisque Iudicibus, quos ex vrbicario canone quidquam vsurpasse constiterit, in quadruplum præsumpta poscantur: ita vt duplum Iudices, duplum eorum Officia cogantur inferre. Deinceps autem nisi ab huiusmodi scelere temperetur, Iudices deportationis pœna retinendos, (f) Primates (g) officiorum capitali supplicio subiugandos perpeti (h) auctoritate sancimus: &c. Dat. IV. Kal. Octob. Altino. & (i) Theodoro V. C. Cons. (399.)

NOTÆ.

(a) *Legis 3. Cod. Iustin. eod. tit.* pars posterior hinc desumpta est, quæ ex *hac leg. & superiore* conflata est, & contracta: recisis pariter, quæ ad præsens tantum respiciunt. Iungenda autem huic *lex 15. supr. de exactionibus.* *GOTHOFR.*

(b) *Messala* PP. Italiæ scilicet sub Honorio: vid. *Prosopogr.* *GOTHOFR.*

(c) Id est, deinceps. *ID.*

(d) Retineri potest & debet: neque mutem cum *impunitate.* Porro huic sententiæ illustrandæ, ne alia congeram, facit *lex 31. D. depositi. l. 9. §. 5. D. de publican. l. 1. D. ne quis eum qui in ius voc.* Impunitatis denique spes, magna est peccandi illecebra. *ID.*

(e) An Africæ? an Vrbis Romæ? De vtroque satis commode accipi potest. *ID.*

(f) De hac voce ad *l. super.* *ID.*

(g) De *Primatibus* officiorum dixi ad *leg. 10. de cohortal.* *ID.*

(h) Id est perpetua: quomodo mutatum *Cod. Iustin.* *ID.*

(i) Delenda hæc vox, quæ etiam recte abest ab Edit. Quartan. *ID.*

COMMENTARIVS.

QVARTA hæc *hoc titulo* Honorii constitutio est, Canoni frumentario Vrbis Romæ consulentis, & Sextæ fraudi eique sceleratissimæ aduersus eum admitti solitæ, occurrentis: (Qui & Septimæ cuidam fraudi occurrit *lege 15. supr. de exactionibus*, quæ *huic* coassanda venit, velut eiusdem prolixioris constitutionis Honorianæ pars: qua autopragias beneficium tollitur.) Hac igitur constitutione, non iam *Collatorum* ipsorum fraudibus in damnum Canonis frumentarii occurrit, quo pertinet *lex 3. & prox. 5. supr.* non *Nauiculariorum*, quo spectat posterior pars *legis 3.* non *Priuatorum*, quo respicit *lex 4.* Verum sceleratæ Ivdicvm vsurpationi aliquid ex Canone Vrbicario interuertentium, pœna videlicet Iudicibus eorumque Officialibus siue Vicariis, siue Rectoribus Prouinciarum (qui omnes sub dispositione P. P. erant:) tum in præsens, tum in futurum imposita: In præsens, Quadrupli pœna ob ea, quæ hactenus vsurpauerant (quæ pœna in simili imponitur *l. 1. supr. de his qui cum dispens.*) sic vt duplum Iudices, duplum Officiales inferre velit: In futurum vero non iam multa imposita, verum deportationis Iudicibus ipsis: Primatibus vero officiorum, capitalis supplicii. Cæterum, est *hac lex* proprie de furtiua Iudicum vsurpatione, & sic *manifesto* furti genere. Atenim aliud vsurpationis genus est, de quo *supr. lib. 12 tit. 9. de his quæ ex publica conlatione inlata sunt, non vsurpandis*: nempe cum Iudices quid ex eo, quod illatum est, mutui titulo vsurpant, quo spectat *lex 1. eius tituli*: (cui similia sunt quæ tractantur *lib. 10. tit. 24. de his qui cum dispensatore contraxerunt*:) vel ad alias necessitates transferunt: quo spectat *lex 2. & 3. eiusdem tituli*: quæ postrema alioquin hoc ipso Anno data ad eundem Messalam PP.

P. 313

DE FRVMENTO VRBIS CONSTANTINOPOLITANÆ.

TITVLVS XVI.

Lib. XI. Cod. Ivst. Tit. XXIII.

P.224 *tinop. l. 20. supr. de Pratorib.* (quomodo & sub Theodosio M. *l. 3. infr. de Aquaductu.*) Ordinum item ibi dignitati, *l. 1. supr. vt dignitat. Ordo:* Senatus dignitati, *l. 5. Cod. Iust. de dignit.* (quæ Constantio Imp. perperam ascribitur,) & *l. 93. supr. de Decurionib.*) tandem totius vrbis dignitati *hac leg.* Quæ omnia hic notasse non abs re puto. Nam ex his ironismum & characterem colligimus Valentis & Clearchi animi in Vrbem Constantinopol.

Et hactenus quidem de hac Valentis constitutione: Nam quod Petauius *in notis ad Iuliani Epistol. 35. pag. 121. Edit. Lips. Spanhem.* hoc ipsum a Theodosio Iun. Anno Christi 421. Eustathio & Agricola Coss. confirmatum scribit, *l. vnic. Cod. Iust. de priuileg. Vrb. Constantin.* arguit, quam parum is in imperatorum constitutionibus, Triboniani manum fraudusque internouerit: illa quippe verba, *non solum iuris Italici in eam legem*, ex *hac*, a Triboniano transfusa sunt: quæ absunt a *leg. 45. infr. de Episc.* vnde *lex* illa *Codicis Iustin.* desumpta est. Adeo periculosum est, Triboniani fidem sequi, vbi authenticæ leges ipsæ vel non comparent, vel non inspiciuntur.

DE CAMPO MARTIO VRBIS ROMÆ.

TITVLVS XIV.

Abest hic *Titulus* a *Codice Iustinianeo.*

De CASIS seu Tuguriis in Campo Martio non conlocandis.

I. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. ad Populum. (b) Post alia.

EOs qui in Campo Martio casas, seu tuguria, conlocare temptauerint, sententia (c) Viri Inlustris PF. (d) spoliatos omnibus facultatibus tradi in perpetuum exilio (e) præcipimus: & cetera. Dat. (f) & PP. Romæ (g) in foro diui Traiani, (h) Cæsario & Attico Coss. (397.)

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iustin.* Quibus autem ea iungenda sit? mox dicam. GOTHOF.

(b) Romanum: vt docet vel subscriptio *legis.* ID.

(c) Sequentia totidem pene verbis extant *l. 2. supr. de habitu.* ID.

(d) Vrbis, scilicet. ID.

(e) *Exilium*, *l. 2. supr. de habitu*: quanquam & istud rectum. ID.

(f) Locus vbi datum hoc Edictum, *hic & trib. legib.* quas mox indicabo, *huic* adiungendis, omissus est. ID.

(g) Dies *VII. Id. April.* hic supplendus ex *d. l. vnic. supr. quib. milit.* ID.

(h) Eadem subscriptio in *d. l. 2. supr. de habitu.* De hac subscriptione: vid. in *Geograph.* vbi de V. R. ID.

COMMENTARIVS.

CASAS seu *Tuguria* in Campo Martio conlocari vetat, collocantesque bonis proscriptis, deportari iubet Honorius *hac leg.* Anno D. 397. Quæ quidem *lex* pars est prolixioris Edicti Honoriani ad populum Vrbis Romæ emissi, vnde *tres* præterea *leges hoc Codice* occurrunt, *huic* proinde coaptandæ, puta *lex 2. supr. de habitu: lex vnic. supr. quibus milit.* & *lex 3. infr. de Gladiatoribus.* Hoc vero Edicto, Vrbis Romæ Quieti potissimum Honorium variis rationibus consultum iuisse reperio, Gladiatoribus inter alia vetitis ad Senatorum seruitia transire *d. l. 3. infr. de Gladiatorib.* Item vetito Vrbis accessu Agentibus in rebus, Palatinis, aliisque militibus inferioris militiæ, *d. l. vnic. supr. quibus milit.* Ad quem finem hoc argumento videri possit *hac* quoque *lex* pertinere: quasi Honorii mens & scopus hic sit; Vrbe Roma eiectos, in tantum eiectos velle se, vt neque in Campo Martio casas seu tuguria conlocare possint: quod tamen fecisse nonnulli videantur. Verum possit & hæc sententia videri Edicto illo, Honorium non tantum Vrbis quieti consultum iuisse (quo sane pertinent *duæ illæ leges*, puta *lex vnic. supr. quibus militantibus: & lex 3. infr. de Gladiatoribus.*) verum etiam publicæ honestati & decori. Hinc adeo Peregrinæ vestis vsus prohibitus, *l. 2. supr. de habitu quo vti oportet:* quæ & ipsa huic coniungenda est. Quare & Campi Martii laxitatem casis seu tuguriis occupari vetuerit *hac leg.* Honorius; Nempe Campus Martius, Marti olim sacer, extra Vrbem Tiberi vicinus (vnde & *Tiberinus* dictus) amœnitate & magnitudine admirabilis, solemnibus

bus populi Romani destinatus erat. Vt omirtam p.225. vetera, de *Lustro* ibi condito, de Regibus & Magistratibus ibi creatis, de *Comitiis* io eo centuriatis, de leptis seu ouil bus, quæ inclusa tabulatis & porticibus circumiectis oroata erant eum in finem; de Amphitheatro apud ea septa, vbi ludi & munera exhibita: Sane area Campi Martii ludicris & exercitationibus populi patebat, sic vt hæc schola, & Palæstra esset, & Gymnasium omnis generis armorum & exercitiorum, vt ex Dionysio Halicarn. Strabone, Horario, Claudiano, discimus, & ex Vegetio *lib. 1. de re militari, cap. 10.* populi etiam inambulatoribus, vt qui; vicino Tyberi apricus esset, & salubriori cœlo accedentibus præsertim porticuum deliciis: cuius campi graphicam descriptionem habes apud Strabonem, *lib. 5 pag. 361. Edit. Almeloueen.* Statius Papinius *lib. 4 Syluar. 6. init.*

Forte remittentem curas, Phœboque leuatum
Pectora, cum patulis tererem vagus otia septis,
Iam moriente die, rapuit me cœna benigni
Vindicis........

Martialis *lib. 9. epigr. 60. init.*

In septis Mamurra diu multumque vagatus,
Hic vbi Roma suas aurea vexat opes:
Inspexit molles pueros........

Sed & inibi delectus cohortium habiti a Consulibus, villa publica quæ ibi erat, aciesque patente Campo ibi explicata, armaque ostensa: de quo Varro *lib. 3 de re rustica, cap 2.* Dionys. Halicarnass. *lib. 8. c. 101. & lib. 11. cap. 54.* Dio in *excerptis Valesianis, p. 657.* censusque ibi actus: quod præter Varronem *superiore loco*, etiam Victor docet *in descript. Vrbis Romæ: Villa*, ioquit, *publica vbi primum populi census actus est in Campo Martio. Equiria* quoque in eo iam olim (id est equorum cursus) III. Kal. Martias celebrata: de quo Varro, Ouidius, & Festus: Imo & Zosimus horum istorum temporum Scriptor, *lib. 2. cap. 2.* io rebus Constantini M. eius meminit, ibique ait fuisse *τόπον εἰς γυμνάσιον ἵππων, locum vacuum ad equorum exercitium.* Ibi quoque ludi sæculares, triduo habiti. Eius denique adhuc mentio fit in veteri Vrbis descriptione, quæ præmissa *Notitiæ Imperii, 30.* ferme post *hanc leg.* annis. Huius igitur Campi Martii aream & laxitatem ædificiis quibuscunque veluti casis, tuguriis occupari Imperatores subinde noluere, & si quid ibi excitatum esset, dirui iussere: Imo & eodem fine Hadrianus Imp. Theatrum, quod Traianus ibi posuerat, destruxit, contra omnium vota: teste Spartiano *in Vit. c. 9.* Etsi postea quoque porticum Traiani in Campo Martio memoret P. Victor, & villam publicam, de qua *supra.* Itaque & *hac leg.* Honorius Imp. eum *casis & tuguriis* occupari vetuit; proposita etiam grauissima pœna proscriptionis bonorum & exilii perpetui, seu deportationis. Tanti scilicet ea res visa, ne publicis actibus & lætitiæ publicæ obstareetur, *casis* forte, vel *tuguriis* ibi positis.

Porro quia de loco quodam Vrbis Romæ hic agere cœpimus, de Foro quoque Traiani etiam hic commodius agetur, quam alibi: vbi *PP.* hæc *lex* dicitur in *Subscriptione*: cui par subscriptio in *d. l. 2. supr. de habitu, quo vti oportet:* & *l. 3. supr. de sepulchro violato.* In eo scilicet foro hoc sæculo Edicta ad *Populum* pertinentia (cuiusmodi istud est) proposita; ceu in frequentissimo, quo Populus conueniret. De cuius magnificentia Auctor veteris descriptionis Orbis sub Constantio *cap. 43.* & Ammianus *lib. 16. cap. 10.*

DE CANONE FRVMENTARIO VRBIS ROMÆ. (*)

TITVLVS XV.

Lib. XI. Cod. Ivst. Tit. XXII.

(*) De Canone frumentario Vrbis Constantinopolitanæ erit *titulus proximus.* Porro Prouinciæ ex quibus hic Canon vrbicarius illatus, præcipuæ fuere Africa; de quo *l. 3. hoc tit.* Sicilia, Sardinia, de quo vide quæ dicta sunt *infr.* ad *leg. 5. de annon. ciuicis.*

PARATITLON.

CANON *Rubr.* & *l. 3. 5. hoc tit. l. 30. supr. de annona: l. 2. supr. de conditis in publ. horr. l. 27. 35. supr. de Nauicular.* qui & commeatus dicitur *l. vnic. infr. de Patronis horr. Portuens. l. 32. supr. de Nauiculariis.* Vrbis Romæ, *Rubr.* & *l. 5. hoc tit.* (quæ & sacra vrbs dicitur, *l. 2. 3. hoc tit.* sacratissima vrbs, *l. 35. supr. de Nauicular.* Vrbs venerabilis, *l. 4. hoc tit.* veneranda Vrbs, *l. 5. hoc tit.*) vnde & canon vrbicarius, *l. 3. 6. hoc tit.* Vrbanus, *l. 27. supr. de Nauicular.* Item Entheca populi Romani, *l. 12. supr de*

operibus publicis. Erat collatio seu pensitatio, illatio specierum, *l. 2. hoc tit. l. 8. supr. de annona:* annonæ, *l. 4. hoc tit.* quæ a Prouincialibus possessoribus, veluti in Africa *l. 3. hoc tit.* & *l. 13. 30. 34. supr. de annona & tribut* populi Romani vsibus, *l. 1. hoc tit.* vnde populi commoda dicuntur *dict. l. 3. hoc tit.* fiebat annuatim, vnde annua vrbis æternæ annonæ pensitatio, *l. 18. supr. de annona*, puta frumenti, *l. 3.* (vnde Canon frumentarius, *Rubr. hoc tit.* & commeatus frumentarius, *d. l. 32. supr. de Nauicular.*) Ex quo panis po-
P.226 puli Romani vsibus ministrabatur a Pistoribus, *l. 1. hoc tit.* Item olei *d. l. 3. hoc tit.* Huic canoni continendo in Prouinciis quædam horrea destinata erant, vt docet Ammianus *lib. 28. cap. 1.* Exinde Nautici, *leg. 2. hoc tit.* seu Nauicularii (de quibus est expressus *titulus lib. 13 supr. de Nauicular.* item qui ei subiicitur alter, *de prædiis Nauiculariorum:*) ad Portum Vrbis Romæ e Prouinciis subuehebant, *l. 2. hoc tit.* ibique primum in horreis recondebatur (vnde Annona ita in Portu condita, *Portuensia condita* dicebantur, *l. 9. supr. de Suariis:* horrea, in quibus condita, horrea Portuensia: de quibus *tit. de Patronis horr. Portuensium:*) per mensores ante mensa (vnde Portuenses mensores, *l. 9. supr. de Suariis:* de quibus mensoribus: vid. & *l. 1. hoc tit.* & *l. 1. supr. de condit. in publ. horr.*) perque saccarios eo comportata, *l. vnic. infr. de saccariis Portus Romæ.* Quæ deinde vel in ipso Portu Vrbis Romæ Pistoribus vendebatur, *l. 1.* & *4. in fin. hoc tit.* qui in id Cellulas ibi habuere, *d. l. 4. hoc tit.* atque exinde panem populo vendidere, *d. l. 1. hoc tit.* qui panis Ostiensis & fiscalis dicebatur, *l. vnic. infr. de pretio panis Ostiensis:* vel Tiberi aduerso Romam subuehebatur per Caudicarios, *l. 1. hoc tit. l. 9. supr. de Suariis: l. 2. de Pistorib.* hisque sociatos, nautas Tiberinos, de quibus *infr. tit. de nautis Tiberinis:* in horrea Vrbis Romæ: vnde annona ciuibus gratuita postea distribuebatur, de quo *infr. titulus, de annonis ciuicis:* per Pistores confecta, de quibus *supra, titulus de Pistoribus.*

Huius Canonis curam enixam Principes gessere, *l. 3. hoc tit.* Tum inferendi eius, Quare Canon hic remitti speciali cuiquam beneficio non potuit, *l. 3.* non mutari, *l. 5. hoc tit.* veluti vt aurum pro ipsis speciebus inferretur, *l. 8. supr. de annona:* non retardari: itaque moratori in exoluendis iis pœna posita, *l. 8. supr. de annona.* Item conseruandi eius; hinc adeo vetitus alio, quam ad Vrbis Romæ vsum transmitti, *l. 3. hoc tit.* vel a priuato quoquam vsurpari seu attingi, *d. l. 3.* & *6. hoc tit.* quo pertinet etiam forma inducta, *l. 13. supr. de annona:* aduersus Caudicariorum & Mensorum furta, quomodo prouisum? vid. *l. 9. supr. de Suariis:* vt & pistorum, *l. 16. supr. de Pistoribus:* Item vt Incorruptæ species manerent, forma inducta; *l. 2. hoc tit.* Tandem vt bonus panis populo Romano ministraretur, prouisum *l. 1. hoc tit.*

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Symmachum P. V.

NE pessimus panis Populi Romani vsibus ministretur, sola ducentena milia modiorum frumenti, integri adque intemerati, iuxta priscum (b) morem Mensores (c) & Candicarii (d) leuioribus pretiis pistoribus venundare cogantur. Dat. VI. Id. Iul. (e) Naisso, Diuo Iouiano & Varroniano Coss. (364.)

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* quænam aliæ sint ei iungendæ? mox dicam. *GOTHOFR.*
(b) Ita quoque *d. l. 2. supr. de calcis coctoribus: prisca atque inueterata consuetudine. ID.*
(c) De *Mensoribus* his vid. & *l. 1. supr. de condit in publ. horr.* & *l. 9. supr. de Suariis. ID.*
(d) de *Caudicariis:* vid. & *d. l. 9.* & *l. 2. supr. de Pistoribus. ID.*
(e) *99. Iun.* vt dictis *legibus* quas *huic* coniungendas mox dicam. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. duæ constitutiones hic sese primo de Canone frum. V. R. offerunt: quibus curam & sollicitudinem suam circa annonam vrbis seu populi Romani testatam facit. Quod ipsum aliæ plures eiusdem constitutiones testantur, quæ *hoc Codice* passim occurrunt per omnes *titulos,*

los, qui ad rem hanc aononariam pertinent. *Hæ* nominatim *lege* Boni Panis populi Romani vſibus miniſtrandi curam ſuſcipit: ſancito veteri certæ quantitatis frumenti modo, piſtoribus vendendæ, & Caoone ſcilicet frumeotario Vrbis Romæ: eoque & intemerato & leuiore pretio. Quæ quidem *lex* pars eſt prolixioris Valeotinianeæ conſtitutionis, vnde deſumptæ quoque ſunt iodubie *lex 2. ſupr. de calcis coctoribus: lex vnic. infr. de Saccar. Portus: l. 5. 6. ſupr. de Piſtorib. lex. 12. infr. de operib. publ.* & vt exiſtimo *lex. 5. ſupr. de panis*: & *lex 4. 5. 6. ſupr. de Piſtoribus*: & *lex 8. ſupr. de annona*: quæ proinde omnes *huic* coniungendæ veniunt: Qua quidem conſtitutione Valeotinianus Sen. Aononæ Vrbis variis rationibus plene, effecte, enixe, conſultum iuit: eaque data ad Symmachum P. V. *quo inſtante* (inquit Ammiaous Marcellinus *lib. 27. c. 3.*) *Vrbs ſacratiſſima otio* COPIISQVE *abundantius ſolito fruebatur*: Copiis id eſt, annona; copiæ enim pro annona eo loco, pariter vt *l. 4. infr. de operib. publ.* & *l. vltim. in fin. ſupr. de Suariis*: & apud alios Auctores, quos in *Gloſſarium* congero.

Inter alia igitur remedia ſeu conſilia quibus annonæ vrbis conſultum iuit Valentinianus, & iſtud eſt, quod *hac leg.* continetur: quod vt intelligatur, prænoſcendum: ex Annona Vrbicaria in Vrbis Romæ vſum deſtinata partem populo Romano gratis præbitam, de quo erit *infr. titulus de annonis ciuicis & pane gradili*: aliam vero venditam piſtoribus, (quomodo pariter vinum aliud gratuitum præbitum, aliud venditum: vid. *l. 2. 3. ſupra, Tributa in ipſis ſpecieb.*) Cæterum Piſtores ideo ſeu eo fine horrea cellulaſue Romæ & in Portu Vrbis habebant, *l. 4. infr.* qui poſtea panem populo vendebant: qui ideo *panis Oſtienſis* atque P. *ſaſſiſcalis* dictus, *l. vnic. infr. de pretio panis Oſtienſis.* Igitur eo fine ex priſco more ſeu inſtituto certa quantitas frumenti, & quidem integri & iotemerati piſtoribus ex publico Canone frumentario vendebatur: *Ne*, inquit, *peſſimus panis populi Romani vſibus miniſtraretur*: Peſſimus, id eſt, infimæ qualitatis, ſordidus: *l. 5. infr. de annonis ciuicis*: *Peſſimus*, pro *vltima qualitatis*: Ita omnino in eodem argumento *l. 9. ſupr. de Suariis*, *ne quid ex ſpecie fraus occulta vectorum peſſima qualitatis immutet*. Ita *ſupr. l. 1. ad l. Iul. repetundarum*, Theodoſius, *inſignibus & honore exuti, inter peſſimos quoſque & plebeios habeantur*. *Peſſimi* Plebeiis ſociantur & Honoratis opponuntur. Quare noo admitto hanc vocem apud Spartianum, *Hadriano cap. 7. in fin. Ad honores explendos, non ſolum amicis, ſed etiam peſſimis aliquantis multa largitus eſt.* Ecce *peſſimi* ibi peſſime ſtant: quandoquidem his poſtremis verbis indicantur & ipſi Honorati. Ergo melius ibi *paſſim*, vel *paſſiuius aliquantis*: nempe ibi opponuntur amicis homines paſſiui, quicunque tandem, etſi non amici, quibus tamen Hadrianus ad honores explendos non minus quam amicis, multa largitus fuerit. [a]

Vendi autem hoc frumentum Piſtoribus ſolitum, docet *hac lex* a Menſoribus & Caudicariis; Nempe ab eorum Patronis, qui conditorum (in Portu Vrbis Romæ) cuſtodiam habebant, vt docuit diſerte *lex 9. ſupr. de Suariis*: vbi plura. Ergo ab his vendi oportuit Piſtoribus integri atque intemerati frumenti certam quantitatem, non corrupti, non peſſimæ qualitatis (vt vocatur *d. l. 9.*) ne alioquin peſſimus panis populi Romani vſibus miniſtraretur. Quantitas porro hæc priſco more erat ducentenorum millium modiorum frumenti: nam & hic frumenti ſeu Canonis modus fuit qui aotiquitus ex Africa Romæ pendebatur: Plutarchus *Caſare pag. 733. Edit. Wechelian.* ὡς ἐπανῆλθεν εἰς Ῥώμην ἀπὸ Λιβύης, πρῶτον μὲν ὑπὲρ τῆς νίκης ἐμεγαληγόρησεν πρὸς τὸν δῆμον ὡς τοσαύτην κεχειρωμένος χώραν, ὅση παρέξει καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν εἰς τὸ δημόσιον, σίτου μὲν εἴκοσι μυριάδας ἀττικῶν μεδίμνων, *vt ad vrbem eſt ex Africa regreſſus, primum hanc victoriam in concione oſtentauit, commemorans, ſe tam latum ſubegiſſe tractum, qui vectigal quotannis penderet frumenti, ducenta millia medimnum Atticorum.* Viginti myriadas efficiunt ducenta millia modiorum: μυριάς enim, quod notiſſimum, facit decies mille: viceſies decies mille, ſunt ducenta millia. At Auguſti tempore, ex *Ægypto vrbi annua ducenties centena millia frumenti illata* ſcribit alter Victor in Epitome *in Auguſto*. Ergo vetuſtum Canonis Africani modum & hic ſeruari vult Valentinianus Senior: ſic tamen vt ab vna parte *ſola* ea, ab altera *leuioribus pretiis* venundari piſtoribus velit: *ſola*: nempe videntur Piſtores maiorem modum exegiſſe, quia ſcilicet leuiore pretio id eis coostabat, quod quidem *leuiore pretio* id eis vendebatur; vt ita hac quaſi mercedula penſaretur graue eorum miniſterium: ergo in ipſorum fauorem.

II. (a) Imppp. Valentinianvs, Valens & Gratianus (b) AAA. ad Iulianum (c) PF. Ann.

Navtici (d) apud Curatorum (e) vel Magiſtratuum acta fateantur, (f) *incorruptas ſe* (g) *ſpecies* (h) *ſuſcepiſſe*, eorumque apud quos depoſitur iſta teſtatio, præſens aſpectus probet, nihil in his eſſe vitii: Quod (i) eo tempore, quo ad ſacræ Vrbis Portum peruenit Præfectura, (k) iugiter (l) obſeruare (m) præceptum eſt. Dat. XVIII. Kal. Iul. Remis, Gratiano A. I. (n) & Dagalaiſo Coſs. (366.)

N O T Æ.

(a) *Lex 1. Cod. Iuſtin. eod. tit.* GOTHOF.

(b) Gratiani A. nomen hic inducendum: quia Anno demum ſequente Gratianus A. factus Ambianis, menſe Auguſto. vid. *Chron.* ID.

(c) Eidem *Iuliano* inſcribitur altera Valentiniani conſtitutio, puta *lex. 2. Cod. Iuſt. de veteris numiſm. poteſt* vbi perperam in inſcriptione PP. Id eſt, Præfectus Prætorio indigetatur: quod non tantum *huius leg.* Inſcriptione confutatur, verum etiam argumento illius ipſius *leg. Pro imminutione*, inquit, *qua, in æſtimatione ſolidi for-*

te tractatur, *omnium quoque pretia SPECIERVM decrescere oportet.* Vbi *specierum* appellatione intelligi oportet *species annonarias*: pariter vt hac ipsa *leg.* nostra, *incorruptas se species suscepisse*: quarum vtique cura Præfecto annonæ incumbebat: & vt recte Græci in *Synopsi Basilic. lib. 54. tit. 18. cap. 2. pag. 463.* interpretati sunt res venales, *τὰ εἴδη τῶν ὠνίων.* Quare lapsi in *eius leg.* interpretatione Cuiacius ad *eam leg.* & Hotomannus 15. *Illustriam*: De qua plenius ago ad *l. vnic. supr. de oblatione votorum.* *ID.*

(d) *Nautici*, id est nauicularii, nautæ; sic quoque Apuleius *lib. 11. pag. 226. Edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire* 1623. Curtius *l. 9. c. 9.* Ammianus Marcellinus non vno loco *l. 14. c. 2. & l. 15. c. 9. l. 16. c. 12.* Sic Vegetius *l. 4. c. 33.* dixit, *nautica obseruationis curam.* *ID.*

(e) *Præsidum, aut magistratuum*, Cod. Iust. *ID.*

(f) *Fateantur*, Id est profiteantur. In Cod. I. *confiteantur.* *ID.*

(g) Abest hæc vox a *Cod. Iust.* *ID.*

(h) Annonarias. *ID.*

(i) Quod ipsum *scilicet.* *ID.*

(k) *Præfecturam*, Cod. Iust. sub hac interpunctione: *peruenit*, *Præfecturam iugiter*, &c. Ex intelligit Præfectum annonæ, ex *Inscrips.* *ID.*

(l) *Iugiter*, id est, pariter vel tractim, continuatim: Glos. *Iugiter ἑξῆς*, id est, deinceps, consequenter. *ID.*

(m) *Obseruari.* *ID.*

(n) Itaquoque COS. hic designatur *l. 10. de panis: l. 14. supr. de annona: l. 1. supr. de postliminio.* Sed rectius alibi NB. P. id est, Nobili Puero; vel vt est in *l. 8. supr. de accusat. Nob. Cæs.* nondum enim hoc Anno Augustus erat Gratianus. *ID.*

COMMENTARIVS.

VT INCORRVPTA annona frumentaria Vrbis Romæ habeatur, prospicit *hac leg.* Valentinianus Sen. Anno D. 366. (qui cæteroquin vt ad *l. 1.* dixi, enixam Vrbicæ annonæ curam gessit) Idque gemina ratione seu inspectione. Primum Inspectione Curatorum vel Magistratuum, in locis vbi Canon siue annona in nauem infertur: scilicet, Nauicularios, vbi species susceperint Romam perferendas, apud illorum acta profiteri iubet, se incorruptas species annonarias accepisse: mox & Magistratus illos, eas species oculis suis & aspectui subiicere iubet, vt ita de integritate specierum fides ei fiat: *Curatores* hic non sunt Sitoniæ, ve-
P.228 rum Curatores ciuitatum. De Curatoribus his & Magistratibus municipiorum alibi prolixe dictum, inter alia apud hos horumque acta testationes seu professiones factæ, reique exhibiti: vt præter *hanc leg.* docet quoque *lex 5 supr. de reparat. appellat. l. 3. supr. de superexactionib. l. 5. supr. de exhib. reis*: de quibus plene dixi ad *l. 20. supr. de Decurion.* Quare non debuit hic Tribonianus loco *Curatorum*, reposuisse, *Præsidum.* Nam neque *Magistratus* hic pro Rectoribus Prouinciarum accipiendi sunt, verum pro Duumuiris: quo sensu passim hoc Codice *Magistratus* vox exaudienda est: de quo vid. *Paratitl. de Decurionibus.* Et hæc quidem prior inspectio *ἐπισκοπὴ* est, qua annonæ vrbicæ integritati consultum voluit Valentinianus: nempe in loco ipso, vbi nauis speciebus oneraretur. Alterum iam inspectionis genus est in loco, quo perlatæ sunt species: nempe non naue Romam appulsa (quod putauit hic Cuiacius) verum 12. ab vrbe miliario; puta in Portu Vrbis Romæ (quo felix embola importabatur, de quo iam sæpe *supra*, & adhuc *infr. titulo de Saccariis Portus Romæ*: & *tit. de Patronis horreorum Portuensium*: & *l. vltim. supr. de Nauiculariis*:) scilicet Præfectum annonæ, cui *hac lex* ideo etiam inscribitur, quem Roma ad Portum certis temporibus conferre se oportebat, Canonem frumentarium inspicere Valentinianus iubet: vt ita de integritate vel corruptione specierum perlatarum iudicet. De Præfecti annonæ officio in commune, alibi dictum. Is vero sub dispositione Præfecti Vrbis positus vna cum Præfecto, sed sub eo annonæ Vrbis Romæ curam gerebat, quod præter singularem *legem 1. Cod. Iust.* *de off. P. V.* quæ & ipsa est Valentiniani Sen. & *legem 1. supr. de condit. in publ. horreis*: *l. vltim. supr. de Nauiculariis*: & *hanc leg.* vt & *d. l. 2. Cod. Iust. de veteris numism. pot.* testatur quoque Symmachus *l. 10. epist. 48.* & Sidonius Apollinaris, *lib. 1. epist. 10.* Ad huius igitur officium pertinebat, Integritatem Canonis siue specierum inspicere & exigere: quomodo etiam Cassiodorus VI. *Var. 18.* scribit, eum pensum & munditiem panis exegisse. Eoque fine certis temporibus subinde ad Portum Vrbis Romæ sese conferebat, inspiciendi Canonis gratia: Quod, præter *hanc leg.* docet quoque Sidonius Apollinaris, ipse Præfectus Vrbi *lib. 1. epist. 10.* ad Campanianum. *Accepi per Præfectum annonæ literas tuas: vereor autem ne famem Populi Romani theatralis cauea fragor insonet, & infortunio meo publica deputetur esuries: sane hunc ipsum e vestigio ad PORTVM mittere paro, quia comperi naues quinque Brundusio profectas cum speciebus tritici ac mellis, Ostia Tiberina tetigisse: quarum onera expectationi plebis, siquid strenue gerit, raptim faciet offerri, commendaturus se mihi, me populo, vtrumque tibi.* Quin & ipse Præfectus Vrbis quandoque ad Portum Vrbis Romæ se conferebat, vbi videlicet nauiculatius diametrum incidisset præsente Præfecto annonæ: *l. vlt. supr. de Nauicular.* Alioquin & stato tempore idem Ostiam sese conferebat solemnitatis siue sacrificandi gratia in æde Castorum: cuius meminit Ammianus *lib. 19. cap. 10.* *Dum Tertullus* (P. V.) *apud Ostia in æde sacrificat Castorum tranquillitas mare mollivit, mutatoque in austrum placidum vento, velificatione plena Portum naues ingressa, frumentis horrea referserunt.* Et Æthicus in *Cosmog. p. 716. Ed. Gronou.* *Tiberis*, inquit, *intra Ostiensem portam & viam Portuensem Vrbem egreditur, qua naues de Portu Vrbis ad dominam totius mundi Romam ascendunt. Hic iterum circa sextum Philippi, (quod prædium missale appellatur.) geminatur, & in duobus ex vno effectus, insulam facit inter Portum Vrbis, & Ostiam ciuitatem: vbi populus Romanus cum Vrbis Præfecto vel Consule, Castorum celebrandorum causa egreditur solemnitate iucunda.* De hoc solemni Castorum sacro, est & vetus *Epigramma.* Ex *hac* iam *leg.* exemplum duci ratioque iniri potest: qua specierum annonarum subuehendarum integritati consuli, nautarum contra fraudibus

con-

contra iri poteſt: Nam quæ Actorum & Teſtationis, de quibus *hac leg.* agitur, occaſione hic prolixe a multis cumulantur, de Inventarii & quidem a tutore conficiendi ratione ἀπροσδιόνυσα ſunt, id eſt, *abſurda*. Suidas quoque *voc.* μαϊουμᾶς, Maiumam feſtum fuiſſe ait Romæ menſe Maio, quo οἱ τὰ πρῶτα τῆς πόλεως τελοῦντες, *principes ciuitatis* Oſtiæ voluptatibus indulgentes, in alios in aquas maris detrudebant: De quo tamen ad *tit. de Maiuma*.

III. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. ad Senatum. (b)

CERTVM habetis, Patres Conſcribti, quantum curarum inpendimus (c) pro veſtris, ac populi commodis: (d) Ideoque hac lege ſancimus, Vt ſi (*) quid frumenti vel olei, (e) vrbicarii canonis remiſſione, indultum eſt ſpeciali beneficio, contra publicum commodum elicita non valeant. Vrbani etiam vſus frumenta, ſi quando vel fortuna, vel ratio in Africa (f) coëgerit reſidere litoribus, adtingere nullus audeat: aut mutatis directoriis (g) quoquam præter (h) ſacram Vrbem, præſcribti (i) vllius innouatione, tranſmittere; *& cetera*. Dat. XVII. Kalend. Maii, Med. Cæſario & Attico Coſs. (397.)

NOTÆ.

(a) Reſecata a *Cod. Iuſt.* tum prior, tum poſterior huius conſtitutionis pars, media tantum retenta in *l. 2. Cod. Iuſt. eod. tit.* Iungendæ autem illi ſex aliæ: puta *lex 6.7 ſupr. de Senatoribus: l. 31. ſupr. de Prætoribus: lex. 24. ſupr. de Suſceptoribus: lex 27. ſupr. de Nauicular. lex. 5. ſupr. de Naufragiis*: Item *lex 3. Cod. Iuſt. quæ res venire.* GOTHOF.

(b) *Et populum*, hoc amplius additum in ſex illis *legibus* omnibus. Imo & in *Cod. Iuſt. l. 2. Cod. eod. tit.* quæ ex *hac leg.* deſumpta eſt. *ID.*

(c) Loco *impendamus*. *ID.*

(d) Etſi hæc *Commodi* vox accipi poſſit de omni Senatus populique vtilitate: imo & voluptatibus, quo pertinet *d. l.* 6.7. & *d. l.* 31. attamen ſpecialius adhuc de annonariis commodis accipienda eſt: quo ſpeciali ſignificatu *commodorum* vox *hoc Codice* frequenter effertur. Et vero hic exaudiri ſuadet vel *huius leg.* argumentum, quod totum eſt de commodis annonariis, vna cum *d. l.* 24. & *d. l.* 27. & *d. l.* 5. *ID.*

(*) In leg. 2. *Cod. Iuſt. eod. tit.* hæc vnica ſententia coniecta, cæteris reſecatis. *ID.*

(e) In nonnullis Codicibus Iuſtin. *hordei*. Sed tamen *olei* habuerunt veteres, vt patet quoque ex Luca de Penna, & Græci quoque habent ἐλαίου. Error natus (vt iam notauit Leunclau. *lib.* 2. *Notat. p.* 359.) ex affinitate vocis *olei*, & *hordei*. *ID.*

P.289 (f) Nil opus mutare hanc vocem in *Africa*: nam mox, *reſidere litoribus* dicitur, pro *in litoribus*. *ID.*

(g) *Directorium* eſt iter rectum, *recta nauigatio*, vt vocatur *l. 33. ſupr. de Nauicular.* cuius ſententia eodem pertinet: ſic & ἰθυντήριος, quaſi dicas director viarum, manſionum, qui ſcilicet viam dirigit, præparat, apud *Suidam*. *ID.*

(h) Id eſt, *quam ad ſacram vrbem*. *ID.*

(i) Et hæc vox retinenda: *Præſcriptum* hic eſt, vel iter præſcriptum, atque adeo idem cum directorio *ſupr.* vel *præſcriptum* ſeu forma publica. *ID.*

COMMENTARIVS.

HONORII Imp. quatuor *hoc tit.* conſtitutiones ſequuntur, quibus *Annonæ* Vrbis Romæ ſedulo proſpectum iuit: quod ſtudium ſuum initio ſtatim ſeu prologo orationis effert. Et id quidem nunc, ſeu hac tempeſtate, qua populus Romanus cum fame, vel famis metu conflictabatur: vt ex aliis *legibus* quamplurimis liquet, & ex *Symmacho*, & *Claudiano*, horum temporum ſcriptoribus. Cuius quidem annonæ defectus non tantum publicis ex cauſis, turbata videlicet a Gildone Africa, (quæ Romæ nutricula erat, de qua mox plenius:) verum priuatis quoque ex cauſis & fraudibus, & vel maxime tum obortus erat. His igitur priuatis cauſis & fraudibus occurrere Honorius Imp. in animum ſubinde induxit: intra hoc quadriennium nominatim, id eſt, Anno D. 396. 397. 398. 399. *Fraudibus*, inquam: Primo collatorum ſeu Prouincialium: impetrata forte immunitate *hac leg.* 3. vel mutatione canonis, *l. 5. in fin.* Iudicum item, vſurpato videlicet canone *l. 6. ſeu l. vltim. hoc tit.* vrbicario canone alio quam ad Vrbem Romam tranſmiſſo: *hac leg. in fin.* priuatorum in Vrbe Roma vel Portu eius, interuerſis aquis molarum, horreis, cellulisue ad piſtorium ius pertinentibus: *l. 4. hoc tit.* ſuſceptorum item, *l. 24. ſupr. de Suſceptoribus*: & Nauiculariorum, de quibus mox. Et hæc quidem Honorii *lex*, pars eſt prolixioris Honorianæ conſtitutionis ſeu Orationis *ad Senatum & populum* emiſſæ, qua in voluerſum tum Annonæ, tum voluptatibus populi Romani conſultum iuit. Quæ gemina ferme populi Romani cura erat, circa panem, & Circenſes. Ad eum vero voluptatum ſeu ludorum finem pertinent ex ea Oratione *lex 6. 7. ſupr. de Senatoribus & glebali collat.* & *lex 31. ſupr. de Prætoribus*. Ad Annonæ Vrbicæ vtilitatem *lex 24. ſupr. de Suſceptoribus: lex 27. ſupr. de Nauicular. lex. 5. ſupr. de Naufragiis: lex 3. Cod. Iuſtin. quæ res venire*: & hæc *lex* noſtra tandem, cui ſuperiores

riores omnes cassandæ veniunt: Cuius præfatione vt dixi testatam facit curam suam enixam, quam pro Senatus populique commodis gereret, ac nominatim pro commodis gereret, ac nominatim pro commodis Annonariis. Imo ea ipsa præfatio indicio esse potest, quanto in honore Senatum habuerit Honorius Imp. Cuius sane honoris ab Honorio Senatui Romano tributi testimonium insigne est, quod bello Gildonem petere exercitumque aduersus eum non ante mouere hoc ipso Anno 397. voluerit, quam Senatusconsulto more Maiorum super eo facto, & Gildone hoste publico declarato: de quo Claudianus *lib. 1. in laud. Stiliconis v. 327.* & Symmachus *lib. 4. epist. 4.* plene dixi ad *l. 7. supr. de Metatis*: Quo rursum pertinet quod idem Claudianus in 4. *Honorii COS.* scribit. *v. 502.*

——————————*qua denique Roma*

Cura tibi? quam fixa manet reuerentia Patrum.

Duplici igitur inter alia plura, remedio *hac leg.* Annonæ Vrbis Romæ laboranti Honorius succursum it, adversus duplicem fraudem.

Primum quidem IMMVNITATES annonariam, seu remissionem Canonis Vrbicarii priuatis quibusdam Rescripto concessas reuocat (pariter vt Immunitates a Præturæ munere, *d. l. 31. supr. de Prætoribus*: quæ inter alias vti dixi *huc* socianda venit:) vt cæteroquin immunitates in dispendium publicum, ac nominatim in fraudem rei annonariæ & tributariæ non valent, & a bonis Principibus in irritum deuocantur: de quo fuit *titulus* in eam rem expressus *supr. lib. 11. de immunitate concessa*, & aliquot etiam *leges*, supra, *l. 1. de diuersis rescriptis*: quibus ex locis similes plures *leges* huc arcessi possunt.

Secundo capite Honorius Imp. VSVRPARI, contrectari, vendi, auerti, Canonem Vrbicarium, alioue quam ad Vrbem Romam transmitti vetat *hac leg.* & *d. l. 3 Cod. Iust. quæ res venire*: quæ vt *huic leg.* inter alias cuassanda est: ita *huic* ductim subiicienda venit: *Quia nonnunquam in diuersis locis distrahi publici canonis frumenta dicuntur, vendentes & ementes sciant, capitali pœna se esse subdendos, & in publicam fraudem commercia contracta damnari*: Cuius *leg.* Inscriptio cum *hac leg.* omnino concordat: subscriptio vero ex *hac leg.* & aliis supplenda venit. Porro hanc vsurpationem fieri solitam ostendit *hac lex*, & *d. l. 3.* in littoribus: vbi fortuna, vel ratione cogente, frumenta & naues sæpe residebant: eaque occasione vel inde quædam attingebantur seu vsurpabantur, vel mutatis directoriis, alio quam ad Vrbem Romam transmittebantur. Quod vtrumque *hac leg.* & *d. l. 3.* inhibetur: de quo alioquin est *tit.* expressus *supr. de his quæ ex publica collat. illata sunt, non vsurpandis.*

De quatuor adhuc ad *hanc leg.* videndum est. Primum de *Africa*: vnde potissimum canon frumentarius Romam subuectus. Omitto vetustiora ex Varrone *lib. 2. de vita pop. Rom.* Tacito, *lib. 12. Annal. cap. 43.* omitto de classe Africana a Commodo instituta, teste *Lampridio in Commod. cap. 17.* sufficiat hæc notasse. Primo, de hoc canone Africano, præter *hanc leg. nostram*, complures alias occurrere *hoc Codice*: puta *l. 13. 30. 34. supr. de annona & trib. l. 8. supr. de indulg. debit.* item plerasque positas, sub *tit. de Nauicularis*, & *tit. de naufragiis.*

Secundo obseruandum, Modum huius canonis frumentarii Africani fuisse ducenta millia modiorum, quod ex Plutarcho, imo & *l. 1. supr. hoc tit.* probatur, vbi dixi: Quomodo Alexandrinus canon sub Augusto erat ducenties centenorum millium frumenti, teste altero Victore *in V. Augusti.*

Tertio notandum, cum ante Constantinopolim excitatam etiam Alexandrinus canon Vrbi Romæ, & vel maxime destinatus fuisset, deinceps tamen pariter alias Occidentis Prouincias, (ad quas extra ordinem famis tempore recurrebatur) præter Siciliam & Sardiniam, quæ & Vrbis Romæ nutriculæ erant, solam iam Africam ferme Vrbi Romæ relictam vix suffecisse: de quo dicam plene *infr. titulo prox. de frument. Vrbis Constantinop.*

Quarto, de *oleo* vrbicario videndum est, *olei* scilicet modum ex Africa quoque Romam destinatum *hac lex* testatur. Huius vero olei vsus in gymnasia erat, (quam luxuriam a Græcis inuentam proscribit Plinius *lib. 15. cap. 4.*) Item ad balnea aliaque. Datumque id populo gratis olim etiam a Scipione, teste Liuio *lib. 25. c. 2.* a Cæsare, teste Suetonio *in Vit. cap. 38.* Quo tempore modus canonis Olearii erat, tricies centena millia librarum: P. 230 Plutarchus *Cæsare pag. 733. Edit. Wechel.* *ὅση παρέξῃ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν εἰς τὸ δημόσιον ἐλαίου λιτρῶν μυριάδας τριακοσίας*, *qua* (prouincia Africa) *vectigal quotannis penderet olei tricies centena millia librarum*: a M. Agrippa: Auctor Dio *lib. 49. pag. 417. Edit. Leunclau.* a Nerone, vt scribit Tacitus *lib. 14. Annal. cap. 47.* Seuerus Imp. accepto quoque oleo a Tripolitanis dono, & ipse auxisse eam præbitionem videtur. De hoc Tripolitanorum sane dono, Seuero Imp. facto, Spartianus *in eius v. cap. 18. Tripolim, vnde oriundus erat, contusis bellicosissimis gentibus, securissimam reddidit: at p. R. diuturnam, oleum gratuitum & fœcundissimum agrum donauit.* Quem locum sanare cœperunt Viri Doctissimi ita ex MSS. *ac populo Romano diurnum oleum*: quasi eo loco dicatur, oleum populo Romano a Seuero donatum. Quod probare non possum: eo loci quippe Spartianus nondum agit de iis, quæ Seuerus in gratiam P. R. fecit, verum de victoriis ipsius aduersus Persas, Arabes, Adiabenos, item de Britanniæ munimento, & de Tripoli a bellicosissimis gentibus secura reddita: quibus statim illa, quæ vitium sapiunt, subiicit: Quare eo loci, non quid P. R. contulerit Seuerus, verum quid ei oblatum a Tripolitanis inuicem fuerit pro liberata securaque reddita patria sua, Spartianus scribit: itaque malim: *ad ouem, diurnum ea oleum gratuitum, & fœcundissimum agrum donauit.* Nempe ipsi Seuero oblatum a Tripolitanis oleum: sicut & fœcundissimus ager donatus. Ecce alter Victor *de Cæsar.* in Constantino *cap. 41. Remota olei frumentique aduectitia præbitiones, quibus Tripolis ac Nicæa acerbius augebantur: quas res, superiores* (id est Tripolitani) *Seueri imperio, gratantes Ciui obtulerant: verteratque gratiam muneris huius in perniciem, posterorum dissimulatio.* (dissimulatio) *Alteros* (Nicænos) *M. Boionius assi xeras multa*, &c. Ecce & ipsemet Victor ait, Tripolitanos oleum ciui suo Seuero obtulisse, eius Imperio gratantes; *gratantes*, (non, vt mutant, *gratanter*) id est, gratulantes: Verum tamen illud, oleum a Seuero P. R. datum, & largius quidem. Lampridius *Alexandro cap. 22. Oleum, quod Seuerus populo dederat, quodque Heliogabalus imminuerat, turpissimis hominibus Præfecturam annonæ tribuendo, integrum restituit.* De quo Seuero, & illud Spartianus *in Vit. c. 23.* cum *olei tantum reliquisse, vt per quinquennium non solum Vrbis vsibus, sed totius Italiæ, quæ oleo egeret, sufficeret.* Exinde, post Seuerum & Alexandrum oleum gratuitum P. R. porro donatum: sub Aureliano testis Vopiscus *in Vit. c. 48. Statuerat,* inquit,

inquit, *& vinum gratuitum P. R. dare, vt quemadmodum oleum, & panis, & porcina gratuita prabetur, sic etiam vinum daretur.*

Ad Coostantini feculum defcendamus. Is aduentitiam illam quidem Tripolitanorum præbitionem temouit, vt Victot ait: fed nihilomious oleum gratuitum populo Romano ab eo datum, atque oleum vrbicarii canonis pars fuit. Hinc adeo Conftantini M. *l. vnic. infr. de menfis oleariis,* (vbi adhuc dicam) *menfa olearia* mentio fit. Sub Valentiniano quoque Iuniore *l. vltim. fupr. de Curatoribus Kalendaris* agitur de arca olearia & frumentaria: fub eodem, huius olei vrbicarii ex Africa memioit Symmachus P. V. *lib. 10. epift. 48. Frumenti cotidianus vfus in facili eft: Olei tantum fpecies victum plebis tenuiter iuncta follicitat: Cuius rei V. C. PRÆF. ANNONÆ, partium fuarum diligens executor, Pratoriana ampliffima Prafectura, vt ipfe afferit, dudum fecit indicium, miffis de more breuibus, qua anguftias patefacerent conditorum.* Mox: *Quare omnes fuppliciter oramus: vt quamprimum Iudices AFRICANOS fuper hac fpecie Romanis horreis inferenda diuinus fermo DISTIMVLET: nam properato opus eft, priusquam reliquum profliget DIVRNA prabitio.* Hæc Symmachus, qui & frugis oleique baiulos inter cæteros Vrbis Corpotatos memorat *lib. 10. epift. 27.* Sed & *epiftola 55. lib. 9.* docet, *Formianis ad egeftatis leuamen certum ex Africa olei modum decreuiffe Antiquitatem.* Tandem idem Vrbis querelas de olei penuria, nou minus quam de frugum defectu, memorat non tantum *fuperiore epiftola 48. lib. 10.* fed & *lib. 4. epiftola 18.* Quo pertinet hæc ipfa Honorii conftitutio. Et hæc de Vrbe Roma. De oleo vero Conftantinopolitano eft *lex vlt. infr. de annonis ciuicis.*

IV. (a) Idem AA. Theodoro PF. P. (b)

INPROBORVM petitiones, qui inpudentius aufi funt poftulare penfiones (c) aquæ molarum, quæ Vrbi (d) venerabili annonas abundantius præftitiffent, quinque librarum auri multa infligat, (e) nifi ab hac petendi inportunitate difcedant. Illos etiam qui poteftati Præfecturæ Annonariæ præfunt, & Apparitores qui hifdem minifteriis obfecundant, par multa retineat: (f) fi cuiufquam inprobiffimi hominis confenferint, vel paruerint, voluntati. Simili autem pœna teneantur, qui aliquid ex his horreis, cellulifue, quæ intra Vrbem Romam, adque in Portu conftitutæ, piftorio iure retinentur, fibimet, tanquam poffeffione priuata, aufi fuerint vindicare. Dat. Prid. Id. April. Med. Honor. A. IV. & Eutychiano Coss. (398.)

NOTÆ.

(a) Abeft & *hac lex* a *Cod. Iuftin.* Iungenda autem ei *lex vnic. infr. de pretio panis Oftienfis.* GOTHOF.

(b) *Theodorus* PP. Italiæ fub Honorio: vid. *Profopogr.* ID.

(c) *Penfiones* funt moduli aquarum, quibus aqua expenditur feu erogatur: & fic *expenfiones.* ID.

(d) Romæ. ID.

(e) Infolens locutio, qua *multa aliquem infligere* dicitur; cum alias multa *infligi* dicatur. *Infligat* igitur pro affligat. ID.

(f) *Retineat*, pro teneat: vt fine legis, *piftorio iure retinentur.* ID.

COMMENTARIVS.

SECVNDA hæc Honorii conftitutio eft, *hoc titulo.* Quæ quidem prolixioris conftitutionis pars eft: qua Canoni frumentario feu annonæ Vrbis Romæ confultum iuit, post Gildonem iam cæfum: Cuius pars altera fuperett, *l. vnic. infr. de*
P.231 *pretio panis Oftienfis*, quæ proinde *huic* coaflanda venit. Atque vt variis aliis rationibus Honorius Imp. Annonæ confultum iuit, fraudibusque annonæ vrbicæ damnofis occurrit; ita *hac leg.* & *d. l. vnic.* PISTORVM & PISTRINORVM nominatim cura fufcepta: tum aduerfus ipfos confulendo, quo pertinet *d. l. vnic.* ne videlicet pretium panis ipfi augerent: tum ipfis: quo petrinent duo *huius leg.* capita (quæ non minus recte fub *titulo de piftoribus* ftaret.)

Priore capite priuatos AQVÆ molarum publicarum, piftoribus feruientium, *penfiones*, id eft modulos, a Principe petere vetat; propofita multa quinque librarum auri aduerfus fupplicantem feu impetrantem: imo & aduerfus Præfectum annonæ (qui vt annonæ cæteroquin præerat, ita nominatim Piftoribus: vt docet quoque *lex, 1. 3. 12. 14. 15. 21. vltim. fupr. de piftoribus:* & *lex 3. 6. fupr. de panis:*) eiusque Officiales, fi confenfum fuum adhibuerint: pariter vt duarum librarum auri multam imponit fupplicanti, vt pretium panis augeatur, *d. l. vnic.* Ita quidem, vt factum iftud *Impudens & improbum*, feu hanc petitionem maxime infectetur: nempe quod in vfus fuos priuatos huiusmodi modulos aquarum conuertendo, impedirent, quominus *annona Vrbi Roma abundantius praftarentur.* Nempe modulos hos aquæ priuati petebant in agrorum irrigationem, vel ad hortorum delicias, ad balnea item & nymphæa, molafque priuatas, vt cæteroquin id factum teftatur *lex 4. 7.* & *vltim. in fin. de Aquaductu: l. 9. 10. Cod. Iuft. eod. tit.* Caffiodorus quoque III. *Variar. 31. Dicitur, commodi cura priuati, aquam formarum, quam fummo deceret ftudio communiri, ad aqua molas exercendas, vel hortos irrigandos, fuiffe deriuatam.* Scilicet piftores non tantum panem coquebant, verum etiam fruges ipfas molebant: quod prolixe docui ad *l. 7. fupr. de Piftoribus:* Hinc adeo Molæ in piftrini huiusmodi publici inftrumen-

sumque ideo vocatur *d. l. vltim.* Aurum scilicet pro speciebus acceptum facilius interuertitur, neque tam facile in coemptionem specierum Vrbi necessariarum collocatur. Cæterum dupli pœna proposita id prohibet *hac leg.* Honorius, pariter vt *d. l. 30.*

VI. (a) Idem AA. Messalæ PF. P. (b)

NE deinde (c) facinora inpunita (d) coalescant, euidenti præceptione decernimus vt a Vicario, (e) ceterisque Iudicibus, quos ex vrbicario canone quidquam vsurpasse constiterit, in quadruplum præsumpta poscantur: ita vt duplum Iudices, duplum eorum Officia cogantur inferre. Deinceps autem nisi ab huiusmodi scelere temperetur, Iudices deportationis pœna retinendos, (f) Primates (g) officiorum capitali supplicio subiugandos perpeti (h) auctoritate sancimus: &c. Dat. IV. Kal. Octob. Altino. & (i) Theodoro V. C. CONS. (399.)

NOTÆ.

(a) *Legis 3. Cod. Iustin. eod. tit.* pars posterior hinc desumpta est, quæ ex *hac leg.* & *superiore* conflata est, & contracta: recisis pariter, quæ ad præsens tantum respiciunt. Iungenda autem huic *lex 15. supr. de exactionibus.* GOTHOFR.

(b) *Messala* PP. Italiæ scilicet sub Honorio: vid. *Prosopogr.* GOTHOFR.

(c) Id est, deinceps. *ID.*

(d) Retineri potest & debet: neque mutem cum *impunitate.* Porro huic sententiæ illustrandæ, ne alia congeram, facit *lex 31. D. depositi. l. 9. §. 5. D. de publican. l. 1. D. ne quis eum qui in ius voc.* impunitatis denique spes, magna est peccandi illecebra. *ID.*

(e) An Africæ? an Vrbis Romæ? De vtroque satis commode accipi potest. *ID.*

(f) De hac voce ad *l. super.* *ID.*

(g) De *Primatibus* officiorum dixi ad *leg. 10. de cohortal.* *ID.*

(h) Id est perpetua: quomodo mutatum *Cod. Iustin.* *ID.*

(i) Delenda hæc vox, quæ etiam recte abest ab Edit. Quartan. *ID.*

COMMENTARIVS.

QVARTA hæc *hoc titulo* Honorii constitutio est, Canoni frumentario Vrbis Romæ consulentis, & Sextæ fraudi eique sceleratissimæ aduersus eum admitti solitæ, occurrentis: (Qui & Septima cuidam fraudi occurrit *lege 15. supr. de exactionibus*, quæ *huic* coassanda venit, velut eiusdem prolixioris constitutionis Honorianæ pars: qua autopragias beneficium tollitur.) Hac igitur constitutione, non iam *Collatorum* ipsorum fraudibus in damnum Canonis frumentarii occurrit, quo pertinet *lex 3.* & *prox. 5. supr.* non *Nauiculariorum*, quo spectat posterior pars *legis 3.* non *Priuatorum*, quo respicit *lex 4.* Verum sceleratæ IVDICVM vsurpationi aliquid ex Canone Vrbicario interuertentium, pœna videlicet Iudicibus eorumque Officialibus siue Vicariis, siue Rectoribus Prouinciarum (qui omnes sub dispositione P. P. erant:) tum in præsens, tum in futurum imposita: In præsens, Quadrupli pœna ob ea, quæ hactenus vsurpauerant (quæ pœna in simili imponitur *l. 1. supr. de his qui tum dispens.*) sic vt duplum Iudices, duplum Officiales inferre velit: In futurum vero non iam multa imposita, verum deportationis Iudicibus ipsis: Primatibus vero officiorum, capitalis supplicii. Cæterum, est *hac lex* proprie de furtiua Iudicum vsurpatione, & sic *manifesto* furti genere. Atenim aliud vsurpationis genus est, de quo *supr. lib. 12. tit. 9. de his quæ ex publica conlatione inlata sunt, non vsurpandis*: nempe cum Iudices quid ex eo, quod illatum est, mutui titulo vsurpant, quo spectat *lex 1. eius tituli:* (cui similia sunt quæ tractantur *lib. 10. tit. 24. de his qui cum dispensatore contraxerunt:*) vel ad alias necessitates transferunt: quo spectat *lex 2.* & *3. eiusdem tituli*: quæ postrema alioquin hoc ipso Anno data ad eundem Messalam PP.

P. 333
DE FRVMENTO VRBIS CONSTANTINOPOLITANÆ.

TITVLVS XVI.

Lib. XI. COD. IVST. Tit. XXIII.

PARATITLON.

FRVMENTVM *Rubr.* & *l. 2. hoc tit.* triticum *l. 1. hoc tit.* (vnde titulus frumentarius, *l. 3. hoc tit.*) Vrbis Constantinopolitanæ, *Rubr.* & *toto titulo*, aliud ex Prouinciarum collatione tributum, quo spectat *lex 2. hoc tit.* quod canonis nomine designatur *d. l. 2. hoc tit.* vnde annona ciuica distribuebatur, de qua mox *sequ. tit. de annonis ciuicis.* Aliud vero fame vrgente, *l. 1. hoc tit.* coëmptum: vnde frumentaria coëmptio, *l. 3. hoc tit.* frumentaria comparatio, *l. 1. hoc tit.* (de qua in commune peculiaris titulus *supr. lib. 11. tit. 15. de publica comparatione:*) Huic rei seu titulo *l. 1. hoc tit.* frumentario, *l. 3. hoc tit.* consecrata fuit sub Theodosio Iuniore Constantinopoli, *l. 1. hoc tit.* seo dedicata, *leg. 3. hoc tit.* summa quædam, *l. 1. hoc tit.* seu quantitas, *leg. 3. hoc tit.* auri, *d. l. 1.* & 3. *hoc tit.* puta quingentarum primum auri librarum, *d. l. 1. hoc tit.* postea vero sexcentarum & vndecim, *d. l. 3. hoc tit.* cuius & arca peculiaris fuit, arca frumentaria: *d. l. 1. hoc tit.* Ea summa a Præfecto Vrbi vel quoquam alio contingi vetita, *d. l. 1.* & *3. hoc tit.* Ex ea autem coëmptum frumentum vendebatur *d. l. 1. hoc tit.* Mancipibus, qui panem ex eo confectum populo venderent, mutui nomine dabatur, vnde incrementum aliquod accedebat, seu accrescebat, quod ad cumulum memoratæ quantitatis & frumentarii tituli fomitem redundabat: *d. l. 1.* & *3. hoc tit.*

I. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Monaxio P. V. (b)

QVINGENTAS auri libras, partim a Tui Culminis indagine, partim Amplissimi Senatus grata inlatione, collectas, ad prohibendam famem, ita huic titulo (c) consecramus, vt quidquid super frumentaria comparatione (d) titulus emptionis inuenerit, in tribunalibus (e) Præfecturæ Vrbanæ sub gestorum testificatione pandatur: vt summa collecta, & incrementa (f) quæ venundato tritico accesserint, Patrum (g) insinuetur (h) examini: Omni de eo, (i) quæ contra hunc titulum temptabitur, vsurpatione cessante, vt nec Tuæ Sedis auctoritate, nec cuiquam (k) liceat, cuiuscumque, vel honestæ, occasionis obtentu, hæc perpensa (l) vllo pacto conuellere: ne non modo tot sententiarum violare munimina videatur, (m) sed & familiari dispendio quatiatur: & id quod ex hac auri quantitate decerpserit, geminatum Arcæ frumentariæ inferat. Si quis autem priuatim ad vsus proprios intra Vrbem amplissimam frumentum comparare voluerit, habeat licentiam coëmendi. Dat. VI. Kal. Maii, Constantinop. Honorio VIII. & Theod. III. AA. Coss. (409.)

NOTÆ.

(a) Abest hæc Historica constitutio a *Cod. Iustinianeo.* GOTHOF.

(b) Huius *Monaxii* P. V. meminit Auctor Chronici Alex. De quo mox. Eidem plures aliæ *hoc Codice* leges inscribuntur: Anno 408. & 409. inter alias hoc ipso Anno *lex 47. infr. de operibus publicis:* superiore Anno *lex 15. infr. de annonis ciuicis.* vid. *Prosopogr.* ID.

(c) *Titulus* est genus, species, destinatio rei cuiusdam: hic *Titulus* de annonario, & comparatione frumentaria. ID.

(d) De hoc fuit titulus *supr.* peculiaris, *de publica comparatione, lib. 11. t. 15.* ID.

(e) In *tribunalibus:* in *tribunali Illius.* ID.

(f) vid. de his & *l. 3. infr. in fin.* ID.

(g) Senatus. ID.

(h) Insinuentur. ID.

(i) Malim: *omni adeo*, &c. *vt.* ID.

(k) Alii scilicet. ID.

(l) *Perpensa* vocat communi consilio & maturo tractatu definita: de qua voce dixi ad *l. 2. supr. de constit. Principum;* vid. & *Gloss. Theod.* ID.

(m) Et sic tanquam violatæ constitutionis, perpensæ longa deliberatione, reus habeatur. ID.

COM-

P.234

COMMENTARIVS.

THeodosii Iunioris sunt omnes *huius tituli* constitutiones: Quarum hæc, & postrema, in eodem argumento versantur: nempe circa Pvblicam Frvmenti ad vsum Vrbis Constantinopolitanæ comparationem, extra ordinem ad prohibendam famem istius Vrbis. Scilicet vt cæteroquin publica comparatio Reipubl. necessitatibus exigentibus, exercitus forte, hac tempestate vsurpata, (de quo fuit *supra* titulus peculiaris *lib. 11. de Publica comparatione*:) sic vt publico nomine pretiis competentibus contra datis, frumentum a priuatis emeretur (quod *Synoneti* onos dicebatur:) non sufficiente videlicet canone annonario qui a Prouincialibus tributi nomine conferebatur: Ita & vrbicario canone si quando non sufficiente, ad idem publicæ comparationis, seu Synoneti, remedium necesse fuit confugere: fame videlicet aliqua vrgente: cuiusmodi fames Constantinopoli subinde exorta, variis de causis: ac nominatim ob ingentem ibi populi freqoentiam, cui vix Ægyptus sufficiebat, aliæque Prouinciæ, vt testatur Eunapius *in v. Ædesii, p. 41. Edit. Commelin.* de qoo dico plene ad *l. 7. supr. de Nauicular.* vbi de stolo Alexandrino. Quare vrbs ea sæpe annonæ inopia laborauit: vt videre est apud huius æui Scriptores. Ac nominatim his ipsis consulibus *Honorio VIII. & Theodosio III.* sub hoc Monaxio Præfecto Vrbis Constantinopol. vt ex *hac leg.* colligimus, & testatur expresse Auctor *Chronici Alexandrini pagin. 716. 717. Edit. Raderi*: Ἐπὶ τῆς παρούσης ὑπατείας ἐκάη τὸ πραιτώριον ΜΟΝΑΞΙΟΥ ἘΠΑΡΧΟΥ ΠΟΛΕΩΣ, ἀπὸ τοῦ δήμου Κωνσταντινουπόλεως, διὰ τὴν ἔνδειαν τοῦ ἄρτου: καὶ ἐσύρη ἡ καροῦχα αὐτοῦ ἀπὸ τῆς πρώτης Ρεγεῶνος ἕως τῶν Δομνίνου ἐμβόλων: καὶ ὑπήντησαν αὐτοῖς οἱ δύο στρατηλάται Οὐαρανὰς καὶ Ἀρσάκιος, καὶ Συνέσιος ὁ καὶ (ita γρ.) Κόμης τῶν λαργιτιώνων, καὶ παρεκάλεσαν αὐτοὺς λέγοντες: ὑποστρέψατε, καὶ ὑμεῖς τηροῦμεν ὡς θέλετε, id est; *Hoc Consulatu exustum fuit Prætorium Monaxii Præfecti Vrbis, a populo Constantinopolitano, propter panis inopiam: & tracta fuit ipsius Carruca a Prima Regione vsque ad Domnini porticum, occurreruntque eis duo Duces rei militaris Varanes & Arsacius, & Synesius Comes largitionum, eosque admonuerunt, dicentes, Conuertimini, nosque (ipsi) luamus, vt vultis.* Quo quidem loco Consulatus qui excidit, ex *hac leg.* supplendus venit. Imo & ex Marcellini *Chronico*, qui diserte sub his ipsis Coss. scribit: *Indict. VII. Honorio VIII. & Theodosio Iuniore III. COSS. apud Constantinopolim magna exarsit populi seditio, panis scilicet penuria sibimet ingruente.* Igitur, ad prohibendam de cætero famem Constantioopoli studium suum conuertit Monaxius P. V. Anthemius, qui hoc tempore Præfectus Prætorio erat: conuertit Theodosius Iun. Imp. variis in id remediis adinuentis: eo primum, quod continetur *l. 32. supr. de Nauiculariis*: deinde & eo, quod *hac leg.* continetur, nempe coëmptionis seu comparationis & synoneti: de qua *suo tit.* Quod Romæ quoque extra ordinem factum docere videntur nummi argentei Pisonis & Cæpionis, in quibus cernuntur duo viri inter spicas sedentes, cum inscriptione:

AD FRV. EMV. EX. SC.

Noua etiam prouisione hac parte: destinata videlicet deinceps in id solemni quadam auri quantitate, ad coëmptionem videlicet seu comparationem frumentariam: vt ita vrgente necessitate ex ea pecunia frumentum coemi vendique posset, ad leuandam populi necessitatem. Quæ quidem quantitas seu fors hoc tempore collecta fuit, quod *hac lex* diserte testatur, partim Monaxii P. V. (cui *hac lex* inscribitur, quique vt antea dixi, ob penuriam in populi inuidiam venerat,) indagine; qui scilicet pecuniam alicunde subtili ingenio eruerat, partim vero ea spontanea Senatus Constantinopolitani contributione; quod forte Φιλικὸν dicitur *l. 32. supr. de Nauiculariis*, quæ ad eandem historiam pertinet. Modus vero istius sanctioris ærarii seu pecuniæ solenniter destinatæ, consecratæ, hic definitur: nempe quingentarum auri librarum, quæ summa efficit 72. solidis in libram computatis (de quo ad *l. vnic. supr. de oblat. votor.* & ad *l. 1. supr. de ponderatorib.*) triginta sex millium auri solidorum. Ita quidem inter hæc initia. At postea aucta fuit hæc summa, sic vt sexcentarum & vndecim auri librarum facta fuerit, id est quadraginta trium millium nongentorum & nonaginta duorum solidorum: vt docet *lex vltim. in fin.* Parum vero erat sanctius istud ærarium instituisse, nisi administratio fidelis haberetur. Igitur & *hac leg.* & *d. l. vltim.* præscribitur, quomodo ea summa administranda sit. Hac certe *leg.* statuuntur duo hanc in rem. Primo, pecuniam hanc cum incrementis (Interpreti compendium vocat Ammianus Marcellinus *l. 28. c. 1.*) idest, accessione omni, quod ex frumenti inde comparati secura venditione adcreuit, publice curam Præfecto Vrbis sub gestorum testificatione pandi, declarari, computari, subduci: & Senatus Constantinopolitani examini insinuari; vt is examinet, discutiat, num ea fide omnia gerantur: Quod quidem examen ea etiam de causa Senatui delatum puto, quod hæc pecunia ab ipso ex parte profecta fuisset. *Æquum* scilicet est, ei pecuniæ administratæ examen & discussionem committi a quo profecta est: sed neque fidelius quisquam id facturus creditur, quam is, qui cum largitatis ipse auctor sit, procul-dubio eam ratam esse omni ope nititur. Secundo *vsurpari* ea ea pecunia quicquam vetat Theodosius tum *hac leg.* tum rursum *l. vlt. infr.* quocunque obtentu, a quoquam, nequidem Præfecti Vrbis auctoritate: vt cæteroquin ea canone vrbicario quicquam vsurpare nefas erat, de quo etiam ad *l. vlt. supr. tit. prox.* ita sacrilegio proximum ea hoc sanctiore quodammodo ærario quicquam degustare, decerpere, quod repositum seu reconditum in famem, si quando vrbi ingruentem, erat. Quare & dupli pœnam vsurpanti imponit *hac l.* Theodosius Iun. & *d. l. vlt.*

Et hæc quidem ita Theodosius Iun. subleuandæ videlicet inopi plebi, atque in diem viuenti, non ea tamen mente, quasi non & priuatis intra Vrbem Constantinopolitanam frumentum in proprios vsus coëmere liceret. Extra hanc proinde proprii vsus rationem, priuatis coëmptionem interdicere videtur Theodosius. Scilicet noluit pius Princeps, vel potius qui iuuenem tum regebant, & in his soror Placidia, priuata coemptione miseram plebem strangulari: verum publica subleuari, cum modico & tolerabili admodum incremento. Atque ita *hac lex* intellecta, ceu singularis admodum notanda est, quæ in vsum optime deduci poterit: vna cum *l. vltim.* quæ eodem pertinet.

P.235.

II. (a) Idem AA. Vrſo P. V. (b)

NVLLI, ne diuinæ quidem domui (c) noſtræ, frumentum de Horreis publicis pro annona (d) penitus præbeatur, ſed integer canon Mancipibus (e) conſignetur, annona in pane coƈto domibus exhibenda: Ita enim debet canon, ab inclytæ memoriæ Conſtantino præſtitutus, necnon a Diuo pietatis meæ Auo (f) auƈtus, expendi: quoniam creſcit inopia, ſi frumento, (g) quod pro annona tribuitur, ad vſus alios deputata cognoſcantur: Cogentur enim ſibi de publico emere quæ aliis vendere potuiſſent. Dat. X. Kalend. Aug. Conſtantinop. Theodoro (h) A. VII. & Palladio Coss. (416.)

N O T Æ.

(a) *Lex 1. Cod. Iuſtin. eod. tit.* GOTHOF.

(b) Eidem *Vrſo P. V.* inſcribitur hoc ipſo Anno 416. *l. 180. ſupr. de Decurion.* & ſuperiore Anno *lex 1. ſupr. de Decurion. & ſilentiariis.* Meminit eius hoc ipſo Anno bis: & quidem ante mentem, Auƈtor *Chronici Alexandrini pag. 718. 719. Edit. Rader. ὑπ. Θεοδοσίου νέου Αὐγούστου τὸ ζ΄. καὶ Παλλαδίου. Ἐπετελέσθη θεατρον, δημόσιον ὄντος ἐπάρχου πόλεως ὑπὲρ τῶν ἐπινικίων τῶν κατ' Ἀττάλου τυράννου μηνὶ Δεσίῳ, τῇ πρὸ δ' καλανδῶν Ἰουλίων*, id eſt, *Theodoſio Iuniore Auguſto VII. & Palladio COSS. Ludi theatrales celebrati, edente VRSO Præfeƈto Vrbi propter viƈtoriam de Attalo Tyranno menſe Deſio IV. Kal. Iulias.* Et mox rurſum: vbi ait Theodoſium Iuniorem Heraclea Conſtantinopolim reuerſum in foro Theodoſiano aurea corona ab Vrſo P. V. & Senatu pridie Kal. Oƈtobris die Sabbathi ornatum. *ID.*

(c) *γρ. domus. ID.*

(d) *Annona* hic quid? mox dicam. *ID.*

(e) Mancipibus *hac leg.* & *l. prox.* id eſt Piſtoribus: de quo *ſuo titulo, ſupra. ID.*

(f) Id eſt, Theodoſio M. (Idem etiam in Cod. Iuſt. additum) de quo mox. *ID.*

(g) Locus vitioſus qui ita in Cod. Iuſt. exhibetur, *ſi frumenta quæ pro annona tribuuntur. ID.*

(h) *γρ. Theodoſio.* vid. *Chronolog. ID.*

C O M M E N T A R I V S.

SECVNDA hæc *hoc titulo* Theodoſii Iun. conſtitutio eſt: quæ reƈtius coniecta fuiſſet in tit. proximum, *de annonis ciuicis.* Neque enim ad frumenti ipſius rationem pertinet, veluti ad emptionem eius tuitionemque, verum ad annonas ciuicas: vbi quæritur, an loco *annonæ* ſeu panis, qui populo dabatur, frumentum dari poſſet, vel deberet; *Annonæ* inquam, ſeu panis. Annona hic pro pane, vel eo quod Annonæ loco dabatur: Græci hic habent in plorali, *ἀντὶ τῶν ἀννώνων*: Neque enim quicquam intereſt, *Annonam*, an *Annonas* dicas: vt iam probaui ad *l. 1. ſupr. de erog. mil. ann.* neque minus de pane *Annona* dicitur, quam in plurali *Annonæ.* Apud *Hiſtoriæ Auguſtæ* Scriptores ſane, vbi panum numerus ſubducitur, *Annonæ binæ, ternæ*, dicuntur, id eſt panes duo, tres. In *Rubrica* quoque *de excoƈtione & translatione Annonarum*, Annonæ ſeu panes varii denotantur.

Sententia *huius leg.* hæc eſt. ANNONAS CIVICAS DOMIBVS æſtimatas, non in frumento populo præberi oportere, verum ipſos panes coƈtos: ſic quidem, vt integer canon frumentarius Mancipibus conſignari debeat; *Mancipibus*, id eſt Piſtoribus (vt probaui ad *l. 18. ſupr. de Piſtoribus:*) & probat quoque *lex prox. infr.* mox panis inde confeƈtus coƈtusque popolo exhiberi. Et rationem addit: ne alioquin frumentum populus diſperdat, alioſque in vſus eroget, atque ita rurſum panem emere cogatur. Quod quidem prouide a Theodoſio Iun. conſtitutum eſt, vt inopiæ intercederet familiarum; his Quibus hoc frumentum daretur, in alios vſus conuertentibus vel prodigentibus, non ſuo tantum, verum etiam totius familiæ damno; quare ſatius viſum, panem coƈtum dari. Adeo quidem, vt his qui *de Principis domo* eſſent, frumentum dari vetet: Quibus verbis, quoſnam Theodoſius Iun. hic intelligat? quæri videtur. Lucas de Penna ridicule colligebat, etiam Imperatores percepiſſe panem ex horreis publicis. Verum his verbis indicantur *Palatini*, qui de domo Principis erant: ac proinde Palatinam quoque annonam in pane coƈto præberi iubet: de quo vid. quæ dixi ad *l. 7. ſupr. de luſtrali collat.* Interim, præter id quod *hac leg.* definitur, de annonis ciuicis Vrbis Conſtantinopolitanæ, in pane coƈto dandis, varia *hac leg.* indicantur, notatu digniſſima: & tria quidem; 1. datas has Annonas domibus: 2. inſtitutas has a Conſtantino M. 3. auƈtas deinceps a Theodoſio M. Conſtantinus M. ſcilicet excitata Vrbe Conſtantinopolitana, replendæ illi, domibusque augendæ, tum popularibus, *l. 7. infr. de annonis ciuicis*: tum Palatinis *d. l. 7.* tum Militaribus viris quibuſdam, veluti ſcholæ Scutariorum & Clibanariorum, *l. 9. 10. infr. de annonis ciuicis*: domoſque in ea vrbe excitantibus annonas gratuitas dedit, vt ædificandi ſtudio magnitudinem vrbis augerent: quod teſtatur Theodoſius M. *l. 11. d. tit.* Qui idem Conſtantinus aliis quoque rationibus Vrbi Conſtantinopolitanæ ædificiis replendæ conſuluit, atque inter alia ea ratione, quæ continetur *Nouella* Theodoſii Iun. 12. de qua *ad tit. prox.* Quare panes hi ſeu *annonæ domibus exhiberi* dicuntur *hac leg.* itemque *panes ædium* ſeu *ædificiorum*; *l. 1. 5. infr. de annonis ciuicis*: vbi plenius dicam, & ad *l. 11. 12. 13. eodem tit.* Auƈtor igitur harum Annonarum fuit Conſtantinus M. vt præter *hanc leg.* clarum quoque ex *l. 9. 10. 12. de annonis ciuicis.* Quod etiam teſtatur Zoſimus, *lib. 2. cap. 32. διένειμε τῷ Βυζαντίων*

Ἴων δήμῳ σίτησιν δημοσίαν, ἣν ἄχρι τῶδε διέμενεν ἔχων, *plebi Byzantinæ publicam annonam distribuit, quam & hactenus illa semper habuit*, vt & Suidas, loco quem proferam ad *d. l. 7. infr. de annonis ciuicis.* Tempus etiam quo hæc Annona distribui cœpit, designat Auctor *Chronici Alexandrini pag. 666. 667. Edit. Rader.* nempe biennio post dedicationem Vrbis Constantinopol. id est, Anno Domini 332. *Pacatiano & Hilariano COSS.* ἐπὶ τέτων τῶν ὑπάτων ἤρξατο ἀναλίσκεσθαι τοῖς πολίταις Κωνσταντινεπόλεως ἄρτ@ ἀπὸ ιη Μαΐε, *his Coss. XIIX. Maii cœpit annona distribui ciuibus Constantinopolitanis.* Modum tandem seu quantitatem Annonarum ciuicarum a Constantino definitum aperit Socrates, *lib. 2 cap. 13.* Ἐζημίωσε τὴν πόλιν, ἀφελὼν τῆ σιτηρεσίε τῆ παρασχεθέντ@ παρὰ τῆ πατρὸς αὐτῆ ἡμερησίε, ὑπὲρ τέσσαρας μυριάδας. ὀκλὼ γὰρ ἐγγὺς μυριάδες ἐχορηγεῖτο πρότερον (ante Constantii in Constantinopolitanos iram) τῆ σίτε ἐκ τῆς Ἀλεξανδρέων κομιζομένε πόλεως. *Ciuitatem multauit, ex annona diurna, quam pater eius Constantinopolitanis donauerat, adimens plusquam quadraginta millia modiorum: antea enim octoginta fere millia modiorum frumenti ab vrbe Alexandria aduecti, ciuibus erogabantur.* Et Sozomenus *lib. 3. cap. 7.* ἀμφὶ δὲ τὸ ἥμισυ τῆ σίτε τὴν πόλιν ἀφείλετο, ὃν ὁ πατὴρ αὐτῆ Κωνσταντῖν@, ἑκάστε ἔτες ἐπὶ τῆ δημοσίε τοῖς πολίταις ἐδωρήσατο ἐκ τῶν Αἰγυπτίων φόρων, ὑπολαβὼν ἴσως ὑπὸ τρυφῆς καὶ ῥᾳστώνης τὰς πολλὰς ἀργῆντας, ἑτοίμως εἰς στάσεις εἶναι: *annona tamen illius, quam pater ipsius Constantinus quotannis de publico ex tributis Ægypti, ciuitati donauerat, dimidiam circiter partem ciuibus ademit: ratus fortasse multitudinem, vtpote otiis ac delitiis abundantem, ad seditiones proclinem esse.* Aiunt, octoginta mille modios frumenti annonas a Constantino M. in annonas ciuicas præstitutos. Iidem aiunt, a *Constantio* dimidia ferme parte imminutum hunc canonem, ob trucidatum Hermogenem Præfectum: id quod factum vel fine Anni D. 342. vel initio Anni D. 343. vt ex Socrate patet. Et tamen Constantium ædium annonas auxisse docet *lex 12. infr. de annonis ciuicis:* vbi plura. Theodosium M. tandem etiam eas auxisse non *hac* tantum *lex*, quæ nepotem ipsius Theodosium suo. Auctorem habet, docet: verum etiam Arcadii filii eius *lex 13. 14. infr. de annonis ciuicis:* vbi plura. Cum tamen si ipsius Theodosii M. *leges* spectemus, quæ ad Annum 393. procurrunt, id est antepenultimum vitæ suæ annum, ac nominatim *legem 9. 11. 12. infr. de annonis ciuicis*, alia omnia videantur, neque parum eas coarctasse, verum de en ad eas *leges*, ac nominatim, ad *d. l. 13.* & 14.

Vt ad *huius leg.* sententiam redeamus, Perperam ad *hanc leg.* trahit Petauius Themistii locum ex eius *orat. 4. pag. 113. Edit. Petau. Flexiæ 1613.* vbi Themistius agit de annonis, quas e publico accipiebat: δαπανῶ μὲν γὰρ πυρὰς. Ex quo loco notari vult, πυρὰς, hoc est frumentum e publico distributum ætate Themistii, cum alioquin panes erogare non frumentum legitimum esset: quod cum illis Themistii temporibus negligentius obseruaretur, postea Honorii ac Theodosii (solum Theodosium dicere debuit) decreto *hac leg.* reuocatum fuerit. Neque enim locus ille est de Annonis Ciuicis, seu de pane gradili; verum de Annonia Sophistarum & Professorum, qui sane non e gradibus annonam seu panem gradilem accipiebant, verum πυρὰς βασιλικὰς ἐκ τῶν σιτοφυλακίων δημοσίων, id est, *ex borreis fiscalibus*, vt *ibidem* expresse ait: de quo ad *tit. supr. de Professoribus & Medicis*, & quidem ad *eam ipsam l. 11.* quam Petauius 13. perperam allegat: cuius & modum mox exprimit *p. 113. Ed. cit.* ὅτι μοὶ ἐξὸν ἐ σίτε μόνον διακοσίες μεδίμνες, ἐδὲ ἐλαίε ἴσα κεράμια παρὰ βασιλέως καρπῆσθαι, ἀλλ᾽ &c. *quod cum non modo tritici ducentos medimnos, ac totidem olei amphoras ab Imperatore accipere liceat, verum* &c. vbi vides & oleum adiici: quod annonæ ciuicæ seu panis gradilis certe numero non fuit.

III. (a) Impp. Theod. & Valentinianus AA. Leontio P. V. (b)

Sescentarvm (c) vndecim auri librarum quantitas, ad coëmptionem (d) frumentariam sit perpetuo dedicata. Nec liceat cuiquam postea, administratione (e) Vrbicariæ potestatis percepta, aliquid ex memorata (f) summa minuere, vel ad quoscumque alios vsus conuertere: sed sub gestorum testificatione certum fiat, & quod Mancipibus (g) mutui nomine datum est, & quod ab hisdem sit, excepta (h) omni concussione, soluendum. Eum autem qui hanc formam ausus fuerit inquietare (i) quantitatem, in qua suam calliditatem exercuerit, in duplum redhibere iubemus: Et quidquid ex prædicta ratione adcreuerit, ad cumulum memoratæ (k) auri quantitatis, & frumentarii tituli fomitem, (l) redundare: Legisque huius tenorem æneis tabulis incidi. Dat. V. Kalend. Decemb. Constantinop. Ariobindo & Aspare Coss. (434.)

N O T Æ.

(a) *Lex 2. Cod. Iustin. eod. tit.* GOTHOF.

(b) Eidem inscribitur Anno proximo 435. *lex 66. infr. de hæreticis: lex 8. de Princip. agentium in rebus.* ID.

(c) *Auri statuta quantitas*, ita *Cod. Iust.* ID.

(d) Comparatio, vid. *l.* 1. ID.

(e) *Post administrationem vrbicariæ potestatis perceptam*, Cod. Iust. ID.

(f) *Eadem Summa*, Cod. Iust. ID.

(g) Id

(g) Id est, pistoribus *hac leg.* & *l. 2. prox. sup.* Itaque Græci hic recte 54. *Synops. tit. 25. cap. 2. pag. 464.* vert. ἀρτοκόποις. *ID.*

(h) Remota. *ID.*

(i) *Inquinare*, Cod. Iust. *ID.*

(k) *Eiusdem auri quantitatis*, Cod. Inst. *ID.*

(l) *Fomitis* vox eleganter hic posita: antea *cumulus*: neque mutandum id in *firmiter*, quæ vox legitur in Cod. Iust. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE Pecunia, ad COEMPTIONEM frumentariam publice in Vrbe Constantinopolitana dedicata, destinata, est hæc altera Theodosii Iunioris constitutio: in qua explicanda ea potissimum sectabimur quæ singularia habet, præter ea, quæ continentur priore *l.* puta *l. 1. supr.* Primo, MODVS huius pecuniæ *hac leg.* iam amplior dedicatur: illa, quingentarum librarum auri, hac vero sexcentarum vndecim librarum. Secundo VSVRPARI ex ea aliquid, vel in alios vsus conuerti eam a Præfecto Vrbis vetat, quod & ipsum vetitum *d. l. 1. supr.* Tertio, sub GESTORVM testificatione certum fieri iubet, quantum Mancipibus, id est, Pistoribus τοῖς ἀρτοκόποις mutui nomine datum sit, & quantum ab his soluendum sit. Vnde colligi videtur, mutatam hac parte primam formam, quæ initio huius rei instituta fuerat: Nempe tum videtur coëmptum fuisse frumentum publico nomine: mox venditum id priuatis: Atenim *hac leg.* indicatur, pecuniam mutuam datam Pistoribus ad coëmendam frumentum, qui mutui istius nomine incrementum aliquod arcæ isti frumentariæ soluere debebant: *incrementum*, inquam, sed moderatum, sed iustum, *sine vlla concussione*. Et ita quidem hunc locum accipio, non vt alii; quasi Pistores coëmpta frumenta conditis inferre deberent: aut quasi non hic proprie *mutuum* versaretur, sed promutuum, & in antecessum datum Pistoribus, qui eandem pecuniam redderent, vel frumentum & panes. Sane Græci vertunt εἰς πρόχρειαν συνωνῆς, *ad prorogationem coemtionis frumentaria*: verum & hoc ipsum volunt, nempe vsualem, & sic mutuam pecuniam prorogatam, datam in coëmptionem frumentariam, *promutuam*; εἰς πρόχρειαν datur P. 317 quid, duplici ratione, vel cum in antecessum pretii vel salarii alicuius conuenti, ex quo vtilitas reditura est ad dantem, quid præ manu prorogatur, vel cum ad aliquid faciendum pecunia ante datur mutua, & vsualis, vt in hac specie: cuius vtilitas non tum reditura est ad dantem: Quo ipso sane duplici sensu, *Promutuum* dicitur. Nam & Promutuum dicitur pecunia, quæ villicis mutua datur, cum incremento postea aliquo reddenda, *l. 40. §. 5. D. de statu liber.* vbi Græci pariter πρόχρειαν verterunt. Rursum promutua vectura accepta, *l. 15. §. 6. D. locati*: quæ ante vecturam in antecessum data, prorogata: vt apud Cæsarem *de bell. ciuil. 3. cap. 31. insequentis anni vectigal pro mutuo*, id est, *Par aduance*: sicut pecunia ad opus publicum in antecessum data, dicitur *ad exstructionem solito more decreta*, *l. 24. infr. de operibus publicis*: vel, vt habet Cod. Inst. *credita*. Tandem incunctanter in *l. 34. §. vltim. D. de legat. 3. in tempus pro mutuo acceptum debitumque*, est pecunia quocunque nomine quacunque ratione accepta, cuius nomine quis debitor redditur. Ad vltimum hic vere mutuam pecuniam verti claret, quod ea pecunia siue summa incrementum receperit, vt tum ex *hac leg.* tum ex *l. 1. supr.* constat. Quarto, POENA imponitur callide circa hanc pecuniam versanti, vsurpantique Præfecto Vrbis: nempe dupli pœna: quæ & ipsa *lege 1.* constituta fuerat. Quinto, INCREMENTA huic Pecuniæ & summæ adiici vult, vt ita ad cumulum & fomitem frumentariæ coëmptionis redundent: ait autem, *quicquid ex prædictarationе adcreuerit*: id est, tam ex incremento pecuniæ, quam ex pœna: *Adcrescendi*, & *Incrementi* vox de vsuris: vid. *Paratitl. de vsuris.* Tandem hanc legem *Æneis Tabulis* incidi iubet: Ita solitæ scilicet *leges*, quæ vrbium, quæ populi commoda & vtilitatem spectarent: vt præter *hanc leg.* docent hoc Codice *lex vnic. supr. de Iure Italico Vrbis Constantinop. lex 4. supr. de Suariis: lex 1. supr. de alim. qua inop. par.* Item quæ priuilegia certarum personarum continent: quod probat *lex 2. supr. quemadm. mun. ciuil lex 4. supr. de priuil. eorum qui in sacro Palatio*: vt ita contra priuilegia sua vexati, ad has æneas tabulas quasi ad præsentia remedia perfugiant: quod diserte ait *d. lex 4. supr. de priuil. eor. qui in S. P.* Porro *hac lex* lata a Theodosio Iun. hoc maxime tempore, quod frumenti penuria per hos annos fuisset Constantinopoli: velnti anta triennium, A. 431. vt refert Marcellinus *Chronico*.

DE ANNONIS CIVICIS ET PANE GRADILI. (*)

TITVLVS XVII.

Lib. XI. COD. IVST. Tit. XXIV.

De Annonis Ciuilibus, Ita habet *C. Iust.* (*) Vid. *l. 3. 4. 6. h. t.*

PARA-

PARATITLON.

Annonæ Ciuicæ, *Rubr.* & *l. 9. 10. 11. hoc tit.* seu annonæ publicæ, *l. 13. hoc tit.* & simpliciter Annonæ, *l. 7. 8. 12. 13. 14. hoc tit.* & *l. 2. supr. de frum. V. Constant.* Erant panis, *Rubr.* & *l. 1. 2. 3. 4. 6. 7.* panis coctus, *d. l. 2. supr. de frument. V. C.* aliaque, *d. l. 7. hoc tit.* (puta oleum, *l. vltim. hoc tit.* certis Ordinibus & Corporibus *d. l. vltim.*) quæ in Vrbe Roma, (quo pertinet *lex 2. 3. 4. 5. 6. hoc tit.*) Constantinopolitana, (quo spectat *lex. 1. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. hoc tit.* & *d. l. 2. supr. de frum. V. Constantinop.*) Populo, *l. 4. hoc tit.* Ciuibus Romanis, *l. 5. hoc tit.* (vnde Ciuicarum annonarum nomen,) popularibus *l. 5. 7. hoc tit.* vnde popularis annona *d. l. 7. hoc tit.* alimenta popularia, *l. 3. hoc tit.* caduca popularia, *l. 2. supr. de studiis liber. V. R.* commoda popularia, *l. 3. supr. tributa in ipsis spec.* commoda populi, *l. 8. supr. de Medicis & Professoribus:*) Item Palatinis, *l. 7. hoc tit.* (vnde Palatini annona, *d. l. 7. hoc tit.*) Item Militaribus viris seu militibus nonnullis in Vrbe Constantinop. *l. 7. 11. hoc tit.* puta scholis quibusdam, *l. 8. 9. 10. 11. 12. hoc tit.* scutariorum, & scutariorum Clibanariorum, *l. 9. hoc tit.* Item ædificantibus, tum in Vrbe Roma, quo pertinit *lex 5. hoc tit.* tum in Vrbe Constantinopolitana, quo spectat *lex 1. 11. 12. 13. hoc tit.* & *l. 2. 3. de frument. Vrb. Constant.* ideo vt ædificandi studio Magnitudo Vrbis augeretur: Idque fine pretio, *l. 5. hoc tit.* liberalitate Principum, *l. 9. 14. hoc tit.* (vnde annonarum emolumenta, *l. 10. 11. hoc tit.* commoda *d. l. 11. hoc tit.*) diurna, *l. 3. hoc tit.* erogabantur. De Popularis Annonæ modo vid. *leg. 5. hoc tit.* Idque cura Præfecti Vrbis, *l. 1. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. hoc tit. l. 2. supr. de condit. in publ. horr. l. 2. supra de frum. Vrb. Constant.* & Præfecti annonæ, *l. 2. 3. 6. hoc. tit.* pro extruendis domibus, *d. l. 11. hoc tit.* his qui domos haberent, *d. l. 11. 12. 13. hoc tit.* vnde Annona in pane cocto domibus præberi dicitur, *l. 2 supr. de frum. V. Constant.* ædium panes dicuntur, *l. 1. hoc tit.* ædificiorum panes, *l. 5. hoc tit.* qui ideo ædes sequebantur, vt retentis panibus ædes vendi non possent, *d. l. 1.* In hunc finem canonem quendam seu certam frumenti quantitatem Constantinus M. Constantinopoli destinauerat, quem Theodosius M. auxit: vid. *l. 13. 14.*
P. 334. *hoc tit.* & *l. 2. supr. de frum. V. Constant.* In id Tabula ærea seu titulus æneus erat, in quem modus panis & percipientis nomen incidebatur, *l. 5. hoc tit.* Erogabaturque seu ministrabatur, promebatur, panis nominatim popularis a pistoribus *l. 3. hoc tit.* non clam, *l. 4. hoc tit.* & de pistrino, *l. 3. hoc tit.* vel officinarum conditoriis, *d. l. 3. hoc tit.* verum palam, *l. 4. hoc tit.* de, seu in Gradibus; *l. 2. 3. 4. hoc tit.* (vnde *panis Gradilis* dictus, *Rubr.* & *l. 2. 3. 4. 6. hoc tit.*) Ita quidem vt nec transferri ab vno gradu in alium posset *l. 2.* & *l. 5. hoc tit.* neque frumentum pro eo daretur, *l. 2. supr. de frum. Vrbis Constantinopol.* In erogatione & hæc obseruabantur, vt nonnisi integro Canone frumentario Romam aduecto erogatio fieret: *l. 2. supr. de condit. in publ. horreis:* vt vetus frumentum prius erogaretur: *l. 1. supr. de publ. horreis:* Tandem si Annonæ vacantes essent, *l. 8. hoc tit.* si caducæ (vnde caduca popularia, *l. 2. supr. de studiis lib. V. R.*) si panes caduci, *l. 1. hoc tit.* id est, si quis eorum qui annonam percipiebat, vrbe abeundum sibi crederet, *l. 7. hoc tit.* si deficeret, mortemque obisset, *l. 8. hoc tit.* annonæ fisci viribus vindicabantur, *d. l. 1. hoc tit.* in horreorum conditis reseruabantur, *d. l. 7. hoc tit.* quæ postea petentibus aliis ex eodem ordine deferebantur, *d. l. 7. hoc tit.* & *l. 2. supr. de studiis lib. V. R.*

Ab Ædibus *separari an possint Annonæ Ciuicæ: & de* Caducis *Annonis.*

I. (a) Impp. Valentinianus & Valens AA. Iouio P. V. (b)

Quia conperimus, nonnullos venditis ædibus panes earum penes se retinere, nulli liceat, vt (c) ædes sequantur annonæ: Sane, si qui ex huiusmodi titulo (d) ca-

(d) caduci sint panes, fisci viribus vindicentur. Dat. VI. Kalend. April. Diuo Iouiano, & Varroniano Coss. (364.)

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iust.* GOTHOF.

(b) *Iouius* sub Valentiniano & Valente P. V. Constantinop. Eidem inscribitur hoc eodem Anno paucis post diebus a *lex 3. supr. de his quæ administr.* Cæterum primus hic P. V. Constantinopolitanæ *hoc Codice* occurrit, ex quo is institutus fine Anni 359. de quo ad *l. 16. supr. de Prætoribus.* ID.

(c) *Nulli id liceat, ut ædes sequantur annonæ.* ID.

(d) Nempe ædium Annonis. Varii scilicet tituli, varia genera fuerunt annonarum ciuicarum: quatuor scilicet, Ædium, Populares, Palatinæ, Scholarium seu militares. ID.

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI & VALANTIS septem constitutiones de Annonis Ciuicis primæ sese *hoc titulo* offerunt: nullæ, quod mirum satis, Constantini M. eiusque liberorum, nullæ Iuliani aut Iouiani. De Constantino M. sane, institutaque ab eo Constantinopoli Annona Ciuica, deque Constantio, actum iam plene ad *l. 2. supr. tit. prox. de frumento Vrbis Constantinopol.* de Constantino M. etiam agitur *l. 9. 10. 12. hoc tit.* de Constantio, *l. 12* Nns de *hac leg.* nostra videamus. Eius vero Valentinianum, an Valentem Auctorem dicamus? nil interest. Hoc quippe tempore Valentinianus, qui Nicææ in Bithynia paulo ante Imperator declaratus fuerat, puta Kalend. Martii, Constantinopoli constitutus Valentem fratrem Augustum creauit *V. Kal. April.* vt scribit Ammianus Marcellinus, *lib. 26. cap. 4.* vel *IV. Kalend. April.* vt habent Consularia *Idaciana*, & Auctor *Chronici Alexandrini pag. 698. 699. Edit. Rader.* trigesimo post inaugurationem suam die, vt Socrates scribit, *lib. 4. cap. 1.* Quare Valentiniano soli *hæc lex* tribuenda videatur, vt quæ vno die ante data sit, *VI. Kalend. April.* Sed cum ea Valentis quoque nomen præferat, dies forte subscriptus emendandus videatur, inuersis notis numeralibus ita *IV. Kalend. April.* Vtcunque sit, Valentiniano ea tutius tribuitur, vtpote penes quem omnis potestas tum erat. Ad rem.

Est hæc constitutio de ÆDIVM in Vrbe Constantinopolitana Annona: eaque duabus sententiis constans: & vtraque definitur, An & quando ab ædibus ipsis separari possint Annonæ Ciuicæ? Prima definitur, VENDITIS ædibus, panes earum, seu annonas, ædes sequi: & sic emptori ædium adquiri; neque posse venditorem in venditione ædium, eas sibi retinere seu recipere. Nempe vt annonæ hæ primum a Constantino M. institutæ tributæque fuerant, vt ædificandi studio magnitudo vrbis augeretur: vt loquitur *lex 11 infr. hoc tit.* vnde & panes ædium vocantur, *hac leg.* seu panes ædificiorum, *l. 5. hoc tit.* Annonaque domibus exhiberi dicitur, *l. 2. supr. de frumento Vrbis Constantinop.* ita & Annonam *ædes sequi*, iisque adhærere par fuit: siue quia commodum istud ædibus affectatum dedicatumque, siue vt hoc beneficio fartæ tectæ haberentur, neque permitti oportuit, vt eas venditor sibi reciperet, amisso earum dominio: Qui casus notandus est, quo commodum rei venditor sibi recipere & reseruare non potest: quomodo & viceuersa, onere sese grauare non potest. Sic enim fundum sine censu vel reliquis comparare emptor non potuit: de quo fuit peculiaris *supra* titulus, *lib. 11.* & ab hoc tamen iure postea recessum in *sequentibus* videbimus: sic annonas separatim vendere liceret. Ergo ex *huius leg.* dispositione in proposito casu, Annonæ ab ædibus separari non possunt. Fuerunt igitur hi panes, hæ Annonæ velut pars quædam ædium, *ædesque sequebantur*, vt hic dicitur; & sic immobiles intelligebantur: Quomodo & mancipia seu serui prædiis eo- P. 239 hærent, *l. 3. D. de diuers. temp. præscr.* vnde & Iulianus Antecessor ad *Nouell. 7.* Mancipia rustica veluti membra rerum immobilium sunt. Et ideo sine prædiis legari non poterant, *l. 112. de leg. 1.* Simili modo Annonæ ciuiles, certique reditus in prædiis constituti, Immobilium iure censentur, *l. 14. Cod. Iust. de sacros. Eccles.* sicut & panes ciuiles cum ædibus coniunguntur, *hac leg.* & *l. 12. Cod. Iust. de hæred. instit. l. vltim. §. 2. Cod. eod. de Iur. dot.* vid. & *l. 11. 12. & 13. infr.*

At secundo *huius leg.* capite, panes hi ab ædibus separantur, vbi videlicet CADVCI panes, seu Annonæ ædium Caducæ factæ sunt. Nempe etsi regulariter, & superiore quidem casu, Annona Ciuica ab ædibus diuelli non possit; attamen certis casibus Annonæ, seu panes ædium caduci fieri poterant (pariter vt populares, Palatini, & militares:) id est, in Fiscum cedebant, fisci viribus vindicabantur: vnde & Caduca popularia dicta *l. 2. supr. de studiis liber. V. R.* Caduci panes, *hac leg.* haud aliter atque Caduca legata, Caducæ institutiones, Caduca legionum dicuntur. Sed & Caducæ fiebant Mensæ oleariæ, quæ nullius possent adhærere dominio, *l. vn. infr. de mensis oleariis.* Alio sensu, *Caduca aqua* apud Frontinum *de aquaductibus art. 110. pag. 195. Edit. Poleni.* quæ scilicet ex lacu abundant, quæ effluunt vel affluunt. Eodem sane sensu quo hic, apud eundem *art. 109. pag. 194. Vacua aqua* dicuntur, vt vacantes *l. 8. infr.* Ergo & ædium annonæ quandoque Caducæ fiebant, seu in fiscum cadebant: quæ & *Vacantes* Annonæ dictæ, *d. l. 8. hoc tit.* Quod quidem eueniebat, si quis eorum qui Annonam percipiebat, Vrbe abeundum crederet, *d. l. 7. hoc tit.* si deficeret, mortemque obiret, *d. l. 8.* Adde & si ædes dirutæ vel consumptæ essent. His igitur casibus, ædium annonæ tum populares, caducæ fiebant, fiscique viribus vindicabantur, *hac leg.* seu in horreorum conditis reseruabantur, vt dicitur *d. l. 7.* pariter vt *leg. 1. Cod. Iust. de annona & tribut.* vacantes Officialium annonæ, σχολάζουσαι ἀννῶναι τῷ δημοσίῳ vindicantur. Aliud seruatum in Annonis Scholarium vacantibus: eæ quippe ipsis scholis cedebant diuidendæ *d. l. 8. hoc tit.* Ergo cum regulariter annonæ ciuicæ ab ædibus separari non possent; separabantur si caducæ essent. Quo pertinet nexus duorum *huius l.* capitum: & vox *SANE:* quæ non simplex affirmatiua, pro *profecto*; sed est nota Exceptionis a Regula, & casus contrarii.

De

De non Transferendo *pane gradili ab vno gradu in alium.*

II. (a) Idem AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

Panis gradilis in alium gradum translatio inhibetur, (c) Et cognoscat officium PF. Annonæ, (d) seuerissima sibi imminere supplicia, si vlterius translationem per gradus permiserit commutari. Dat. V. Id. Decembr. (e) Naissi, Diuo Iouiano, & Varroniano Coss. (364.)

N O T Æ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) *Mamertinus* PP. Italiæ, Illyrici, Africæ sub Valentiniano Sen. vid. *Prosopogr.* & Ammianum Marcellinum hoc ipso Anno *lib.* 26. *cap.* 5. Ex *hac* sane *leg.* & *l.* 4. *infr.* apparet, Romam quoque sub eius dispositione fuisse: quod idem Marcellinus testatur *lib.* 27. *cap* 7. ID.

(c) Seruari potest: quamquam imperandi modus, *inhibeatur*, legi magis conueniat, cuius est iubere. ID.

(d) Præfectus annonæ Vrbis Romæ: de eo vid. *Notit. Dignitat. nostram.* ID.

(e) Suspecta mihi hæc mensis subscriptio: *Naissi* enim, mense Decembri, non amplius erat Valentinianus: forte *V. Id. Iun.* vid. *Chronologiam.* ID.

COMMENTARIVS.

Translatio panie gradilis Romæ, eb vno gradu in alium gradum, prohibetur hac Valentiniani Seo. cooftitutiooe. Quod vt intelligatur, videndum est quidnam panis Gradilis sit, quidoam Gradus illi? *Gradilis* panis, præter *Rubricam*, quatuor insuper *huius tituli* Valentinianeis constitutionibus mentio fit, *hac leg.* & *l.* 3. 4. 6. Graduum vero *hac leg.* & *l.* 3. 4. 5. Prudentius quoque duobus locis horum graduum mentiooem facit, & panem gradilem indicauit, *Libro* 1. *adu. Symmachum*, *v.* 579. *cap. de Credulitate Plebis.*

Post hinc ad populum conuerte oculos, quota pars est,
Quæ Iouis infectam sanie non despuit aram?
Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus,
Quique terit silicem variis discursibus atram,
Et quem panis alit Gradibus dispensus ab altis:

Et *lib.* 2. *v.* 947. de annonæ abuodaotia loquens:

Quis venit esuriens magni ad spectacula Circi?
Quæ Regio Gradibus vacuis ieiuna dira
Sustinet? aut quæ Ianiculi mola mota quiescit?

Meminit huius Gradilis paois quoque vetus Scholiastes Iuuenalis, Prudentio non multum recentior, ad illud *Satyr. VII.* 174.

Summula ne pereat, qua vilis tessera venit
Frumenti ———————

Ne, inquit, *Annonam* perdat: *Summulæ* modum figo ficat *Gradilis panis.* Ita eoim locus ille legendus est, quod Cuiacius recte indicauit *XXVI. Obseruat.* 17. Et hactenus quidem leges & Auctores, qui Gradilis panis meminere, vel Graduum, in quibus panis dispensus, id est, dispensatus, vt etiam Iso Magister *in Gloss. ad Prudent.* interpretatur, erogatus. Et omnes quidem post Constaotinum. Graduum certe fit quoque mentio ante Constaotinum in veteri *Inscriptione*, quæ Nummium Albinum & Fuluium Æmilianum Consules subscriptos habet, apud Gruterum *CLXXV.* 8. quæque adeo ad annum Domini 208. referenda est.

TI CLAVDIVS
CHRESIMVS. OB. HON
QVINQVENNALITATIS
COLLEGIO. DENDROPHOR
ROMANOR. QVIBVS. EX
C C. COIRE. LICET. ARGEN
TI. P. X. ET. H. S. X. MILIA. N
REDDEDIT
QVAE. DIVISA. SVNT. POPVLO. PER. GRADVS
X. AVO. COLLEGI. N
NVMMIO. ALBINO. ET. FVL. AEMILIANO
COS.

Quare procliue dictu, iam panem Gradilem fuisse, qui gradibus consceosis, a gradibus dispeodebatur: quomodo & Gradile Templum Marcellino *lib.* 23. *cap.* 1. P. 2 ja Et quidem (quod Alterum) qui plebi pauperi dispeosabatur (vt ita *Gradilis* panis, omnino de populari aonona proprie accipiendus sit:) quod prior ille Prudeotii locus aperte osteodit, cum tertiam hanc plebeiæ paupertatis ootam designat, *pane Gradili* ali, ad quem etiam Iso ad vocem illam, *& quem*, addit *pauperem.* Idemque edocet *lex* 3. *prox. infr.* ibi, *Vt quæcunque illa sunt, quæ diurna pistores alimentis popularibus præbent, omnia ea gradibus distribuant.* Item *lex.* 4 ibi, *Ne quid super gradili pane fraudis oriretur, sanximus, omne illud quod Populo penditur, palam in gradibus non clam a pistoribus ministrari.* Rursum *l.* 5. ibi, *Popularibus enim, quibus non est aliunde solatium, quibus idem panis hodieque distrahitur, & eorum successoribus clementia nostra deputauit, in quo nunc emitur loco, propriis gradibus erogandum.* (Idque ipsum etiam ex *l.* 6. *infr.* colligitur, vt ad *eam leg.* ostendam.) Quibus interim locis obseruandum, *gradibus distribui*, seu *gradibus erogari* ἐλλειπτικῶς dici quod *in gradibus*, diserte dicitur *l.* 4. vel vt Symmachus expresse *a gradibus.* Ergo localiter, non quasi *gradibus distribui*, seu *gradibus erogari*, fit idem quod hominibus, qui sunt in gradu. Non igitur alii gradus popularium Romæ fuere, alii militarium: sed popularium tantum: nam qui *proprii gradus popularium* dicuotur *l.* 5. *infr.* non di-

 cuntur

cuntur opposite ad *militarium;* verum cuiusque loci & regionis in vrbe gradus alterios loci & regionis gradibus opponuntur: de quo postea vbi de sententia *huius leg.* videbimus.

Quinam autem hi gradus fuere? Non Amphitheatrales, verum distincti & separati in id, locoque publico. Rursum non Palatii, vt nonnulli opinati, verum per vrbem, vbi panis palam penderetur, distribueretur: Item non omnes in foro, sed per vrbis Regiones: Quo pertinet & Prudentii locus

Qua Regio Gradibus vacuis ieiunia dira
Sustinet?

Prudentius scilicet eo loco ostensurus abundantiam annonæ tum Romæ fuisse, ait, nullam non regionem vrbis, in Gradibus suis annonam sufficientem præbuisse: Nam quod tentat Vir doctissimus, in eodem foro singulorum regionum populares suos singulos gradus habuisse, atque ita hunc Prudentii locum accipit, id vel ipse satis Prudentius refutat, & omnium manifestissime *Vetus Vrbis Constantinopolitana descriptio*, vltra Arcadii & Honorii tempora conscripta sub Theodosio Iun. ibi quippe per singulas Vrbis Regiones Gradus certo numero designantur: nisi quod tertia Regione desiderentur: quos tamen decem ibi fuisse oportet: nam cum per cæteras tredecim regiones numerentur 107. in collectione vero totius ciuitatis numerentur 117. necesse est ibi decem fuisse. Huiusmodi vero Graduum nulla mentio fit in *tribus veteribus Vrbis Roma descriptionibus* Sexti Rufi, & P. Victoris, & Tertia, quæ præfixa *Notitia Imperii:* cum tamen Valentiniani leges omnes quæ *hoc titulo* agunt de pane gradili, deque gradibus, ad Vrbem Romam pertineant, puta *hac lex* & *lex 3. 4. 5. 6.* sed & Prudentii loca eodem spectent. Hos vero gradus editos fuisse discimus ex eodem Prudentio, *Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.* Pistrinis item, vnde panis coctus promebatur, hos gradus proximos fuisse, patet ex prædicta illa Vrbis Constantinopolitanæ descriptione: ibi enim semper iunctim memorantur *pistrina*, & *gradus*. Id ipsum vero colligere est quoque ex *l. 5. infr. hoc tit.* vbi popularis annona iubetur gratuita erogari propriis gradibus, in quo hactenus emebatur loco. Et hæc de Gradibus his publicis.

Ad horum vero publicorum graduum imitationem, fuisse videntur & priuati gradus instituti, in quibus priuati frumenta sua reconderent. Quo, non vt vulgo fit, ad publicos refero illud Cassiodori *IX. Var. 5.* vbi iubet priuatos habentes frumentum, id vendere: *vt siue in Gradu, siue in aliis locis frumentorum condita potuerint inuenire, tantum sibi vnusquisque dominus vel familia sua domus retineat, quantum se expendere posse cognoscit, reliquum periclitantibus vendat.* (Qui locus alioquin ad gradus publicos perperam refertur) Neque sina causa: fuere enim gradus, non nudi gradus, verum septa, loca ad quæ per gradus ascenderetur. Hinc adeo gradus hos Themistius, *Orat. 4. p. 113. in fin. Edit. Petau. Flexia 1613.* ἰκριάνας vocauit, vt iam indicatum *fine vindiciarum, pag. 75.* scilicet ἰκριάνη est *septum*, Φραγμὸς, vel tabulatum, pro quo & ὀρκάνη apud Hesychium: quod postea quoque recte probauit Doct. Salmasius ad Vopisci *Aurelian. cap. 35.* vbi tamen de Corippi loco non assentior: is enim de aliis gradibus & tabulatis sensit: in quibus populus missilia manibus extensis excipiebat, per gradus dispositus. Hi vero Gradus nostri alii fuere: nempe in horum edito seu tabulato erat annona seu panis repositus: positique ibi, qui eum distribuerent: singulis e populo, viritim, palam, per gradus ascendentibus atque in summo gradu annonam accipientibus: Quod veteres nummi exhibent. Ergo iam apparet, alio loco distributum hunc panem gradilem, quam quo olim nimbi missilium sparsi exceptiue: Hæc enim in vulgus spargebantur, atque a populo in gradibus Amphitheatralibus seu Theatralibus, vel in Circo, vel alibi extra ordinem constituto excipiebantur. Quo etiam pertinent Martialis loca duo *lib. 1.* de Sextiliano *epig. 12.* & *27.* quæ lucem accipiunt a Suetonio *in Caligula, cap. 26.* & *in Domitiano, cap. 4.* At panis gradilis non spargebatur, sed dispendebatur, erogabatur de manu in manum in edito Graduum, viritim, neque in Circo, quod Vir doctissimus alioquin probabat ex Ammiani Marcellini loco *lib. 28. cap. 4.* prout ipse quidem eum restituebat; locus est de otiosæ plebis studio Romæ: *Hi omne quod viuunt vino & tesseris impendunt, & lustris, & voluptatibus, & spectaculis: Eisque templum, & habitaculum, & concio, & spes omnis, Circus est Maximus.* Vbi Vir doctissimus Salmasius *in not. ad Vopisci Aurelian c. 48.* post *concio*, inserit, *& copia eorum:* & per *copiam* ibi accipit annonam in Circo Maximo distribui solitam: quod & olim improbaui, & recte nuper Vir Doctus Valesius ad *Marcellin. l. c.* improbauit. Certe cum locus in MS. ita habeat, *& copitorum spes omnes:* procliuis ibi restitutio, *& cupitorum spes omnis est Circus Maximus.* Nempe id vnum cupere ait hanc otiosam plebem, spes omnes eius esse Circum Maximum, seu ludos Circenses; iuxta vetus illud Iuuenalis *Satyr. X. 80.*

.......duas tantum res anxius OPTAT
Panem & Circenses.

Denique Circum Maximum huic plebi desidi esse, quod viris ἐμπράκτοις, Templum, Habitaculum, seu domus cuiusque, & Concio seu Forum. Tandem hinc apparet, panem seu annonam non de plano in foro diuisum distributumque populo per gradus, vt voluit Vir Doctiss. per turmas & ordines distincto, qui loca ibi designata habuerit. Nam etsi in foro id factum fateremur, quod tamen male colligitur ex *l. 5. in fin.* vbi dicam plura, non ideo tamen illa ratione modoque. Cæterum, vt in huius diribitionis forma pergam, ne quis e populo supponeretur, vt loquitur Vlpianus in *l. 52 § 11. D. de furtis*, id est, vt Iuuenalis *Satyra I. v. 98.* loquitur, ne suppositus veniret ac falso nomine posceret, vel etiam bis posceret, quemadmodum olim tesseræ frumentariæ fuere, ita & hoc æuo scalmum ligni, καλάμιον, populares secum tulere. Themistii locus iam in id insignis *Oratione 4. pag. 113. Edit. Petau. in 8.* καὶ πάντες ὅσοι, inquit, καλαμηφοροῦσιν ὄρθριοι ἐπὶ τὰς ἰκριάνας, *& omnes, qui matutini tesseras ad septa deferunt:* Quem locum primus ipse indicaui, simul & ab Interpretis mendo vindicaui. Καλαμηφορεῖν ἐπὶ τὰς ἰκριάνας, est tesseram, scalmum deferre ad gradus, seu septa. Κάλαμος & Καλάμιον, tesseram designat. Glossæ Philoxeni. *Tessera*, κάλαμος. Auctor *Chronici Alexandrini pag. 614. 615. Ed. Rader.* Commodo A. III. & Vero Coss. Ἐν Ἀντιοχείᾳ Ἀρτάβανος φιλοτίμως ἐξέρριψεν ἐν τῇ καλουμένῃ Δάφνῃ τοῖς δήμοις καλάμια συνήθεια πολλὰ ἄρτων διαμενόντων, καὶ ἐκάλεσεν αὐτοὺς ἄρτους πολιτικούς. *Antiochia Artabanus magnifice in Daphnensium suburbio diuisit tesseras ligneas multas, panum perpetuo durantium, vocauitque ipsos panes politicos.* Codinus, *in Orig. Eccl. num. 15.* & Suidas in *v.* Παλατῖνοι de instituta a Constantino M. annona ciuica Constantinopoli: τῶν ὑπ' αὐτοῦ ῥιφέντων καλάμων P.241

μον Φέροντα τὰ γνωρίσματα, tesserarum ab ipso sparsarum fereus signa. Ne vero huius Themistiani loci vindicati gratiam oobis redderet Ioterpres, qui manifestissimum iam habet sensum, etsi vero victus, maluit tamen adhuc coniecturæ seu diuinationi litare, quasi ibi θυλακοφορῶσιν vel καταφορῶσι rescribendum sit. Hoc vero non est luci claro decoquere & versuram facere? De hac vero voce plura deinceps Salmasius, *in Vopisc. Aurelian. c. 35.* Easdem tesseras idem Themistius *ead. orat. 4. pag. 114.* vocat δέλτους σφυρηλάτους: quod de Codicillis honorum perperam accepit Interpres: velim enim dicar ia mihi, oum Codicilli honorum malleo ducti σφυρηλάτοι fuerint? Et tamen quia deprehendit, ausus est idem nuperis chartis *in Epiphann har. 30. Ebionitar. pag. 58. Edit. Paris. & Colon.* impudentiam exprobrare, qua manifestissime tenetur. Nam quidquid tandem pertentet, μακρὸς ille κατάλογος τῆς τρυφῆς καὶ τῆς εὐπαθείας, quem præbitum ait, iest liberalitas omnis generis non tantum olei aut frumenti, verum & cæterarum rerum, capiti videlicet vestisque, &c. quæ non quiuia e populo seu popularibus accipiebant, verum quibus Princeps maxime factum cupeiet. Et hoc sensu apertissime populares καλάμους ab his secernit. Sicut etiam δέλτοι ἃς ἐποίησαν ἐλεφαντουργοὶ ἢ χρυσοχόοι, *tabellæ, quas eboris aut auri artifices fecerunt*, quas idem Themistius memorat *Orat. 6. pag. 164. Edit. cit.* non sunt honorum codicilli, verum quæcunque tandem pretiosæ tabulæ, diptycha eborea, aurea: de quibus ad *l. 1. infr. de expensis ludorum.* Et supinus est eiusdem Interpretis error, qui πολυαρχίαν, quam ibi Themistius memorat, de Præfectura vrbis accipit: & vero πολιαρχίαν ibi substituit: πολυαρχία enim ibi nil aliud est, quam thronus Sophisticus, & regnum Sophisticum, quo certatim omnes ad audiendum confluebant. Ad rem. Harum tesserarum locum non subiit *nimlus aneus*, qui publice excoctus, eo fine, de quo ad *l. 5. infr. hoc tit.* at tessera seu κάλαμος a popularibus ipsis ad gradus allatus.

Iam de *huius leg.* sententia statuitur, vt ne de vno gradu in alium gradum panis gradilis transferatur seu commutetur: sed vt in propriis gradibus annona erogetur, vt dicitur *d. l. 5.* grauissima pœna proposita Præfecto annonæ, quem cura aononæ huius gradilis, inter cætera annonæ respiciebat; vt præter *hanc leg.* docet quoqua *lex 3. & 6. infr.* si hanc translationem vel commutationem per gradus fieri permiserit. Nempe id vult, vt ne quod io vno Gtadu populari alicui præstari debet, in alio præstetur. Sic sane & annonarum ratiocinia confuodi veritum *l. vnic. infr. de patronis horreorum Portuensium*: sic & stationes confundi, *l. 1. Cod. Iust. de compensationibus.* Cuiuscunque scilicet ratiocinii, stationis, gradus, discreta, separata & incommixta ratio esse debet. Sic & Pistores ab vna officina ad aliam transire prohibiti, *l. 8. supr. de Pistoribus*: Sic & caduci panes ab vno Ordine, ad alium transferri: *l. 7. 8. infr. hoc tit.* Quare error est Viri doctissimi, qui putat, *hac leg.* id vetari, oe quis militaris in popularium gradibus panem accipiat, aut contra, & sic ne graduum permutationes hoc sensu fiant. Nam, præterquam quod iam *supra* ostensum est, popularium tantum *gradus* fuisse, oullos *militarium*; non hic de alia commutatione agitur, quam de locali & regionaria; puta, cum quis in vno gradu vel in vna Regiune vrbis gradilem panem accipere debet, ad alium gradum vel eiusdem regionis, vel alterius etiam, se transferri vult: veluti a Gradu Regionis primæ, ad alium gradum, forte secundæ Regionis: vel a primo eiusdem regionis gradu, ad secundum. Neque quicquam iuuatur *d. l. 7. infr.* quia ibi oon agitur de graduum commutatione, verum de substitutione vnius, qui ex altero Ordine est, io alterum Ordinem. Nempe caducum, vt dixi panem popularem non alii quam populari, militarem non alii quam militari, Palatinum, non alii quam Palatino dari vult ea *lex*: ne diuersorum alioquin *Ordinum* misceatur ratio, vt ait *d. lex 7.* At *huius leg.* hæc ratio est, ne diuersorum *Graduum* misceatur ratio. Atque ita tandem *hac lex* accipienda est, & ab aliis & alienis interpretationibus vindicanda.

De PANE GRADILI *accipiendo seu distribuendo de Gradibus, non de Pistrino.*

III. (a) Idem AA. ad Maximum (b) PF. Annonæ.

VNIVERSI (c) panem gradilem de gradibus adipiscantur: Neque cuiquam hæc aut deferatur gratia, aut inponatur iniuria, vt de pistrino accipiat. Omni igitur studio hoc curabit Officium Sinceritatis Tuæ, vt quæcunque (d) illa sunt, quæ diurna pistores alimentis Popularibus præbent, omnia ea gradibus (e) distribuant, non ex officinarum conductoribus (f) promant. PP. die (g) Non. April. Valentiniano & Valente AA. (h) Coss.

NOTÆ.

Pag2 (a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Iungenda vero huic *lex prox. 4.* GOTHOF.

(b) *γρ. hic, & l. 6. infr. Maximinum.* Hic enim est *Maximinus* Præf. annonæ, de quo tam multa Ammianus Marcellinus *lib. 24. cap. 9.* Hieronymus *Chronico Ann. 371.* Rufinus *lib. 11. cap. 10.* apud quos duos *Maximus* quoque vocatur. *ID.*

(c) Populares, *in fine leg.* *ID.*

(d) Non vnius scilicet generis panis videtur distributus: Ita *l. prox. anno illud quod populo penditur.* *ID.*

P.242 (e) De gradibus vt *initio leg.* cui oppositum, de pistrino. Non igitur gradibus hic dicitur pro hominibus, qui in gradibus, ἑλλικτικῶς. *ID.*

(f) γρ. *conditoriis*, id est, loco condito, recondito: denique clam: vt *prox. lege* dicitur: nam vt hic *de gradibus distribui*: & *ex officinarum conditoriis distribui*, opponuntur; ita *illa leg. palam in gradibus pendi*, & *clam a pistoribus ministrari*: de quo mox plura. Forte etiam legendum *conductis foribus*. *ID.*

(g) PP. Pridie, *l. prox.* 4. *ID.*

(h) Referenda *hæc lex*, & *sequens*, videatur ad Ann. 368. *Valentiniano & Valente* II. *COSS.* de quo mox. *ID.*

IV. (a) Idem AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

NE quid super gradili pane fraudis orirctur, iussimus, omne illud quod populo penditur, palam in gradibus, non clam a pistoribus ministrari. PP. Prid. (c) Non. April. Valentiniano & Valente AA. (d) Coss.

NOTÆ.

(a) Iungenda *huic* est *lex superior.* 3. *GOTHOF.*

(b) *Mamertinus* PP. Italiæ, dixi iam ad *l.* 2. *ID.*

(c) *PP. die Non.* Ita *d. l.* 3. *supr.* *ID.*

(d) Ad quem annum *hæc lex* referenda sit? mox [illegible]am. *ID.*

COMMENTARIVS.

QVO LOCO Popularis annona, seu gradilis panis, in Vrbe Roma distribui debeat, definitur in his duabus Valentiniani Senioris constitutionibus, quæ eodem tempore, fineque ad duos diuersos Magistratus datæ sunt: vna ad Præfectum Prætorio Italiæ, altera ad Præfectum annonæ: quod sæpe factum multa exempla *hoc Codice* edocent: ac proinde hæ inter se coniungendæ. Igitur panem gradilem palam, de gradibus distribui, ministrari iubet: non de pistrino, non clam, non ex officinarum conditoriis: (ita enim repono:) *Conditoria* sunt ὑπόγαια, vel ὑπογαίδια, seu loca depressa subterranea (quæ *conditiua* Senecæ *epist.* 60. *in fin.* & *epist.* 82. *init.*) cuiusmodi sepulchra fuere, quorum apud Petronium mentio *cap.* 71, *pag.* 53. *Edit. Wouwer. Matrona non contenta funus prosequi, in conditorium etiam prosecuta est defunctum, positumque in hypogæo Græco more, corpus custodire cœpit.* In huiusmodi conditoria tanquam in cellas quasdam, per gradus aliquot descendebatur. Quare etiam recte pistrina, officinarum conditoria dicuntur: erant enim officinæ pistoriæ depressæ κατὰ βάθους τὴν θέσιν ἔχοντες, quod diserte testatur Socrates, *lib.* 5. *Histor. Eccl. cap.* 18. Ἦσαν ἐξ ἀρχαίου κατὰ τὴν μεγίστην Ῥώμην οἶκοι παμμεγέθεις, ἐν οἷς ὁ τῇ πόλει χορηγούμενος ἄρτος ἐγίνετο: οἵτε προϊστάμενοι τούτων, οἳ μάγκιπες τῇ Ῥωμαίων γλώσσῃ καλοῦνται: προϊόντος τοῦ χρόνου, λῃστήρια τοὺς οἴκους πεποίηνται, ὡς γὰρ ἦσαν οἱ τῶν οἴκων μυλῶνες κατὰ βάθους τὴν θέσιν ἔχοντες, κατὰ τὸ πλευρὸν ἑκάστου οἰκήματος καπηλεῖα κατασκευάσαντες, πορνάς τε ἐν αὐτοῖς προστησάμενοι, δι' αὐτῶν ἐλοχῶντο πολλούς. τοὺς μὲν τῇ χρείᾳ τῆς τροφῆς εἰσιόντας, τοὺς δὲ καὶ δι' ἀκρασίαν αἰσχρᾶς ἡδονῆς· ἐκ γὰρ τινος μηχανῆς, ἐκ τοῦ καπηλείου εἰς τὸν μυλῶνα ἐνέπιπτον. *Erant in vrbe Roma ædes amplissimæ a pristis temporibus ædificatæ, in quibus panis fiebat, qui ciuibus diuidebatur. Harum ædium præpositi, quos Romani patrio sermone Mancipes vocant, ædes illas progressu temporis furum receptacula effecerunt. Nam cum pistrina ædium illarum in profundo sita essent, ipsi ad latus singularum ædium extructis popinis, scorta in illis prostituentes, hac arte multos insidiose deceperunt, qui vel cibi capiendi, vel explendæ libidinis caussa eo accesserant. Ex caupona enim artificio cuiusdam machinæ delabebantur in pistrinum.* Gradibus itaque in hæc descendebatur, fraudibusque apta loca seu conditoria erant. Quare ad annonam ciuicam percipiendam clam, gradus hos descendi vetat Valentinianus, verum grados publicos *palam* conscendi, *ne quid*, inquit, *l.* 4. *super gradili pane fraudis oriretur:* Igitur & hanc pistori gratiam deferri vetat, vt scilicet possit is panem in pistrino suo distribuere: & nulli e populo hanc iniuriam inferri, vt inde cogatur accipere, ne alioquin fraudem patiatur. Denique ea de gradibus distribui iubet.

Interea illud ex *l.* 3. ibi, *quæ diurna*, &c. colligunt nonnulli, hoc tempore Annonam ciuicam quotidie distributam, vt docet etiam Vopiscus *Aureliano cap.* 35. Themistius *Orat.* 4. *pag.* 113. *Edit. Petau.* 1613. *in* 8. vnde & Codinus ἄρτους ἡμερησίους appellat: & sic diaria iam fuisse: cum antea tesseræ frumentariæ menstruæ essent, teste Halicarnass. *lib.* 4. *cap.* 28. & Suetonio *in Augusto c.* 40.

Nunc de temporis characterismo his duabus constitutionibus subscripto. Primo quidem *Propositas* eas notandum est, vel *Prid. Non.* vel *Non. April.* cui accedere videatur Suidæ obseruatio voc. Νόνναι, qui ἀνὰ τὰς νόννας, *Annonas* dictas scribit, ridicula inde vocis originatione. Quod subscriptos Consules attinet, dubitari possit, num ad *Valentinianum & Valentem AA.* id est, primum consules, quod præferunt, referri debeant, id est, ad Annum Domini 365. an vero ad *Valentinianum & Valentem II. COSS.* id est, Annum Domini 368. Quod postremum videatur: quandoquidem *Maximinus Præfectus annonæ*, cui *lex* 3. inscribitur, adhuc Anno 366. Consularis Tusciæ erat, sed & Olybrius, in cuius Præfecturam Vrbanam hæc Maximini annonæ Præfectura incidit,

dit, vt ex *Marcellino lib. 28. cap. 1.* discimus, nonnisi ab Anno Domini 368. Præfectus Vrbi fuit: de quo vid. *Prosopograph.* Verum nil temere mutem: *Maximinus* enim eodem tempore & Consularis Tusciæ, & Præfectus annonæ fuit, teste Marcellino *lib. 28. cap. 1.* Et Præfectura eius annonæ in multos annos sese extendit. Denique Mamertinus PP. cui inscribitur *lex 4.* Anno 368. Præfectus Prætorio amplius non fuit, verum Probus.

R241

De MODO *ciuicæ annonæ popularis in Vrbe Roma, Valentiniani Sen. constitutio.*

V. (a) Idem AA. (b) ad Populum. (c)

CIVES (d) Romanos, qui in viginti panibus sordidis (qui nunc (e) dicuntur *Ardiniensis*) (f) quinquaginta vncias comparabat, triginta & sex vncias in bucellis sex mundis sine pretio consequatur: Ita vt ius in his nullus habeat Officialis, nullus Seruus, nemo qui ædificiorum percipiat panem: Quorum si quis se aliqua ratione fortasse inmerserit, adquisito pane priuabitur, proprium (g) nihilo minus perditurus: aut dabit pro conditione (h) supplicium: eo qui commissam detulit (i) fraudem, & emptoris panes & venditoris habituro: Popularibus enim, quibus non est aliunde solatium, quibus idem (k) panis hodieque distrahitur, & eorum successoribus, Clementia Nostra deputabit, (l) in quo nunc emitur loco (m) propriis Gradibus erogandum. Quibus titulus figendus est æneus, in quem & panis modus, & percipientis nomen debebit incidi. Et si ad tantum (n) alicuius temeritas eruperit, vt aut per se, aut per aliquem suorum sibi quolibet modo ius panis istius, adque æreæ tabulæ suum voluerit nomen inserere, supradictis condicionibus (o) subiscebit. PP. Romæ, (p) Kalend. Aug. Valentin. NB. P. & Victore Coss. (369.)

N O T Æ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustinianeo.* GOTHOF.

(b) *Gratiani* nomen *huius leg.* inscriptioni, vt & *legibus duobus sequentibus*, addendum: iam enim adscitus mense Augusto Anni 367. *ID.*

(c) Vrbis Romæ: vt docet subscriptio *legis.* *ID.*

(d) 5p. *Ciuis Romanus.* *ID.*

(e) Ergo recenti instituto. *ID.*

(f) pro *Ardinienses*, vel potius *Sardienses*: de quibus panibus, mox. *ID.*

(g) Hoc proprie referendum ad eum, qui ædificiorum panem percipit. *ID.*

(h) Officialis scilicet aut seruus. *ID.*

(i) pro, *detulerit.* *ID.*

(k) Ardiniensis seu sordidus. *ID.*

(l) Pro *deputauit.* *ID.*

(m) Pistrinis. *ID.*

(n) *Ad tantum*, pro *in tantum.* *ID.*

(o) *Condemnationibus.* *ID.*

(p) Veterem Romam intelligit. *ID.*

COMMENTARIVS.

POPVLARIS annonæ in Vrbe Roma, quæ proprie *annona ciuica*, ciuibus Romanis, quibus aliunde solatium non esset, distribuendæ, nouum MODVM hoc Edicto ad populum emisso anno Domini 369. constituit Valentinianus Senior: Nempe ad hoc vsque tempus popularibus inopibus viginti panes sordidi singuli duarum vnciarum semis, & sic quinquaginta vnciæ vendebantur, proculdubio pretio viliore (in quo consistebat beneficii istius & popularis annonæ Romæ ratio.) Et fraus tamen huic rei facta: nam & alii quam vel Ciues Romani, vel pauperes sese huic emptioni ingesserant, impetrarantque, vti sibi quoque eodem pretio panes illi sordidi venderentur: puta 1. *Officiales*, id est, Iudicum Apparitores, quibus sane aliunde annona affatim suppetebat: 2. *Serui* etiam a nonnullis dominis intrudebantur: 3. Tandem iis ipsis quoque, qui panem iam Ædificiorum percipiebant, id est, ii quibus propter ædes excitatas de publico annonæ dabantur: (de quibus ædium annonis iam dictum plena ad *l. 1. supr.*) has ipsas quoque annonas percipere fraude datum fuerat. Verum Valentinia-

tinianus Sen. hoc Edicto suo quod duobus capitibus constat; Primum alium seu nonum *Modum annonæ illius popularis erogandæ* constituit: scilicet cum hactenus his viliore pretio panes 20. sordidi, qui hoc tempore dicebantur *Ardinienses*:) 50. vnciarum, venderentur, deinceps his gratuitas omnino annonas tribui vult, nempe buccellas sex mundas triginta sex vnicas pendentes: singulas proinde buccellas mundas sex vnciarum. In quo multa notanda veniunt. Primum, panum duas species hic notari, atque inter sese opponi: panes inquam sordidos, & buccellas mundas. *Sordidus panis* est, non mundus, qui tamen ipse ἐκ τῶν πρός τι est: alius enim præ alio sordidus, vel sordidior. Plinius in genere *lib. 19. cap. 4. Alio*, inquit, *pane procerum, alio vulgi, tot generibus vsque ad infimam plebem descendente annona.* Panis sordidi meminit & Suetonius, *Nerone cap. 48. in fin. Panem sordidum oblatum aspernatus est*: vid. & Apuleium *lib. 6 p. 110. Edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire.* & Plautum *Asinar. Act. I. Scen. 2. v. 16.* Acerosus panis Lucilio *lib. 25.* apud Nonium, *in Acerosum, cap. 5. num 97.* qui farre minus purgato, nec sordibus a candido separatus. Græcis hi αὐτόπυροι, αὐτοπυρῖται, συγκομιστικοὶ, πιτυρίαι, ῥυπαροὶ, Φαιοὶ, *Panis secundus*. Horatio *lib. 2. epist. 1. v. 123. viuit siliquis & pane secundo*: vbi Schol. *pane secundo non siligineo, non primo, non postremo, sed dispensatorio.* Inter deterrimos panes est, qui in Martyrologiis *Cantabri* nomine designatur, nempe furfuraceus: furfur enim cantabrum Apicio *l. 7. c. 1. & 7.* Aureliano, *de acutis morbis l. 2. c. 19.* Vegetio, *de re veterinaria lib 3. c. 57.* Panis denique caninus vt docet vetus Scholiast Iuuenalis *in Satyram 5. v. 11* furfuribus conspersus panis apud Phædrum *lib. 4. fab. 17. v. 4.* De pane sordido de quo *hac leg.* sentit omnino Glossator ad Persium *Satyr. 3. v. 112.*
244 *populi cribro decussa farina: fordidam*, inquit, *panem non deliciosum cribro discussum, sed plebeium de POPVLI ANNONA, id est fiscalem, dicit*: de quo etiam loco plenius ad *l. vnic. infr. de pretio panis Ostiensis.* Hoc in censu sordidorum panum fuit olim *panis Cumanus*, Lucilius *lib. 23. pag. 1500. Tom. II. Corpor. Poëtar. Edit. London.*

Qui Gallam bibere ac rugas conducere ventri,

Farre aceroso, oleo decumano, PANE CVMANO

Cogit.

Item panes Cilicii ῥυπαροὶ fuere, de quibus Athenæus, Eustathius. Tandem de variis panum generibus videndus Athenæus, *lib. 3. cap. 27. 28. 29.* Et Galenus, qui *libr. 1. περὶ τροφῶν δυνάμεως, p. 707.* quatuor has qualitates panis distinguit: primus est σιλιγνίτης, ex tritici siligine: secundus σεμιδαλίτης, ex simila: tertius συγκομιστικὸς, qui & αὐτοπυρίτης, cui nil ademptum, nec furfur a farina secretum: quartus ῥυπαρὸς, quorum infimus ὁ πιτυρίας. Cui similia vid. apud Paulum Æginetam *lib. 1. cap. 78.* & ante hos, Celsus *lib. 2. cap. 17. Firmius est triticum, quam milium, id ipsum quam hordeum; & ex tritico firmissima silig o: deinde simila. Deinde cui nihil adeptum est, quod αὐτόπυρον Græci vocant: infirmior est ex polline: infirmissimus cibarius panis.*

At nuspiam præterea (quod secundum) *Ardiniensis* panis fit mentio, cuius etiam meminisse Athenæus non potuit, vtpote tum incogniti, cuiusque recens hoc Valentiniani æuo appellatio fuisse videtur: an enim is *hac leg.* qui NVNC dicuntur *Ardinienses*: quod recentis vtique instituti indicium est. At vnde *Ardiniensis*? Teotabam ipse aliquando & Mainardus in *Codice ad me transmisso*, *Sardiniensis*, quasi ex Sardiniæ frumento, Notum, Siciliam & Sardiniam annonæ pignora Vrbi Romæ fuisse, benignissimas eius nutrices, fiscalia horrea, vitales venas, denique nullas magis terras Romana horrea complesse, quod ex Lucano *lib. 3. v. 66.* Floro *lib. 4. cap. 2.* Valerio Maximo *lib. 7. cap. 6. num. 1.* Saluiano *lib. 6. de gubernat. Dei cap. 12.* iam alii recte ostenderunt. Quinimo & hac ipsa tempestate Prudentius, *lib. 2. contra Symmachum v. 941.* Romana horrea rumpi congestis Sardiniæ granariis ait. Eodem pertinet Symmachi *epistola 39. lib. 9.* quæ data videtur Anno 398. *Benignus*, inquit, *V. C. rei frumentaria negotium exsecutus: Nihil de Sardinia reportauit, nisi bonam conscientiam, & malam valetudinem: horreis autem tantum frugis inuexit, quantum illi Prouincia anni fortuna contulerat.* Verum, quomodo Sardiniensis dictus fuerit panis sordidus, cum Sardinia insula optimi frumenti ferax fuerit? Strabo *lib. 5. pag. 343. Edit. Almeloveen.* de Sardinia, χώραν ἔχον εὐδαίμονα τοῖς πᾶσι, σίτῳ δὲ καὶ διαφερόντως, *solum habens omnium rerum copia, excellenter autem frumentis beatum.* Et quis credat ex optimo illo frumento nonnisi sordidos panes confectos? An igitur *Ardyniensis*, ab Ardynio ciuitate in campo Thebano, & sic Lydiæ, cuius ciuitatis meminit Xanthus Lydius ipse *Lydiacorum secundo* apud Stephanum *voc.* Ἀρδύνιον. Video certe *Lydios pistores* maxime commendari ab Archestrato apud Athenæum, *lib. 3. c. 28. pag. 112.* de quorum Lydorum delitiis multa Veteres, & in primis Athenæus *lib. 12. c. 3.* vnde & Λυδοπαθὴς pro Ἡδυπαθὴς de quo vide Casaubon. *Animadu. ad Athenæum lib. 15. c. 12.* Forte igitur a Lydiis soli Ardynienses ab his Lydorum delitiis diuersi fuerint, a quibus Ardinienses panes sordidi dici meruerint? Quid si *Ardanienses* hic legamus, qui alias *caccabacei* apud Zenonem Veronensem *Serm. 6. ad Neophytos, pag. 396. Tom. III. Bibl. Patr.* Ἀρδάνιον enim κεράμιον? Samuel Petitus, *comment. in leges Atticas l 4. tit. vltim. p. 385. 386.* loco *Ardiniensis*, substituebat hic *ordei, mensis*, id est, *miliarensi & semis*: quasi id hic indicetur, viginti panes hordeacens sordidos, quibus nihil ademptum erat, non cribro decussos, in quinquaginta vnciis miliarensi & dimidio emptos. Verum & hæc emendatio ei postea displicuit *II. Obseru. 11.* Et certe, quis *hordeum*, pro hordeaceo pane dixit? Deinde quis Auctor illi hordeaceos panes datos & venundatos e fisco? Tertio, quis hordeaceos panes dixit, qui ex hordeo confecti, cui nihil ademptum est, quodque cribro decussum non est? Postremo inane, imo falsum, quod *hac leg.* id ab Imper. constitui vult, vt deinceps dentur gratuiti panes *hordeacii mundi*. Quare idem nouam tentauit horum Ardiniensium panum interpretationem. Nempe *Ardinienses* hic vocari non ab *Imp.* sed ab *Aniano*, qui hunc *Codicem* compilauit, a voce *Ardi* Gothica, qua apud Tholosates hodienum quadrions, seu quarta pars assis dicitur: & Ardinienses dixisse, quia singuli venibant singulis *Ardinis* siue quadrantibus, quod certe iustum admodum erat pretium horum panum, singulis (nam in 20. panibus computabant vncias quinquaginta) erant quinque semunciæ: remque schematismo ibi arithmetico illustrat. Ego Lectori iudicandum relinquo quid de hac interpretatione sentiendum sit. Illud certe quod de Aniano addit, absurdum est: neque enim hæc lex in *Codice Theodosiano*, vt vocant, *Amaneo*, extat. Nos duas coniecturas adhuc in medium adducemus; interim dum melius quid adferatur. Quid igitur, si *Sardiniensem* seu *sardiensem* hic panem acciperemus

non

non de frumento, sed qui confectus e frumenio a *Sardibus* Lydiæ aduecto, sic sane & *Sardum* mel, pessimi saporis fuit, teste Horatio *in Poëtica v. 375.* Ec Sardibus primum castaneæ prouenerunt, quæ & præstabant ieiunio fœminarum quandam imaginem PANIS, inquit Plinius *lib. 15. cap. 23.* Ideoque & apud Græcos *Sardianos Balanos* appellant. Imo & *frumentum Sardum* idem Plinius memorat *lib. 18. cap. 7.* quod ex leuissimis post Gallicum & Chersonenie Romam inuehebatur. Viderit etiam quis, num forte reponendum hic fuerit *Aricienfis*, ab *Aricia*: vbi genus *panis* (deformis & turpis) fiebat, quod *Manici* appellabatur, teste Festo in *Manius*, vbi ex Ælio Stolone addit, *manias dictas ficta quadam ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alii maniolas appellant.*

Sardiniensibus porro, seu sordidis panibus, (quod hic tertio loco obseruandum) apponuntur *Buccellæ mundæ*. Buccellæ non sunt ciuiles panes, etsi in his Annonam ciuicam præstari velit Valentinianus, sed *buccella* significant in genere ψωμίον. Glossæ, *Bucella*, ψωμίον. *Buccella*, ψωμὰς. Item ψωμίον, *Buccellum* (a quo & Buccellatum militaris annonæ pars,) de quo *l. 6. supr. de erogat. mil. ann.* & *l. 2. supr. de excoctione vel transl. ann.* De quo Buccellato sensit Constantinus περὶ θεμάτων, *lib. 1. them. 6.* Βυκελλάριος κατὰ Ῥωμαίων διάλεκτον, ὁ φύλαξ τοῦ ἄρτου καλεῖται. ὥστε εἶναι στρατιώτας ἐλαφροὺς, καὶ ἀβαρεῖς πρὸς τὸν πόλεμον. βύκελλος γὰρ τὸ κρικελοειδὲς ψωμίον καλεῖται. *Buccellarius latina lingua vocatur is, qui rei panariæ custodiam gerit, vt milites expediti & ab omni onere liberi ad bellum essent. Buccellus enim vocatur cibarium, circularem figuram præ se ferens.* Buccellas igitur mundas Valentinianus præberi vult, seu panes mundos. Quorum vsus vt in commune non vulgaris, quibusque vsi elegantiores. Quomodo munda cœna, lauta, Horatio, mundus victus, Græcis καθάριος. Lampridius de *Alex. Seueri* diæta *c. 37. vsus conuiuii diurnus hic fuit: panis mundi pondo XXX. panis sequentis ad donandum pondo L.* Ita & in annonarum distributione Lampridius *Alex. Seuero c. 42. Medicus sub eo vnus Palatinus salarium accepit: cæteri omnes qui vsque ad sex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant: ita vt mundas singulas consequerentur, alias aliter.* In epistola Valeriani Augusti ad P. V. de salario Aureliani, *apud Vopiscum in Aurelian. c. 9. Sinceritas tua, mi parens*
P.445 *charissime, supradicto viro efficiet, quamdiu Romæ fuerit, panes militares mundos sedecim, panes militares castrenses quadraginta*: vbi vides *panes militares mundos*, opponi *militaribus castrensibus*: Et ex vtroque loco vides parcius mundos datos. Addamus veterem Horatii Interpretem tres in vniuersum panis qualitates facere: *Siligineum* primæ qualitatis: secundum, eundemque dispensatorium: tertium, postremum. *Panem*, inquit, *secundum, non siligineum, non primum, non postremum, sed dispensatorium.* Ergo primus idem siligineus, & mundus: postremus sordidus: inter hos medius, qui & *secundus* & *dispensatorius*: qui & fiscalis: de quo ad *l. vnic. infr. de pretio panis Ostiens.* Tandem ergo, cum in *buccellis mundis* Valentinianus annonas ciuicas præstari vult, siligineos panes indicat. Quos olim populus accepit sub Aureliano: de quo Vopiscus *in Vit. c. 35.* eum quo tempore ad bellum proficiscebatur Orientale, bilibres coronas populo promisisse si victor rediret, & cum aureas populus sperasset, neque Aurelianus aut posset, aut vellet; *eum coronas fecisse de panibus qui NVNC siliginei vocantur, & singulis quibusque donasse: ita vt siligineum suum quotidie toto æuo suo, & vnusquisque reciperet, & posteris suis dimitteret.* Ecce Vopiscus suo adhuc æuo Romæ, siligineos donatos indicat, qui quidem Vopiscus patrem habuit Diocletiano coætaneum; ipse vero scripsit sub Constantio Imp. post Consules Placidum & Romulum id est, post Ann. 343. Quare, medio hoc spatio ad annum vsque 369. quod est viginti sex annorum, sordidos inuectos oportet: & ita quidem sordidos vt neque ipsi omnino gratuiti donarentur, sed venderentur leuiore pretio. Verum mundos panes hic reducit Romæ Valentinianus, & quidem gratuitos: Rursum cum 50. vnciæ sordidi panis loco annonæ ciuicæ viliore pretio venderentur, nunc 36. vnciarum panes gratuitos donat: & sic tres panis libras in buccellis, sex: selibra singulis buccellis pendentibus. Ergo trilibres annonæ ciuicæ ex hoc Valentiniani instituto: quæ sub Aureliano bilibres factæ, cum antea viginti trium vnciarum essent, sed vnciam addidit Aurelianus. Cuius rei testis tum Vopiscus, tum ipse Aurelianus apud Vopiscum *in Vit. Aurelian. c. 47. Panibus Vrbis Romæ vnciam de Ægyptio vectigali auxit: vt quadam epistola data ad Præfectum annonæ vrbis, etiam ipse gloriatur. Aurelianus Augustus Flauio Arabiano Præfecto annonæ. Inter cætera quibus diis fauentibus Romanam Rempubl. iuuimus, nihil mihi est magnificentius, quam quod additamento Vnciæ omne Annonarum Vrbicarum genus iuui*, & quæ sequuntur, cætera. Totum enim beneficium in eo Aureliani, quod bilibrem annonam facit, quæ ante non tota bilibris erat, sed vna vncia minor seu deductior. Ex hoc interim loco liquet, panem quoque ante Aurelianum Imp. populo Rom. datum; neque enim ipse panem primus dedisse dicatur, sed coronarum panem, sed bilibrem, sic & formam panis mutasse, & pondus auxisse. Neque Zosimus contra stat, qui ait de Aureliano *lib. 1. cap. 61. in fin.* καὶ ἄρτων δωρεᾷ τὸν Ῥωμαίων ἐτίμησε δῆμον, *honorasse, ait, populum Romanum panum donatione*: nempe quia præsens ipse Aurelianus Romæ eum distribuit. Et hæc de modo annonæ ciuicæ in Vrbe Roma a Valentiniano Sen. *hac leg.* nunc constituto. Varie vero modus annonæ huius ciuicæ popularis Romæ habitus, prout annonæ scilicet defectus esset vel metueretur, vel non. Nempe enim deinceps quoque is aliquando imminutus mox restitutus, & rursum remissus vltro ad rei annonariæ *securitatem*. Symmachi locus insignis *lib. 2. epist. 76.* ad Flauianum. *Vnciam panis malitiose & temere resistentam, spontanea voluntas populi redegit in copia conditorum. Tuta igitur omnia atque SECVRA sunt, quæ animum tuum iure mordebant.* Sic & olei quandoque quod publice præbitum modus imminutus, vt ad alios seu plures porrigeretur, *l. vltim. hoc tit.* Et hæc de modo ciuicæ seu popularis annonæ Romæ, quod primum *huius leg.* caput est.

Secundo loco idem Valentinianus *hac leg.* definit. Quinam ad huiusmodi annonas ciuicas admittendi non sint: item qui eas adquirere sibi non possint a ciuibus Romanis: nempe hi tres, Officiales, Serui, tandem & ii, qui iam Ædium panes accipiebant. Sane & olim iam serui ad frumentationem non admissi, sed ii tantum qui Ciues Romanos se probassent, atque in Tribum relati essent. Persius *Satyra 5. v. 73. seqq.*

Libertate opus est, non hac vt quisque velina
Publius emeruit scabiosum tesserula far
Possidet: heu steriles veri! quibus vna Quiritem
Vertigo facit.

Vbi Scholiastes vetus: *Romæ erat consuetudo, vt omnes, qui ex manumissione ciues Romani fiebant, in numero Ciuium Rom. frumentum publicum acciperent.* Ideo Patronus liberto Tribum emi mandat, *l. 35.*

D. de legat. 3. videlicet vt commoda ferret. Huc pertinet decretum Hadriaoi apud Dositheum, *num. 14.* quo filium qui matrem exhibere nolebar, cum tamen de publico frumentum acciperet, frumento priuauit: *εἰ σὺ ταύτην οὐκ ἐπιγιγνώσκεις μητέρα, οὔτε ἐγὼ σὲ πολίτην Ῥωμαίων, si tu eam non agnoscis matrem, nec ego te ciuem Romanum.* Hinc fraus illa, seruos vel ideo maoumittentium, teste Dionysio, *lib. 4. cap. 28.* Suetonio *Octauio cap. 42.* Diaoe, *lib. 39. pag. 101. Edit. Leonclau.* Sed longe apertior fraus ea, qua de *hac leg.* & *l. 6.* & *7.* rursum agitur. Scilicet Valentinsaous ciues Romanos pauperes solos his frui voluit: sic vt neque alii his insererentur, neque ipsi ciues Romani his veodere possent: hac videlicet ratione quod aononæ hæ popularibus ideo præstarentur, quod iis aliunde solatium non esset: vt cæteroquio vetus iurisprudeotia voluit de futuris alimentis eos, qui ab his penderent facile transigere: de qoo v. saltem *leg. 8. D. de transact.* & pœnam imponit *hac eadem leg.* Valentinianus adquirenti perperam huiusmodi panem, non modo priuationis eius quem quis eruisset, sed etiam proprii, si ædificiorum iam panem percipiat, si vero seruus, aut Officialis supplicii corporalis pœna.

Tertio, in hunc finem *Delatori* huiosce fraudis pollicetor & emptoris & veoditoris panes: vt cæteroquin sæpe delatores præmiis exciti: de quo alibi.

Quarto, in hunc rursum finem hunc paoem iubet propriis gradibus, eo loco quo tum emebatur erogari, (de quo plenissime ad *l. 2. 3. 4. supr.*) *propriis* gradibus, id est, in eo gradu cui quisque attributus erar, non in alieno, proinde non commutatis gradibus: Cæterum gradum eum cuique adsigoari vult in qoo hacteous emebatur, *in quo nunc emitur loco propriis gradibus erogandum.* Nempe cum aooona leuiore pretio emeretur, vel ipsa gradilis erar, deqoe gradibus emebatur, vel quod præferam in pistriois emebatur (quibus gradus proximi erant) de quo dicitur ad *l. 3. supr.* Atque ita hic locus capiendus: *proprii gradus* non sunt hic populares *militaribus* oppositi: sed sui alienis & remotioribus, etsi & ipsi populares: rursum *locus* in qoo hactenus emi solitum panem ait, non est hic forum Romaoum, sed loca patia vrbis, quæ Gradus cootioebaot

Quinto, in hunc rursum finem vult in singulis gradibus *Titulum* figi *æneum*, in quem & panis modus & percipientis nomen iocidatur; id est, P.246 tabulam æneam: Qui incisionis mos & olim. Plinius *Panegyrico c. 32.* de alimentariis pueris ageos, *Omnes*, inquit, *recipi*, *INCIDI*. *iussisti*: item *c. 36. iubebis INCIDI.* Et Seneca *4. de benef 28.* *Frumentum publicum tam fur, quam periurus & adulter accipiunt, & sine dilectu morum quisquis INCISVS* (al. *ciuis*) *est.* Neque enim audio qui eam lectionem quam habent omoes Man scripti, ibi sollicitant. Præter hunc titulum æneum geoeralem, nihilominus quisque iocisus suam Tesseram habuit, suum *κάλαμον*, quem ad gradus adferebat: de quo ad *l. 2. supr.* Neque enim quod hic statuitur de titulo æneo io singulis gradibus figendo, id eo pertinet, vt tesseræ illæ aboleaotur: & vero nisi tesseram ciuis afferret, quomodo noo fraudibus locus patuisset? De *Modo* panis gradilis, de quo *hac leg.* est hic quoque Scholiastis Iuuenalis locus, ad ea verba *Satyr. VII. v. 174.*

Summula ne pereat qua vilis tessera venit.

Summula, inquit, *MODVM* (nam ita locus legendus, quod Rutgersius recte notauit,) *significat gradilis panis.*

VI. (a) Idem AA. (b) ad Maximum (c) PF. Ann.

SI quis vnquam Actor, Procurator, seruusue Senatoris vsurpatum gradilem, gratificante aut vendente Scriba, vel etiam consentiente, perceperit, subiiciatur eculei (d) quæstioni: Ac si eundem patuerit temeritate propria, adque ignorante domino, de perceptione panis inlicite tranlegisse, ipse sub vinculis pistrino, quod fraudabat, inseruiat; Si vero Senatoris culpa id fuisse (e) constiterit, domus eius fisci viribus adgregetur. Ex aliis quoque, si quis rei familiaris facultatibus præditus designatum crimen admiserit, cum his quæ habet, pistrini exercitio subiugetur. Si quis etiam pauperrimus rerum erit, cogetur exhibere operariam seruitutem. In Scribas vero, quos constiterit nefas vetitum perpetrasse, vindex legum gladius exeratur. Dat. XIV. (f) Kalend. April. Triu Valentiniano & Valente (g) Coss.

N O T Æ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* *GOTHOF.*

(b) *Gratiani* nomen, seu tertium A. *huic leg.* pariter addendum. *ID.*

(c) Maximo huic Præf. annonæ inscribitur *lex 3. supr.* vbi de eo plene dixi. Et hic rescribendum, *ad Maximinum. ID.*

(d) De *Eculei* quæstione, *supr. tit. de Quæstionibus. ID.*

(e) Et fecisse. *ID.*

(f) Eodem die data *lex 7. supr. de Metallis*: ad Probum PP. quam sane Præfecturam Probi in idem tempus incidere, quo Maximinus Præf. annonæ fuit, docet Ammianus *lib. 28. cap. 1. ID.*

(g) Videtur reponendum *III. COSS.* id est, Anno D. 370. superior enim *lex* iam pertinebat ad Annum 369. *ID.*

COM-

COMMENTARIVS.

De Incapacibvs persoois accipiendi panis Gradilis; id est, quinam ad gradilem panem seu annonam ciuicam percipieodam admitti non debeaot, quæque adeo pœna maoeat indebite vsurpaotes, vel his coosentientes? est hæc rursum, pariter vt *lex superior*, Valentiniani constitutio. Nempe, & soli Ciues *Romani & pauperes* populares quibus aliunde solatium non erat, hunc panem gradilem accipere poterant: Nullus Officialis, nullus Seruus, oullus qui ædificiorum panem iam percipiebat: quod *superiore lege* pariter cauetur: vbi plene dixi. Verum *ea lege* pœna proposita haud satis grauis visa, vt quæ panis priuationis pœnam tantum iodiceret domiois seruorum, Officialibus & Apparitoribus. Itaque *hac leg.* ea inteoditur: quam, cum propius intueor, suggessisse eam videatur Valentioiano feroci Priocipi, ferox & sæuum Maximini Præfecti annonæ, cui *hac lex & lex 4. supr.* inscribuntur, de quo io *Prosopograph.* ingenium, io Nobilitatem & *Senatores* potissimum sese efferentis: & io quæstiunibus pœnisque exercendis: de quo Ammianus Marcellious *lib. 28. cap. 1.* fidemque huic rei faciunt quæ ad *l. 1. & 3. supr. de Quæstionib.* diximus. Quare tota *hac lex*, Valentiniani & Maximini spiritum redolet: Et quidem aduersus fraudes, quæ fiebant circa Aonooas Ciuicas; nempe quod ex iis incapaces nonoulli colludio quodam intruderentur: tum Senatorum actores, procuratores, serui: tum alii: & Senatorum quidem, vt ita Anoooatum commodum ad eos rediret: Idque omoe *Scriba* vel gratificante, id est, gratis admittente; vel vendeote, vel saltem consentiente: *Scriba*, ioquam, ad cuius curam pertinebat hæc sollicitudo, vt titulum figeret, vt scripturam conficeret, quibus percipieotium nomina contineteotur, id quod proculdubio de Scriba *Præfecti annonæ* accipiendum est, etiam loscriptionis argumento. Igitur, Senatoris actorem, procuratorem, seruum io capientium numerum iotrusum, *eculeo* subiici vult: de qua atroci eculei qoæstiooe plene actum *tit. de quæstionibus*: eiusque meminit etiam Ammianus Marcellinus tum aliis locis, tum *lib. 28. cap. 1.* hoc ipso tempore, atque io ipsis Maximini huius rebus gestis: *Amantius*, ioquit, *aruspex inductus in iudicium, quanquam incuruus sub EQVVLEO staret, pertinaci negabat instantia.* Ideo aotem aculeo subiici vult (quod secundum ferocitatis argumeotum est) vt sciatur, num propria temeritate, an vero culpa Senatoris id factum fuerit. Quod & ipsum de sæuis tum Valentiniani Senioris, tum Maximini factis fuit, vt videlicet serui in dominos torquereotur: quod diserte testatur Ammianus *d. lib. 28.* Quare & haoc in partem Maximioo ferocienti modum postea imposuit Gratianus, *l. 1. & 2. supr. ne præter crimen maiest.* Et hæc de Quæstione atroci.

Verba etiam atrocia deinde spectantur: qoibus haoc fraudem insectatur Valentinianus, omoia ferocis iogenii iodicia: nempe fraudem haoc, *criminis* appellatiooe designat, *nefas vetitum* ap- P. 247 pellat, quasi de ingenti facinore ageretur: sed nil mirum in sæuo Principis ingenio: qui, vt diserte Ammiaous Marcellinus scribit, *lib. 28. cap. 1.* io iisdem rursum Maximini gestis, *erat acer vitiorum inimicus magis quam seuerus:* cui coouenienter subiicit, alienas a Maiestatis crimine *causas, cum arrogantis proposito Maiestatis imminutæ miscuisse.*

Iam de tertia (*Pœnarum* videlicet) atrocitate: Nempe iubet Valentinianus 1. *Seruum* qui ignaro domino ad id prolapsus fuerit, sub vinculis pistrioo seruire. 2. Domini Senatoris, cuius culpa id factum est, domum coofiscari. 3. Alios iocapaces, sese his anoonis ingerentes, si facultates habeant, pistrini exercitio subiugari vna cum boois suis. 4. Si pauperes sint, seruilem operam exhiberi, seu seruitutem operariam præstare. 5. Scribam denique, de quo *supr.* gladio puniri iubet. Sic de atroci Valentiniaoi simul & Maximini ingeoio, *hac leg.* seu parte liquet, siue *Quæstionem* spectes, siue *Verborum*, siue *Pœnarum* atrocitatem.

Interim tria hæc distinguantur, Pistrino iosetuire sub vinculis, quæ serui pœna est: Exercitio pistrini subiugari, cum bonis suis, quæ incapacis locupletis pœna est: Seruitutem operariam exhibere, quæ pauperis est. Tria hæc munia pistrini, & triplex pistrini pœna: pistrinum exercere seu maocipium & mancipatum cum bonis suis: seruitutem operariam ibi exhibere sine vioculis, inseruire, sub vinculis. Io commune alioquio de pistrini pœna actum *l. 3. 5. 6. 7. supr. de pœnis.*

VII. (a) Idem AAA. (b) Clearcho P. V. (c)

Vendendi de reliquo Popularibus annonam consuetudinem derogamus, vt huiusmodi celebrata venditio omni carear firmitate: Verum, si quis Vrbe (d) abeundum esse crediderit, panes, cæteraque (e) quæ percipit, in horreorum conditis (f) reseruentur, poscentibus iuxta Legem eiusdem Ordinis hominibus deferenda. Quin, lege proposita etiam quæ fuerint fortasse distractæ, ad originem propriam iusque reuocamus: Siquidem iustum est, vt in perpetuum suum quisque detineat, & per succedaneas vices proprius Ordo teneat, vt Palatinus palatini, miles vero Militaris, popularem annonam Popularis exposcat: nec alterum (g) alterius sibi expetens diuersorum Ordinum valeat miscere rationem. Dat. VIII. Kalend. (h) Maii, Modesto & Arintheo Coss. (372.)

N O T Æ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Iungendaque *huic* est (emendato *huius* die) *lex 2. supr. de studiis liber. Vrb. Romæ*: & *lex 20. supr. de Pretoribus.* GOTHOF.

(b) Recte tres Augusti inscribuntur: e quibus Tertius, Gratianus puta, perperam omissus *duab. superiorib. legibus.* *ID.*

(c) Clearchus PV. Constantinopol. sub Valente. Eidem inscribitur Ann. 370. *l. vnic. supr. de iure Italico:* vid. *Prosopogr.* *ID.*

(d) Constantinopolitana. *ID.*

(e) Veluti oleum, vid. *l. vlt. infr.* & vinum. vid. Suidam in παλατῖνοι: & Codinum *in Originib. CPol. num. 15.* *ID.*

(f) Ita in eadem re Symmachus *lib 2. epist 76. redegit in copia conditorum.* *ID.*

(g) An *alteram*, scilicet annonam, *alterius* scilicet Ordinis? Nil muto: *alterum* hic, vt supra, *suum quisque*, &c. Neque admittendum, quod tentabat Petauius *in Themistii orat. 4. p. 558. Nec alterius alter ius*, &c. *ID.*

(h) *VIII. Id. Maii. d. l. 2. & d. l. 20.* *ID.*

COMMENTARIVS.

ADFECTATAS seu proprias cuique ORDINI annonas (quæ trium generum erant) Populares, Militares, Palatinas, ita quoque manere iubet Valens Imp. *hac leg.* Quæ pars est prolixioris constitutionis Valentiniacæ, quæ in vniuersum populi Constantinopolitani commoda coosultum iuit: tum eius voluptatibus, quo pertinet *lex 20. supr. de Prætoribus:* Tum vtilitati ea Bibliotheca seu Librorum veterum coogerie, quo spectat potissimum *lex 2. supr. de stud. lib. V. R.* deoique & Annonis: quo spectat in partem *dicta lex 2. & hac lex:* cui proinde duæ illæ *leges* coassandæ veniunt, huius, vt mihi quidem videtur, die emendato.

Cuius sententiam antequam explico; Ex ea notandum; Triplicem fuisse personarum ordinem Constantinopoli, quæ annonas percipiebant, ac proinde tres annonarum species: Populares, Palatinas, Militares. *Populares*, qui Palatinis & Militibus opponuntur, sunt vrbana populi seu plebis multitudo: quo sensu *Populares* dicuntur, & quies popularium, *l. 1 §. 12 D. de officio Præfecti Vrbis.* Capitolinus in *M. Antonino cap. 17. Multa millia & popularium & militum interemerat* Eademque forma *populares*, qua *militares*, pro militibus *hac leg & l. 11. hoc tit.* & apud Sex. Aurel. Victorem sæpe. Hinc popularia alimenta, *l. 3. supr.* commoda popularia, *l. 3 supr. tributa in ipsis speciebus.* (qui & populi commoda, *l. 8 supr. de Medicis & Professoribus l. 3. supr. de Can. frum. V. R.*) caduca popularia, *d. l. 2. supr. de studiis lib. V. R.* quæ huic vt dixi coniungenda est. Hinc denique popularitas, pro fauore & applausu popularium seu populi: *l. 8. in fin. supr. de off. Rectoris Prouinc.* qui popularis plausus etiam dicitur, *l. 1. infr. de spectaculis.* Igitur & popularis annona fuit, & Palatina, & Militaris in Vrbe Constantinopol. quam οἰκήτορες triplicis generis Constantinopoli accipiebant, & Palatina quidem ea, quæ Palatinis erogabatur, in ministerio Principis versantibus. Error enim est Suidæ, quem Cuiacius recte damnauit, qui *Palatinos* panes cum *Popularibus* eosdem facit *voc.* Παλατῖνοι, Παλατῖνοι, inquit, εἶδος ἄρτων, οὓς ἐφιλοτιμήσατο τῷ δήμῳ Κωνσταντῖνος ὁ μέγας: οὕτως ὀνομάσας αὐτοὺς, ὡς ἐκ τοῦ Παλατίου χορηγουμένους. *Palatini genus panum, quos Constantinus M. populo largitus est; eos hic ita nominauit, quod ex Palatio suppeditarentur.* Nam Palatini panes, qui Constantinopoli erogati, ab obiecto dicti fuerunt, quod Palatinis præberentur, pariter vt Populares, & Militares ab obiecto, non a loco vnde præberentur, quod *hæc lex* apertissime docet. Sed tamen Suidæ descriptio Palatinorum panum conueniat magis Castrensianis panibus, qui Alexandriæ dati: de quibus vid. quæ dicam ad *l. 2 infr. de frum. Alex.*
P.248 Apud Themistium quoque *Orat. 4 pag 115. Edit. Petau. 1613. in 8.* ciuicæ Annonæ mentio fit, quam οἰκήτορες cuiuscunque ordinis Constantinopoli accipiebant: ὅσα μὲν τὴν χρείαν μοι ἀναγκαίαν εἶχε, καὶ οἷς σιτοδοσεῖ ὁ Βασιλεὺς τοὺς οἰκήτορας τῆς πόλεως, οὐ [illegible] τοὺς στρατιώτας, ἀπολαύω καὶ αὐτός. *quæcunque ad vsus vitæ quotidianos necessaria sunt, ac quidquid frumenti non in milites, sed in ciues diuidit Imperator, horum partem & ego accipio.* Quo loco quod de militibus addit, non proprie ad hanc annonam pertinet, verum ad annonam militarem: de qua *supr. tit. de erogat. mil. ann.* vbi vide *l. 2.* Eam scilicet distinguit Themistius ab Annona Ciuica Constantinopoli commorantium: ciuicæ nempe haud ita vberem, militares vero vberiorem κατάλογον habebant, vt quæ præter panem, vinum, aliaque commoda continerent. Quare error est Petauii, qui hoc loco ait, Themistium negare distributam in milites annonam, vel hic rescribendum, καὶ pro οὐ, vel denique vulgus militum intelligi, qui ad bua carerent. Quæ omnia nulla ratione congruunt. Nunc de *huius leg.* sententia.

Igitur Valentis sententia *hac leg.* est: vt VENDERE Populares suam annonam deinceps vetet: tum panes, tum cætera quæ percipiunt (veluti oleum: de quo ad *l. vlt infr*) Quod facere hactenus soliti ex consuetudine recepta, forte cum Vrbe Constantinopolitana alio migrarent. Adeo quidem vt ita venditas annonas caducas esse velit, id est, in horreorum conditis reseruari & publico acquiri. De qua annonarum & quidem Popularium caducitate, seu Caducis popularibus agitat quoque diserte *d. l. 2 supr. de studiis lib. V. R.* quæ *huic* vt dixi coassanda est. *Antiquariis*, inquit, *de caducis popularibus (& ipsi etenim videntur e populo) competentes impertiantur annonæ.* Item *l. 1. supr. hoc tit.* vbi *panes aditum caduci*, pariter memorantur. Item *l. 8. infr.* Certis nempe casibus annonæ in fiscum cadebant, seu fisco adquirebantur. Et vero Populares, si annonas suas populares vrbe migrando, venderent, caducas esse voluit *hac leg.* Valens Imp. De militaribus postea videbimus, *l. 9. 11. 12. infr.* Quod quidem a Valente constitutum censeo, tum Vrbis Constantinopolitanæ affectu, ne popularibus videlicet vrbe recedentibus, vrbs desereretur. Item, vt ita canon solitus sufficeret annonis præstandis, si *per succedaneas vices* præberentur: contra ne nouus canon semper instituendus esset, distractis extra titulum suum annonis. Igitur subrogationem fieri vult recedentibus vel decedentibus aliis. Cui similis subsortitio est, de qua Suetonius *in Iulio, cap. 41 Ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum ad centum quinquaginta retraxit: ac ne qui noui cœtus recensionis causa moueri quandoque possent, instituit quotannis in demortuorum locum ex his, qui recensiti non essent, subsortitio a Prætore fieret.* Et hæc de iure vendendi adempto: vnde efficitur, *Populares* annonas cuique personæ affectatas fuisse.

Sed & (quod secundum *huiusce leg.* caput est) cuique ORDINI affectatas esse vult Annonas: vetat enim nonnisi a Popularibus. Populares annonas posci, seu peti: a Militaribus Militares, a Palatinis Palatinas; non vero v. g. peti a Popularibus

aut

aut Palatinas aut Militares: a Palatinis Populares aut Militares: a Militaribus, Populares aut Palatinas: sed eiusdem Ordinis hominibus caducas annonas tribui: *Ne* inquit, *diuersorum Ordinum misceantur rationes*. Quod & ipsum cauetur *l. 8. prox.* vt ne ab alio corpore vacantes annonæ flagitentur. Simili fane ratione panis gradilis in alium gradum translatio prohibita, *l.* 2. & *l. 5. supr.* Annonarum item ratiocinia prohibita confundi *l. vnic. infr. de Patronis horr. port.* & stationes, *l. 1. Cod. Inst. de compensat.* Cuiusque ratiocinii, stationis, gradus, ordinis ratio separata esse debet & distincta. Quare grauis est error Viri doctissimi, qui graduum permutationem *hac leg.* vetari putat hoc sensu, vt ne militaris, verbi gratia, in popularium aut circi aut amphitheatri gradibus panem accipiat, aut contra. Nil tale. Ordinum permutatio hic prohibetur, non graduum, multo minus graduum circi aut Amphitheatri, vbi hac ætate annonæ erogatæ non fuerunt vt ad *l.* 2. *hoc tit.* ostensum est. Et vero apertissimam hanc *huius leg.* sententiam confirmat appositissime *d. l. 2. supr. de studiis lib. V. R. & C.* quæ huic vt dixi coniungenda est: ibi scilicet quoque Valens, cum iuber Antiquatiis annonas competentes de annonis caducis popularibus tribui, hanc rationem reddit, quod & ipsi Antiquarii ex popularium ordine sint: *Et ipsi*, inquit, *etenim videntur a populo*. Igitur Valentis sententia est, vt eiusdem semper ordinis vir annonas consequatur per succedaneas vices.

VIII. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AAA. Restituto P. V. (b)

SI quis ex Schola defecerit, mortemque obierit, non ab alio corpore vacantes (c) flagitentur annonæ, sed ipsis Scholis cessuræ diuidendæque perdurent. Dat. Prid. Id. Iul. Thessal. Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. (380.)

N O T Æ.

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iustin.* *GOTHOF.*

(b) *Restitutus* P. V. Constantinopol. sub Theodosio M. Eidem inscribitur hoc ipso Anno *l. 2. supr. de Quæstor. lex 2. supr. de Præf. Prætor.* quæ inter se coassandæ sunt: vid. *Prosopogr.* *ID.*

(c) Alibi *caducæ*. Sic & vacuæ aquæ eodem sensu apud Frontinum *de Aquæductibus articul.* 109. pag. 194. *Edit. Polen.* *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. quinque constitutiones ordine sequuntur, omnes, ad Præfectos Vrbis Constantinop. datæ super annonis Ciuicis Vrbis Constantinopolitanæ: De cuius augmento annonario fidem facit *lex 2. supr. de frum. Vrbis Constantinop.* facit & *lex 12. 14. infr. hoc tit.* Cæterum e quinque istis Theodosii M. constitutionibus quatuor ordine sunt de SCHOLARIVM nominatim, seu de MILITARIVS annonis; quinta, puta *lex 12.* est de annonis ædium simul & de iisdem militaribus. MILITARES annonæ, quarum fit mentio tum *l. 7. supr. prox.* tum *l. 11. infr.* erant, quæ SCHOLIS quibusdam Militaribus in Vrbe Constantinopolitana agentibus præbebantur: de quibus scholis & scholarium annonis, vt dixi,
P.249 agitur quoque *l. 9. 10. 11. 12. infr.* & de scholis in genere *l. 22. & 23. supr. de erogat. mil. ann.* & *lib. 6. tit. 13. de Comitibus & Tribun. scholar.* Scholares hi, de quibus nunc agimus, Militares Viros apertissime vocat *lex 11. infr.* duasque huiusmodi scholar diserte memorat *lex 9. prox.* scholam videlicet scutariorum & scholam Clibanariorum: de quibus ad *eam leg.* specialius: stipando scilicet Imperatori instituti hi fuere. Zosimus *lib. 3. cap. 29.* Iuliani aduersus Persas expeditionem mortemque describens, de his duabus ita scribit: τῶν ἀμφὶ τὸν βασιλέα δύο ταγμάτων, οὓς σχολαρίους προσαγορεύουσιν, *iis ordinibus duobus, qui stipare Imperatorem consueuerunt, ac scholares dicuntur*. Idque ipsum & ex Suidæ loco *infr.* patebit. Procopius *lib. 4. Goth. c. 27.* οἱ περὶ τῆς τοῦ Παλατίου φυλακῆς λόχοι, οὕσπερ σχολὰς ὀνομάζουσι, *cohortes ad palatii custodiam, quas Scholas vocant*. Quara Palatina hæc ferme militia, etsi armata seu militaris fuit: & sub Magistri Officiorum dispositione, teste *Notitia Imperii*. Quinimo *ostensionalem* hunc taorum militem fuisse, docet, qui eos graphice describit, Agathias, *lib. 5. pag. 111. inter Script. R. B. Ed. Venet.* ex quo videre est pariter, fuisse eos stipatores Imperatoris, noctuque & interdiu in aula versatos, magnificentiæ causa ornatusque, Imperatorem in publicum prodeuntem comitatos: ἦσαν δὲ οὐ μάχιμοι ὡς ἀληθῶς, οὐδὲ μετρίως γοῦν τὰ τοιαῦτα πεπαιδευμένοι, ἀλλ' ἐκ τῶν ταγμάτων ἐκείνων, οἳ ἐς τὸ ἡμερεύειν τε καὶ διανυκτερεύειν ἐν τῇ αὐλῇ ἀποκέκριντα, οὓς σχολαρίους ἀποκαλοῦσιν, οὗτοι δὲ στρατιῶται μὲν ὀνομάζονται, καὶ ἐγγεγράφαται τοῖς τῶν καταλόγων βιβλίοις, εἰσὶ δὲ οἱ πολλοὶ ἀστικοί τε καὶ φαιδροείμονες, καὶ μόνον αἰμοῦ ἄγκη τοῦ βασιλέως ἕνεκα, καὶ τῆς ἐν ταῖς προόδοις μεγαλαυχίας ἐξευρημένοι: id est: *Erant autem non revera milites, neque rei bellicæ periti, verum ex cohortibus illis, quæ totum diem ipsamque noctem in aula consumunt, quos Scholares vocant: Hi quidem Milites vocantur, & matriculis continentur, plerique tamen pagani sunt, & splendide vestiti, & magnificentiæ tantum Imperatoriæ causa, & in processibus fastus ergo reperti.* Idem ait primitus hunc ordinem datum solis militiæ peritis, exercitatisque præmii loco. Postea vero cum Zeno tribulibus quibusdam suis & familiaribus dedisset, quorum nulla vtetur aut meritum esset, nundinationem irrepsisse, & emisse hunc honorem ignauissimum quemque. Hæ scholæ sane, aliæque, suos Præpositos ac Tribunos habuere: vt docet *lex vn. supr. de Comitibus & Tribunis scholarum*: & *lex 23. supr. de erogat. mil. ann.* Quorum Tribunorum, vt & scholarum multa mentio apud Ammianum occurrit. Et hos ta-

men hac tempestate expeditiooibus, & quidem grauissimis interfuisse tum ex Ammiaoo discimus: tum ex *l. 22 23. supr. de erogat. mil ann.* Orientales sane in Vrbe Coostantinopolitana, Orientalis Imperii sede, ferme constituisse ulte. dunt, annonæ hæ ciuicæ his concessæ in Vrbe Constantioopolitana, & quidem, vt Theodosius idem noster ait *l. 11.* vt magnitudinem Vrbis ædificandi studio augerent, & quidem a Constantino M. vt docet *lex 9. 10.* De quorum Annonis ciuicis est *hac lex*, voa cum *tribus sequentibus*: His scilicet solis singulari prærogatiua inter omnes alias scholas aononæ ciuicæ datæ: Maiora sane stipendia his data, Suidas ex Procopii *Hist. Arcan. c. 24.* scribit *in v.* σχολάριοι: σχολάριοι τρισχίλιοι πεντακόσιοι ἐπὶ φυλακῇ τῦ Παλλατίου (παλλατίω Procopius) ἦσαν τεταγμένοι. ἀριστίνδην ἐπιλεχθέντες ἐξ Ἀρμενίων, οἷς συντάξεις ἀνέκαθεν πλείους, ἢ τοῖς ἄλλοις ἅπασι τὰ δημόσιον ἐχορήγει, id est, *Scholares, 3500. ad custodiam Palatii constituti erant, ex Armeniorum primoribus delecti: quibus e publica maiores annona, quam cæteris omnibus ministrabantur.* Ex quo etiam loco discere licet numerum eorum, munusque & vnde delecti; nempe ex Armeoiorum primoribus: qui sane Imperatoribus hac tempestate fœderati fuere, nominatim Coostantioo M. (quod docet *lex 1. supr. de annona & tributis*:) a quo hæ aonoonæ ciuicæ institutæ, vt docebit *d. lex 9. 12. infr.* Interim de his ipsis est & alter Suid. locus in v. ὑπεράριθμος: ὗτος ὁ ἀριθμὸς τῶν σχολαρίων καλυμένων τρισχιλίων πεντακοσίων ὄντων, ἑτέρυς δισχιλίυς ἐνέθηκεν Ἰυστινιανός, ὃς ὗτως ὑπεραρίθμυς ἐκάλεσεν: *Supernumerarius: cum scholarii ita dicti, essent numero ter mille & quingenti, alias bis mille eis adiecit Iustinianus, quos supernumerarios vocauit.* Scholares autem dicti a scholis: qua *scholarum* voce, *Corpus* denotabatur, vt vel *hac lex* docet. Quare error est Viri docti, qui quasi σχολάζοντας, bellico ab opere vacaotes, & veluti feriatos milites, dictos putat. Cuius & hic alter error est, quod Excubitores Corporis custodes (ordioarios scilicet) Prætorianos, cum his commiscet. (*)

De his horum *Scholarium* aononis varia quinque sequentibus *legibus* constituuntur a Theodosio M. hæc nostra est de VACANTIBVS Scholarium annonis. Vacantes aononæ σχολάζυσαι vocantur caducæ *l. 1. supr. hoc tit.* & *l. 2. supr. de studiis lib. V. R. & Constantinop.* vbi dixi. Et quidem vacantes ideo, quia qui eas percipiebat defecit, mortemque obiit. Vbi quæsitum, quoonam recciderent vacantes huiusmodi annonæ, & a quo peti possent? Et vero definit *hac leg.* Theodosius M. ab alio Corpore, vel ab alterius scholæ Corporatis seu Scholaribus flagitari eas oon posse, pariter vt definitur *superiore l. 7. & l. 11. in fin. infr.* contra in eadem Schola annonas perdurare diuidique oportere. Affectatæ scilicet semel vni scholæ Annonæ Ciuicæ ad aliud Corpus: seu ad alium titulum transferri non possunt. Quæ eadem ratio militat in Palatinis, & Popularibus annonis ciuicis, *d. l. 7. supr.* Ex *hac* interim *lege*, quod satis colligitur, annonas scholarium in hæredes non fuisse transmissas: de quo plenius *ad proximas*: quandoquidem hic indistincte præsupponitur, eas per mortem vacantes fuisse.

(*) De *Scholis & Scholaribus* consule *etiam CL. du FRESNE in Glossar. vtroque voce. Schola, Scholares*, σχολαὶ, σχολάριοι.

IX. (a) Imppp. Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. Proculo P. V (b) Constantinop.

ANNONAS ciuicas, in Vrbe Constantinopolitana, Scholæ Scutariorum, & Scutariorum Clibanariorum Diui Constantini adferuntur liberalitatem meruisse, quarum ex magna parte inminutio facta perhibetur, quod alii eas putarunt tamquam proprias distrahendas, alii per successionum gradus hæreditarium ius venire. (c) Sublimis igitur Eminentia Tua, omnes eas, quas quoquomodo (d) alienatas fuisse reppererit, his Scholis quibus donatæ ac deputatæ sunt (amota omni reluctatione) restituet: Habere enim debent earum perpetuitatem, quarum meruere compendium. Dat. VII. Kalend. Aug. Romæ, (e) Timasio & Promoto Coss. (389.)

NOTÆ.

P.250 (a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iustin.* prælata *l. 10. infr. prox.* qua *hac* abrogatur. GOTHOF.

(b) Eidem *Proculo* inscribitur *lex prox.* 10. & complures aliæ hoc Anno 389 & Anno 391. 392. ac nominatim hoc ipso Anno 389. *lex 25. infr. de operibus publicis*: *l. 3. supr. de tut & cur. lex 2 supr. de testamentis.* De hoc Proculo P. V. Constantinop videndus Zosimus *lib* 4. *c.* 45. & 52 & Chronicon Alexandrinum *Ann.* 393. *pag.* 708. 709. *Edit. Rader.* Hic Tatiani PP. Orientis filius fuit & Aon. 392. capite truncatus. De eodem agitur & & *l. 12. in fin. infr. hoc tit.* vbi plura: vid. Attaris homiliam, *de festo Kalend. p. 60. Edit. Ruben.* Tandem vide *Prosopogr.* ID.

(c) *Putarunt*, ἀπὸ τῦ κοινῦ. ID.

(d) Vel hæreditatis merito, (seu iure) vel venditionis arbitrio: vt loquitur *lex prox.* vel vt *hac lex*, vel tanquam propriis distractis, vel per successionum gradus, & ius hæreditarium venientibus. ID.

(e) Romæ post Maximum Tyrannum deuictum hoc tempore constitit Theodosius M. vid. *Chronolog.* ID.

COM-

X. (a) Imppp. Theod. Arcad. & (b) Honor. AAA. Proculo P. V. (c)

ANNONAS ciuicas, (d) non tam titulis dignitatum, (e) quam fingulorum viritim (f) meritis adtributas Diui Conftantini liberalitate fat (g) claruit. Ideoque nihil ex his Scholarum (h) nomine vindicetur, fed pro vniuscuiusque merito quæ funt conceffa feruentur: vt quicunque perceptarum annonarum emolumenta vel in hæredes proprios iure fanguinis transfuderunt, vel in extraneos diftractionis titulo tranfcribferunt, maneatquod geftum eft, vel hæreditatis merito, vel venditionis (i) arbitrio. Dat. VII. Kalend. Iul. Conftantinop. Arcad. A. II. & Rufino Coss. (392.)

NOTÆ.

(a) *Lex 1. Cod. Iuftin. eod. tit.* GOTHOF.

(b) Tollendum *Honorii* nomen: Anno quippe demum fequente adfcitus. *ID.*

(c) *Proculus* fub Theodofio M. P. V. Conftantinop. fcilicet: Eidem infcripta *lex 9. fupr.* quam *hæc* abrogat: dicetur de eo plenius ad *leg. 12.* *ID.*

(d) *Publicas*, Cod. Iuft. vt infr. *l. 13. publicarum annonarum.* *ID.*

(e) Et Scholarium. *ID.*

(f) καθ' ἕκαστον, Græci. Male in nonnullis Cod. Iuft. *virorum.* *ID.*

(g) *Satis*, Cod. Iuft. *ID.*

(h) Scutariorum & Clibanariorum. *ID.*

(i) *Alienationis* Cod. Iuft. generaliore vocabulo. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE Ciuicis SCHOLARVM annonis, vtrum eæ VENDI, vel ad HÆREDES tranfmitti poffint: Ad hanc inquam quæftionem fpectant fecunda & tertia hæc e Theodofianis conftitutio, fibi inuicem contrariæ, etfi ad eundem Proculum P. V. datæ.

Antequam rem ipfam putemus, tria ad *has ll.* notanda prius funt. Primum de *fcholis*, illis duabus (quarum priore *lege* nominatim mentio fit,) videndum eft: fcilicet duæ fcholæ ea memorantur, *fchola Scutariorum*, & *fchola Scutariorum Clibanariorum:* De quibus in genere dictum fuit ad *l. fuper.* 3. ex Zofimo, Agathia, Suida, atque oftenfum eos ftipando Imperatori inftitutos fuiffe, ex Armeniorum primoribus ferme delectos, & expeditionibus grauiffimis deftinatos, fub Tribunis egiffe: quod docet *lex vnic. fupr. de Comitib. & trib. fcholar.* Specialius nunc de his videndum eft. Sane fchola hæc *Scutariorum* tam in Occidente quam in Oriente memoratur in *Notitia Imperii* vtriufque. Atenim alterius fcholæ, Scutariorum Clibanariorum, in *Oriente* tantum fit mentio *fol. 42. Sub difpofitione*, inquit, *Viri Illuftris Magiftri officiorum*,

Schola Scutariorum prima.

Schola Scutariorum fecunda.

Schola Gentilium Seniorum.

Schola Scutariorum Sagittariorum.

Schola Scutariorum Clibanariorum.

Schola Armaturarum Iuniorum.

Schola Gentilium Iuniorum.

Ammianus quoque Marcellinus non tantum Scutarios fæpe nominat, vel etiam, Tribunos, vel Rectores Scutariorum, fed nominatim is Scholam Primam & fecundam Scutariorum, & earundem Scholarum Tribunos memorat. Vt *lib. 22. cap. 11.* in rebus Iuliani; *Romanus quinetiam & Vincentius fcutariorum Schola prima fecundæque Tribuni.* Et *lib. 25. cap. 10.* In rebus Iouiani, *Valentiniano*, inquit, *regenda Scutariorum fecunda committitur fchola.* Et *lib. 26. cap. 1.* in rebus Valentiniani; *Equitii*, inquit, *fchola prima Scutariorum etiam tum Tribuni*, & mox; *Valentinianus agens fcholam Scutariorum fecundam.* Scutarii, quod nominis indicio fatis apparet, folis fcutis tecti incedebant: *Clibanarii*, vero tegminibus ferreis vndique abfconditi, tum ipfi, tum equi paribus operimentis loricis plumatis, in modum plumæ: id enim erat Clibanarii in commune. Alexander Seuerus iam olim *oratione* in Senatu, de victoria Perfica agens apud Lampridium *cap. 56. Cataphractarios, quos illi Clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus.* Nazarius fub Conftantino M. & ad Conftantinum ipfum *paneg. cap. 22. Quæ enim illa fuiffe dicitur fpecies, quam atrox vifu, quam formidolofa, operimento ferri equi atque homines pariter obfepti? CLIBANARIIS in exercitu nomen eft, fuperne omnibus tectis equorum pectoribus demiffa lorica, & crurum tenus pendens, fine impedimento greffus, a noxa vulneris vindicabat:* & quæ fequuntur, vbi Cataphractos Equites mox vocat *cap. 23.* Ammianus in Conftantii rebus *lib 16. cap. 12. Norant enim licet prudentem ex equo bellatorem, cum Clibanario noftro congreffum, frena retinentem & fcutum, hafta vna manu vibrata, tegminibus ferreis abfcondito bellatori nocere non poffe: peditem vero inter ipfos difcriminum vertices, cum nihil caueri folet* P. 251. *præter id quod occurrit, humi occulte repentem latere forato iumenti incautum rectorem præcipitem agere, leui negotio trucidandum.* Defcribit eos adhuc melius *eodem libro cap. 10. Incedebat hinc inde ordo geminus armatorum, clypeatus atque criftatus, corufco lumine radians, nitidis loricis indutus, fparfique cataphracti equites, quos Clibanarios dictitant Perfæ, thoracum muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti, vt Praxitelis manu polita crederes fimulacra, non viros: quos laminarum circuli tenues apti corporis flexibus*

xibus ambiebant, per omnia membra deducti, vt quocunque artus necessitas commouisset, vestitus congrueret iunctura coharenter aptata. Eorundem descriptionem vid. apud Claudianum *in VI. Honorii COS. v. 569. seq.* & *lib. 2. in Ruffin. v. 357. seqq.* Ergo Cataphtacti, & Clibanarii, iidem: quos Cataphtactos complures alii similiter describunt: de quibus ex professo Brissonius *in Persicis.* (*) Nos Clibanariis inhæreamus. Glossæ Nomicæ Κλιβανάριοι, ὁλοσίδηροι, κλίβανα γὰρ οἱ Ρωμαῖοι τὰ σιδηρᾶ καλύματα καλοῦσι, ἀντὶ τοῦ καλαμῶνα. A *Clibano* sic dicti. Auctor *de rebus bellicis*, subdita *Notitia Imperii cap. de Thoracomacho*, id est, de Pectoris munimento, seu tutela. *Inter omnia qua aduersum bellicum prouida posteritatis cogitauit Antiquitas, Thoracomachum quoque mira vtilitate ad leuamen corporis armorum ponderi & asperitati subiecit: Hoc enim vestimenti genus, quod de coactili ad mensuram & tutelam pectoris humani conficitur, de mollibus lanis timoris sollicitudo solertia magistra composuit, vt hoc inducta primum lorica vel CLIVANVS, aut his similia fragilitatem corporis ponderis asperitate non laderent: membra quoque vestientis inter armorum hyemisque discrimen, tali solatio adiuta, labori sufficerent.* Leo quoque Imp. *Tacticon 6. n. 31.* Cataphtactum Equitem describens, ait; tum cum, tum equum tectum *clibanis, id est, thoracibus.* Et hæc de Scutatiorum Clibanariorum schola, quid fuerint.

Secundo loco obseruandum, præcipuum harum scholatum, & tribunorum vsum fuisse, & præcipuam dignitatem (qua *dignitatis* alioquin voce vtitur *lex 10.* in hac re:) eo quidem, vt non tantum ad grauissimas expeditiones & negotia horum vsus esset, (quod ex Ammiano Marcellino passim discere licet,) verum etiam Imperiorum ferme aliquando arbitræ fuerint Scholæ istæ earumque Tribuni. Hinc illud Am. Marcellini *lib. 14. c. 10. Infamabat autem hac suspicio Latinum Domesticorum Comitem & Agilonem Tribunum stabuli, atque Scudilonem Scutariorum Rectorem, qui tunc, vt dextris suis gestantes Remp. colebantur:* (de quo Scudilone rursum *lib. cit. cap. 11.* vt & de Bainobaude Scutariorum Tribuno *loc. cit.*) Hinc Valentinianus ex Tribuno scholæ Scutariorum secundæ Imp. factus, teste eodem Ammiano Marcellino *lib. 26. cap. 1.*

Inde igitur (quod tertio loco obseruandum est) præcipua earum Scholarum ratio visa, vt his solis inter alias scholas Constantinopoli annonæ ciuicæ præberentur: id quod a Constantino M factum docet diserte *lex 9.* in partem *lex 10. 11. 12. Annonas,* inquit, *ciuicas in Vrbe Constantinopolitana schola Scutariorum, & Scutariorum Clibanariorum Diui Constantini adseruntur liberalitatem meruisse.*

Quo autem *fine*, seu *quatenus* hæ annonæ his concessæ fuerint, sub Theodosio M. quæsitum varie fuit. Primum ad quos vacantes hæ annonæ pertinerent, de quo fuit *lex 8.* Secundo (vt ad *leges* nostras descendamus) vtrum eas vendere, vel ad hæredes suos transmittere scholares possent, tanquam meritis suis concessas; an vero ita scholis affectatæ essent, donatæ, deputatæ, vt in ipsis scholis perdurarent? Et vero quæsitum, eo quod venditis his atque ad hæredes translatis, multi ex præsentibus scholaribus nullas annonas consequerentur, annonarum ex magna parte imminutione facta: & sic (vt loquitur *lex 11 in fin.*) *parata non haberet sui munera largitas,* (Principis,) vel sane nouas annonas imperatorem necesse esset instituere: quod a Theodosio M. factum ostendit *lex 2. supr. de frum. V. Const.* & *lex 13. 14. infr.* vbi dicam. Hac vero de re Theodosius M. contraria rescripsit. Primum scilicet *l. 9.* Alienatas annonas extra scholam, vel ad hæredes transmissas reuocari iussit, vt sic scholæ quibus ex donatæ deputatæque fuissent, earum perpetuitatem & compendium haberent. Et sic extra commercium has annonas esse voluit, neue ad hæredes transmitti: quasi ipsarum Scholarum contemplatu, ipsisque adeo scholis datæ, & titulo dignitatis seu militiæ. Atenim triennio post altera constitutione, puta *l. 10.* emissa ad eundem Proculum P. V. contrarium idem statuit, recteque alienatas & ad hæredes transmissas, atque adeo Personarum ipsarum scholarium meritis viritim tributa definiuit. Cur hæc tam varie? An quia, quo Proculi Præfecti P. V. libido duceret, etiam Theodosii sensus inclinaret? quod tum ipsa Proculi hac tempestate potentia suadeat (de qua *ad l. 12.*) tum illa persuadent quæ *d. l. 12.* ipsemet Theodosius profitetur, *ad arbitrium Proculi datas quasdam annonas*, etsi ibi de his agatur quæ nesciente ipso Theodosio erogabantur? An quia re melius perpensa meritis potius singulorum datæ annonæ viderentur? quod illa suadeant *l. 10. Annonas ciuicas non tam titulis dignitatum, quam singulorum viritim meritis adtributas, Diui Constantini liberalitate fas claruit.* Quod vtiliter alio traduci possit. An quia denique nullo scholarium nouorum præiudicio id ita postremum statuere visum fuerit: vtpote quibus nihilominus nouas annonas donauerit, etsi imminutis scholarum facto illo annonis? Quod suadet Theodosii M. institutum, qui annonas ciuicas auxisse, nouasque instituisse dicitur, *l. 2. supr. de frum. V. Constantinop.* & *l. 13. 14. infr.* vbi dicam. An quia denique Vrbi Constantinopolitanæ ædificiis abunde prouisum; sic vt eas Annonas ad alios transferri iam nihil impediret? quod iuuari possit altero eiusdem Theodosii exemplo *in Nouella Theodos. 12.* Quicquid huius sit, ad primam mentem suam postea proscripto cæsoque Proculo rediisse eum, docet *lex 12. infr.* ibi, *& si qua scholarum nomine defenduntur.*

(*) Locum classicum habes in *HELIODORI Æthiop. lib. 9. pag. 431. 432. Edit. Commelin.* quem excitauit etiam *CL. BARTHIVS ad Claudian. l. c.*

XI. (a) Idem AAA. (b) Aureliano P. V. (c)

ANNONAS ciuicas ad hoc Militaribus (d) viris beneficium Diuale (e) distribuit, vt qui emolumenta (f) perciperent, ædificandi studio magnitudinem Vrbis (g) augerent: Ac proinde, ne frustra deputatis commodis perfruantur, quorum ope incrementa mœnium (h) non iuuantur, id super his annonis, quæ Scholis (i) erogari solent,
P. 252 seruandum est, vt hii tantum qui domus habent, deputata suo nomini commoda consequantur, aliæ retractatæ, (k) adque in suspenso habitæ, Nostræ Munificentiæ reseruentur.

uentur: his tantummodo, etiamsi (l) liberalitas sacra extiterit, deputandæ, qui ex numero Militarium virorum annonas pro extructis domibus beneneficio nostræ adnotationis acceperint: vt & parata sui (m) munera habeat largitas, & superfluis necessitas non grauetur. Dat. VI. Kalend. Maii, Constantinop. DN. Theod. A. III. & Abundantio Coss. (393.)

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iust.* GOTHOF.

(b) Recte huic constitutioni tertius Augustus *Honorius* scilicet additur, non *superiori*: iam enim *IV. Idus Ianuar.* his Coss. adscitus. *ID.*

(c) *Aurelianus* hic post Proculum P. V. fuit: Eidem inscribitur *lex* 12. *prox.* de eo vid. *Prosopogr.* *ID.*

(d) Dixi de his ad *l.* 7. *supr.* *ID.*

(e) Constantini M. *l.* 9. 10. *supr.* & *l.* 12. *infr.* *ID.*

(f) Emolumenta annonarum *d. l.* 10. *supr.* emolumenta ciuica *l.* 13. *infr.* *ID.*

(g) Constantinopolitanæ. *ID.*

(h) *Mœnia*, hic sunt, ædificia priuata: vid. de hac voce *Gloss.* *ID.*

(i) Sagittariorum & Clibanariorum: *d. l.* 9. *ID.*

(k) *Retracta.* *ID.*

(l) Is hic locus interpungendus: hactenus male: *his tantummodo etiam*, *si* &c. *ID.*

(m) Id est, vt habeat quo largitatem *suam* Princeps exercere possit. *ID.*

XII. (a) Idem AAA. Aureliano P. V. (b)

SI quæ speciatim annonæ domus in hac (c) Vrbe habentibus Diuæ memoriæ Constantini, vel Constantii, † largitates (d) concessæ sunt, adque in heredes proprios iure successionis, vel in extraneos venditionis titulo transierunt, erogatione solita ministrentur: & si quæ Scholarum nomine defenduntur. (e) Inlustris igitur Magnificentia Tua & hanc super his formam custodire debebit. Si quæ vero ad arbitrium Proculi (f) datæ nobis nescientibus erogantur, & retrahere eas ilico, & reuocare debebit. Dat. XII. Kalend. Decembr. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio Coss. (393.)

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustinianeo.* GOTHOF.

(b) Eidem inscribitur *l.* 11. *supr. prox.* *ID.*

(c) Constantinopolitana. *ID.*

† *Constantii* hac in re nulla alibi memoria. *ID.*

(d) *γρ. largitate:* Ita quoque *l.* 11. *supr. prox.* *vt & parata sui munera habeat largitas.* *ID.*

(e) Non est hæc vox sollicitanda, mox vt ostendam. *ID.*

(f) Cui duæ superiores *leges* inscriptæ sunt: & de quo mox plura. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE SCHOLARIVM, & ÆDIVM annonis, speciatim sunt hæ constitutiones. In vniuersum autem QVATENVS & quibus annonæ illæ debeantur, definit his duabus constitutionibus Theodosius M. eodem Anno ad eundem Aurelianum P. V. Constantinopolitanæ datis. Eo scilicet summo fine, vt ne nouis semper annonis opus esset, atque adeo vt immodicum annonatum ciuicarum vsum coërceret, siue qui dudum inualuerat, siue qui a Proculo P. V. Aureliani cui *hac lex* inscribitur, decessore auctus fuerat: cum iam non haberet amplius Theodosius, quo largitatem exerceret, superfluis annonis vrbs grauabatur. Igitur Theodosius annonarum coërcendarum impetum cepit; sic tamen, vt contraria *his legibus* constituerit. Primum quidem MILITARIBVS viris (id est scholaribus, quod vel *hac lex* probat *in sequentibus*, & prolixius ostendi ad *l.* 7. *supr.*) tributas a Constantino annonas ciuicas, ita demum deberi interpretatur, si domos haberent, seu si domos extruxissent. Hanc scilicet interpretationem Constantini instituto nunc demum affingit hactenus incognitam, quandoquidem hactenus simpliciter vel scholis ipsis eas donatas ipse Theodosius asserebat *l.* 9. vel saltem singulorum scholarium viritim meritis: *l.* 10. Atenim tertiam nunc nouam-

que interpretationem adfert, puta neqoe scbolis in geoere, neque vulgaribus scholarium meritis eas a Constantino M. tributas, verum iis demum scho laribus, qui dnmos extruxisseot, quorum ope inetementa mœnium iuuarentur: denique eo fine iributas, vt scholares seu militares Viri, Mogoitudinem Vrbis Constaniinopolitanæ augerent. Quæ quidem interpretatiô nnn taotum superioribus constitutionibus conttaria est, verum etiam *posteriore leg.* mox infirmatur: ibi quippe iam diserte distinguuntur tributæ Annonæ a Constantio & Constantino domos in Vrbe Constantinopol. habentibus, a Scholarium annonis: vode efficitur, Sebolaribus simpliciter annonas concessas fuisse. Et sane Constantinus non iis solis, quod quidam censent, aononas ciuicas deputauit, qui in vrbe domos haberent: Fuit hic qoidem vous ex *titulis* seu generibus annonarum ciuicarum, vt vocatur *l. 1. supr.* a Constantino M. institotus: qui & cæteroquin aliis rationibus variis Constantinopolim ædificiis augere instituit: quo pertinet quoque præter ea, quæ scribit Zosimus *lib. 2. cap. 30. 31.* & ex eo Euagrios, *lib. 3. cap. 41.* iosigois *Nouella Theodosii 12. l. 1.* Sed non fuit hic solus titulus annonarum ciuicarom: vt docent tot aliæ *leges:* ac nominatim *lex 7. supr.* & *l. prox. 13. infr.* Nam & annonæ ci-
P.253 uibus in commune datæ: populo, vnde *Populares*, datæ & Palatinis, & Militaribus seu scholis: & diuersi ab bis ædium panes, de quibus *l. 1. 5. supr.* & *initio buius leg. 12.* & *l. 2. supr. de frum. V. Constantinop.* E quibus legibos, *lex 5.* diserte separat ciues Romanos buceellas mundas sine pretio consequentes, ab his, qui ædificiorum panem percipiebant. Quanquam & hic illud dicere quis posset prn Theodosin, etsi incommune domns ædificantibus annonæ dareotur, tanto maiores tamen datas Schnlaribus. Mihi sane Theodosius videtur ad propositum suum Constantini mentem detorsisse.

In quo tamen neque ipse perstitit: mox enim non tantum annonas DOMIBVS concessas præstari voluit, etiam venditas, etiam in hæredes transmissas; sed etiam eas, quæ SCHOLARVM nomine defenduntur: id est, quæ Scholaribus primum concessæ, mox ab his venditæ, vel ad hæredes transmissæ, *scholarum* semper *nomine* & nrigine *defenduntur*, sustioentur: quod & ipsum constituerat paulo ante *l. 10. supr.* constitutione data ad Proculum P. V. Et sane vt *priore lege* puta *11.* primo impetu immodice aononas ecercitium iuerat Theodosius M. Proculo iam cæso; ita impetum mox repressit, *posteriore*, puta *l. 12.* Distinctione iam facta inter veteres & bene fundatas annonas, & inter Proculeiaoas, seu a Proculo datas. Nempe Ædificiorum anoonas & scholarium nptimo iure esse iubet, quas siue Coostantinus, siue Constantius concesseraot. De Constaotion iam dictum. De Constantii hac parte facto nulla alibi memoria extat. Immo Constantium Cnnstaotinopolitanis iratnm dimidiam annonarum ciuicarum partem ablatum iuisse, iam *supra* nstensum est ex Soctate *lib. 2. cap. 13.* & Snzomeno *lib. 3. cap. 7.* verum de Ædium annonis hic res est, quas Constantius auxit, qui saoe in immensum Constantinopolim nnuis incrementis, & ædificiis auctum iuit, quod Themistius testatur *orat. 13.* ac nominatim *pag. 292. & 303. Edit. Petau. in 8.* peculiari quadam in eam vrbem propensione: inter cætera, qund eodem tempore a patre excitata fuisset, quo ipse Cæsar factus: qua causa Themistius Constantii respectu, eam vocat πόλιν τῆς βασιλείας ἡλικιώτην, *vrbem imperii æqualem.* Et ita quidem *d. pag. 303. Edit. citat.* Theodosius veteres rursum annonas confirmauit. Atque adeo de *Nouis* Annonis cogitauit, supplendis videlicet Ædium & scholarium annonis, quæ extra hos titulos, alienatæ translatæque fuerant: de quibus Nouis Annnnis *ad ll. proximas.* Conteotus nouas a Proculo P. V. institutas reuocare: a Proculo, inquam, P. V. ad quem duæ superiores *Constitutiones* datæ sunt: quique superioris anni fine *VIII. Id. Decembr.* in Syeis capite plexus fuit: de quo videndus Zosimus *lib. 4. cap. 52.* Claudianus *lib. 1. in Rufinum v. 245. seqq.* Asterius extremo *homilia in festum Kalend. pag. 60. Edit. Ruben.* Auctor *Chronici Alexandrini pag. 708. 709. Edit. Rader.* (qui perperam id refert in hunc ipsum Annum 393.) De quo eiusque patre Tatiano, semel dixi ad *l. 9. supr. de indulg. criminum.*

XIII. (a) Impp. ARCAD. & Honor. AA. Africano P. V. (b)

EOs, quos in hac (c) Vrbe domos non habere cognoueris, annonis Nouis, (d) quolibet titulo (e) acceptis, priuari Tua Magnitudo præcipiet, nec vllis emolumentis (f) ciuicis adiuuare: Neque enim fas est, vt qui Vrbis (g) adfectum domus indicio monstrare neglexerint, eius commodis perfruantur. Sin vero quisquam est, qui sedes spondeat habiturum, nisi intra sex menses instruxerit, (h) nequaquam publicarum annonarum modum potiatur. (i) PP. III. Kalend. Aug. Constantinop. Arcad. IV. & Hon. III. AA. Coss. (396.)

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iustinianeo.* *GOTHOF.*

(b) *Africanus* P. V. Constantinopolitanæ sub Arcadio: vid. *Prosopogr.* *ID.*

(c) Constantinopolitana. *ID.*

(d) Seu nouo canone *l. prox. 14.* *ID.*

(e) Annonarum ciuicarum. *ID.*

(f) Dixi ad *l. 11. supr.* *ID.*

(g) Id est, adfectum quem vrbi gerit, vel debet. *ID.*

(b) *Instruxeris*, pro *extruxeris*. *ID.*

(*i*) Sustineri hoc potest, imo debet, vt in *Gloss.* dico. Etsi melius vel *modo*, vel *commodo potiatur*. *ID.*

XIV. (a) Idem AA. (b) Clearcho P. V. (c)

INclytæ recordationis Pater (d) Clementiæ Nostræ post solitum (e) canonem, qui Vrbi Augustissimi nominis præbetur, certum Annonarum modum de Nouo (f) canone addendum esse constituit: Et quia nonnullos absque liberalitate nostra ex ea quantitate annonas consequi compertum est, Magnificentia Tua nulli ex eo modo annonam faciat ministrari, qui (g) vel liberalitate nostra perceperit, vel super his (h) quæ ab Inlustri Sede Magnitudinis Tuæ ei sunt deputatæ, Triumphalis (i) dexteræ nostræ confirmationem est consecutus. Dat. XI. Kalend. April. Constantinop. Arc. V. & Hon. V. AA. Coss. (402.)

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex* à *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) Theodosii Iun. quoque nomen *huic legi*. adscribendum: initio enim huius Anni iam *III. Id. Ianuar.* Augustus
P.254 a Patre adscitus: Sozomenus *lib. 8. cap. 4. in fin.* & Chron. Alex. *pag.* 712. 713. *Edit. Rader.* vid. *Chron.* *ID.*

(c) De hoc *Clearcho*: vid. *Ind. pers.* *ID.*

(d) Theodosius M. *ID.*

(e) Veterem a Constantino institutum, a Constantin auctum: *l. 12. supr.* *ID.*

(f) Annonæ nouæ, *l. 13.* *ID.*

(g) *vg. ni*, vel *nisi*, vel *quam qui*. *ID.*

(h) Annonis. *ID.*

(i) Similiter *l. 16. supr. de murilegul.* de Phaleratis bis Imperatorum titulis semel dixi *in Imper. Rom.* *ID.*

COMMENTARIVS.

ARcadii Imperatoris cnostitutiones tres sequuntur de Annonis ciuic s: & duæ quidem hæ priores pertinent ad Dispensationem Nouarum annonarum a Theodosio M. patre suo institutarum: quinam inquam ex iis aliquid percipere possint. De *Nouis* his Annonis prius videndum est. Igitur earum auctorem diserte facit Arcadius patrem suum Theodosium M. *l. 14.* *Inclyta recordationis Pater Clementia nostra post solitum canonem, qui Vrbi Augustissimi nominis prabetur, certum annonarum modum de nouo canone addendum esse constituit.* Sed & Theodosius Iunior hunc ipsum Theodosium M. Auum suum, eius authorem facit, *l. 2. supr. de frum. V. Constant.* *Ita enim debes*, inquit, *canon ab inclyta memoria Constantino prastitutus, nec non a Diuo Pietatis mea Auo auctus expendi.* Nouæ autem hæ annonæ a Theodosio M. institutæ fuerunt proculdubio supplendis Ædium annonis, quarum bona pars extra hos titulos alienata translataque fuerat: neque enim aliter ea alienatio seu translatio probari potuit a Theodosio M. vt sane probantur *l. 10.* & *12. supr.* quam nouas subinde annonas nouatum ædium extructoribus tribuendo: quod etiam ad superiores *leges* aliquot ostensum est. Sane Themistius *orat. 6.* quam habuit Anno D. 384. (seu sexto Theodosiani Imp. anno,) eo nomine Theodosium laudat, quod annonam ciuicam auxerit: *καὶ οὐκ ἐκτείνει μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐπαύξει τὸ σιτηρέσιον, nec rependit solum, sed etiam annonam adiicit;* Qui ibidem *p. 160. 161. Edit. Petau. 1613. in 8.* ait, non tantum a Theodosio varia opera publica excitata: verum etiam eius exemplo priuatos ædificia varia excitasse. Hinc igitur Theodosius nouas annonas instituit. Ita quidem vt huic rei destinarit, canonem aliquem seu certum frumenti modum & quantitatem, certam modiationem; vnde *Nouus canon* præbendus post *solitum* canonem *hac leg.* vocatur; canon a Theodosio auctus, *d. l. 2. supr. de frum. Vrb. Const.* Et certe hoc illud est Peritteuma 125. modiorum frumenti diurnorum annonis Vrbis Constantinopol. a Theodosio M. adiectum, *l. 2. Cod. Iust. de annonis ciuilibus.* Cuius *legis* hæc verba sunt: *Centum viginti quinque modios frumenti prater solitum canonem, per singulos dies, de prasenti sexta indictione ex die Kalend. Iuniarum* (ita recte MS. non *Ianuarii*:) *nomine Peritteumatis de horreis publicis huius almæ vrbis insita nostræ pietatis liberalitate tribuimus, datis sacris apicibus ad sublimissimam quoque per Orientem Prafecturam, quibus possit & modum nostra donationis agnoscere, & incunctanter prabere qua iussimus: quam modiationem iugiter & in perpetuum ciuibus nostris debere conferri valitura in aeuum hac lege sancimus.* Huius *leg.* auctorem Holandrina & Cuiaciana editio perperam Martianum A. faciunt: Recte omnino aliæ editiones *Theodosii Arcadii & Honorii* nomina præferunt: Adscribendusque consulatus *Theodosio III. & Abundantio COSS.* id est, Anno D. 393. huic enim Anno congruit sexta Indictio, cuius *ea leg.* fit mentio, vt videre est apud Marcellinum *in Chron.* & *in Chronico Alexandrin. pag. 708. 709. Edit. Rader.* Et sic ad eundem annum, qui subscriptus est *legi 11.* & *12. supr.* Quinimo data proculdubio *hac lex* non ad PP. Orientis, cuius *ea leg.* tanquam alterius mentio fit, ac multo minus ad Tatianum PP. quod exhibet Cuiaciana editio, qui sane Anno superiore iam Præfectura sub-

submotus fuerat; verum *Aureliano P. V.* cui ipsi inscribuntur *d. l. 11.* & *12.* In cuius etiam *legis* explicatione Cuiacii error, qui & *parapeteuma* ea leg. repoonit ex vetaribus libris, & *tessera* nomen facit, eum & *peritteumatis* vox ibi legitima fit; περίττευμα est *abundantia*, *incrementum*, *augmentum*, & quod ex abundanti vel est, vel adicitur; *supererogatio*. Sic sane & a Theodosio Iun. huius nepote additis a se Alexandrinae ciuitati annonis 180. modiis diurnis, Periffochoregiæ nomen indidit: *l. 2. infr. de frum. Alexandr.* Sed & illud male Cuiacius, quasi *ea leg.* Imp. iubeat tesseris suæ pietatis nomen adiici: nam verba illa *insita nostra pietatis liberalitate*, non id volunt, inferendum nomen suum tesseræ, verum se hoc incrementum dedisse pro innata sibi pietate & liberalitate: Et hæc de nouis annonis a Theodosio M. institutis. Hæ vero duæ Arcadii *leges*, sunt de hac Theodosiani nouique canonis dispensatione. Igitur Arcadius anno, & quod excurrit post patris obitum, *Ædium* titulo has nouas annonas affectat, *l. 13.* sic vt nulli alii ex hoc nouo canone annonas tribui velit, quam qui domos tum haberent: & (vt eleganter loquitur,) quam *qui vrbis adfectum domus indicio monstrarent*, id est, qui testatum facerent affectum quem Vrbi Constantinopolitanæ gererent, domibus in ea excitatis: Iuberque adeo, vt si quæ alio titulo hactenus donatæ fuerunt reuocentur, exempli gratia vel popularibus, vel scholaribus seu militaribus, vel Palatinis. Et sane nouas has annonas seu nouum canonem a Theodosio M. institutum ad ædium annonas docet quoque Theodosius Iun. Arcadii nostri filius *l. 2. supr. de frument.* *Vrb. Constant.* Verum cum ad alios titulos translatus quoque fuisset, id est, aliis quoque ex nda annonæ donatæ fuissent, quam qui domos haberent, seu exstruxissent, eas reuocari voluit Arcadius *hac leg.* Et tamen idem easdem nondum domos habentibus, sed habituris, easque spondentibus pollicetur, dummodo intra Sex menses domos construxerint, id est, extruxerint. Contra si serius extruxerint, eas anoonas præberi vetat. Quod quidem arguit ingens Arcadii studium in auganda Magnitudine Vrbis Constantinopolitanæ, qui annonas illas nonnisi vel domos iam tum habentibus destinauit, vel domos intra sex menses excitantibus. Sane Arcadii ipsius studium in excitandis operibus Constantinopoli discere licet ex *veteri Vrbis Constant. descriptione*, ex *Chronico Alexandrino*, & *Cedreno*. Quare & aliis tum exemplo suo, tum & *hac leg.* praiuit, proposita harum annonarum largitate domos vel habentibus, vel saltem intra sex menses excitantibus.

Et ita quidem Arcadius *l. 13.* constituit: sic factum, vt ex hoc nouo Canone annonæ nonnullis aliis tribui cœperint, quam domos habentibus, eo quod non essent domorum domini sufficienti numero, in quos hic nouus canon integer erogaretur: neque tantum liberalitate Arcadii ipsius, verum etiam Præfectorum vrbis. Ideo Arcadius posteriore *l. 14.* vetat aliis huiusmodi annonas donari, quam quibus id vltra ipse tribuisset, vel si largitionem a P. V. factam ipse manu sua confirmasset. Denique hoc liberalitatis & erogationis nouæ annonarum genus sibi soli reseruauit Arcadius.

De OLEI *quod publice præbitum modo & sextario imminuto.*

XV. (a) Idem AA. (b) Monachio (c) P. V. (d)

DISPOSITIONE Magnificentiæ Tuæ Olei mensuram firmam manere præcipimus: vt decem & octo, per singulos sextarios, scripulis, ad certorum Ordinum (e) commodum, commoderata (f) dispositione tua, retentis ac distributis, sextarius olei ad viginti vnam semis vnciam redigatur: Quam mensuram, certum designatis suggestione (g) corporibus solatium constitutam, nullius posthac fraude credimus (h) adtemptandam. Dat. XV. Kalend. Mart. Basso & Philippo Coss. (408.)

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex a Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) Tertius *A.* Theodosius Iun. inquam, hic addandus, vt ex dictis ad *l. supr* liquet. *ID.*

(c) *vg. Monaxio*: vt *l. 19. supr. de Palat. S. L.* & *l. 1. supr. de frum. V. Const.* & aliis. Huius mentio apud Auctorem *Chron. Alexand.* Ann. 409. *pag.* 716. 717. *Edit. Rader.* vid. *Prosopogr.* *ID.*

(d) Constantinopolitanæ. *ID.*

(e) Corporum *infr. fine leg.* *ID.*

(f) Pro simplici, *moderata.* *ID.*

(g) Tua scilicet. *ID.*

(h) Censemus, iubemus. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE OLEO, quod gratuitum populo in gymnasia, balneaque, &c. dabatur, est hæc Arcadii Imp. constitutio: & quidem quod dabatur populo Constantinopolitano, de quo est quoque Suidæ locus, *in voce* Παλατῖνοι, vbi addit & κρέα & οἶνον, quæ ex munificentia Constantini profecta sint: quæque aliquamdiu stetisse ait, pariter vt datum populo Romano: de quo posteriore, *l. 3. supr. de canone frum V. R.* vbi vide quæ dixi: & *tit. infr. de mensis oleariis*: & *l vltim. supr. de curatore Kalendarii.* Fuit inquam & hæc annonæ ciuicæ pars in vtraque Vrbe Roma. Themistius sane quoque in Vrbe

Vrbe Constantinopolitana ab Imperatore, seu ex Imperatoris fisco datos sibi ducentos tritici modios, totidemque olei *κεράμια* scribit *orat. 4. pag. 114. Edit. Petau. 1613. in 8.*

Erogatum vero oleum id per *Sextarios*, docet hæc constitutio. Huic mensuræ per singulos Sextarios Monaxius P. V. octodecim scrupulos detraxerat, seu sextarium 18. scrupulis minorem fecerat, ad certorum videlicet ordinum commodum, seu ad certorum corporum solatium. Nempe, vt ita ex hac imminutione seu detractione, posset illis quoque Ordinibus, seu Corporibus oleum præberi: quomodo & annonæ ciuicæ seu panis modus quandoque diminutus: vid. *l. 5.* Iam Monaxii P. V. dispositionem, ad eius suggestionem, *hac leg.* firmat Theodosius Iun. vt ita deinceps Sextarius olei ad viginti vnam semis vnciam redigatur. Vnde apparet, Sextarium olei hactenos maiorem fuisse in Vrbe Constantinopolitana viginti vna & semis vncia: Imo diserte apparet, olei Sextarium fuisse viginti duarum vnciarum & sex scripulorum. Priscianus postea *carmine de ponderibus & mens. v. 91. seqq.* Sextarium olei facit octodecim tantum vnciarum, cum aquæ & vini esset viginti vnciarum: mellis vero 30. vnciarum:

Illud præterea tecum cohibere memento
Finitum pondus, varios seruare liquores:
Nam libra, (vt memorant) bessem Sextarius addit,
Seu puros pendat latices, seu dona Lyæi.
Addunt semissem libræ lucentis olivi:
Sesibramque ferunt mellis superesse bilibri.

Atenim ex *hac leg.* liquet, fuisse sextarium in Vrb. Constantinop. viginti duarum vnciarum, & sex scripolorum: vncia quippe 24. scripulos faciebat, vt apparet ex *libro* eiusdem Prisciani *de nummis vel ponderibus*, quem Symmacho inscripsit, *pag. 1347. inter Grammat. H. Putschii.* Cæteroquin sextariorum magna differentia fuit, in Orbe Romano: nam & sextarius *vrbicus* ab *Italico* distinit, vt apparet ex Palladio *de re rustica*: cuius *sextarii Italici* meminit quoque Aëtius in confectione olei myrthei.

Quinam autem hi Ordines, seu hæc Corpora sint, quibus hac sextarii imminutione consultum voluerit Monaxius P. V. primum, mox & Arcadius? alta nocte premitur. Si coniecturæ locus est, quibusdam Scholis consultum fuisse videtur, atque inter cæteras *Arcadicis*, quæ ab Arcadio Constantinopoli institutæ. Cedrenus Arcadianorum meminit, quinto Imp. Arcadii Anno, & sic Anno D. 399. *pag. 327. Edit. Reg. inter S. R. B. ποιεῖ δὲ καὶ ἴδιον ἀριθμὸν ἐν Κωνσταντινουπόλει, οὓς ἐκάλεσεν Ἀρκαδιακούς, etiam peculiarem numerum Constantinopoli instituit, quos Arcadianos appellauit.* Qui ipsi *Arcadiani* videntur, quorum non vna mentio *in Notitia Imp. Orientalis*, sub Magistris militum.

P.256

DE MENDICANTIBVS NON INVALIDIS.

TITVLVS XVIII.

Lib. XI. Cod. Ivst. Tit. XXV.

De Mendicantibus validis. Ita conceptus *Titulus* in *Cod. Iustin.*

De Mendicantibvs *validis Vrbe Roma exigendis Valentiniani Iun. constitutio.*

I. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianvs & Theod. AAA. ad Seuerum P. V (b)

Cvnctis adfatim, (c) quos in publicum quæstum (d) incepta (e) mendicitas vocauit, inspectis, exploretur in singulis & integritas corporum, & robur annorum: adque ea (f) inertibus, & absque vlla debilitate miserandis, necessitas inferatur, vt eorum quidem, quos tenet condicio seruilis, proditor studiosus & diligens dominium consequatur: Eorum vero, quos natalium sola libertas prosequatur (g) colonatu perpetuo fulciatur, quisquis huiusmodi lenitudinem (h) prodiderit, ac probauerit: salua dominis actione in eos, qui vel latebram forte fugitiuis, vel mendicitatis subeundæ consilium, præstiterunt. Dat. XII. Kalend. Iul. Pataui, Antonio & Syagrio Coss. (382.)

NOTÆ.

(a) *Lex vnic. Cod. Iustin. eod. tit.* GOTHOF.

(b) *Seuerus* P. V. Romæ sub Valentiniano Iun. Eidem Inscribitur inter alias hac ipso Anno *lex 4. supr. de calcis coctoribus*: vid. *Prosopogr.* ID.

(c) *Cunctis*, *adfatim*, id est omnibus, qui magno numero sunt. Vox hæc a *vulgatis Cod. Iust.* abest: in MSS. addita: de hac voce mox. ID.

(d) *Quæstum*, id est, ἔρανον, stipem. ID.

(e) *Incerta*, Cod. Iust. An igitur *incerta*, id est, simulata? Apuleius *Apologia pag. 259. Edit. Lugd. B. apud. Ioan. Maire* 1623. de paupertate agens · *quod ea non simulata, sed vere fungimur?* Minime. An *infecta?* nempe transeuntibus. Nil mutandum; *incepta mendicitas* est, quam cuiusdam professionis genere quidam occipiunt, affectant, & sequuntur: mendicitatem subeunt, vt *fine legis* dicitur. ID.

(f) Abest a *Cod. Iustin.* ID.

(g) Rectius *prosequitur*, vt supr. *quos tenet conditio seruilis.* ID.

(h) *Lenitudo*, pro inertia & ignauia, *hac leg.* & *l. 7. supr. de accusat.* vbi plura. ID.

COMMENTARIVS:

DE MENDICANTIBVS in Vrbe Roma validis est hæc Valentiniani Iunioris constitutio data Anno D. 382. Qui scilicet quamplurimi hoc tempore ibi erant, & vt ipse Valentinianus ait, *ad fatim*, id est, κατακόρως, πάνυ, vt est in veteribus Glossis *Philoxen.* Quomodo etiam in *l. 3. supr. de suariis*: *ita vt populo porcinæ species adfatim præbeatur*; & Victor *de Cæsar. in Aurelian. c. 35. simulque vsus porcinæ carnis, quo plebi Romanæ adfatim cederet, prudenter munificeque prospectauit.* Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 6.* de eadem Vrbe Roma: horum ipsorum temporum Scriptor: *Licet, quocunque oculos flexeris, fœminas adfatim multas spectare cirratas.* De Mendicantibus, inquam, est *hac lex*, *quos in publicum quæstum incepta mendicitas vocauerat*, id est, qui non inualidi, sed *mendicitatis tantum subeunda consilium*, & professionem quandam amplexi erant, vt ferme *fine legis* dicitur: quos *mendicitas incœpta*, seu consilium & propositum mendicitatis in publicum quæstum miserat, qui vt in illo *Plauti* est, *OCCEPERANT quæstum*: *Quæstum publicum*, id est, stipis ad necessarium victum publice atque ostiatim per vias publicas, plateas, vicos, Ecclesias, corrogationem: Qua ipsa voce vtitur Ambrosius in eadem re, *loco* quem mox proferam. *Quæstus* est stips, ἔρανος quæ publice corrogabatur a mendicabulis: cuiusmodi etiam fuere Metragyrtæ olim, qui *per plateas Deam Syriam* (seu Isidem, Idæam Matrem) *circumferentes, mendicabant*, vnde & *circumforanea mendicabula*, de quibus præter alios Apuleius. Lucianus, Arnobius, *lib. 7. aduersus gentes pag. 241. Ed. Stewech 1604. in 8* Quo etiam illud vulgo referunt Tertulliani *Apol. cap. 13. Maiestas QVÆSTVARIA efficitur, circuit caupona religio mendicans.* Error enim hactenus grauis est Virorum doctissimorum, qui hoc loco, hisce verbis, *quos in publicum quæstum incepta mendicitas vocauit*, indicari putant, *popularem annonam mendicis inualidis dari solitam*: Imo his verbis mendicabula circumforanea indicantur, stipem publice colligentia, corrogantia, ἐξ ἐράνου τὴν τροφὴν πορίζοντες: quo sensu ipsi Galli efferunt vocem *Quæstus*, *la Queste*: qua subsidia quæruntur ad victum necessaria. Et sane de his hic agi, ipsa *legis* dispositio euincit: Agitur enim de seruis, & colonis aliunde Romam profectis & fugitiuis: qui sane ciues Ro-
P. 257 mani non erant, quique nullas annonas ciuicas accipiebant, vt docuit *lex 6. 7. supr. de annonis ciuicis*: Rursum agitur de eorum proditoribus, quod ad publicam annonam percipientes minus pertinet.

Neque etiam Græci *hanc leg.* aliter acceperunt: τοὺς αἰτοῦντας, inquiunt, ὑγιεῖς ὄντας καὶ νεάζοντας, *mendicantes qui sani sunt, & annis vegeti. Synops. Basil. lib 54 tit. 27 cap. 5. pag. 464.* Est igitur *hac lex* de Mendicabulis circumforaneis aduenis, ferme in Vrbe Roma versantibus, qui magno numero eo confluebant, velut in tantam vrbem, vt cæteroquin omne hominum genus confluebat, & conueniebat: de quo dixi ex Ammiano Marcellino, Symmacho, & aliis, ad *l. 2. de fid. cathol.* Igitur cum hi Romæ adfatim magnoque numero essent, Valentinianus Iun. hac constitutione sua, ad Præfectum Vrbis Romæ emissa, discerniculum eorum facere instituit: vt ita fucos, & alimenta inertiæ quærentes, vt loquitur Valerius Maximus, *lib. 2. cap. 6 num 7.* ab hoc quæstu submoueret, qui sola *lenitudine*, id est, inertia, ignauia, ἐργασίαν, atque opus fugientes, mendicitatem quæstui habebant: Quod facere solitos indicat *hac lex*, tum seruos, tum colonos alienos, dominos eorumque opus fugientes, proculdubio Romam sese eo ex Prouinciis conferentes, ceu magnam Vrbem, quæ his latebram facile præbitura esset: vbi effusa præsertim largitas Christianorum erat, pauperibus bona & eleemosynas erogantium; quos ideo *Pauperum Munerarios*, *Egentium Candidatos* vocat Hieronymus *epist. ad Pammachium 26. pag. 106. Tom. I. Oper. Edit. Francf. 1684.* Et id quidem Damaso Episcopatum Vrbis gerente tum. Sane in Vaticano potissimum, atque in vestibulo ædis Apostolorum hæc pauperum turba stipem petentium erat, vt ex Ammiano Marcellino *lib. 27. cap. 3.* discimus, & ex Prudentio *aduers. Symmach. v. 584.* Recentiora omitto. Mens igitur seu sententia Valentiniani Iun. isthæc est vnica, vt inertes huiusmodi & absque vlla debilitate miserarios Vrbe Roma submoueat, vicosque publicos, Vrbemque adeo hisce mendicabulis liberet, atque incondita turba, inutilique pondere terræ. Quo pertinet gemina prouisio seu dispositio Iustiniani *Nouella 80. de Quæstore*: quod initium eius quoque ostendit, *cap. 4. & 5* Ne videlicet (nam hæ tres causæ reddi possunt) aut priuatos emungerent, aut Ecclesiarum eleemosynas exhaurirent, vel denique graues Vrbi essent, hac præsertim tempestate, qua inanem turbam, peregrinosque ob annonæ inopiam pelli sæpe contingebat: vt ex Ammiano Marcellino *lib. 14. cap. 6.* Libanio *in Antiochico p. 366 Ed. Morell.* Themistio *orat. 6. pag. 160. Edit. Petau. 1613. in 8.* Ambrosio *lib. 3. offic. cap. 7.* discimus, & ex Symmacho *lib. 2. epist. 7.* Quam postremam eiectionem, cuius

cuius meminere Ambrosius & Symmachus, Anno proximo 383. euenisse censet Baronius, *num. 41.* Et quid si hoc quoque Anno iam timebatur annonæ defectus? vt proinde hæc constitutio seu prouidentia eo referenda videatur.

Media autem ad id perficiendum hæc Valentiniano Iun. placent: eo nimirum fine & prodi eos iubet, proditosque inspici, num integro corpore, num vegeta ætate sint: Proditoribusque huiusmodi reos, si serui sint, in seruitutem addicit: si liberi, (dominos tamen habentes) colonatui perpetuo subiicit: Seruata tamen dominis actione in eos qui fugitiuis vel latebræ, vel mendicitatis consilium præbuerint. Hæc ita Valentinianus. Atenim Iustinianus, etsi Constantinopoli ad eundem finem collineet, *Nouella 80. cap. 4.* tum circa mendicantes validos *αὐτόχθονας*, quo pertinet *d. c. 5.* tum circa *aduenas*, quo spectat *cap. 4.* pariter vt *hæc lex*, paulo aliter tamen rem definit: illos enim operibus publicis addici iubet: hos, ad dominos remitti. *Capitis quarti*, quod huc pertinet, imo quod ad *hanc legem* vbique alludit, verba hæc sunt: *εἰ δὲ βίου πρόφασίν τινες, ἢ δίκης αἰτίαν οὐκ ἔχοντες, ἐπὶ ταύτης εἰσὶ τῆς ἡμετέρας πόλεως, ὥστε διαζῆν, ἢ ἐκ τοῦ μετιέναι, ἢ (τοῦτο πρὸς τὰς αὐτῶν ἐπιθυμίας οὐκ ἀρκοῦντος) ἤδη καὶ πλημμελεῖν: τὴν τῶν σωμάτων αὐτῶν κατάστασιν, ὁποία τίς ἐστιν, ἐποπτεύειν: καὶ εἰ μὲν ἔρρωνται αὐτοῖς τὰ σώματα, δυνατοὶ δὲ ἀρκεῖν πρὸς πόνον εἰσίν: εἰ μὲν οἰκέται τινῶν εἶεν, μανθάνειν τίνων εἰσὶ, καὶ τούτους καὶ ἄκοντας τοῖς κεκτημένοις ἐκπέμπειν: εἰ δὲ ἐλεύθεροι τὴν τύχην, καὶ ἔκ τινων ἐπαρχιῶν, ἢ πόλεων ὁρμώμενοι, τούτους ἐκπέμπειν εἰς τὰς ἐξ ὧν εἰσὶν ἐπαρχίας*, id est: *At si qui litis causam non habentes, tantum comparandi victus gratia in hac nostra sunt ciuitate, vt reliquum vita vel emendicando, vel si mendicitas ad illorum auiditates non sufficiat, tum etiam delinquendo transigant, corporum eorum constitutionem, qualis sit ea, inspiciat: & si quidem valentibus sint corporibus, possintque ad laborem sufficere, & aliquorum serui fuerint, perdiscat quorum sint, & vel inuitos ipsis dominis remittat: si conditione liberi sint, & vel ex Prouinciis aliquibus, vel vrbibus oriundi, hos in Prouincias remittat, unde ducunt originem.* Ita quidem vertit *Agylæus*, melius quam quomodo Vulgata. Ecce, & hoc caput est de aduenis & quidem fugitiuis seruis mendicantibus, atque ea causa ad vrbem accedentibus: rursum & hoc capite pariter *ἐπόπτευσις τῆς καταστάσεως τῶν σωμάτων*, inspectio, exploratio corporum iniungitur. Sed in eo *huic legi* derogatur, quod non proditoribus eos addici velit, verum ad dominos vel in Prouincias remitti. Est igitur, quod recte a Cuiacio adnotatum hæc *ἀργίας γραφὴ* quædam, quomodo & *d. Nouella* vocatur *cap. 10.* de qua cæteroquin *ἀργίας δίκη* apud Atticos, videndus Plutarchus *in Solone, pag. 87. Edit. Wechel.* Pollux *lib. 8. cap. 6. Sect. 40. pag. 878. Edit. Hemsterhuis.* Nicolaus, *apud Stobæum Sermon. 42. pag. 291. Edit. Tigurin. 1559.* Recte vero Thomas de Aquino animaduertit, hanc *leg.* non loqui de Viris Religiosis, vel vtilibus Reipublicæ, sed de inutilibus. Cuius sententiam firmat omnino argumentum & causa Historica *huiusce legis.* Tandem, quod huic vicinum est, Ambrosii quoque, qui eodem tempore scribebat, locus est *lib. 2. officiorum, cap. 16.* de *validis* vagisque *mendicantibus*, & vt Sacerdotes in hos alimoniam seu subsidia pauperum non effundant. Dignus est locus, qui hic adscribatur: *Liquet igitur debere esse liberalitatis modum, ne fiat inutilis largitas, cuius sobrietas tenenda est, maxime Sacerdotibus, vt non pro iactantia sed pro iustitia dispensent, nusquam enim maior auiditas petitionis. Veniunt VALIDI, veniunt nullam causam nisi VAGANDI habentes, & volunt subsidia vacuare pauperum, exinanire sumptum: nec exiguo contenti, maiora quærunt, ambitu vestium captantes petitionis suffragium, & natalium simulatione licitantes incrementa QVÆSTVVM. His si quis facile deferat fidem, cito exinanit pauperum ALIMONIIS profutura compendia. Modus adsit largiendi, vt nec illi inanes recedant, neque transcribatur vita pauperum in SPOLIA fraudulentorum. Ea ergo mensura sit, vt neque humanitas deseratur, nec destituatur necessitas. Plerique SIMVLANT debita. Sit veri EXAMEN. Exutos se per latrocinia deplorant, aut iniuria fidem faciat, aut COGNITIO personæ, quo propensius iuuentur*, &c. Ergo notabilis *hæc lex*, cui in Rebus publicis bene ordinatis locus sæpe fuit, & esse debet.

P.358 # DE PRETIO PANIS OSTIENSIS.

TITVLVS XIX.

Abest hic *Titulus* a *Codice Iustinianeo.*

I. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Theodoro PF. P. (b)

PANEM Ostiensem, adque fiscalem, vno nummo distrahi volumus. Sancimus autem, vt nullus per sacrum Rescriptum audeat pretium ampliare: (c) qui si obtulerit supplicationem, duarum librarum auri multa ferietur. Dat. Prid. Id. April. Med. Honorio A. IV. & Eutychiano Coss. (398.)

NOTÆ,

NOTÆ.

(a) Abeſt *hac lex a Cod. Iuſtin.* Eique iungenda eſt *lex 4. ſupr. de Canone frum. V. R.* GOTHOF.

(b) *Theodorus* PP. Italiæ ſub Honorio. Vid. *Proſopogr.* ID.

(c) *Ampliare* pretium, pro augere. ID.

COMMENTARIVS.

PANIS Oſtienſis, atque Fiſcalis pretium, quod nequidem reſcripto Principis augeri poſſit, definit *hac leg.* Honorius Imp. Quæ quidem *lex* prolixioris Honorianæ conſtitutionis pars eſt, qua is poſt Gildonem deuictum Annonæ Vrbis Romæ enixe effecte planeque conſultum iuit; ac nominatim Piſtorum cura ſuſcepta: tum ipſis conſulendo, quo pertinet *lex 4. ſupr. de Canone frum. V. R.* (quæ altera Honorianæ iſtius conſtitutionis pars eſt, ac proinde *huic* coaſſanda venit:) & retro aduerſus Piſtores, quo ſpectat *hac lex:* Pretio videlicet panis ſtatuto: Panis, inquam, Oſtienſis atque Fiſcalis.

De hoc pane, illud Primum ex *hac leg.* liquet eum venditum populo. Sic & Vopiſcus, Conſtantii Imp. æqualis, *in Aureliano cap. 48.* fiſcalia vina dixit. *In porticibus*, inquit, *Templi Solis fiſcalia vina ponuntur, non gratuita populo eroganda, ſed pretio.* Meminit quoque panis fiſcalis vetus Gloſſator Perſii, ad illud *Satyr. 3. v. 112.*

------ populi cribro decuſſa farina.

Farinam, inquit, *panem non delitioſius cribro diſcuſſum, ſed plebeium de populi annona, id eſt fiſcalem dicit.* Neque audio, qui fiſcalem illum panem, de quo Scholiaſtes Perſii, cum Gradili eundem faciunt: gradilis enim gratuitus fuit: at fiſcalis, vt docet hæc *lex*, pretio venditus. Ergo *fiſcalis*, non quod a fiſco donaretur, verum quod e fiſcali canone frumentario confectus eſſet, & vt loquitur *lex 4. infr. de operibus publ. ex fiſcali copia.* Quomodo & *fiſcalia vina* dicuntur *Vopiſco*, quæ de fiſcali vini canone erant.

Secundo, ex coniunctione *dictæ legis 4. ſupr. de Canone frum. V. R.* conficitur, venditum hunc panem populo a Piſtoribus: ſcilicet ex canone frumenti V. R. piſtores frumentum emebant a Caudicariis & Menſoribus, vt docet *lex 1. ſupr. de Canone frum. V. R.* atque exinde panem confectum vendebant: qui & ideo *fiſcalis* dictus.

Tertio mea ſententia *Oſtienſis*, panis idem videtur cum fiſcali: Nempe ideo *Oſtienſis*, quia ad portum oſtienſem canon fiſcalis omnis ſubuehebatur: inque eo Portu piſtores horrea cellulaſue habuere, (continendo ſcilicet frumento, quod ex fiſcali copia emerant) quod apertiſſime teſtatur *d. lex 4. ſupr. de Canone frument. V. R. Simili autem pœna*, inquit, *teneantur, qui aliquid ex his horreis cellulisue, quæ intra Vrbem Romam atque in Portu conſtituta, piſtorio iure retinentur, ſibimet, tanquam poſſeſſione priuata, auſi fuerint vindicare.* De Portu alioquin Oſtienſi iam *ſupr.* ſæpe dictum: & dicetur adhuc *duobus titulis* hoc ipſo libro, *de ſaccariis portus Romæ*, & *de patronis horr. Portuenſ.* Huc inter alia pertinet illud Prudentii *2. contra Symmachum, a v. 936.*

Reſpice, num Libyci deſiſtat ruris arator
Frumentis onerare rates, & ad OSTIA Tybris
Mittere triticeos, in paſtum plebis, aceruos?

Quarto hunc fiſcalem panem non de prima nota fuiſſe, tum ex ſuperiore Perſii Scholiaſte liquet, tum ex pretio, quod huic pani ponitur *hac leg.* neque tamen peſſimum: quod docet *d. lex 1. ſupr. de Canone frum. V. R.* Quare ſecundum fuiſſe oportet: qui vt confectus ex frumento quod leuiore pretio piſtoribus venundabatur, vt rurſum docet *d. lex 1.* ita & leuiore pretio ipſe panis inde confectus venundari *hac leg.* iubetur: *vno* ſcilicet *nummo:* id eſt, denario æreo, ſtipe minutiſſima: cuius generis ſex millia denariorum ſolidum conſtituebant. Caſſiodorus l. *Var. 10. ſex millia denariorum ſolidum eſſe voluerunt.* Heſychius, τὰ λεπτὸν ἑξακισχιλιοστὸν ταλάντου, ὅ ἐστι νόμισμα ὄν. Denique *diſpenſatorius* hic panis fuerit: quomodo *panem ſecundum, non ſiligineum*, (cuius mentio apud Vopiſcum *in Aureliano cap. 35.*) *non poſtremum, diſpenſatorium* vocat, vetus Horatii Interpres *ad lib. 2. ep. 2. v. 123.* eo quod a populo vulgo *diſpenſabatur:* non vero quod e gradibus diſpenderetur. Diſpenſatio, de populari & vulgari impenſa & erogatione. Huic igitur pani Honorius ita vnius nummi pretium ponit, vt id reſcripto augeri deinceps vetet: & ſupplicantem duabus auri libris multari iubeat pariter, vt alterum improbæ petitionis genus, tertiamque vſurpationis ſpeciam, aduerſus vtilitatem annonariam, quinque libris auri multa perſequitur *dict. l. 4. ſupr. de Canone frument. Vrbis Romæ,* quæ *huic*, vt dixi, coaſſanda venit.

P. 259

DE PRETIO PISCIS.

TITVLVS XX.

Abeſt & *hic Titulus* a *Cod. Iuſtinianeo.*

I. (a)

I. (a) Impp. Honor. & Theod. AA. Anthemio PF. P. (b)

QVI, Ministerii nostri causa, exhibendi (c) piscis cura vel sollicitudine tenentur, plus (d) a se exigi, quam quod emere potuerint, protestantur: Siquidem in tricenis libris sibi solidus ministretur, & multo disparem quantitatem vix ægreque valeant comparare. (e) Ideoque per vicena pondo piscis, primæ scilicet qualitatis, (f) memoratis (g) solidus ministretur. Spatangium sane in primæ qualitatis piscem inputari præcipimus, quod decem libras in pondus sua magnitudine, minime excedere videtur. Dat. XVII. Kalend. Maii, (h) Lucio V. C. Cos. (413.)

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustinianeo.* *GOTHOF.*

(b) *Anthemius* PP. Orientis, sub Arcadio primum, dein & sub Theodosio Iun. vid. *Prosopogr.* *ID.*

(c) Præstandi in Epulis Imperatoriis. *ID.*

(d) Piscis solcet. *ID.*

(e) Solido scilicet. *ID.*

(f) *Qualitas* piscis. Sic & qualitas frumenti, *l. 9. supr. de Suariis:* qualitas vini, *l. 2. supr. trib. in ipsf. sp.* *ID.*

(g) Ministerianis, qui exhibendi piscis cura tenentur. *ID.*

(h) Constantinopoli scilicet, vt postero die XVI. Kal. Maii *lex 177. de Decurionib.* *ID.*

COMMENTARIVS.

PISCI, qui epulis Imperialibus Constantinopoli exhibebatur a Ministerianis obsonatoribus, pretium ponit hac constitutione Theodosius Iun. Imp. ad ipsorum Ministerianorum protestationem seu querelam *Ministerianorum* inquam: hi enim *initio legis* designantur: de quibus in genere d. *l. 11. lib. 6. tit. de Castrensianis*, & *l. 5. supr. de diu. officiis:* quorum etiam fit mentio in *Notitia Imperii* sub dispositione *Castrensis fol. 59. Ministeriales Dominici*, qui scilicet priuato Principis ministerio intra aulam seruiebant. Quo sane Ministerialium numero fuerunt & *Obsonatores*: quorum mentio apud Spartianum *in V. Hadriani, cap. 17.* de quibus *hæc lex* accipienda est. Ἀγορασταὶ, qui scilicet præstinarent, quæ vsui erant ad Principis epulas, τέχνης ὀψωνητικῆς callentes. De opsonatoribus in commune, qui in Magnatum familiis erant, est insignis Ambrosii locus, *lib. de Helia & ieiunio cap. 8. pag. 530. Tom. I. Oper. Edit. Paris. 1614. f.* vbi inter cæteras cupedias, & opsonatoris inquisitionem, ponit quærentem, *vbi PISCIS recentior esset*: similesque in aulis Imperatorum hoc æuo obsonatores ὀψωνοῦντες, & quidem piscium: inter quos erant pisces Ægæi maris. Quo forte pertineat Pacati locus *in Panegyrico ad Theodosium, cap. 14.* vbi luxum quorundam, & quidem etiam Principum perstringens, ait illis demum cibis eos acquieuisse, *quos extremus Oriens, aut positus extra Romanum Colchus imperium, aut famosa naufragiis maria misissent.* Huiusmodi nempe fuit mare Ægæum: de quo dixi *ad l. ἀξίωσις 9. de leg. Rhod. de iact.* Et vero ad hanc Piscis ἀγοραστίαν gulæque delicias spectat *hæc lex:* Quæ docet, initque cum his Ministerianis opsonatoribus comparatum fuisse hac tempestate, quod cum ipsi piscem ad Epulas Imperatoris maiore pretio emere a piscatoribus cogerentur, vtpote siue magno tum in piscibus coëmendis populi luxu Constantinopoli, velut in magna vrbe, quem Antiochenis exprobrat Iulianus *in Misopogone*, siue piscatorum auaritia; minus tamen pretiom his ministraretur, seu quod plus piscis ab his exigeretur, quam quod emere potuissent: proculdubio cum *Castrensis S. P.* rationes eorum expungeret, sub cuius dispositione erant Ministeriales illi: qui & ideo rationibus Castrensianis dispungendis, peculiare *Tabularium* habebat, tum ipsius Imperatoris, tum & Augustæ: quod vtrumque in *Notitia Imperii* vtriusque memoratur *fol. 59. & 146. Tabularium Dominicum: Tabularium Dominæ Augustæ.* Igitur pretium pisci & quidem *Echinorum* speciei ponitur hac constitutione: & sic piscatorum in Vrbe Constantinopolitana, vel ad eam venientium auiditati modus ponitur. Piscatorum, inquam, qui in mari præsertim Ægæo piscabantur, piscesque captos Constantinopolim deferebant: vt cæteroquin semper nimia piscatorum ἰχθυοπόλων auaritia fuit: de quo vetustissimæ iam olim querelæ apud Athenæum *l. 6. c. 1. 2.* Quo pertinet etiam monopolium piscis, ac nominatim *Echinorum* (in quibus spatangium, de quo mox) & pectinum, quod nonnulli vel Principis rescripto, vel sua auctoritate vsurpabant: vt & illicita conuentio inter eos, vt non minoris quam inter ipsos conuentum fuisset, venderent. Quod vtrumque damnat Zeno, *l. vnic. Cod. Iust. de monopoliis.*

Pretium igitur pisci primæ qualitatis nominatim *hac leg.* ponitur, nempe quia huius ad Principis epulas vsus erat: Ita nempe res annonariæ per qualitates, ποιότητας, distinctæ erant: Ita pessimæ qualitatis frumentum memoratur *l. 9. supr. de Suariis:* ita vini singulæ qualitates, *l. 2. supr. tributa in ipsf. speciebus.* Quare & ita nunc quoque piscis primæ qualitatis dicitur, qui in pretio magis & dignus epulis Imperatoriis. Quo quidem etiam piscis primæ qualitatis numero *hac leg.* a Theodosio diserte *spatangium* memoratur. *Spatangium*, Echini P. 260 genus fuit maximum: Hesychius, σπατάγγαι, οἱ μεγάλοι ἐχῖνοι, οἱ θαλάσσιοι. Aristoteles 4. *hist. animal. c. 4. num. 186. pag. 454. Edit. Maussaci.* ἀλλὰ δὲ δύο γένη (ἐχίνων) τό τε τῶν σπατάγων, καὶ τὸ τῶν καλουμένων βρίσσων. (vel βρύττων,) γίνονται δὲ ἔτι πελάγιοι, καὶ σπάνιοι. ἔτι αἱ ἐχινομῆτραι καλούμεναι, μεγέθει πάντων μέγισται: *alia genera duo, alterum spatagorum, alterum brissorum:*

forum: ii in alto agitant, atque infrequentiores sunt. Praterea echinometra omnium maxima. Cuius loci partem priorem allegat Athenæus *lib. 3. cap. 12.* qui addit, Spatangorum meminisse Sophronem: sed & Aristophanem *in Holcadibus*, his verbis: *Δαρδάπτοντα, μιστύλλοντα, διαλείχοντά μου τὸν κάτω σπαταγγήν*: id est, *Perfodientem, discindentem, lingentem inferiorem meum Spatangen.* Qui de piscibus scripserunt, memorant, *spatangium* capi in insulis Maris *Ægei:* & rarius capi, quam alios echinos: sed quo maiores, eo delicatiores existimari. Maximum vero eius pondus decem librarum *hac leg.* dicitur: quod & ideo videbatur non primæ piscis qualitati annumerandum: Sed tamen ideo annumeratur, quod rarus hic piscis esset, atque adeo ratione sua primæ qualitati sese commendaret. Pretium igitur tandem hoc ponitur primæ qualitatis pisci, atque adeo & Spatangio, vt videlicet Obsonatoribus Principis solidus, non vt antea pro tricenis libris, verum pro viginti libris præbeatur seu ministretur: & sic pro duobus Spatangiis decem librarum, solidus.

Obseruandum tandem, hanc *legem* inscribi *Anthemio PP.* qui vt cæteroquin atque in commune summam Imperii Theodosii iun. administrabat, de quo vel Socrates *lib. 7. cap. 1.* ita & Aulæ eiusdem Imperatoris præfuit, eiusque dispositionibus Orbis paruit: vid. vel *leg. vnic. infr. de frument. Alex.* & Vrbis Constantinopolitanæ commodis plurimum consuluit: atque inter cætera etiam nouo muro Constantinopoli excitato, teste eodem Socrate, *d. loco*: & ex eo Niceph. *lib. 14. cap. 1.* quo pertinet etiam hoc ipso Anno & mense *lex 51. infr. de operib. publ.*

DE NAVTIS TIBERINIS.

TITVLVS XXI.

Lib. XI. Cod. Ivst. Tit. XXVI.

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Symmachum P. V. (b)

QVI nauem Tiberinam habere fuerit ostensus, onus Reipublicæ necessarium agnoscat. Quæcumque igitur nauigia in alueo Tiberis inueniuntur, competentibus & solitis obsequiis mancipentur, ita vt nullius dignitas, aut priuilegium ab hoc officio vindicetur. (c) Dat. VIII. Id. Octobr. Altino, (d) Diuo Iouiano & Varroniano Coss. (364.)

NOTÆ.

(a) *Lex vnic. Cod. Iustin. eod. tit.* Iungendæ autem *huic* sunt *lex 16. supr. quorum appell. non recip.* Imo & *lex 7. supr. de pœnis*: necnon *lex 7. supr. de Pistoribus*: quarum tamen Inscriptiones variant: nam vt *hæc lex*, ita & *d. l.* 16. Symmacho P. V. inscribuntur: Atenim *lex 7. de pœnis* inscribitur Arthemio (Correctori videlicet Lucaniæ & Brittiorum:) *lex 7. de Pistoribus*, Vincentio P. V. vbi substituendum omnino *Symmachi* nomen, ostendi. *GOTHOF.*

(b) *Symmachus* P. V. Romæ sub Valentiniano Sen. Epistolographi pater; vid. *Prosopogr. ID.*

(c) *Excipiatur*, id est, *vindicetur. ID.*

(d) *Acc. XVI. Kalend. Nouembr.* hoc addendum ex *d. l. 16. ID.*

COMMENTARIVS.

NAVEM in Tiberi habentes, a subuectione canonis vrbicarii, excusari quacunque dignitate aut priuilegio, vetat Valentinianus Sen. *hac leg.* Quæ prolixioris Valentinianeæ constitutionis pars est: qua is Annonæ vrbicæ neque vna ratione consultum iuit: vt ex plerisque *legibus* apparet, quas huic coassandas *in Notis* ostendi. Cui quidem *legi* præterea concordant duæ constitutiones *Arcadii* & Honorii, *titulo, de nauibus non excusandis, lib. 13. t. 7.* & Theodosii Iun. *Nouella 15. de nauibus vltra duorum mill. capacit. non excusan.* & *Nouella* Valentiniani III. *inter Theodosianas 36. de Nauiculariis amnicis, in fin.*

Illud tantum obscurum, vtrum *hæc lex* accipienda sit de priuatis, qui non quidem professione & functione nautæ sunt, sed qui naues tantum in Tiberi habent: sic vt id *hac leg.* indicetur, si quando extra ordinem priuatorum quoque nauibus opus sit, ad subuectionem canonis Vrbicarii, neminem excusari posse, vt cæteroquin ab huiusmodi extraordinariis functionibus, sed *Reipubl.* maxime *necessariis*, nemo excusatur: de quo proprie est *d. tit. de nauib. non excus.* & *dicta Nouella.* An vero de Nautis Tiberinis, & Caudicariis, de quibus ad *l. 2. supr. de Pistoribus.* Quod suadeat *titulus*, sub qua *hac lex* posita est, *de Nautis Tiberinis*: tum illa

la huiusce legis: *competentibus & solitis obsequiis mancipentur.* Nisi verbis illis indicari putemus, non canonicam functionem, verum solitam iam olim in casum necessitatis. Sane de Nautis & Caudicariis hoc accipiendum tertio adhuc argumento inducatur quis, quod de Pistoribus pariter sua pistoria functione eadem illa constitutione, (vnde lex hæc desumpta est,) actum fuerit: puta *l. 7. supr. de pœnis: l. 7. supr. de Pistorib.* quæ *huic* vti dixi coniungendæ sunt. Sed tamen malim ipse de omnibus Nautis, seu omnibus naues in Tiberi habentibus, *hanc legem* accipere.

Illud non prætereundum, datam *hanc leg.* mense Octubri, quo tempore fruges in vrbem subuehebantur: *Tiberis* enim (quod Plinius notat *lib. 5. epist. 6.*) *nauium patiens, omnes fruges deuehebat in vrbem, HYEME duntaxat & Vere: Æstate summittebatur, immensique fluminis nomen arenti alueo deserebat, AVTVMNO resumebat.* p. 261

DE SACCARIIS PORTVS (*) ROMÆ.

TITVLVS XXII.

Abest *hic titulus* a *Cod. Iustinianeo.*

(*) De hoc Portu Vrbis Romæ dixi prolixe ad *l. 9. supr. de Suariis*: & ad *l. 3. supr. de calcis coctoribus*: & *tit. prox. de Patronis horreorum Portuensium.*

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Symmachum P. V. (b)

OMNIA, (c) quæcunque aduexerint priuati ad Portum Vrbis (d) æternæ, per ipsos Saccarios, vel eos qui se huic corpori permiscere desiderant, Magnificentia (e) Tua iubeat comportari: & pro temporum varietate mercedes, considerata iusta æstimatione, taxari: ita vt si claruerit, aliquem priuatum per suos aduenticias (f) species comportare, quinta pars eius speciei fisco lucratiua (g) vindicetur. Dat. VI. Id. Iun. Naisso, Diuo Iouiano & Varroniano Coss. (364.)

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* Iungenda autem huic, *lex 5. 6. supr. de Pistoribus: lex 2. supr. de calcis coctoribus: lex 1. supr. de Canone frum. V. R. lex 12. infr. de operibus publicis.* Imo, vt censeo quoque, *lex 5. supr. de pœnis.* GOTHOF.

(b) *Symmachus* P. V. Romæ sub Valentiniano Sen. Epistolographi pater: vid. *Prosopogr.* ID.

(c) Aduenititias species: vt mox *infr.* ID.

(d) Romæ. ID.

(e) *Magnificentia*, titulus P. V. vid. *Notitiam.* ID.

(f) *Aduentitiæ* species, vel *aduectitiæ.* Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 8. Antiochia, cui non certauerit alia, aduectitiis ita affluere copiis & internis*: & *lib. 15. cap. 11. Belgæ non aduentitiis effœminati deliciis.* Et mox: *Aquitani, ad quorum litora merces aduentitia conuehuntur*: & *lib. 14. cap. 2. cum aduentitium nihil inueniretur.* Inuectitium, Ambrosio *III. off. 7.* ID.

(g) *Lucratiua fisco vindicari*, id est, fisci lucro vindicari. ID.

COMMENTARIVS.

DE MINIATERIIS, seu OPERIS duabus in Portu Vrbis Romæ occupatis, quæ inde *Portuenses* dictæ sunt, hi duo tituli puta 22. & 23. Cuiusmodi plures operæ Portuenses in Portu Vrbis Romæ circa Annonam Vrbis Romæ occupatæ erant. Quarum meminit quoque Ambrosius *Ep. 62. Edit. Paris. 1614. Apparitor*, inquit, *Præfecturæ, qui propter operas Portuenses offensam contraxerat.* Hic vero *titulus* seu *hac lex vnic.* est nominatim de SACCARIIS Portus Romæ. *Saccarii* sunt, vt vel ex *hac leg.* discimus, qui species aliunde aduectas, ἀγώγιμον omne, comportant, qui saccis gestandis operam

operam suam mercede locant. Ita Paullus *l. 40. §. 3. D. de contrabenda empt. Si quid ex sacco saccarii eccidisset.* Vnde & Apuleius dixit *lib. 1. Metamorphos. pag. 5. Edit. Lugd. B. apud Ioan. Maire. 1623. saccariam facere*, hoc est saccis gestandis operam suam locare, & inde quæstum facere. *In eam contulit OPERVLAS, etiam, quas adhuc VEGETVS saccariam faciens merebat.* Errant cnim, qui contra omnium quoque Codicum fidem, ibi substituunt *sagariam* (cuius mentio alioquin *in Pandectis*) Quos refutat vel leuiter locus ille inspectus; neque enim *operularum* vox conuenit sagariæ negotiationi, verum saccariæ comportationi, baiulationi: item quid *vegeto* cum Sagarin? immo Saccario, quem vegetum maxime esse oportet, id omoino conuenit. Hinc & Ammoonius Plotini Magister, quem Suidas *voc.* πλωτῖνος, diserte σακκοφόρον prius fuisse ait; *Sacca* dictus videtur, apud Ammianum Marcellinum *lib. 22. cap. 16.* & Suidam in Ὠριγένης. Frugis & olei baiulos hos vocat Symmachus, *lib. 10. epist. 27.* Quio & cadente Latinitate saccus ipse *saccarium* dictum in Instrumento pleoariæ securitatis Anno Iustiniaoi 38. Alio sensu σακκοπλόκος, *saccarius*, in Glossis *Cyrilli.* His similes erant πρώνικοι, quos μισθοῦ κομίζοντας τὰ ὤνια ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς, *mercede portantes venalia ex foro*, interprerantur Hesychius, & ex eo Suidas. Hodie alicubi in Gallia *Saccars* vocant Vespillones: de quo Richardus, *in antiquit. Diuion. p. 18.* Hi saccarii nostri sunt, quos *Crocheteurs* vocant. Huiusmodi saccarii igitur io *Portu Vrbis* Romæ (de quo portu iam multoties) erant, comportandis speciebus eo aduectis: Neque tantum publicis speciebus comportandis in horrea publica fiscalia, pistoria: Verum insuper & priuatorum. Adeo quidem vt priuatorum species resque non ab aliis quam a Saccariis istis comportari velit Valeotinianus, vt maxime *per suos* id facere possent: quinta alioquin parte speciei fisco vindicandæ, quæ quintæ partis confiscatio ontanda est; vti notaodum quoque hic *monopolii* cuiusdam genus & priuilegium, scilicet, priuilegii loco id datum saccariis a Valentioiaoo, vt ita quod *hac leg.* indicatur, corpus hoc Reipublicæ necessarium repleretur, & huic corpori sese multi permi- P.263 scerent, quin & vt gnauius publicis speciebus comportandis incumberent, neue his, dum ob vrbicarium Canonem io Portu Vrbis ferme vocantur, desit quo vitam tolerare suam possint. Ergo Aonnonæ vrbicæ fauore id ita constitutum a Valentiniano *hac leg.* Quæ prolixioris constitutionis pars est, qua in vniuersum Annonæ Vrbicæ consultum iuit: cuius sex præterea fragmenta *hoc Codice* extant: quæ *in Notis* iam indicaui, quæque adeo *huic leg.* coaſſandæ veniunt.

Cæterum, quod secundum *huius leg.* caput est, Saccariis his *Mercedis* modum & æstimationem taxari iubet Valentinianus a Præfecto Vrbis, *pro temporum varietate, considerata iusta æstimatione:* Quæ in *praxi* mercedis omnis & salarii taxationi conueniuot: de quo tractatu *de salario.*

DE PATRONIS (*) HORREORVM (**) PORTVENSIVM.

TITVLVS XXIII.

Abest *hic Titulus* a *Cod. Iustinianeo.*

(*) de *Patronis* horreorum Portuensium agitur quoque *l. 9. supr. de Suariis*: vbi iam dixi.

(**) de *Horreis* Portuensibus dictum ad *d. l. 9.*

I. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Messalæ PF. P. (b)

PATRONOS horreorum Portuensium singulis tantum annis præesse decernimus, omni subreptione cessante: ne vnquam veteris erogationis ratiociniorum nobis (c) commeantibus inferatur: nec vltra tempus constitutum quispiam sibi administrationem horreorum Portuensium fraudulenter vsurpet, nisi prioris anni ratiocinio ante deducto, in alium annum, quasi fidelis iam & idoneus, subrogetur. Dat. VI. Kalend. April. Altino, Stilichone & Aureliano Coss. (400.)

N O T Æ.

(a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iustinianeo.* GOTHOF.

(b) *Messala* PP. Italiæ sub Honorio Imp. vid. *Prosopogr.* ID.

(c) *γρ. vobis commeatibus*, id est, nouis commeatibus; de quo mox. ID.

COM

COMMENTARIVS.

De Patronis horreorum Portuensium est hæc Honorii constitutio. *Horrea Portuensia* sunt, quæ in Porru Vrbis Romæ erant, condendis speciebus annonariis Vrbis Romæ, seu in quibus Vrbis Romæ canon condebatur: de quibus ad *l. 12. infr. de operib. publ.* Quomodo & ipsæ species in his conditæ *condita Portuensia* dicuntur *l. 9. supr. de Suariis.* Qui vero eas admetiebantur, *mensores Portuenses: d. l. 9.* de quibus ad *l. 5. supr. de Canone frum. V. R.* Aliæque similes personæ plures, circa Portum & Canonem Vrbis Romæ occupatæ erant: quo numero, & Caudicarii fuere: de quibus ad *l. 2. supr. de pistor.* & saccarii Portus Romæ: de quibus *titulo supr. prox.* de omnibus operis Portuensibus semel dixi ad *d. l. 9.* & ad *l. 3 supr. de calcis coctorib.* Horum vero horreorum *Patronus* quidam erat: id est, horreis istis Portuensibus præerat, horrea administrabat, erogationis, seu eius quod ex horreis erogabatur, ratiocinia tractabat: vt *hac leg.* indicatur; seu, vt dicitur *d. l. 9. de Suariis*, custodiam Portuensium conditorum suscipiebat. *Commis au Grenier:* qui quidem, ex *ea leg.* a Patronis Caudicariorum & Mensorum totius corporis consensu eligebatur. De hoc igitur horreorum Portuensium Patrono, seu custode & Administratore id *hac leg.* cauetur, ANNVAM tantum eius administrationem esse oportere: vel saltem, non ante continuandam, quam prioris anni rationibus redditis: quam perpurgatis rationibus: *Ne vnquam veteris erogationis ratiocinium nouis commeatibus inseratur;* ita enim hic locus restituendus est: id est, ne plurium annorum rationes commisceantur. *Noui commeatus* opponuntur hic *veteris erogationis*, seu *prioris anni ratiocinio.* Quomodo & *l. 18. supr. de annona*, ad populum, V. R. dicitur, *Eius anni atque Indictionis exordio, qua nouum denuo annonia commeatibus poscit obsequium. Commeatus* pro canone frumentario, *hac leg.* & *l. 7. infr. l. 32. supr. de Naucul. l. 3. ne conlat. transl.* eodemque sensu sæpe apud Lampridium, Amm. Marcellinum, Symmachum, Ambrosium, alios, id est, qui etiam alias *cataplus*, & *embola*. *Nouus* itaque *commeatus*, hac *lege* est alterius anni commeatus. Cæterum circa susceptores simile quid omnino statuitur *l. 11. supr. de Susceptorib.* Postea tamen Quinquennale Patroni istius munus factum, *d. l 9. supr. de Suariis.*

Ex *hac* interim *leg.* ad *praxim* exemplum quoque desumi potest, ratiocinii per singulos annus reddendi ab his, qui ratiocinia tractant: neque ante cuiusquam in eodem ratiocinio & administratione continuandi, nisi prioris anni ratiocinio ante deducto, id est, redditis rationibus.

P. 253

DE MENSIS OLEARIIS.

TITVLVS XXIV.

Abest hic *Titulus* a *Codice Iustinianeo.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Cerealem P. F. (b) Annonæ. (c)

MENSÆ oleariæ, quæ ita caducæ fuerint, vt nullius (d) possit adhærere (e) dominio, (f) vicenis follibus per officium (g) distrahantur. Sed si quis mensam oleariam, prædictis follibus emptam, cariore pretio vendiderit, ferreis vinculis constrictus ad Illyricum transmittatur, pœnam congruam luiturus. Si quis autem, mensam oleariam in dominio (h) suo retinens, viuendi cursum impleuerit, eandem mensam ad successores proprios, cum reliquis suis rebus, hæreditario poterit iure transmittere. Dat. Kalend. Mart. Nicomediæ, (i) Acc. VIII. Id. April. Romæ, Ianuarino & Iusto Coss. (328.)

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex a Cod. Iust.* GOTHOF.

(b) *Cerealis* hic idem forte est, qui sub Constantio *Præfectus V.* fuit. De quo & illud Scholiastes ad ea verba Iuuenalis *Satyra X. v. 24. 25.*

——vt maxima toto
Nostra sit arca foro.

Vsque ad Cerealem, inquit, *Præfectum in foro Traiani Arcas habuerunt Senatores, in quibus argentum aut pecunias totias deponebant; propterea & locus ipse, in quo erant Arcæ posita,* OPES *dicta sunt:* vid. *Prosopogr.* ID.

(c) Vrbis Romæ: vt etiam ostendit subscriptio legis *Acc. Romæ.* ID.

(d) Superiores omnes editiones habebant *nullus* at recte in *Parisiensi* repositum *nullius:* sed eadem, mutatum oportuit, *possit*, in *possint.* ID.

(e) *Adhærere:* nempe mensæ hæ personis adhærebant, eorumque hæredes consequebantur: vt *fin. leg.* *ID.*

(f) Opponitur mox mensa olearis, *quam in suo dominio quis retinet.* *ID.*

(g) *Officium* Præfecti annonæ scilicet tuum. *ID.*

(h) Huic opponuntur *mensa caduca, quæ nullius adhærent dominio.* *ID.*

(i) *Nicomedia* his COSS. hoc tempore constitit Constantinus. Quod etiam diserte testatur Chronicon Alexandrinum *his ipsis COSS. pag. 665. 663. Edit. Rader.* De hac ipsa Constantini mora accipiendum, quod Socrates scribit, *lib. 1. cap. 37.* vbi etiam nominatim *Psamathia* suburbio Nicomediæ moratum Constantinum docet. Ibidem & non semel antea constitit Constantinus, imo & postea ibi baptizatus, & mortuus in Achyrone suburbio Nicomediæ Ann. D. 337. De Basilica ab eo Nicomediæ restituta, vetus Orbis descriptio *cap. 32.* vbi dixi, vid. plura in *Chronolog.* *ID.*

COMMENTARIVS.

OLEVM etiam non tantum ad vsum militum alicubi collatum, *l. 17. de cohortal.* sed & Vrbicarii Canonis pars fuit, tum in Vrbe Roma; quo pertinet *hac lex* Constantini M. vt docet tum Inscriptio, tum Subscriptio, *Acc. Roma:* & Valentiniani Iun. *lex 2. seu vltim. supr. de Curat. Kalendarii:* & Honorii *lex 3. supr. de Canone frum. V. R.* tum in Vrbe Constantinopolitana, quo spectat Arcadii *lex vltim. supr. de annonis ciuicis.* De quo alioquin oleario canone dixi iam affatim ad *d. l. 3. supr. de Canone frum. V. R.* etiam ex *Historia Augusta* Scriptoribus & *Symmacho.* Cuius & specialis Arca fuit, haud aliter atque Arca frumentaria, vt docet *d. lex vltim. supr. de Curator. Kalendarii.* Atque hoc Primum de Oleo isto notandum est.

Secundo notandum, Oleum istud ex parte, pariter vt panem, populo & quidem Romano gratuitum datum: quod vt *Historiæ Augusta* Scriptores testantur, ita ex *hac* quoque *leg.* & *d. l. vltim. supr. de annonis ciuicis* discimus, ad gymnasiorum videlicet & balneorum vsum, de quo pariter ad *d. l. 3.* Quomodo & oleum ex priuata liberalitate vel legato sæpe præbitum, de quo sunt quoque variæ Inscriptiones.

Tertio notandum, modum olei, qui singulis præstabatur, *Mensam oleariam* dictam, quod *hac lex* aperte testatur. Pub. Victor sane *libro de Regionibus Vrbis Roma*, in collectione Vrbis, post descriptas singulas vrbis Regiones, post cohortes & castra, quæ in Vrbe Roma erant, *mensarum* quoque *oleariarum* numerum colligit: *Mensa*, inquit, *olearia LXXIV.* alias *XXIV. millia:* Vnde colligat quis, totidem mensas publice positas fuisse diribendo, diuidendo per populum oleo. Etsi putaret quis, potius ad mensas quidem publico loco oleum populo erogatum, vt panis de gradibus præbebatur, ita vt sciret quo loco suum quisque modum & dimensum accipere deberet, non tamen quod totidem separatæ mensæ essent (id enim incredibile videatur) sed quod plures essent ad totidem dimensa distribuenda. Sed tamen cum P. Victor inter loca Vrbis Romæ has mensas ponat, contrarium colligat quis. Certe *mensa* dicta videatur, pro *dimensa*, seu dimensione: quomodo *Missa*, pro *missione*, id genus alia. Vt vt sit, non est hoc accipiendum de mensis Oleariorum ἐλαιοπωλῶν, qui in velabro mensas suas habebant: de quibus Plautus *in Captiuis Act. III. scen. I. v. 28. 29.*

Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios: vna res.

Omnes compacto rem agunt, quasi in velabro Olearii.

Neque mensæ istæ oleariæ interpretandæ, in quibus expositæ erant mensuræ oleariæ, quæ pertinebant ad ἐλαιοπώλας, quorum Corpus fuit pariter vt aliorum Negotiatorum, & sic proprie vendentium. Certe Mensæ fuerunt & Nummulariorum, P.264
vnde Mensularii: sic & in quas serui venales ascendebant, vt venum exponerentur, τράπεζαι dictæ Polluaci *lib. 7. cap. 2. Segm. 11. pag. 692. Edit. Hemsterhuis.* Fuit & Macellariis & coquis & laniis sua mensa, quæ *Laniona* vocabatur. Calculones etiam suas habuere mensas, seu λογιστηρίας τραπέζας. Verum hæc nihil ad mensas nostras olearias pertinent, quæ non fuere ἐλαιοπωλῶν, verum olei publice in populum erogati, expensi: quod & *huius tituli* positio ostendit, & *lex ipsa.*

Quarto notandum ex Inscriptione *huius leg.* Mensas has Olearias, & sic olei præbitionem istam, ad Præfecti Annonæ partes & dispositionem pertinuisse: quod ex *duobus* aliis insuper *locis* discimus. Lampridius *Alexandro cap. 22. Oleum quod Seuerus populo dederat, quodque Heliogabalus imminuerat turpissimis PRÆFECTVRAM ANNONÆ tribuendo, integrum restituit.* Symmachus *lib. 10. epist. 48. Olei tantum species victum plebis tenuitur intacta sollicitat: Cuius rei V. C. PRÆF. ANNONÆ, partium suarum diligens executor, Prætoriana Amplissima Præfectura, vt ipse asseris, dudum fecit indicium, missis de more Breuibus, quæ angustias patefacerent Conditorum.*

Quinto (quod alterum *legis* caput est.) de his Mensis Oleariis notandum, eas hæreditario iure transmissas cum reliquis rebus ad successores: imo & vendi potuisse: de quo mox plura.

Tandem notandum, certis casibus caducas eas factas fuisse; de quo mox. Nunc enim de *lege* nostra.

Duo hac Constantini M. Constitutione, de Mensis istis Oleariis continentur. Primum quid de CADVCIS mensis oleariis faciendum sit. *Caduca mensa* sunt, quæ fisco ob Caducitatem, adquirebantur, seu in horreorum conditis reseruabantur: puta si *mensa nullius dominio posset adhærere*, vt *hac lex* loquitur, in nullius dominio retineretur: vt puta quia, qui mensam illam habebat, in nullum ea translata vel vendita, vel hærede nullo relicto, decesserat. His scilicet casibus mensæ oleariæ caducæ fiebant. Quomodo & panes itidem qui de publico dabantur certis casibus caduci fiebant, *l. 1. 7. 8. supr. de annonis ciuicis:* & *l. 2. supr. de studiis lib. V. R.* vnde pariter *caduci panes* dicuntur *d. l. 1.* caduca popularia, *d. l. 2. de studiis lib.* item annonæ vacantes, *d. l. 8. supr. de annona & trib.* Has igitur Mensas Olearias caducas, per Officiales Præfecti annonæ (sub cuius dispositione annona vrbica erat,) distrahi seu, vendi iubet Constantinus M. *viginti Follibus.* De Follibus anceps

anceps est alias disputatio: quorum etiam variis locis *hoc Codice* fit mentio; præter *hanc legem*, insuper *l. 2. 4. supr. de Senatorib. & gleb. coll. l. 5. 21. supr. de Pratoribus: l. 2. 3. supr. quorum appell. l. 1. supr. si quis pecun. conflau. l. 3. supr. de Veteranis: l. 3. supr. de Suariis:* & *Nouella* Martiani *de indulgentiis reliquorum* 2. De eo duo cumprimis insignes loci occurrunt: vnus Epiphanii *lib. de ponderibus & mensuris in fin.* & alter *Glossarum Nomicarum*, vel potius apud eum Hesychii *Illustris sexto Historiarum voc.* φόλις. Sed & illud Heronis *in fragmento*, περὶ σαθμῶν. ἡ φόλλις ϱκέ. ἀργύρια πληρoῖ, καλεῖται δὲ παρὰ Ρωμαίοις θύλακ☉. Et fragmentum vetus περὶ σαθμῶν *ex Epiphanio*: βαλλάντιον παρὰ τὰ βάλλειν: ἐςι δὲ σαθμός τι βαλλάντιον, ὁ καὶ φόλλις δηναρίων ϱν. (*) Sed cum vario significatu follis accipiatur, quod ostendit cum maxime Hesychii locus ille; duplici, *huius Codicis* constitutionibus accipitur. Vel enim κατα δηναρισμὸν pro specie nummorum æreorum folles dicuntur: vt cum Constantinus M. *l. 3. supr. de Veteranis*, viginti millia follium veteranis dari iubet ad coëmenda ruri necessaria: & negotiantibus centum (millium) follium summam immunem habere permittit. Item cum Constantius *l. 3. de Pistoribus*, definiens quantum tres Præturæ expendere debeant, ait primam expendere 25. millia follium & 50. libras argenti: secundam, 20. mille follium, & 40. libras argenti: tertiam, 15. millia follium, & 30. libras argenti. Item cum idem Constantius statuit, *l. 1. si quis pec. confl.* ne quis plus mille folles pecuniæ in vsu publico constitutæ animalibus propriis sumptuum gratia portet. Item cum Iulianus statuit, *l. 3. supr. de Suariis:* vt seni folles, pro singulis libris porcinæ dentur. Atenim κατὰ ἀργυρισμὸν pro maiore pecuniæ summa folles accipiendi sunt *sequentibus legibus*: vt eum Constantinus M. *l. 2. & 3. supr. quorum appell. non recip.* a præiudicio vel ab executione appellantibus pœnam 30. follium imponit. Item eum Valens *l. 21. de Pratoribus:* de Senatoriis facultatibus agens, ait, *cum duos folles, aut quatuor, aut certe amplius in professionem habebunt:* Item eum Theodosius *l. 2. de Senatorib. & gleb. coll.* a Senatoribus possessionem non habentibus *duos folles* præstari iubet: Idemque *l. 4. eod. tit.* cum præbitionem follium implere non valentes, saltem septem solidos præstare iubet. Tandem cum *hac leg.* Constantinus M. mensas olearias vicenis follibus vendi non vltra iubet. Follis priore significatu duobus minutis nummis constabat: φόλλις δύο λεπτοὶ κατὰ τὸν δηναρισμὸν, inquit *Epiphanius l. c.* ἀλλ' ὁ κατα τὸν ἀργυρισμὸν, seu obolo. Suidas *voc.* ὀβολοῦ Κορίννοις: ὀβολοὶ εἰσιν, οὓς καλοῦμεν φόλλεις. Moschopulus ὀβολὸς ἡ φόλις. Cedrenus *anno 24. Leonis Isauri pag. 458. Tom. I. in fin. Edit. Reg.* Κεράτια, δὲ αἱ ιβ. φόλεις ὠνομάσθησαν: *ceratia autem appellantur duodecim folles.* Posteriore significatu follis duobus argenteis, seu duabus minis & Semis, constabat, qui conficiebant 250. denarios, ac proinde quorum singuli denarios centum efficiunt, ὑπὰ δύο ἀργύρων καὶ ἥμισυ συγκείμενον, οἵ γίνονται σν. δηνάρια, inquit *Epiphanius*: & vt Glossæ *Nomica* habent: φόλις σαθμός ἐςι λεγόμεν☉ καὶ βαλάντιον: ἕλκει δὲ δηναρίους διακοσίους πεντήκοντα: τουτέςι λίτρας τιβ. καὶ οὐγγίας ξξ: ὡς ἔχοντ☉ ἑκάςου δηναρίου λίτραν α. καὶ οὐγγίας ϛγ. Plura dicturi sunt quibus propositum scribere *de re nummaria.* Nos ad *legem* nostram redeamus.

Igitur Constantinus Mensas Olearias vicenis follibus non vltra de fisco emi, vendique rursum iubet: adeo quidem vt iubeat pluris vendentem postea ferreis vinculis constrictum in Illyricum transmitti, pœnam congruam luiturum: vbi tria notanda sunt. Primo quod ait, *ferreis vinculis constrictum.* Nempe vincti, & quidem vinculis ferreis rei transmissi. Ita pariter *l. penult. supr. de executoribus; ligatus ferreis nexibus, cura Prouincialis officii sub elogio ad debitum mittatur examen:* vbi plura notaui. Secundo notandum, quod *in Illyricum transmitti, eum iubeat punam dignum luiturum*; quod quidem accipio de damnatione in metallum. Metalla scilicet in Illyrico fuere: quod docet subscriptio *legis 9. supr. de indulg. debit.* & *lex 7. 8. supr. de Metallis:* quibus locis dixi plura. Tertio, exploranda ratio est, cur tam grauis pœna a Constantino M. proposita fuerit, Mensam Oleariam emptam vicenis follibus, cariore pretio vendenti? Nempe, ne ita publica olei præbitio, quæ vel gratuita prorsus, vel leniore saltem pretio cuiusdam beneficii genere fiebat, paulatim venalis prorsus fieret, immensoque pretio venderetur: & sic fiscus gratiam beneficii amitteret, oleique adeo pretium in Gymnasia & Balnea, quibus Roma maxime delectabatur, quibusque Principes favorem plebis sibi maxime conciliabant, nimis augeretur; denique Ludorum & Balneorum vsus f. 265 rarescerer, exolesceret. Aliam rationem nunc non comminiscor. Exemplum hic interim ad *praxim* habemus, vbi quid emptum cariore pretio, postea quis retro vendere prohibetur. Et hæc quidem de Caducis Mensis Olearis: & sic de Prima *huius leg.* parte.

Secundo capite definitur, in hæredes æquo iure cum reliquis rebus transmitti Mensam Oleariam, naque Caducam fieri. Breuiter ergo & vendi (quod *priore capite* ostensum est) & transmitti in hæredes Mensæ Oleariæ potuerunt. Quod ipsum aliquando etiam de annonis ciuicis in commune statutum, *l. 1. 10 12. supr. de annonis ciuicis*: aliter quam *l. 7. 9. eod. tit.*

(*) Adi *CL. FABROTTI* Glossarium Cedreni, *voc.* φόλλις. a quo & hæc & alia auctorum loca excitata sunt. De *follis nomine* etiam dixit *EM. BARONIVS Annal. Eccles. Tom. III. ad an. 330. n. 46.*

DE FRVMENTO CARTHAGINIENSI.

TITVLVS XXV.

Abest *hic titulus* a *Cod. Iustin.*

Porro post Romam & Constantinopolim de *Carthagine* prius *hoc titulo* agitur, quam de Alexandria: de qua *duobus* postea *titulis.* Carthago scilicet, Tertia vrbium in Imperio Romano extitit. Ausonius de claris vrbibus, *num. I.*

Prima Vrbes inter Diuum domus aurea Roma:
Constantinopoli assurgit Carthago priori,
Non toto cessura gradu, quia TERTIA dici
Fastidit, non ausa locum sperare secundum
Qui fuit ambarum.

Et mox *v. 10.*

Nunc quoque si cedat, Romam vix passa priorem.

Iam olim certamen de gradu inter has duas Vrbes fuit. Herodianus *lib. 7. cap. 6.* de Carthagine: ἡ γοῦν πόλις ἐκείνη, καὶ δυνάμει χρημάτων καὶ πλήθει τῶν κατοικούντων, καὶ μεγέθει, μόνης Ῥώμης ἀπολείπεται, φιλονικοῦσα πρὸς τὴν ἐν Αἰγύπτῳ Ἀλεξάνδρου πόλιν περὶ δευτερείων: *Siquidem vrbs illa, vel opibus, vel populi frequentia, vel magnitudine tantum Romæ concedens, cum Alexandri vrbe Ægyptiaca de secunda palma contendit.*

I. (a) Imp. Constantinvs A. ad Catulinum (b) Proc. (c) Africæ.

SI quis corpora (d) æneo (e) frumento obnoxia detraxerit, (f) ab omni interpellatione liber sit, quamuis alia corpora possederit, (g) siue coëmerit, libera ab ænei frumenti inquietudine: Conparatores enim rerum obnoxiarum teneri oportet, pro modo eius rei quam adepti sunt, etiam si extra liberalitate (h) rem fuerint consecuti. Sed quia plerique ex Magistratibus, (i) ænei frumenti pensitatione obnoxii, vel ipsi sibi dum administrant, (k) alios subrogarunt, vel redempti (l) pro aliis alios *creauerunt*, (m) rescissis subrogationibus ad eiusdem ænei frumenti pensitationem teneantur: Illos enim solos ex subrogatis perseuerare oportet, quos constiterit idoneos esse facultatibus, & minus idoneorum loco non a redemptis Magistratibus subrogatos. Dat. Prid. Id. Dec. Sirmi, Constantino A. IV. & Licinio IV. Coss. (315.)

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOF.

(b) *Catulinus* Proconsul Africæ sub Constantino M. vid. *Prosopogr.* ID.

(c)

(c) In Til. *P. V.* male: vbi nihilo melius tentabat quis *PP.* *ID.*

(d) *Corpora* hic, & mox *infr.* pro *rebus*, vt poſtea vocantur. *ID.*

(e) De hac voce mox dicam. *ID.*

(f) *γρ. diſtraxerit.* *ID.*

(g) Poſſideat. *ID.*

(h) *γρ. liberalitatem*, id eſt, titulo oneroſo, non lucratiuo. *ID.*

(i) Dum Magiſtratus gerunt. *ID.*

(k) Magiſtratus. *ID.*

(l) Id eſt, corrupti pecunia aut gratia. *ID.*

(m) Ex hac voce colligo, hanc ænei frumenti penſitationem, ſeu inquietudinem incubuiſſe *honorem* aliquem Karthagine *gerentibus*, qui a Magiſtratibus *creati fuerant.* *ID.*

P.266

COMMENTARIVS.

De Æneo frumento, cuius quater *hac leg.* mentio diſerte fit, nullibi præterea, neque *hoc Codice*, neque apud alios Scriptores; eſt hæc ſingularis Conſtantini M. conſtitutio ſcripta, Ann. D. 315. tertio poſt fidem Chriſtianam a ſe ſuſceptam anno. Cuius Inſcriptio ſtatim oſtendit, quod *Primo* hic notandum, de hoc æneo frumento, id in Africa fuiſſe: inſcribitur enim hæc lex *Catulino Proconſuli Africæ.*

Imo, quod ſecundo loco obſeruandum; *Titulus* ſub quo *hac lex* poſita eſt, oſtendit, hoc æneum frumentum ad Vrbem Carthaginienſem ſpectaſſe: eſt enim hic Titulus, *de frumento Carthaginienſi.*

Tertio ex *hac leg.* diſcimus, huius ænei frumenti præſtationem, *penſitationis* vt *hac leg.* vocatur, ſpeciem fuiſſe; quæ inquam Reipublicæ ſeu Vrbi Carthaginienſi præſtabatur: Et quidem grauem, qua & ideo ſæpe, quod *ſecundo capite* oſtendetur, nonnulli ſeſe liberare nitebantur, ſubrogatis aliis.

Quarto obſeruandum, certa tantum Corpora huic ænei frumenti præſtationi obnoxia fuiſſe, non omnia promiſcue Corpora, non omnes res: & quidem poſſeſſiones certas, certos fundos. Nam ita *Corporum* vox hic accipienda: etſi enim ſæpe alias *Corporum* appellatione non tantum agri, aut domus, fundi denique, ſed etiam mancipia & mobilia quæcunque comprehendantur, breuiter quæcunque bona & facultates, vt docent vel *hoc Codice, lex 5. ſupr. de iis qua adminiſtr. l. 3. ſupr. de bonis proſcriptor. l. vnic. ſupr. quorum bonorum: l. 1. ſupr. de legitim. hered.* attamen *Corpora*, vbi de penſitationibus publicis agitur, & de rebus alicui rationi & praſtationi obnoxiis, proprie ſunt prædia: quo ſenſu ſane vox iſta accipitur, *l. 1. ſupr. de curator. Kalend.* & alibi: vid. & quæ dixi ad *l. 17. ſupr. de Pratoribus:* ſed & apud Symmachum eodem ſenſu *lib. 6. epiſt. 12. lib. 10. epiſt. 29. 32. 46.* Igitur certis tantum prædiis hæc ænei frumenti præſtatio, penſitatio, inquietudo, interpellatio incombebat: eorumque nomine poſſeſſores obnoxii erant; non aliorum Corporum nomine; vel ſi ea alienaſſent.

Quinto notandum, *Quocunque titulo* poſſeſſores ea Corpora poſſiderent, huic penſitationi obnoxios fuiſſe, quocunque inquam titulo, non tantum ſi lucratiuo, quibus alioquin facilius, melius, in Republica tributa imponuntur, quam in rem vide *Titulum, de imponenda lucratiuis deſcript.* verum & ſi emptionis titulo: *comparatores*, enim, vt *hac leg.* dicitur, *rerum obnoxiarum teneri oportet pro modo eius rei, quam adepti ſunt, etiamſi extra liberalitatem rem fuerint conſecuti.*

Sexto, vt ad *ſecundi capitis*, quod *hac leg.* continetur, explicationem accedamus: de hoc æneo frumento notandum eſt, *Magiſtratus* huic penſitationi obnoxios fuiſſe. *Magiſtratus*, id eſt, Duumuiros: hoc enim ſenſu *Magiſtratuum* ferme vox effertur: inter alia, *l. 8. 16. 21. 29. 39. 77. 151. 169. ſupr. de Decurionib. l. 3. 5. ſupr. de exhib. reis: l. 1. ſupr. de Medicis & Profeſſorib.* & alibi paſſim: de quo vid. *Paratitl. tit. de Decurionibus:* & *Gloſſar. Theod.*

Sed hic quæri poteſt, an ſoli Magiſtratus ſeu Duumuiri certorum Corporum nomine, huic ænei frumenti præſtationi obnoxii fuerint? & ſic, vtrum *caput* quoque *primum huius leg.* de his accipiendum ſit? quomodo certe Magiſtratus, ſeu Duumuiri, penſitationibus variis obnoxii erant, & inter alia quidem ludicris, de quo vid. *Paratitl. de Decurionib.* & *tit. infr. de Spectaculis*: an vero & priuati quidam poſſeſſores Corporum & Magiſtratus: vt ita *primum caput huius leg.* de aliis accipiendum ſit: *Si quis*, inquit lex, &c. hoc poſterius de Magiſtratibus: atque adeo duo perſonarum genera huic functioni, ſeu penſitationi obnoxia fuerint. Quod quidem mihi veroſimile fit.

Poſtremo loco de hoc æneo frumento notandum, quod *ſecundi capitis huius leg.* argumentum eſt, duas fraudes in fraudem huius penſitationis a Magiſtratibus quandoque admiſſas. Nam vel ipſi ſibi Magiſtratus dum adminiſtrabant, alios ſubrogabant, qui ſcilicet hanc ænei frumenti præſtationem agnoſcerent, ſubirent, atque ita eo eos adigerent, tanquam muneris ſui vicarios, cum tamen nulla Corpora poſſiderent huic præſtationi obnoxia: vel alios non idoneos pro aliis idoneis & corporum poſſeſſoribus, *creabant*, id eſt, nominabant Magiſtratus, vti moris erat, vt Magiſtratus ſeu Duumuiri periculo ſuo ſucceſſores nominarent: de quo vid. *Paratitl. de Decurionib.* Et quidem redempti id faciebant, nempe auro corrupti ab idoneis ad euitandam hanc functionem. Huic vtrique fraudulentæ ſubrogationi occurrit *hac leg.* Conſtantinus M. hoc conſtituto, vt reſciſſis huiuſmodi ſubrogationibus Magiſtratus iſti ad huius ænei frumenti penſitationem tenerentur.

Et hæc quidem hactenus, de iſta ænei frumenti penſitatione ex *hac leg.* diſcere vel colligere licet. Nondum tamen liquet quid fuerit æneum frumentum iſtud, quænam hæc penſitatio, quemue in vſum, facta fuerit, quæ tandem nominis iſtius ratio ſit? De Nominis ratione variæ coniecturæ ſunt. Prima eſt, hic pro *æneo frumento*, reponentium *Pænum*: Quod non admitto: etſi videam hoc quoque aruo Victorem *c. 40.* dixiſſe, *apud Pænos Alexandrum Pro-Praefecto geſſiſſe:* Etſi apud Claudianum quoque

legam in hoc ipso frumenti argumento, *de bello Gildon. v. 59.*

Punica Niliacis concurrere carbasa velis.

Nam vt omittam in constitutionibus nuspiam hanc vocem vsurpari, agitur hic de frumento in Carthaginiensis vrbis vsum aliquem, non de Africano in vniuersum frumento.

Secunda coniectura est eorum, qui *aneum frumentum* dictum perhibent a *modiis aneis* frumenti, de quibus in *l. 21. supr. de Susceptoribus:* & *l. 9. Cod. Iust. eodem tit.* cuiusmodi Romæ modius æneus erat in Minucia frumentaria, ad quam populus statis diebus frumentatum veniebat, a Mensoribus & Caudicatiis frumento dimetiendo: Quem describit Suidas *voc.* Μαναίμ. ἔνθα, inquit, ἵστατο μόδιος χαλκοῦς, *illic stabat modius æneus*, quo loco agit de Valentiniano. Quomodo & Basilica χαλκοῦς καὶ λιθίνους vocant.

Tertia sententia est eorum, & in his Citonii 4. *Obseru. Iuris Canon. cap. 3.* qui *aneum frumentum* dici putant *popularem* annonam, quæ ex *anea*, seu æreæ tabulæ præscripto, populo Carthaginiensi diuidebatur, quomodo sane ea Romæ ita præbita: *l. 5. supr. de annonis ciuicis:* seu ex tessera forte ænea: quomodo Alexandriæ frumentum seu annona ita diuisa: *l. 2. infr. de frum. Alexandrino.* Verum id ad æneum frumentum istud nil facere puto: neque enim hic agitur de annona quæ ex fisco, seu de publico, populo præbebatur; verum contra, de eo frumento, quod a priuatis ex ceteris Corporibus & rebus pensitabatur. Huc magis facere putet quis le-
P. 267 ges de modo munerum ciuilium, quæ æneis tabulis publicatæ ex eiusdem Constantini M. *l. 2. supr. quemadm. mun. ciuil.*

Quarta coniectura nonnullis forte placeat, *aneum frumentum* dictum eo sensu, quo *araria annona*, quæ videlicet non ipsæ, verum adæratæ in pecunia præstabantur: de quibus *tit. de erogat. mil. ann.*

Quintam Tertiæ coniecturæ addidit haud ita pridem Cironius *lib. 4. Obseruat. Iuris Canonici, cap. 3.* ideo æneum frumentum dici, quod olim omnes illationes & tributa ære expendebantur. Existimet quis *oneum* seu *onerum* frumentum hic indicari, quod extra ordinem vendere quis publico cogebatur; quod alias *Synoneton*, de quo *suo titulo*. Tentaret alius *æneum* frumentum, quod dicatum Bacchi Sacerdotibus & ministeriis: *οἶνος* enim ὁ διονύσιος, cuius præcipuus in Africa cultus. Alius *aneum*, quasi graue ab αἰνὸν deriuet.

Ego, quidquid tandem hoc nominis sit, putem paganicæ superstitioni & voluptatibus seu ludicris ministeriis, quibus Carthaginenses maxime indulgebant: vbi & peculiaris Tribunus voluptatum erat, de quo *infr. tit. de Scanicis*, hoc *aneum* frumentum dicatum destinatumque fuisse Carthagine: ad cuiusmodi certe voluptates & ludos, Magistratus, de quibus *hac leg.* agitur, tenebantur: de quibus vid. *tit. de Decurion.* & *tit. de spectaculis.* Carthagine certe hoc sæculo etiam mixtæ superstitiones, nouaque superstitionum vocabula inoleuerunt: videatur saltem *lex 20. infr. de Paganis, Sacrific. & templis*, vbi de Fredianis & Dendrophoris, deque ædituis qui epholis deputati: & *lex 2. supr. de Collegiatis*, vbi de Vitutiariis & de Nemesiacis agitur, & de Cantabrariis. Et quid si ad animalium voluptatibus publicis ibi seruientium pabulum hoc æneum frumentum pertineat? Vnde quis *arinum frumentum* hic legendum censeat: quomodo *arina* farina, Plinio, *lib. 22. cap. 25.* quæ ex αἴρα, æra confecta, id est, lolio quod tritici vitium est, quodque cum in pane est, celerrime vertigines facit, &c. de quo idem Plinius, *lib. 18. cap. 17.* & ante eum Theophrastus *de causis plantarum, lib. 5. cap. 22.* Verum nil temere mutem. Peculiaris hæc proinde *anei frumenti* appellatio: quomodo & panis varia & peculiaria nomina, qui in publica erogatione erant, fuere hoc ipso æuo: Ita *panis gradilis, Ardimensis, Ostiensis, Fiscalis:* & *panis Castrensis:* καστρίσιος ἄρτος, qui Alexandriæ sub Diocletiano præbitus, teste auctore Chronici Alexandrini, & Farragine Alexandrina: scilicet qui ex castris seu Palatio Principis præbitus.

DE FRVMENTO ALEXANDRINO. (*)

TITVLVS XXVI.

Lib. XI. COD. IVST. Tit. XXVII.

(*) In vsum Vrbis Constantinopolitanæ: de quo est *lex 1. hoc tit.* vel in vsum ipsius Vrbis Alexandrinæ.

I. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Anthemio PF. P. (b)

IN æstimatione frumenti, quod ad ciuitatem Alexandrinam conuehitur, quidquid de Crithologia, & Zygostasii munere, & pro Naucleriorum (c) tuenda substantia (d) Eminentia Tua disposuit, roboramus, Adque vt Curialibus prædæ auferatur occa-

occasio, iubemus, eos ad huiusmodi sollicitudinem adfectandam nunquam accedere, sed designata Officia tuis prouisionibus, examinata, sollicitudinem prædictam implere. Dat. V. (e) Kalend. Februarii Constantinop. Honorio IX. & Theodosio V. AA. Coss. (412.)

NOTÆ.

(a) *Lex 1. Cod. Iustin. eod. tit.* Iungenda forte huic *lex 32. supr. de Navicular.* GOTHOF.

(b) *Anthemius* PP. Orientis sub Theodosio Iun. vid. *Prosopogr.* *ID.*

(c) *γρ. Nauclerorum*, vt in *Cod. Iust.* *ID.*

(d) Id est, tuendis facultatibus, & sic Naucleris indemnibus seruandis. *ID.*

(e) *XIV. Kal. Febr. Honorio VIII. & Theodosio III. AA. COSS.* Ita habet subscriptio *d. l. 32.* *ID.*

COMMENTARIVS.

De Alexandrino frumento, seu canone Alexandrino frumentario Vrbi Constantinopolitanæ potissimum destinato, est hæc Theodosii Iun. constitutio. Qui quidem Vrbi Romæ, cui antea destinatus erat, de quo dixi ad *l. 7. supr. de Nauicular.* detractus Constantinopoli attributus fuit. De quo pauca e multis hæc notasse sufficiat. Omitto calumniam Athanasio obiectam, quod Ægyptiacum hoc frumentum retinuisset; *Vetus Orbis descriptio sub Constantio*, quam in lucem extuli, de Ægypto & Thracia agens *cap. 18.* *Et alias*, inquit, *Prouinciis vtilis est: Constantinopolis enim Thracia ab ea quamplurime pascitur: similiter & Orientales partes, maxime propter exercitum Imperatoris & bellum Persicum: propterea non posse aliam Prouinciam sufficere, nisi diuinam Ægyptum.* Præter Themistium quoque *orat. 13. p. 291. 292. Edit. Petau. 1613. in 8.* Sozomenum, *lib. 3. cap. 7.* Euna-
P.268 pius in *Ædesio p. 39. 40. Edit. Commelin.* cum conuicio: ἡ μὲν γὰρ Κωνσταντινούπολις τὸ ἀρχαῖον Βυζάντιον, κατὰ μὲν τοὺς παλαιοὺς χρόνους, Ἀθηναίοις παρεῖχε τὴν σιτοπομπείαν, καὶ περιττὸν ἦν τὸ ἐκεῖθεν ἀγώγιμον: ἐν δὲ τοῖς καθ' ἡμᾶς καιροῖς, οὐδὲ τὸ ἐκ' Αἰγύπτου πλῆθος τῶν ὁλκάδων, οὐδὲ τὸ ἐξ Ἀσίας ἁπάσης, Συρίας τε καὶ Φοινίκης, καὶ τῶν ἄλλων ἐθνῶν συμφερόμενον πλῆθος σίτου, καθ' ἀπαγωγὴν φόρου, ἐμπλῆσαι καὶ κορέσαι τὸν μεθύοντα δύναται δῆμον, ὃν Κωνσταντῖνος εἰς τὸ Βυζάντιον μετέστησε, &c. id est, *Constantinopolis, vetusto nomine Byzantium, antiquitus suppeditabat Atheniensibus annonam, fidemque omnem excedebat frumenti inde aduecti vis: at nostro sæculo, neque oneraria naues, quas Ægyptus mittit, totaque Asia cum Syria, & Phœnice, neque frumentaria copia ex aliis Prouinciis vectigalibus comportata, explere valent aut satiare circumfluentem & copiosam populi multitudinem, quam Constantinus Byzantium transtulit.* Claudiani locus insignis *de bello Gildon. v. 52. seqq.* vbi Romam inducit loquentem, & querentem de erepto sibi canone Alexandrino:

Tot mihi pro meritis Libyam Nilumque dedere,
Vt dominam plebem, bellatoremque Senatum
Classibus æstiuis alerent, geminoque vicissim
Litore diuersi complerent horrea venti.
Stabat certa salus: Memphis si forte negasset,
Pensabam Pharium Gætulis messibus annum.
Frugiferas certare rates, lateque videbam
PVNICA NILIACIS concurrere carbasa velis.
Cum subito PAR ROMA mihi, diuisaque sumpsit
Æquales Aurora togas, Ægyptia rura
In partem cessere NOVÆ: spes vnica nobis
Restabat Libya......

Et post *v. 113.*

Nunc quid agam, Libyam Gildo tenet, ALTERA NILVM.

Quare nonnisi extra ordinem & raro hac tempestate ex Alexandria Romam aliquid subuectum: cuius rei exemplum apud Symmachum, *lib 10. epist. 22.* & *epist. 50.* De hoc Alexandrino Canone seu stolo in vsum Vrbis Constantinopolitanæ sunt innumeræ constitutiones *hoc Codice:* inter alias Constantini M. *d. lex 7. supr. de Nauicular.* Vid. etiam *Nouella 15.* & *lex* insignis eiusdem Theodosii Iunioris: puta *lex 32. supr. de Nauicular.* quæ, vt mox ostendam, *huic* iungenda videtur.

Porro huic annonæ probe administrandæ multa constituta reperire licet. In hunc sane quoque finem Præfectus annonæ Alexandriæ constitutus est: ad cuiusmodi Præfectum Claudium extat *lex* Constantii 3. *supr. de Susceptoribus.* Quomodo & Præfectus annonæ in Vrbe Roma fuit: & tertius Africæ, vt docet *lex 12. supr. de Nauiculariis:* & *lex 2. de Naufragiis.* Hunc eundem in finem (quod *hac lex* testatur) *Æstimationi* frumenti prouisum: Quod scilicet non tantum ex Ægypto Alexandriam conuehebatur, vt quidam hic tradunt, verum ex aliis quoque Orientis Prouinciis, vt antea ostensum, Orientales Nauarchi Alexandriam deuehebant, vel inde Constantinopolim subuehebant. *Æstimationi*, inquam, id est, qua quantitate & qualitate inferretur, rursumque efferretur. In hunc igitur finem fuere Alexandriæ & Chrithologi & Zygostatæ. Χριθόλογοι, qui & Adnotatores dici videntur, *l. 3. supr. de Susceptorib.* tum suscipiendo, tum emittendo frumento, & vtriusque rationibus excutiendis præpositi fuere: qualem χριθόλογον apud Opetarios fuisse refert Plutarchus *in Hellenicis.* Ζυγοστάθμοι, ponderi & quantitati frumenti exigendæ, admetiendo denique frumento tum aduecto tum euehendo præerant. A quo alius est Zygostates, etsi similis, ad ponderationem Nummorum Zygostates, de quo *l. 2. supr. de ponderatoribus.*

Secundo, viceversa in hunc eundem Æstimationis frumenti finem, ne Naucleri ipsi in fraudem seu damnum inciderent, pro eorum substantia tuenda, id est, pro indemnibus eis seruandis,

quod Interpretes hic non cepere, Epimetron eis aliquod datum pro iustis diametris, *pour la descalle:* vt docet *dicta lex 7. supr. de Naucular.* vbi dixi plene: pariter vt datum Vrbis Romæ canonem subuehentibus, *l. 36. 38. d. tit.* vt & Susceptoribus quoque datum docet *lex 3. 14. 15. 21. sup. de Susceptoribus* & *lex 4. supr. de Suariis.*

Vt ad sententiam *leg.* nostræ descendam; circa vtrumque aliquid noui disposuerat Anthemius PP. Orientis: non quidem quasi is nunc primum aut Crithologum aut Zygostatam instituerit, idque Theodosius Iun. *hac leg.* probet, quomodo censent Viri docti, etiam Græci Interpretes: Rursum, non quasi is Epimetron Naucleris primus dederit, quod antea datum probat *dicta lex 7. supr. de Nauiculariis.* Circa vtrumque, inquam, aliquid statuerat, & aduersus fraudem Nauiculariorum, & vt a fraude seu damno ipsi vindicarentur, Anthemius PP. Orientis annonæ Constantinopolitanæ studio: cuius hac in re studium iogerunt seu testantur Anno 409. *lex 4. supr. ne conlat. transl. lex 33. supr. de Nauiculariis:* & *lex vnic. supr. de Nili aggerib. non rump.* Neque minus hæc ipsa *lex:* cui parum abest quin iungam *legem 32. supr. de Nauiculariis:* quæ eiusdem Theodosii Iun. est, & huic omnino argumento conuenit eidemque Anthemio inscribitur, & eiusdem Anthemii dispositionem probat: seu vt diserte *fine leg.* dicitur *firmat:* pariter vt *hac leg.* quod is disposuerat, roboratur. Quid autem ab eo dispositum fuerit circa Epimetri modum vel circa Chrithologiam & Zygostasii monus, id omne *hac leg.* non exprimitur: nisi vnicum illud, quod *Curialibus* Crithologis & Zygostatis esse vetuit, vt videlicet Curialibus prædæ occasio auferretur. Curiales scilicet prædia noti & notati hoc æuo, quod ostensum *non vno loco, titulo, supr. de Decurionib.* Quid igitur? Idem Anthemius certa quædam officia designauerat, quæ suo examine sollicitudinem hanc implerent. Quæ omnia firmat *hac leg.* Theodosius Iun. Neque tamen adhuc officia illa hic exponuntur, quæ relatione Anthemii expressa seu designata fuerant. Quare fidentius dicitur quam certius a Viris clarissimis, *Praefectianos* ad id munus ab Anthemio probatos & ordinatos: quod tamen statuunt proculdubio ex praua *huius leg.* interpunctione & interpretatione: ibi: *Sed designata Officia tuis prouisionibus examinata sollicitudinem prædictam implere.*

Huius tandem *legis* occasione, exhibere hic iuuat omnia munia per Ægyptum & in Vrbe Alexandrina, quæ *hoc Codice* memorantur Græcis nominibus omnia, & quidem in solius ferme Theodosii Iunioris constitutionibus: Archigerontes *l. 1. de Alexandr. pleb. prim.* Cephaleotæ, *l. 6. de patroc. vicorum* Copiatæ *l. 15. de Episcop.* Crithologia, *hac leg.* Diœceræ Ergasiotarii, *l. 1. de Alexandr. pleb.* Hypommematographi, *l. vltim. supr. de Decurionibus.* Irenarchæ, *dicta leg. 6. de patrocin. vic.* & *tit. de Irenarchis.* Logographi Chomatum, *dict. l. 6.* Monazontes, *l. 63. supr. de Decurionibus.* Parabolani, *l. 42. 43. infr. de Episcopis.* Zygostasia *hac leg.* His adde & homologos colonos, *dict. l. 6. de patroc. vicorum.* Diacatochos, *l. 1. supr. de fisci debitoribus.* Addamus & P. 269 Elemporiam, & Ospraturam, patrimonii munera, ita apud Alexandrinos vocata, vt testatur Arcadius Charisius *l. vltim. §. 19. D. de muneribus & honoribus.* Alia non iam personarum vel munerum nomina, sed Rerum vocabula Græca alibi in lineam conicio.

II. (a) Impp. THEOD. & Valentinianus AA. Isidoro PF. P. (b)

DIVRNOS centum & decem modios alimoniis Alexandrinæ ciuitatis addi decernimus: vt nemo priuetur eo, quod nunc vsque (c) percepit, & *perissochoregiæ* (d) nomen penitus amputetur, & tesseræ designentur, & nostræ pietatis nomine censeantur. Dat. Prid. Non. (e) Iun. Constantinop. Isidoro & Senatore Coss. (436.)

NOTÆ.

(a) *Lex 2. Cod. Iustin. eod. tit.* Iungenda huic *lex 3. supr. de indictionib. lex 2. infr. de Alexandr. pl. primat.* & *lex 189. 190. 191* imo & *192. supr. de Decurionibus.* Imo & *l. vlt. supr. de indulg. debitorum.* GOTHOF.

(b) *Isidorus* PP. Orientis sub Theodosio Iun. vid. *Prosopogr.* ID.

(c) *Nunc vsque, hac leg. & l. 45. infr. de Episcopis: l. 54. infr. de hereticis:* alias, *vsque nunc:* vt *l. 2. infr. de fide Cathol.* ID.

(d) Περισσοχορηγίας ID.

(e) Ita quoque *d. l. 2.* & *d. l. 3.* & *l. 189. 190. 191.* At *d. l. 192.* Prid. Non. Aug. & *d. l. vlt.* Prid. Id. Iul. ID.

COMMENTARIVS.

DE GRATVITA ANNONA Vrbis ALEXANDRINÆ est hæc Theodosii Iun. constitutio: Anno D. 436. Quæ quidem ipsa, pars est prolixioris constitutionis, qua is non tantum Ægyptiorum in commune commodis consultum iuit (quod docet *lex 3. supr. de indiction.* inde desumpta) verum etiam speciatim Alexandrinorum: vt docent *quinque leges* inde pariter desumptæ, præter *hanc*, inquam, & *l. 2. infr. tit. prox. de Alexandr. pl. primatibus: lex 189. 190. 191. supr. de Decurionib.* (quibus addo & *l. 192. eod. tit.*) Quæ *leges* omnes inter se coniungendæ, atque adeo *huic* nostræ coassandæ veniunt. Ac nominatim Curialibus Alexandrinis consultum iuit *d. l. 189. 190. 191. 192.* Corporatis Alexandrinis, *d. l. 2. infr. tit. prox.* Hac vero *leg.* popularibus Alexandrinis: seu populari eius vrbis annonæ: aucta videlicet ea.

Nempe sicut Vrbi Romæ & Constantinopolitanæ annona ciuica gratuita data, ita data quoque Alexandrinæ Vrbi, de cuius προνομίοις alibi plene dixi. Videnda interim dum insigniora eius elogia apud *veterem orbis descriptorem sub Constantio c. 18.* & Ammianum Marcellinum, *lib. 22. extremo.* Huius vero annonæ Alexandriæ dandæ auctor Diocletianus

tianus fuisse videtur: Auctor *Chronici Alexandrini pag. 644. Edit. Rader.* Constantio c. IV. & Maximiano Iouio c. IV. Coss. id est, Anno D. 302. τούτῳ τῷ ἔτει ὁ Καστρίσιος ἄρτος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὑπὸ Διοκλητιανοῦ ἐδωρήθη: *hoc anno castrensis sportula seu panis a Diocletiano in ciuitate Alexandrina præbitus est.* Fartago Alexandrina edita a Scaligero *pag. 83. Thesaur. Tempor.* Constantio & Maximiano nouis Cæsar. IV. *Castritius in Alexandria donatus est & Diocletiano balneum ædificatum est.* Eodemque ex parte refero, quod *Fasti Idaciani* habent *pag. 30. Thes. Tempor. Constantio IV. & Maximiano IV. His COSS. vilitatem iusserunt Imperatores:* vbi *vilitas* proprie de annonæ vilitate: vid. Lamprid. *Alex. Seuero cap. 22.* & Capitolinum in *Pertinace cap. 8. in fin.* Procopius in ἀνεκδότοις *nuper editis, cap. 26. pag. 77. Edit. Reg.* Διοκλητιανὸς Ῥωμαίων γεγονὼς αὐτοκράτωρ, σίτου μέγα τι χρῆμα δίδοσθαι παρὰ τοῦ δήμου τῶν Ἀλεξανδρέων τοῖς δεομένοις ἀνὰ πᾶν ἔτος διώρισε: ταῦτα ὁ δῆμος τηνικάδε διαδικασάμενοι σφίσιν αὐτοῖς, ἐς ἀπογόνους τοὺς μέχρι δεῦρο παρέπεμψαν: ἀλλ' Ἡφαιστος ἐνθένδε μυριάδας εἰς διακοσίας ἐπετείους μεδίμνων τοὺς τῶν ἀναγκαίων ὑποσπανίζοντας ἀφελόμενος τῷ δημοσίῳ ἐνέθηκε. *Romanorum Imperator Diocletianus magnam frumenti copiam quotannis in egenos distribui populo Alexandrino iusserat: quam illi ad portionem inter se iam inde distributam, etiamnum transmittebant ad posteros: Hephæstus bis decies centena millia medimnum, fraudatis egenis, in horrea publica imperauit.* Quanam vero occasione annona seu panis hic gratuitus Alexandriæ datus fuerit? docent *Socrates* & *Synodus Chalcedon.* quorum verba mox proferam: puta εἰς διατροφὴν τῶν πτωχῶν. Quod nomen attinet, *Castrensis* panis hic dictus, vt ex *Chronico Alexandrino*, & *Fartagine Alexandrina* discimus. Quem Græci more suo Καστρίσιον dixere. Quomodo κιρκήσιον, quod Romanis *Circense*: μιλιαρήσιον, *Miliarense*, id genus alia. Quomodo & ἡμιμέδιον καστρίσιον dicitur apud Absyrtum *Hippiatric. lib. 2. cap. 129. Castrensis* autem ideo, quia ex castris seu domo Principis præbitus. *Castrum* pro domo Principis eiusque penetrali: vid. quæ dixi *supr. ad tit. de Castrensianis.* Quare his Castrensianis panibus recte aptetur Palatinorum panum descriptio, quæ apud Suidam extat, de quo ad *l. 7. supr. de annonis ciuicis.*

Igitur *Castrensis* hic panis datus Alexandrinis a Diocletiano Anno 302. de cuius mora Alexandriæ fidem facit insignis eius *lex* ibi data apud Auctorem *coll. legum Mosaic. tit. de mathemat. & manichais num. 3.* item Sex. Aurelius Victor. *de Cæs. cap. 39.* Nempe, vt iure existimo, post Achilleum superatum, interfectum, qui apud Alexandriam dominationis insignia induerat: quem Iouio, id est, Diocletiano Alexandriam profecto, facili negotio pulsum pœnas luisse ait Sex. Aurel. Victor. *l. c.* Eutropius *lib. 9. cap. 15.* Hieronymus *Chronico p. 179. Thesaur. Tempor.* Achilleum a Diocletiano obsessum Alexandriæ, octauo fere mense superatum, eumque interfecisse. Quæ hanc victoriam secuta sunt ita narrat Eutropius *d. cap. 15. Victoria*, inquit, *acerbe vsus est: totam Ægyptum grauibus proscriptionibus cædibusque fœdauit. Ea tamen occasione ordinauit prouide multa, & disposuit, quæ ad nostram ætatem manent.* Quod de grauibus proscriptionibus & cædibus aiunt *Eutropius & Hieronymus:* id ipsum & Græcus Auctor apud Suidam fere totidem verbis extulit in *voc.* Διοκλητιανὸς, vbi etiam addit, eodem tempore eum libros περὶ χυμείας in Ægypto perscrutatum combussisse, ne hac arte Ægyptii diuitias amplius sibi pararent; neue pecuniarum copia freti in posterum aduersus Romanos rebellarent. At vnus Eutropius ait a Diocletiano in Ægypto ordinata multa prouide & *disposita*, quæ ad suam ætatem manserint, Valentis scilicet. Horum numero procul dubio fuit hic *panis Castrensis*, seu hæc annona gratuita, quam Diocletianus Alexandrinis popularibus dedit. Quo & *Dispositionis* seu *disponendi* vox proprie pertinet. Et hæc de populari annona Alexandriæ data. Certe Constantinum M. quoque modum aliquem pauperibus Ecclesiæ Alexandrinæ dedisse testatur Socra- P.570 tes, *lib. 2. cap. 17.* Τῇ Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίᾳ σιτηρέσιον ἤδη πρότερον δεδώρητο ὁ τῶν Αὐγούστων πατὴρ εἰς διατροφὴν τῶν πτωχῶν: *Alexandrinæ ecclesiæ iam pridem ad alendos pauperes annonam donauerat Augustorum pater.* Et Ischyras in *Chalcedonensis Synodi act. 3. pag. 326. Tom. II. Concil. Ed. Harduin.* Dioscorum accusat, quod interuerterit τὸν παρεχόμενον παρὰ τῶν βασιλέων σῖτον πρὸς τὸ τοὺς παρεπιδημοῦντας, ἔτι δὲ καὶ ἐντοπίους πένητας παραμυθεῖσθαι, *frumentum ab imperatoribus præstitum, vt peregrini nec non etiam prouinciales pauperes aliquod mereantur solatium.* Ergo duplex annona e fisco data Alexandriæ populo, & pauperibus. Ab his vero diuersa sunt πτωχικὰ χρήματα, & ἀγροὶ συμπλόκων, seu bona Ecclesiastica, quæ ibidem erant.

Nos ad Popularem Annonam Alexandrinam, & sic ad *legem* nostram redeamus. Hanc vero a Diocletiano primum institutam, auxere insecuti Principes. Quod augmentum περισσοχορηγίας nomine censebatur: quasi diceres præbitionem seu præstationem vberiorem. Quomodo & Theodosius M. similiter additis solito canoni Constantinopolitano, 125. modiis frumenti diurnis, nomen περισσεύματος indidit: *l. 2. Cod. Iust. de annonis ciuilibus*, non quod Cuiacius credidit παραπετεύματος: de quo ad *l. 13. & 14. supr. de annonis ciuicis.* Verum Theodosius Iun. *hac leg.* Alexandrinis consulturus: neque quidquam his detractum cupiens, *Vt nemo*, inquit, *priuetur, quod nunc vsque percepit, perissochoregias* tantum nomine aboleto, ordinarium canonem 110. modiis diurnis auctum iuit, sic vt in suum nomen hoc incrementum deriuari velit, deincepsque *Tesseras* (de quibus alibi dixi ad *l. 2. supr. de annonis ciuicis:*) de suo nomine Annonarias *Theodosianas* vocari iubeat. Quod postremum non ita quoque a Theodosio M. constitutum *d. l. 2.* nam ibi, *insita nostræ pietatis liberalitate*, non id voluit, inserendum nomen suum tesseræ, verum indicat Theodosius illis verbis, se hoc incrementum dedisse innata sibi pietate & liberalitate. Qua parte tamen lapsus Interpres doctissimus.

Interim & illud obseruandum nominis aboliti exemplum, seu de titulo rei nomine latæ *legis*: At non ideo & rei: vt alioquin res cum nominibus aboleantur, imo cum nomina aboleantur, & res simul abolentur: vt Patroni vicorum, *l. vlt. supr. de patrocin. vicorum:* Competitorum, *l. 33. supr. de petition.* Irenarcharum, *l. vnic. supr. de Irenarchis:* Cenaticorum, *l. 12. supr. de erog. mil. ann.* Compulsorum, *Nouella Iustin. 128.* Quare error est Forcerii 4. *quotidian. 11.* qui hæc postrema exempla connumerat *Legibus*, quæ de solo nomine latæ: quo in censu quidem est *hæc lex nostra*, at non illæ. Inuisa scilicet sæpe sola nomina & minus conuenientia *legibus* abolita & cum aliis mutata: sic *Nicteparchi* nomen mutatum cum appellatione Prætoris plebis, *Nouell. 13.* sic Theodoricus inuisum populo *Tertiarum* nomen sustulit, & in pecuniæ tributariæ functionem conuertit apud Cassiodo-

rum, l. *Variarum 14.* sic extraordinariam collationem quandam canonicam deinceps vocari & haberi voluit. Imp. Constantinus *l. 2. supr. de extraordinar.*

Hic tandem *perissocboregias* nominis occasione apponere iuuat Græca omnia *Rerum* vocabula, quæ *hoc Codice* per Ægyptum & Alexandriam vsurpata docemur: quomodo ad *superiorem leg.* functionum seu munium ibidem propriorum vocabula congessi. *1. Arura* l. vltim. supr. de patrocin. vicor. *2. Chomata*, d. l. vltim. *3. Dinummium*, l. 2. infr. de Alexand. pleb. Primat. (quæ *huic* iungenda est:) *4. Liturgi*, d. l. vltim. 5. *Metrocomia*, d. l. vltim. 6. *Perissocboregia*, hac leg. *7. Philicon*, *l. 32.* supr. de Nauicular. *8. Stolus*, l. 7. supr. de Nauiculariis.

DE ALEXANDRINÆ PLEBIS PRIMATIBVS.

TITVLVS XXVII.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. XXVIII.

De Alexandriæ Primatibus.

I. (a) Impp. ARCAD. & Honor. AA. Gennadio (b) PF. Augustali.

ARCHIGERONTES, & diœcetæ, (c) ergasiotanorum (d) numero (e) deligantur: Quod Officium Tuum sollicitis obseruet excubiis. Dat. Non. Febr. Constantinop. PP. Alexandriæ Eutycheo. (f) Arcad. IV. & Honorio III. AA. Coss. (396.)

NOTÆ.

(a) *Lex 5. Cod. Iust. de Episcop. audientia:* hinc in alium plane sensum detorta est. *GOTHOF.*

(b) *Gennadius* PF. Augustalis sub Arcadio. Ad hunc eundem extat Epigramma Claudiani, quod inscriptum *ad Gennadium Proconsulem*: ex quo liquet etiam de Præfectura hac Augustali seu Ægypti ab eo gesta:

Italiæ commune decus, Rubiconis amæni
Incola, Romani fama secunda fori.
Graiorum populis, & nostro cognite NILO,
Vtraque gens FASCES, horret, amatque tuos.

De eodem & Synesius *epist. 73. & initio κατασάσεως*: vid. *Prosopogr. ID.*

(c) *Diœcetæque*, Cod. Iustin. *ID.*

(d) Pro *ex ergasiotanorum. ID.*

(e) *Nonnisi Christiani dirigantur*, ita Tribon. plane contra mentem Arcadii: de quo mox. *ID.*

(f) Hanc subscriptionem mox excutiam. *ID.*

P. 571

COMMENTARIVS.

DE ERGASIOTANIS, eorumque Primatibus, in Vrbe Alexandrina, est hæc Arcadii constitutio ad Præfectum Augustalem, id est, Ægypti, cuius metropolis erat Alexandria, Anno D. 396. De *Ergasiotanis*, inquam vel *ergasiotariis*. Hi vero voce Græca ἐργασιώτης, (quomodo Paratitla Græca bis verterunt, τῶν ἐργασιωτῶν:) ita dicti apud Alexandrinos: nam ita a Græco παράβολος parabolarius apud Firmicum *Mathes. 8.* & Parabolanus apud eosdem Alexandrinos *l. 42. 43. infr. de Episcopis.* Quanquam malim *ergasiotarios* hic legere: nam vt maxime Gentium quoque quarundam nomina illo modo inflectantur (quomodo quos Græci μαυρίτας Latini *Mauritanos* vocant) etsi Græci quoque dixerint ἐργατίνας, pro ἐργάτας teste Hesychio, & ἐργατίωνας; attamen Artificum nomina etiam a Græcis mutuata hoc modo inflecti solent: hinc a Græco λινοφός, Linifarius, *l. 16. supr. de Murilegulis.* Et cæteroquin eadem terminatione, linteatius, calceolarius, solearius, molochinatius, & alia innumera. Verum in hoc non sunt sitæ opes Græciæ. Ergo ab ἐργασιώτης, *Ergasiotarius*, vel *Ergasiotanus*, quam vocem tamen hic male expungebat Leunclauius *Paratitl. pag. 194.* siu. *pag. 1425. Tom. II. Biblioth. Iur. Can. Hen. Iustell.* Idemque hic substituebat vocem *Ergasiotarum*, quia scilicet ita haberent Paratitla ἐργασιωτῶν. Denique hæc vox est Alexandrinorum, quorum peculiaris

culiaris Dialectus fuit, nouæ & peculiares voces, veris Græcis incognitæ & insolitæ. Qua de re est quoque Cron obseruatio *in Nouum Testament. c. 33.* (Etsi Suidas *voc.* Εἰρηναῖος memoret Libros septem Irenæi Grammatici Alexandrini ab eo scriptos, vt probaret Alexandrinam ab Attica deductam) sic & ἐργατίνας, & ἐργαςήρια, apud Hesychium ἐργάται.

Ergasiotarii porro, vel *Ergasiotani* isti Alexandriæ, erant de *plebe*, vt docet Rubrica *huius tit.* de *Alexandrina PLEBIS Primatibus.* Erant enim τεχνῖται, *Operarii* seu *Artifices* cuiuscunque artis in Vrbe Alexandrina: Sic & Paulus Diaconus *historia misfella initio lib. 23. pag. 164. Tom. I. Script. Rer. Ital. Ant. Murator. in Anno D. 775.* vbi exhibet iusiurandum ab omni populo præstitum. *Et iurauit*, inquit, *omnis populus in honorandis & viuificis lignis, tam scilicet ex Thematibus & Senata, quam etiam exterioribus Ordinibus & ciuibus omnibus, & ERGASTERIACIS, Imperatorem non admittendi, excepto Leone, seu Constantino, ac semine ipsorum.* Ergasteriaci, ἐργαςηριακοὶ, qui alias ἐργαςηκοὶ, iidem cum ἐργασιώταις, Ergasiotanis vel Ergasiotariis; ab his Ergasteriacis ἐργαςηριακὸν, tributum quod pro officinis soluebaut Artifices. Mentio in diplomate Andronici Iunioris apud Phranzam Chron. *lib. 3. cap. 24.* De his vero Alexandrinis Artificibus est & hic locus ex epistola Hadriani apud Vopiscum *in Saturnino cap. 8.* vbi de Alexandrinis istis Artificibus agens, *Ciuitas*, inquit, *opulenta, diues, fœcunda, in qua nemo viuat otiosus: alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur; omnes certe Lymphiones cuiuscunque artis & videntur & habentur: podagrosi quod agant, habent: habent cæci quod faciant: ne chiragrici quidem apud eos otiosi viuunt.* Quo loco primum ex *Lymphiones*, fecerunt, *Limiphiones*: deinde quia hæc non respondere videbant, quasi diceretur Lyniphiones seu linteones fuisse cuiuscunque artis & professionis homines Alexandriæ, quod non verisimile sit, ex MSS. ita reposuit Vir Doctissimus: *alii limphiones sunt: omnes certe cuiuscunque artis & videntur & habentur.* Quæ scripti Codicis auctoritas si obsisteret, veterem lectionem proxime tuear: voce *Lymphiones* tantum in *Lympionet* mutata, nullo præterea inuerso aut immutaro: & *Lymptones* dictos putem Artifices Operarios eosdem cum Ergasiotariis. a voce λύμπη, quæ laborem seu operam significat: Hesychius Alexandrinus ipse Grammaticus, apud quem multa Alexandrina verba occurrunt, λύμπη πόνος. Hæc vtcunque sint, Ergasiotarii seu Ergasiotani sunt Artifices, Operarii Alexandriæ quicunque, quorum distincta *Corpora* erant, de quibus & Gregorius Nazianz. *orat. 21. pag. 391. Edit. Coloniens. apud Weidm.* Quare valeat Accursii interpretatio, qui damnatos ad metalla interpretabatur: valeat Alciati dispunctio *l. 3. cap 18.* reponentis in *Cod. Iustin.* ἐργασίας ταμείων. Neque audiendus Hotomannus, qui reponebat *Ergasticorum*, id est, *Fabrorum*, qui regiis ferme publicisque operibus præerant, curatores operum publicorum, redemptores, vt alius hanc interpretationem adornat, quos Galli vocant *Entrepreneurs.* Horum vero Ergasiotanorum numero Alexandriæ maxime celebres fuere Vitriarii, & chartæ confectores: de qua præter alios extat insignis præterea locus apud Auctorem *veteris orbis descriptionis*, quem illustraui *pag. 24.* Fuerunt reliqui Artifices Lympiones, Ergasiotarii. Quorum singulorum Artificum certa Corpora fuerunt Alexandriæ. Nequa tamen cum his, *Corporatos*, de quibus agitur *l. prox.* ciuitaris Alexandrinæ, quod hactenus fit, etiam a Cuiacio *XXIII. Obseru. 3,* & post eam a Burgio I. *Elect. 3. pag. 315. Tom. I. Thes. Iur.* misceri velim. Corporati enim ab Artificibus diuersi sunt, vt docuit clare *supr. tit. de priuileg. Corporat. V. R.* & alter *de excusationib. Artificum.* Corporati enim (de quibus ad *d. l. prox.*) dicebantur ministeria Vrbis necessitatibus seruientia, veluti Pistores, Catabolenses, Suarii, Pecuarii, Susceptores, Mancipes Thermarum, calcis coctores in publicos vsus: quibus ideo certa priuilegia data, atque ideo *Corpora ad vrbis priuilegia pertinentia* dicuntur. Nolo etiam misceri eum Collegiatis, de quibus *tit. de Collegiatis 7. supr.* quia neque horum opera in artificio consistebat. Multo minus misceri volo cum Curialibus: de quibus sane curialibus Alexandrinis agitur *l. 189. 190. 191. supr. de Decurionib.* Scilicet Vrbs Alexandrina, vt aliæ vrbes, Curiam habuit, & Plebem: de qua postrema est hic *Titulus.* E Plebe porro alii *Artifices* seu Ergasiotani fuere, alii *Corporati*, alii *Collegiati.*

Istorum autem Artificum Ergasiotariorum, fuere quidam *Primates*, vt vel *Rubrica huius tituli* vocantur: Non vero quod quidam censent, & in his Cuiacius, Tribuni, aut Defensores plebis: ab his enim plebis defensores omnino diuersi sunt: de quibus *suo titulo, supr. de defensorib. ciuitatum:* & inauditum, Defensores in ciuitatibus fuisse singulorum artificiorum, etsi Patroni quidam fuerint certorum Corporatorum: imo qui Defensores plebis erant, totius plebis Defensores erant. Igitur *plebis* seu Ergasiotariorum *Primates* quidam fuere; non Defensores. Verum, *Primates*, quorum nomina fuerunt Alexandriæ, *Archigerontes* & *Diœceta.* Archigerontes, non quasi γερουσίας seu Senatus Curiæque Principes, seu Principes γερόντων, id est, Senatorum municipalium, & sic principales Curiæ Alexandrinæ, seu quinque Summatas Ordinis Alexandrini (quod quidam, & in his P. Burgius *l. c.* opinati, a quibus quam diuersi fuerint illi iam ostensum est,) verum quasi Principes summoque honore, & loco inter Artifices: id enim γερόντων vox sibi vult, non ætatis, verum honoris, & venerationis index: ἔντιμοι, ἄριςτοι. vt vel ex p. 278
Hesychio discere licet. Quomodo & apud Suidam voc. Δημογέροντες: δημογέροντες οἱ τοῦ δήμου ἐντιμότατοι: *qui in populo sunt (seniores ac propter ætatem) honoratiores.* *Diœcetæ* vero διοικηταὶ, quasi Administratores: Proprium certe iam olim Diœcetæ διοικητοῦ nomen Alexandriæ fuit, quo indicabatur is, qui a Rege esset constitutus, quique ab eo pecuniæ curationem & dispensationem suscepisset: vt exerte docet Cicero *pro Rabirio Postumo, cap. 8.* vbi de Ptolemæo R. agit, cui Postumus pecuniam mutuam dederat: *At DIOECETES*, inquit, *fuit Regius.* Et cap. 10. *Nam, vt ventum est ALEXANDRIAM ad Auletem, Iudices; hæc vna ratio a Rege proposita Postumo est seruandæ pecuniæ, si curationem, & quasi dispensationem Regiam suscepisset: id autem facere non poterat nisi DIOECETES: hoc enim nomine vtitur, qui a Rege esset constitutus. Odiosum negotium Postumo videbatur, sed erat nulla omnino recusatio: molestum etiam nomen ipsum, sed res habebat nomen hoc apud illos, non hic imposuerat.* Sic & Phalaris *ad Polycletum medicum ep. 70.* ait se Teucro τῷ ἐπὶ τῆς διοικήσεως scripsisse, vt ei annuum solueret stipendium. &c. Sic & Athenis Magistratus erat ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως, qui pecuniam ærarii administrabat: cuius meminit Demosthenes *pro corona. pag. 479. Ed. Wolff.* Dinarchus *in orat.* κατὰ Διονυσίου τοῦ ἐπὶ τῆς διοικήσεως, apud Dionysium Halicarnass. *in Dinarcho, c. 10.* Diogenes *in Zenon. Cittiei Vit. lib. 7. Segm. II,* & Pollux,

lux, *lib. 8. cap. 9. segm. 113. pag. 936. Edit. Hemsterbuis.* sic & sub Regibus Ægypti rursum, Polybius *lib. 27. in exceptis Vales. pag. 126.* horum diœceton meminit, vbi agis de Ptolemæo Cypri Præfecto, quem ait cogendæ pecuniæ studiosissime incubuisse, neque cuiquam quidquam dedisse, etsi a Diœcetis sæpissime flagitatus, *ὑπὸ τῶν βασιλικῶν διοικητῶν*, grauiterque incusatus quod reditus insulæ penes se retineret: verum postquam Rex adoleuit, collatam magnam pecuniæ vim Alexandriam misisse. Quin & in *veteri Inscriptione*, quæ est Neapoli, *apud Gruterum. CXXV. 1.* ΔΙΟΙΚΗΤΑΙ ΤΗΣ ΦΡΗΤΡΙΑΣ ΑΡΙΣΤΑΙΩΝ, *sodalitatis seu corporis Aristaeorum*, memorantur: ΜΗ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΔΕ ΕΧΕΤΩΣΑΝ Ο ΦΡΗΤΑΡΧΟΣ Η ΟΙ ΧΑΛΚΟΛΟΓΟΙ, Η Ο ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ, Η ΟΙ ΔΙΟΙΚΗΤΑΙ, Η ΑΛΛΟΣ ΤΙΣ ΤΗΣ ΦΡΗΤΡΙΑΣ ΤΗΣ ΑΡΙΣΤΑΙΩΝ ΤΗΝ ΘΥΣΙΑΝ Η ΤΟ ΔΕΙΠΝΟΝ ΥΠΕΡΤΙΘΕΣΘΑΙ ΠΑΡΑ ΤΑΣ ΤΕΤΑΓΜΕΝΑΣ ΗΜΕΡΑΣ. Et deinceps ter. Quod vtique ad *hanc legem* proximum; vbi Diœcetæ Ergasiotanorum memorantur. Simili quoque sensu *διοικηταὶ* apud Leonem *Nouella 61.* & Cantacuzenum, *lib. 3. cap. 14.* & Codinum *de Off. Const. cap. 2.* (*) pro tributorum videlicet exactoribus, quomodo & apud Hesychium, *διοίκησις ἡ ἀνάλωσις τῶν χρημάτων.* Ergo Diœcetæ ergasiotanorum non iam a Rege constituti, verum plebis & artificum corporis *διοικηταὶ*: Non Curatores Corporatorum. Forte qui communam corporum arcam & pecuniam administrabant. Quomodo ΔΙΟΙΚΗΤΑΙ ΦΡΗΤΡΙΑΣ, qui iunguntur in inscriptione Neapolitana *Φρηταρχῷ, χαλκολόγοις, Φροντιστῇ.*

Nunc de sententia *huius leg.* Igitur Arcadius definit, Primates hos, Archigerontas, & hos inquam Diœcetas, ex ipso *Ergasiotanorum numero*, seu Corpore, deligi oportere: non vero aliunde. Sua scilicet cuique recte committuntur, ad quam rationem collineat Arcadii *lex 10. infr. de Iudæis*: neque alicui Corpori Caput dandum nisi ex eodem Corpore, & homogeneum. Nempe *Patroni* hi ex eo ipso Corpore iubentur *hac leg.* sumi: Quomodo & alias definitum de aliis Patronis, vnde desumi deberent: vid. *l. 9. de Suariis.* Cum hactenus proculdubio per ambitum Archigerontes & Diœcetæ aliunde sumerentur. Nam quod Cuiacius *XXIII. Obseru. 3.* putat, id *hac leg.* statui, vt Tribuni seu Defensores plebis, ex Artificum numero deligantur, præterquam quod vel eo iam satis refutatur, quod non hic agi de Tribunis seu Defensoribus plebis ostensum est: quis quæso putet, Tribunos seu Defensores plebis ex Artificum numero sumptos, ac non potius ex alio sumendos qui auctoritate valerent? qui miseram plebem ab iniuria vindicarent? Sed enim neque hanc Defensorum institutionem ferre potuerit vrbs Alexandria: quæ cæteroquin vulgo turbida. Eiusdem Cuiacii ibidem lapsus est, cum hanc *huius leg.* mentem & scopum esse putat, vt Archigerontes Ergasiotanorum numero deligantur cura & diligentia Præfecti Ægypti: Nam hic scopus est *huius leg.* vt officiales Præfecti Ægypti inuigilent, vt ab ipsis Ergasiotariis deligantur Archigerontes, &c. ex Ergasiotarum numero. Ex his quoque iam apparet, quam in alium plane sensum *hanc leg.* traduxerit Tribonianus, cum ita eam immutauit, *Archigerontes diœcetaque ergasiotanorum, nonnisi Christiani deligantur*: hac sententia, huiusmodi Primates & Diœcetas Artificum, nonnisi Christianos esse deligendos, non Gentiles scilicet, non Iudæos. Cui similis quædam ratio est *legis 19. 20. Cod. Iust. eod. tit. de Episc. aud.* Sed licuerit id Triboniano facere pro potestate sibi a Iustiniano indulta: Atenim grauissimus error est P. Burgii *l. Elect. 3.* qui ita quoque *hac leg.* reponendum contendit, *ex Christianorum numero.* Nil moror vltra crassos aliorum errores, veluti Accursii: imo & Alciati 3. *Dispunct. 18.* & Pancitoli II. *Var. 173.* Diuinabat Maynardus siue quis alius *in excerptis Notarum ad Theodosianum*, hic reponendum, *ex Arsinoitana noma*, vel *ex Saitanarum nomo*: quasi ex omnibus Ægyptiacis nomis soli Arsinoitani, vel Saitani iua Alexandrinæ ciuitatis consecuti, eos honores, eamque curationem *διοίκησιν* seu *ἀρχιγερουσίαν* in Alexandrina ciuitate consecuti fuerint. Quod nulla ratione aut exemplo stabiliri potest. Stet igitur, id *hac leg.* iuberi, vt qui Archigerontes & Diœcetæ erant, & dicebantur Alexandriæ, ex Ergasiotanorum numero sumerentur: & proculdubio ex eodem Ergasiotanorum Corpore, cui Primates illi præesse debebant. Haud absimili prorsus ratione cautum quoque *l. 5. Cod. Iust. de commerc. & mercatorib.* Collegiatos ex eodem Corpore subrogandus. Nempe quod politicum scemma hinc educendum, sua cuique recte committi, & ex eodem Artificum velut in arte peritorum Corpore Archigerontes & Diœcetas præficiendos. Apage enim hinc quæ Burgius l. *Elector. c. 3.*

Superest singularis admodum *huius leg.* quæ ad Præfectum Augustalem seu Alexandrinom data est, subscriptio: *Proposita Alexandria Eutycheo.* Hanc subscriptioem ita iam olim accepit Franc. Pithœus, cuius sententiam quoque amplexus est Cuiacius *XXIII. Obseru. 3.* Propositam hanc *legem* in Prætorio Præfecti Augustalis, quod *Eutycheum*, vocabatur: adducta eam in rem insuper Synesii *epistola 79. ad Anastasium*, vbi de Andronico Pentapoleos Ægypti Præside; *Ἀνδρόνικος εὐεργέτης τῆς εὐτυχοῦς τῶν ὑπάρχων οἰκίας ἐσόμενος.* Eam vero sententiam olim & ipse amplexus sum. Verum alia mihi nunc stat sententia. Nam quod Synesium attinet, cum Petauio, *εὐτυχῆ τῶν ὑπάρχων οἰκίαν*, accipio *fortunatam Præfectarum domum*: aperte enim eo loci Synesius id vult, Andronicum Pentapoleos Rectorem, ad quem arcanum Præfecti Prætorio Anthemii somnium perlatum fuerat, vt bene merentem de fortunata Præfecti Anthemii domo, commissum negotium posset exequi: *ὑπάρχων* scilicet vox ibi aliisque eius epistolæ locis, pro *ὑπάρχω* vno exaudienda: quomodo & *Præfectus Augustarum* dicitur, qui vnius tantum erat. Quod *huius leg.* subscriptionem attinet, nihil est quod persuadeat, Eutycheum P.273 Prætorium fuisse Præfecti Augustalis. Etsi alias legamus in *Secretario* quoque Iudicum lectas & allegatas quasdam *leges.* Quare putet quis Templum id fuisse Alexandriæ, quomodo in Templis Gentilium, pariter vt in Ecclesiis Christianorum lectæ quoque *leges*: quasi Felicitatis Bonique euentus Templum: quomodo, & *εὐτυχίας ἱερὸν* a Lucullo excitatum memorat Strabo, *l. 8. pag. 585. Edit. Almeloueen.* quod *τυχαῖον* vocat Dio *libr. 43. pag. 224. Edit. Leonclau.* & in *excerptis Valesianis*, *pag. 618.*

(*) Adde ad hunc locum, quæ congessit *IACOB. GOAR & CL. du FRESNE in Gloss. voce. διοικητὴς, διοικηταὶ, Diœceta.*

ug. Cicero vocat *Ædem Felicitatis*, *orat. in Verrem*, *de fignis cap. 2. in fin.* & Plinius *lib. 34. c. 8.* & *lib. 36. cap. 5.* & Auguftinus 4. *de ciuitate Dei*, *cap. 23.* Sic & *Tycheum* inter octo templa Deorum Gazæ, Marcus Gazenfis memorat apud Baronium, *Ann. 401. n. 39.* Sic & *Pantycheum* locus in Bythinia, vbi ab Arcadio Confiftorium habitum de Eutropio, teftatur Philoftorgius *lib. 11. cap. 6. in fin.* (& ex eo Nicephorus *lib. 13. cap. 4.*) & Sozomenus *lib. 7. cap. 21.* cuius mentio quoque in Itinerario Antonini *pag. 139.* & Hierofolymitano *pag. 572. Ed. Wefsling.* & apud Dionyfium Byzantium, cuius verba nobis feruauit P. Gyllius *lib. 3. Bofp. Thrac. c. 4.* Sic & Ammianus Marcellinus *fine lib. 29.* ait, Claudium P. V. Porticum ingentem Romæ excitaffe, lauacro Agrippæ contiguum, *Euentus bon.* cognominatum, ea re quod huius nominis prope vifitur Templum: Cuius *Templi Boni euentus* mentio quoque apud Victorem *Regione IX.* De boni Euentus quoque fimulacro Romæ Plinius *lib. 34. cap. 8.* deque Bono Euentu, quem agricolæ inuocarunt, Varro *initio de re ruftica.* Huius generis igitur fuerit *Eutycheum* Alexandriæ; vel Templum, vel certe locus folemnis ad id Templum *Boni euentus*, vbi hæc lex *Propofita* dicitur: quo Artifices & Ergafiotani conuenirent frequentes; quibus in mercimoniis fuis bonus euentus, εὐτυχία, feu εὐτυχεῖν, feliciter rem gerere votum eft.

Ex fuperioribus interim apparet, quam fuaees fint aliorum interpretationes. Accurfius Archigerontes interpretatur, Archipresbyteros, & Epifcopos, vel minores Sacerdotes qui damnatorum in metalla confitentium peccata audiebant: vnde iam hunc textum allegant ad hoc, quod Iudex poft fententiam latam contra reum debet mittere ei Sacerdotem vel Religiofum, vt confiteatur peccata fua. Alii accipiunt de his qui menfam Principis, vel alia negotia procurant. Pancirolus II. *Var. 173.* Senes interpretatur, qui Gynæciis præerant, vbi veftes Principis & linea texebantur: præfectos ad obferuandam mulierum pudicitiam. Quæ omnia inania funt.

II. (a) Impp. DD. NN. Theod. & Valentinianus AA. Ifidoro PF. P. (b)

Corporatos ciuitatis Alexandrinæ repurgandi fluminis (c) onere liberamus: &, pro tenore & (d) difpofitione tua, quadringentos folidos ex dinummio vectigali memoratæ ciuitatis præcommodari (e) decernimus, ita vt ex titulo nauium omnibus modis repenfetur. Dat. Prid. Non Iun. Conftantinop. Ifidoro & Senatore Coss. (436.)

NOTÆ.

(a) *Lex vnic. Cod. Iuftin. eod. tit.* Iungenda huic *lex 3. fupr. de indictionib. lex 2. fupr. de frum. Alexand. lex 189 190. 191.* imo & *192. fupr. de Decurion.* Quinimo & *lex vlt. fupr. de indulg. debitorum.* GOTHOF.

(b) *Ifidorus* PP. Orientis fub Theodofio Iun. vid. *Profopogr.* ID.

(c) Nili. ID.

(d) *Difpofitionis tuæ*, ita *Cod. Iuftin.* ID.

(e) *Præcommodari*: vt prædelegatin, *d. l. 3. fupr. de indict.* quæ *huic* inter *alias* iungenda eft. ID.

COMMENTARIVS.

De Corporatis Alexandrinæ ciuitatis eft equidem pars prior huius conftitutionis, quo fine *hæc lex* in hunc *titulum* coniecta eft: neque tamen adhuc recte, cum *Titulus* fit *de Primatibus plebis Alexandrinæ*: Sed & tota de Nili fluminis repurgatione eft: fic vt ab *hoc titulo* prorfus aliena fit.

Illud ante omnia fciendum eft, eam effe partem prolixioris conftitutionis, qua Theodofius Iuo. non tantum Ægyptiorum commodis in commune confultum iuit, quo pertinet *lex 3. fupr. de indiction.* quæ inde defumpta eft: verum etiam ac fpeciatim Alexandrinorum, ac nominatim Curialium Alexandrinorum: *l. 189. 190. 191. fupr. de Decurionib.* Popularium, feu populi & plebis Alexandrinæ, *l. 2. fupr. de frum. Alexandrino*: Corporatorum, quo pertinet pars prior *huius leg.* quæ quidem *leges* omnes inter fe coniungendæ funt: atque adeo *huic* coaftandæ. *Nili* fluminis denique repurgationi confulit *hac lege*: de quo flumine dictum affatim *fupra, tit. de Nili aggeribus non rumpendis*: fcilicet Nilus in foffas quafdam exæftuabat, iifque recipiebatur, quæ longa vetuftate Nilo trahente limum, oblimabantur. Eas Auguftus olim militari opere deterfit, quo Ægyptus feracior & vrbicæ annonæ habilior redderetur: tefte Suetonio in *Octauio, cap. 18.* Quemadmodum & claffis Seleucena erat ad auxilium purgandi Orontis, vt docet *lex vnic. fupr. de Claffieis.* Igitur de harum foffarum repurgatione *hac leg.* accipio eum Magio t. *Mifcell. 10.* vt ita flumen, hic pro foffis prædictis accipiam, quibus aqua admittebatur, & per quas in Nilum & Alexandriam frumentum euchebatur.

Hoc onus repurgandi inquam fluminis Nili, Corporatis Vrbis Alexandrinæ incubuiffe videtur, quo Theodofius Iunior eos *hac leg.* liberat ad relationem Ifidori PP. Corporati, de quibus *tit.* peculiari *fupr. de priuil. Corporatorum*, erant minifteria vrbis neceffitatibus feruientia; veluti Piftores, Catabolenfes, Suarii, Pecuarii, Sufceptores, Mancipes thermarum, Calcis ad publicum vfum coctores, & fimiles. Ac vt in aliis Vrbibus, ac nominatim in Vrbe Roma, & Conftantinopoli: Ita

Ita & Alexandriæ: quorum Alexandrinorum Corporatorum non tantum *hac leg.* fit mentio, verum etiam *l. 42. infr. de Episcopis.*

Hi, vt ab vna parte priuilegiis quamplurimis gaudebant, veluti vt ne quid nouum, id est, extraordinarium sustinerent, vt ne ad militiam cogerentur, nisi ad murorum & portarum custodiam, de quo dictum plene *dicto tit. de priuil. Corpor. V. R.* ita viceuersa variis oneribus obno-
P.274 xii erant. Et quidem in Vrbe Alexandrina, repurgio fluminis Nili, a quo eos nunc liberat Theodosius Iunior.

His ita liberatis, ad relationem Isidori PP. secundum eiusdem relationem & dispositionem iubet Theodosius Iun. inuicem, eam in rem, ad repurgium inquam Nili fluminis 400. solidos ex dinummio vectigali ciuitatis Alexandrinæ *præcommodari*: mox vero ex titulo nauium id restitui. Vbi de tribus videndum est.


Primum de vectigali ciuitatis Alexandrinæ. Nempe vt aliæ Ciuitates sua vectigalia habuere, de quibus dixi ad *tit. infr. de operib. publ.* ita & sua habuit Alexandria: suos itaque proculdubio agros vectigales & reditus Alexandria habet, more aliarum Ciuitatum.

Cæterum (quod secundo loco obseruandum) vectigal istud *Dinummium* hic vocatur, siue pro omni vectigali, siue pro singulari quodam vectigalis genere. Proculdubio *Dinummium* a præstationis quantitate & modo sic dictum: Glossæ *Philoxeni*, Binio δινύμμα: Biniones, δηνάρια: Ita διδραχμον in Euangelio, tributi & præstationis genus. Ita quoque *siliquaticum* dictum a modo vectigalis, de quo dixi ad *l. 2. supr. de Veteranis*, κερατισμός. Κεράτιον & siliqua vicesima pars solidi. Ita δικέρατον Constantinopoli pro reficiendis vrbis muris, cuius auctor Leo Iconomachus, teste Cedreno *fine Tom. I. Edit. Reg.* vel Nicephorus, teste Constantino Manasse *pag. 93. Edit. Reg.* Dinummium ergo denarius: & ab eo dinummium vectigal, sic a *denario* merces ipsa *denariata*, vulgo *denree*, in adnunciatione Caroli apud Pistas 862. Dinummii etiam meminit Ægesippus. vid. Pithœum in *leges salicas, tit. 1. pag. 102. Edit. Bignon. Paris. 1665. 4. Dinummium* autem eadem forma, qua *adnummium*, etsi diuerso sensu.

Ergo, quod tertium *hac leg.* & dispositionem *legis* continet, cum hoc tempore Nilus repurgatione opus haberet, vt Isidorus PP. disposuerat, ita & Arcadius *hac leg.* vult, ad id, quadringentos solidos ex dinummio vectigali Vrbis Alexandrinæ *præcommodari*, id est, antecessum erogari, eosque ex titulo nauium *repensari*, seu restitui. Ex *titulo nauium*, id est, ex mercibus importatis & exportatis: Dicta ea εἰσαγωγικὰ, ἐξαγωγικὰ, hæc enim ad Principem proculdubio spectabant: hicque *Titulus nauium* dicitur: de quibus alioquin non tantum Iustinianus *in Edicto de Alexandrinis*, sed etiam Strabo *lib. 17. pag. 149. Edit. Almeloueen.* de Alexandria & Ægypto: νῦν δὲ καὶ στόλοι μεγάλοι στέλλονται μέχρι τῆς Ἰνδικῆς καὶ τῶν ἄκρων τῶν Αἰθιοπικῶν, ἐξ ὧν ὁ πολυτιμότατος κομίζεται φόρτος εἰς τὴν Αἴγυπτον, κἀντεῦθεν πάλιν εἰς τοὺς ἄλλους ἐκπέμπεται τόπους: ὥς τὰ τέλη διπλάσια συνάγεσθαι: τὰ μὲν εἰσαγωγικὰ, τὰ δὲ ἐξαγωγικά: τῶν δὲ βαρυτίμων βαρέα καὶ τὰ τέλη: καὶ γὰρ δὴ καὶ μονοπωλείας ἔχει. Μόνη γὰρ ἡ Ἀλεξάνδρεια τῶν τοιούτων, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ ὑποδοχεῖον ἐστὶ καὶ χορηγεῖ τοῖς ἐκτός. *nunc maxime classes vsque in Indiam & extrema Æthiopia transmittunt: vnde pretiosissima merces in Ægyptum aduehuntur, ac rursum in alia exportantur loca ex Ægypto, vt duplicia hinc vectigalia exigantur, vnum rerum, quæ importantur, alterum earum, quæ exportantur: cæterum pretiosarum mercium grauia sunt itidem vectigalia, cum & monopolia ibi sint: nam sola fere Alexandria & recipit istas merces, & foras emittit.* Ergo *titulus nauium* ad Principem seu imperatorem spectabat: dinummium vectigal ad ciuitatem Alexandrinam. *Titulus* dicitur solemnis species tributorum, quæ fisco inferebantur: de quo vide *tit. de annona & trib.*



CODICIS



CODICIS THEODOSIANI

LIBER DECIMVS QVINTVS.

HOC LIBRO AGITVR DE TRIBVS.

I. De Operibvs, & ornamentis publicis; idque quatuor Titulis prioribus: puta *Tit. 1. 2. 3. 4.*

II. De Volvptatibvs & Spectacvlis, Lvdisqve publicis, Titulis nouem fequentibus: puta *Tit. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.*

III. De Pace publica tuenda, Titulis duobus poftremis: puta *Tit. 14.* & *15.* feu *vlt.*

HVIVS LIBRI TITVLI.

DE OPERIBVS PVBLICIS.

TITVLVS I.

Lib. VIII. Cod. Ivst. Tit. XII. & Nou. Maioriani VI.

Huius porro *Tituli* fex conftitutiones ad Historiam Ecclesiasticam refero: puta, Conftantini M. *l. 3.* Iuliani *l. 8. 9. 10.* Arcadii *l. 36.* Honorii *l. 41.*

PARATITLON.

OPERA publica, *Rubr.* & *l.* 2. 5. 6. 10. 24. 33. 40. *hoc tit.* & *l. vnic. fupr. de Comit. ordin. prim. l.* 6. 1. 20. *l.* 2. *fupr. de Veteranis*: (quæ & *Opera*, abfolute, *l.* 3. 7. 11. 15. 16. 18. 19. 26. 29. 31. 34. 50. 51. *h. t.* Fabricæ, *l.* 12. 14. 16. 18. 31. 37. *hoc tit.* & *l.* 136. ℞. 176 *fupr. de Decurionibus*: Fabricæ publicæ, *l.* 30. *h. t.* Mœnia *l.* 1. *h. t.* Mœnia publica, *l.* 32. 33. 39. *hoc tit.* Ædificia publica, *l.* 21. 41. 46. *hoc tit. l.* 13. *fupr. de Metat.* Ædificia, abfolute, *l.* 30. 31. 39. *hoc tit.* Fabricatio publica, *l.* 2. *fupr. de Sepulc. viol.* Ædes publicæ, *d. l.* 46. *hoc tit.* Loca publica, *l.* 22. 41. 43. *hoc tit.* Balnea publica, quo pertinet quoque *l. vltim. de cuftodia reor.* vt Balnea Zeuxippi Conftantinopoli, *l.* 52. *hoc tit.* Loca fifcalia, *l.* 13 *fupr de Metall.* Hæc fpeciatim hoc Cod. memorantur. Aquæductus, *l.* 23. 36. *hoc tit.* (de quibusque proxime *fuo titulo*:) Auditoria, *l. vltim. hoc tit.* & *l. vnic. fupr. de Profeffor.* Baphia *l. vltim. de Murileg.* Bafilicæ *l.* 50. *hoc tit. l.* 3. *fupr. de Pact.* Burgi, vid. *tit. de Burgariis.* Capitolium *l.* 3. *fupr. de Stud. liber. V.* & *l. vnic. de Profeffor qui in Vrb. Conftant.* Caftra Caftella: vid. *Parat. de re milit.* Ecclefiæ, vid. *infr. tit.* 2. *lib.* 16. Ergafteria publica, *l.* 9. 42. *hoc tit.* Carceres de quibus vid. *tit. de cuftod. reor.* (alia enim priuata fuere, *l.* 5 *fupr. de Metat.* vbi de his dixi plene: & *l.* 3. *fupr. de conlat. Patrim.* & *l.* 14. *infr. de Epifcop.*) Exedræ, *l. vltim. hoc tit.* Fora, *l.* 22. *hoc tit. l.* 13. *de Legatis*: Horrea, *l.* 4. 17. 35. 37. *hoc tit.* vid. *fupr. tit. de cond. in publ. horr.* (quæ & horrea fifcalia, *l.* 12. *hoc tit.* & *l.* 16. *fupr. de Sufceptor.* & *l.* 1. *infr. de Equis Curul.*) horrea publica, *l.* 38. *hoc tit.* (qualia per Picenum memorantur, *l.* 17. *hoc tit.* per Præfecturam Prætorianam Italiæ, *l.* 37. *hoc tit.* Orientis, *l.* 35. 38. *hoc tit.* apud Vrbem Romam & Portum, *l.* 12. *hoc tit.* & *fupr. tit. de Patron. Horreor. Portuenf.* 23. *lib.* 14. & *de Condit. in publ. borr. tit.* 14. *lib.* 11. Per Africam, quo pertinet *l.* 16. *fupr. de Sufceptorib.*) (Alia enim priuata horrea fuerunt, de quibus *l.* 3. *fupr. de conlat. donatar.*) Martyria, *l. ult. fupr. de Sepulchr.* Militaria opera, de quibus vid. *Paratitlon de re milit.* Muri, *l.* 34. *l.* 36. 49. 57. *hoc tit. l.* 13. *fupr. de Metat. l. vltim. de equorum collat.* Palatia Principis, vid. *fupr. tit. Ne quis in Palat. man. l.* 35. 47. *hoc tit.* veluti Romæ, *l.* 1. *infr. de Pagan. l.* 3. *fupr. de Bon. vacant.* Parapetafia, *l.* 39. *hoc tit.* Pharus portus oftienfis, *l.* 3. *de calcis coctoribus*: Plateæ, *l.* 39. *hoc tit.* Pontes, *l.* 36. *hoc tit.* vbi dicam: & *l.* 2. *ne operæ a collator.* Porticus, *l.* 39. 44. 45. 50. 52. & *l. vltim. hoc tit.* Porticus Publicæ, *l.* 12. *infr. de Scenic.* quæ variis operibus publicis additæ veluti Senatui, *d. l.* 44. Circo *d. l.* 45. Thermis, *d. l.* 50. *hoc tit.* Lauacris, *l.* 52. *h. t.* Auditoriis, *d. l. vltim. hoc tit.* Ecclefiis, *l.* 4. *de his qui ad Eccl.* Portus, *l.* 23. *hoc tit.* Prætoria Iudicum, *l.* 8. 35. *hoc tit.* & *l.* 3. *fupr. de Offic. Iudic. omn.* & *l.* 6. *fupr. de Metat. l.* 2. *ne quis in Palat. l.* 1. *de domib. ad rem priu. pertin.* feu Domus Iudiciariæ, *l.* 8. *hoc tit.* Stabula, *l.* 16. 17. 35. 37. *hoc tit.* & *l.* 34. *fupr. de Curf. Publ.* id eft, receptacula publicorum animalium (curfui fcilicet publico deftinatorum) *d. l.* 35. *hoc tit.* Item ftabula Vrbis Circenfium factionum, *l.* 2. *infr. de Equis Curul.* Templa, *l.* 3. & 36. *hoc tit.* vid. & *infr. tit de Pagan. Sacrif. & Templ.* Thermæ, *l.* 32. 50. *hoc tit.* & *l. vltim. fupr. de Sepulchr. viol.* feu Lauacra, *l.* 52. *hoc tit.* Turres murorum, *l.* 51. *hoc tit.* in limite, *l.* 13. Xyfti, *l.* 8. *fupr. de Medicis & Profefforibus.*

OPERVM publicorum alia erant in ciuitatibus, *l.* 14. 18. 19. 27. 28. 41. 42. 43. *hoc tit.* feu in vrbibus, *l.* 1. 7. 11. 12. 16. 17. 19. 22. 25. 26. 32. *hoc tit.* Oppidis, *l.* 14. 32. *hoc tit.* Et ex iis nonnulla intra muros, alia muris cohærentia, *l.* 41. *hoc tit.* vid. & *l.* 3. *infr. de Pagan. facrif. & Templ.* & *l.* 13. *fupr. de Prætor.* Alia in Imperii limite, vt Turres, *l.* 13. *hoc tit.*

In illis confiftebat ornatus Ciuitatis, *l.* 37. 41. 43. *hoc tit.* Decus, *l.* 1. & 16. *hoc tit.* Splendor publicus, *l.* 25. *hoc tit.* Nitor publicus, *d. l.* 25. *hoc tit.* Ornamentum, *l.* 16. 37. *hoc tit.* Nempe quod in his ornamenta varia effent, *l.* 1. *hoc tit.* veluti figna, marmora, columnæ, imagines, *l.* 14. 16. 37. 44. *hoc tit.* Et quidem Principum imagines, de quibus *fuo tit. infr.*

His

His vero operibus publicis additi Tituli de Principis nomine, *l. 31. hoc tit.* quandoque & eorum, qui ad fabricam vrbis contulissent: vt in sp. *l. 13. supr. de Prætor.* de quo vid. & *l. 2. 3. §. 2. l. 4.* & *l. 7. in fin. D. eod. tit.*

Excitabantvr vero hæc opera, I. vel sumptu publico, Expensis ciuitatum & vectigalibus, *l. 26. hoc tit.* E viribus Reipubl. *l. 26. hoc tit.* & *l. 1. supr. de Præb. Salar.* vnde aliquando affectata destinataque ei rei certa pensionis Reipubl. seu de reditibus & vectigalibus psrs *l. 26.* & *48. hoc tit.* puta tertia, *l. 18. 32 33. hoc tit.* Ex fundorum Ciuitatis Reipubl. locatione, pensione, *l. 1. supr. de locat. fund. iur. Emphyt. & Reipub.* Ex Ergasteriorum seu Tabernarum locatione. Vide *Nou. Theod. 30.* Ex titulis solitis, *l. 2. hoc tit.* & Ammian. *lib. 27. cap. 3.* Ex vectigalibus, vel aliis titulis, *l. 2. supr. de Sepulc. viol.* II. Qui tituli soliti si non sufficerent, noui tituli prouidebantur: *l. 2. hoc tit.* Sic quidem, vt aliquando ex aliarum Ciuitatum minorum tertia portione insumerentur, *l. 18. 26. hoc tit.* III. Aliquando Prouincialium sumptu, veluti stabula, *l. 34. de curs. publ.* adscriptione facta per possessiones Ciuium, *l. 17. 34. hoc tit.* Sic vt nullus ab ea immunis esset, *l. 5. hoc tit.* (Senatoribus tantum exceptis, *l. 7. hoc tit.* & Veteranis, *l. 2. supr. de Veteranis:*) Quo casu non pecunia, sed species ipsæ postulabantur, *l. 17. hoc tit.* Operæ etiam ad instaurationem alicuius operis conferebantur, nullo ab ea re immuni: *l. 23.* & *49. hoc tit.* At opera militaria, adiumentis militum, *l. 13. hoc tit.* IV. Priuata pecunia seu largitate, *l. 19. hoc tit.* V. Item Constantinopoli Prætores nonnulli pecuniam ad publicas fabricas conferre iussi, *l. 13. 29. 30. supr. de Prætoribus.* VI. Tandem etiam, quandoque Iudices multas publicis operi- P. 277 bus specialite- deputabant, *l. 5. Cod. Iust. de modo multar.* *Cura* extruendorum operum publicorum in vrbe ad Iudices vrbanos pertinebat; velut ad P. V. *l. 11. 12. 19. hoc tit.* per Prouincias ad Iudices, *l. 2. 7. 11. 14. 15. 16. 18. 21. 28. 29. 31. 37. hoc tit.* ad Prouinciam destinatos, *l. 20. hoc tit.* Rectores, *l. 35. hoc tit.* Rectores Prouinciarum, *l. 15. 18. 33. hoc tit.* veluti Consulares, *l. 17. hoc tit.* Item ad ordines Ciuitatum, *l. 33. hoc tit.* Militarium vero, ad Duces rei militaris pertinebat, *l. 13. hoc tit.*

Cvratores speciatim extruendis operibus publicis præponebantur, seu operis publici cura temporalis iniungebatur, *l. vnic. supr. de Comit. ord. primi art. diuers.* qui ab opere perfecto vsque ad 15. annos, si quid vitii in ædificio emersisset, tenebantur, *l. 24. hoc tit.* Contra pro præmio, quandoque Comitiua primi Ordinis donabantur, & Consularibus exæquabantur, *d. l. vnic.* vid. & Symmach. *lib. 10. epist. 38. 39. lib. 5. epist. 76.* Missi & extra ordinem aliqui ad inspicienda opera, ad renuntiandum Principi, quæ opera desidia corrupta essent, *l. 2. hoc tit.*

Circa Extrvctionem Operum publicorum Ivdicibvs sequentia inculcata: I. *Vetera* opera ab his instauranda, reparanda: *l. 2. 3. 11 14. 15. 16. 17. 19. 20. 21. 27. 28. 29. 30. 31. 35. 37. hoc tit.* Idque statim inconsulto Principe, *l. 2. 44. hoc tit.* alioquin Iudex iam priuatus ea reparare cogebatur, *l. 35. hoc tit.* II. Vt & inchoata pariter opera a decessoribus suis complenda: *l. 3. 21. hoc tit.* Inchoato operi consummando tempus quandoque statutum, vt monumentis reficiendis, *l. 2. supr. de Sepulc. viol. lib. 9. tit. 17.* III. Nouum vero opus de quo sunt *leges sedecim:* puta *lex 3. 11. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21 27. 28. 29. 30. 31 37. hoc tit.* sumptu publico a Iudicibus non adgrediunda, nisi *Primo* veteribus reparatis, *d. l. 14. 15. 16. 17. 19. 21. 29. hoc tit.* *Secundo* Inchoatis completis, *d. l. 3. 21. 29. hoc tit.* (exceptis tantum Templis, *d. l. 3. hoc tit.* stabulis, *d. l. 16. 17. 37. in fin. hoc tit.* horreis, *d. l. 16.* & *37. hoc tit.* aliisque necessariis, *l. 18. hoc tit.*) *Tertio*, nisi ex permissu Principis, *d. l. 11. 27. 30. 31. 37. hoc tit.* *Quarto*, Aliquando tamen Iudicibus id concessum, vt tertiam partem noui operis construere possent, *d. l. 20. hoc tit.* Alioquin nouum opus a se inchoatum suis sumptibus etiam priuatum complere debere, *l. 9. 27. 28. 31. hoc tit.* IV. Non dirutis aliis operibus, noua publice excitanda, nisi ex permissu Principis, *l. 30. hoc tit.* veluti Templis, *l. 36. hoc tit.* seu ornamentis suis non spoliandas Ciuitates; adeoque neque ad alia oppida ornamenta transferenda, *l. 1. 14. 30. 31. hoc tit.* non monumentis (id est sepulchris) deiectis, *l. 2. supr. de Sepulc. viol.* V. Non

occupatis item priuatorum locis, nisi permutatione facta, vt in specie *l. 50. hoc tit.* vel pretio refuso, in *spec. l. vnic.* vel immunitate inuicem quadam tributa, vt in *spec. l. 1. infr. de aquaeductu.* VI. Non inscripto suo nomine, sed Principis *l. 31. hoc tit.*

De EXTRVCTIS iam Operibus publicis sequentia notanda. I. Priuatos ea ad vsus transferri non posse, *l. 8. 11. hoc tit.* Exceptis casibus, *l. 50. 51. 52. hoc tit.* neque a Principe peti seu impetrari; *l. 10. 40. 41. 42. 43. hoc tit.* II. Siue propter ornatum publicum, siue propter incendiorum metum, siue alia de causa, Ædes priuatorum his non adiiciendas, *l. 25. 39. 46. hoc tit.* Spatiumque ideo & interuallum certum ab Operibus publicis, priuatorum ædificiis extruendis constitutum; nempe in commune 15. pedum, *l. 46. hoc tit.* ab horreis, centum pedum, *l. 4. hoc tit.* vide & *l. 38. hoc tit.* sic vt ex quatuor lateribus priuatorum consortio separata esse deberent horrea, *d. l. 38. hoc tit.* III. Loca publica, Palatia, fora priuatis ædificiis non occupanda, *l. 22. 46. hoc tit.* IV. Operibus & locis priuatorum ædificia non superponenda, *l. 22. hoc tit.* (exceptis casibus, *l. 9.* & *41. hoc tit.* Parapetasiis vel aliis operibus platearum spatia non angustanda, vel porticibus latitudo minuenda: *l. 39. hoc tit.* Adhærentia alioquin vel superposita, vel imposita, extructaue ita ædificia, destruenda: *l. 4. 22. 38. 39. 46. hoc tit.*

P. 378

De ORNAMENTIS *vnius Ciuitatis ad aliam non transferendis.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Flauianum (b) Proc. Afric.

NEMO (c) propriis ornamentis esse priuandas existimet Ciuitates: Fas siquidem non est, acceptum a veteribus decus (d) perdere ciuitatem, (e) veluti ad Vrbis alterius mœnia (f) transferendum. Dat. IV. Non. Febr. Med. Acc. VIII. (g) Id. Iul. Constantino A. (h) & Cæs. Coss.

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustinianeo.* Concordant autem illi *l. 14. & 37. infr. hoc tit.* Et lex 6. *Cod. Iust. de ædif. priuat.* GOTHOF.

(b) *Flauianus* Proconsul Africæ: vid. *Prosopogr.* ID.

(c) Iudex vel Rector quicunque. ID.

(d) *Decus*, de ornatu publico ex operibus *hac leg.* & *l. 7. 16. hoc tit.* & *l. 6. Cod. Iust. de ædif. priuat.* & apud Cassiodorum I. *Var.* 28. II. *Var.* 7. III. *Var.* 09. vide similia in *Paratitlo.* ID.

(e) Aliquam, seu quamcunque. ID.

(f) *Mœnia* hic, & *l. 32. infr. hoc tit.* sunt opera publica seu ædificia: & quidem maioris meriti, pariter vt apud Victorem Schotti *in Decio c. 29.* Symmachum *lib. 10. epist.* 34. alterum Victorem *in Adriano c.* 14. vide plura in *Glossar. Theodos.* & quæ dico ad *d. l. 32.* ID.

(g) Nota interuallum quinque mensium inter latam legem *Mediolani*, eandemque post Acceptam in Africa, *Karthagine* vt puto. ID.

(h) Rescribendum vti mox dicam *Constantio IX. & Iuliano Cæs. II. COSS.* id est, Anno D. 357. ID.

COMMENTARIVS.

SVB CONSTANTINI M. nomine quatuor de *Operibus publicis* Constitutiones *hoc tit.* primo loco occurunt. Hac sane (quam tamen CONSTANTIO potius, eo quod dicam mox argumento, adscribam) TRANSFERRI publica vnius ciuitatis ornamenta vetusta, (seu vt *lex* ipsa loquitur) *a veteribus accepta*, ad alteram Ciuitatem, idque per Africam Proconsularem speciatim, prohibentur: pariter vt duabus aliis *huius tituli* constitutionibus: puta Valentiniani Senioris *lege 14. hoc tit.* & Honorii *lege 37. hoc tit.* Vnius scilicet Ciuitatis, quamlibet Metropoleos vel splendidioris (vt docet *d. lex 14.*) ornatus, alterius, vt maxime abditæ & obscuræ, nuditate redimenda non est: denique (vt eadem *d. lex 14.* ait,) *etsi adeo aliquid fuerit inchoandum, ab aliis ciuitatibus temperari conuenit.*

venit. Eadem fere quoque ratione, vnius ciuitatis Equos Aurigas, publicæ voluptati lætitiæque dicatos, denique spectacula, vel spectaculis in ciuitate aliqua destinata, ad aliam ciuitarem transferre Iudices vetiti: *l.* 1. & 3. *Cod. Iust. de spectac.* Ad eundem rursum modum & Clericatui in vno vico idoneos, ad alium vicum transferre non licet, *l.* 33. *infr. de Episcop.* Et Religioni igitur & festiuitati, & ornatui seu decori publico cuiusque Ciuitatis, alterius splendidioris forte, obtentu, nil detrahi: oportet etsi reditibus sæpe detrahi possit, *l.* 18. 26. *infr.* Item, etsi de Roma sermus, eam publica authoritate, translatitio huiusmodi ornatu cummaxime decoratam; de quo inter alios locos est apud Plinium *l.* 35. *cap.* 14. *Lacedæmone excisum lateritiis parietibus opus tectorium, propter excellentiam picturæ, lignis formis inclusum, Romam deportauere in ædilitate ad comitium exornandum Murena & Varro. Quod opus cum per se mirum esset, translatum tamen magis mirabantur.* Quod & ipsum Constantinopoli postea euenit, quæ aliatum Ciuitatum nuditate excitata, ornataque; de quo vid. Libanium *orat.* ὑπὲρ ἱερῶν *n.* 3. & 9. vbi iam dixi: Zosimum *lib.* 2. *cap.* 31. & Hieronymum *Chronico:* de quo etiam Gentiles questi maxime. Sed quid mirum? aliarum ciuitatum ornatum vtrique Romæ cessisse, quæ sui cuiusque orbis Regiones, Metropoleon Metropoles, ἀστέων ῥίζαι fuerunt? & de quarum prærogatiua in commune docuit *libr.* 14. *supr.*

Quod *huius leg.* dispositionem attinet: Neque dispari etiam ratione Vlpianus negabat in *l.* 41. *§.* 5. *D. de Legat.* 1. Permittendum priuat's ad Opus Reip. legare, vt de alia ciuitate in aliam ornatus transferretur. Neque absimilis rursum, imo maiore adhuc ratione Constantinus M. Anno D. 321. *l.* 6. *in pr. Cod. Iust. de ædific. priu.* priuatis interdixit, ne ciuitate spoliata ornatum ad rura transferrent: neue quis ex vna in aliam ciuitatem lautium parietum marmora vel columnas de propriis domibus in propria transferret, atq. e contrario, *d. l.* 6. Denique nec absimili ratione Maiorianus *Nou.* 6. *de ædific. publ.* Ædes publicas & antiquas, quæ propter vsum vel amœnitatem publicam olim surrexerant in Vrbe Roma, alterius publici operis causa dirui vetuit: Quo pertinet quoque Cassiodori *epist.* 7. *lib.* 2.

Contra cum hac prohibitione perperam a nonnullis commiscetur. Primo Hadrianea illa prohibitio, de qua *l.* 52. *D. de contrah. empt. l.* 41. 43. *D. de Legat.* 1. *l. vltim. D. de damn. infect.* & Spartianus, *in Hadriano:* & *l.* 2. *Cod. Iust. de ædific. priu.* Ea quippe prohibitio priuatos, priuataque opera respi-
P. 279 ciebat aliaque iam ratione nitebatur. Id scilicet notissimo illo Aciliano SC. quod sub Adriano conditum, constitutum fuit, vt ne materiam, seu ædibus iuncta, tollere promercii seu negotiationis causa liceret. Atenim *huius legis* prohibitio Iudices & publica opera respicit: Nempe priuatis interdictum priuata ædificia promercii causa diruere; ne alioquin ruinis vrbis facies deformaretur: Atenim publica ornamenta vnius ciuitatis, alterius ornandæ causa Iudices detrahere, alioque transferre alia ratione prohibiti, nempe quod suus ita cuique Ciuitati constaret ornatus, non alterius nuditate redemptus. Alia rursum ratione Iulianus, in *l.* 7. *Cod. Iust. de ædific. priu.* aliquando cauendum credidit, vt ne cui columnas vel statuas cuiuscunque materiæ, siue ex alia, siue ex eadem Prouincia auferre, vel mouete liceret. (Quæ alioquin *lex* cum aliis vulgo pugnare videtur, & quidem cum *l.* 2. 6. *Cod. Iust. eod. tit.* & *l.* 41. *§.* 3. *D. de legat.* 1. De que ea concilianda adlaborant Interpretes, vt vide re est apud Cuiacium *XIX. Obseruat.* 19.) Nempe extraordinariæ illius constitutionis Iulianeæ ratio hæc fuit, (quod etiam ex *fine leg.* 15. *supr. de curs. publ.* quæ cum *illa l.* 7. coniungenda est colligere licet) ne otiolis ædium cultibus cursus publicus laceraretur.

Tandem, vt casus hi omnes, seu interdicta, legesque, de quibus *supra* egimus, quibusque ornamentorum translatio prohibita, accurate distinguantur, neque quod fieri adsolet, turbide commisceantur; tres rationes, seu fines spectandi sunt. *Primus* est, ne negotiationis commodique priuati obtentu vrbs ruinis deformetur: eo spectat Adriani interdictum. *Secundus*, ne cursus publicus, qui in via publica & directa erat, his ornamentis transferendis laceretur; eo pertinet Iuliani prohibitio; *l.* 7. *Cod. Iust. eod. tit. de ædific. priu* (quæ coniungenda est cum *l.* 15. *supr. de curs. publ.* vbi pluta.) *Tertius*, ne vnius loci nuditate alterius ornatus redimatur: quo refertur *hæc lex*, cum *l.* 14. 30. *hoc tit.* & *d. l.* 6. *in pr. Cod. Iust. de ædific. priu. Nouella* Maioriani, 6 *de ædific. publ. l.* 41. *§.* 5. *verf. Sed videamus*, *D. de legat.* 1.

Excipiendus tantum est casus *d. l.* 6. *verf. Si quis autem, Cod. Iust. de ædific. priuatis:* nam si quis ex vna ciuitate in aliam Labentium parietum marmora vel columnas de domibus propriis in proprias transferre voluerit, id Constantinus M. *ea leg.* permisit. *Quoniam*, inquit, *hæc vtrubique esse publicum decus sit*, Vtrubique, id est, vtrubius.

Ex superioribus interim apparet, Spartianum, Adrianeam constitutionem turbide satis retulisse, cum de ea sic scribebat *in Vit. Adrian. c.* 18. *Constituit inter cætera, Vt in nulla ciuitate, domus aliqua, transferendæ ad aliam vrbem vllius materiæ causa, diruerentur.* In quo non vnus error admissus ab eo est. Primum enim nonnisi priuatos hæc constitutio respexit. Secundo, nonnisi promercii causa ædes dirui Adrianus vetuit. Tertio, non vetuit is de vna vrbe ad aliam ornamenta transferri, imo contra constitutum ostendit Vlpianus *d. l.* 41. *§.* 5. *in fin. D. de legat.* 1. Quare Spartianum ita scripsisse ex fide oportuit, *Vt in nulla Ciuitate* (a priuatis promercii ergo) *domus aliqua, transferendæ ad aliam* (domum scilicet) *vllius materiæ causa, diruerentur.* Sed passim observare est, Historicos, & in his *Historiæ Augustæ* Scriptores, constitutiones Principum, non modo non plene exprimere, sed etiam falso sæpius. Quod aliis exemplis pluribus alibi firmo: & inter alia exemplo Victoris, ad *l.* 10. *infr. de feancit.*

Illud tandem monendum puto, hanc Constitutionem non Constantino M. verum *Constantio* adscribendam videri: argumento *Flauiani PC. Africæ*, cui ea inscribitur. Nulla scilicet sub Constantino *Flauiani PC. Africa* mentio mihi occurrit, cuiusmodi alioq in Proconsulum Africæ aliorum frequens mentio sit, apud eos præsertim, qui res Donatistarum sub Constantino, memorarunt: ac nominatim Anulini, per hæc ipsa tempora Anno D. 313. XVII. Kalend. Mai. Verum sub Constantio tantum, Flauiano PC. Africæ per Annum D. 358. & 361. inscribuntur *lex* 10. *supr. de cursu publ.* & *lex* 14. *supr. quor. appellat.* Quare hanc legem *Constantio* adseram, & referendam censeam ad Annum D. 357. seu *Constantium IX.* & (Iulianum) *Cæs. II. COSS.* Et sic fuerit hic error admissus ab *huius Codicis* Conditoribus. De quo in *Prolegomenis.*

De

De RECTORVM *Prouinciarum officio & diligentia in instaurandis publicis Operibus.*

II. (a) Idem A. (b) Menandro. (c)

PROPTER neglegentiam Iudicum, (d) qui Imperialia præcepta (e) differunt, ad diuersas Prouincias diuersos misimus, (f) qui ad Scientiam Nostram referant, quæ vel diligentia (g) promota viderint, vel desidia corrupta culpauerint. (h) Monendi (i) autem Iudices sunt, qui instaurare publica opera debent, vt de effectis (k) eis potius, quam inchoatis ad Nostam Scientiam referant: nisi forte iusta ratione petendum sit, aliquos (l) (si forte defuerint) inpensarum titulos (m) prouideri. De rebus (n) autem præcipuis maximisque, non de quibuscumque vilissimis, nostrum debent interpellare consilium. (o) Dat. III. Id. April. Sirmio, Crispo II. & Constantino II. VV. CC. Coss. (321.)

NOTÆ.

(a) Abest *hec lex a Cod Iustinianeo.* GOTHOF.

(b) Imo alius. Vid quæ notaui ad. *l. 1. supr.* ID.

(c) *PP.* vid *l. 2 supr. de alim. qua inop. par.* idque etiam sequentia ostendunt. ID.

(d) *Iudicum*, id est, Rectorum Prouinciarum. ID.

(e) Id est, *Mandata*, quæ Præsidibus, &c. dabantur. ID.

(f) Mittendariorum & Inspectorum genus obserua. ID.

(g) Iudicum scilicet. ID.

(h) Viderint, & culpauerint. ID.

P.280 (i) A te PP. pariter: vt *l. 3. infr.* Nempe enim, Iudices seu Rectores Prouinciarum sub *Præfectorum* Prætorio dispositione erant. ID.

(k) Id est, perfectis. ID.

(l) Nouos, & præter solitos. ID.

(m) *Tituli* sunt reditus alicui rei destinati: vid. *Gloss. Theod.* ID.

(n) Et quidem Operibus. ID.

(o) *Relatio*, & referre ad Principem, quid? Interpellare consilium Principis vt hic dicitur; vid. *tit. de Relationibus supr. lib. 11.* ID.

COMMENTARIVS.

IVDICVM, seu Rectorum Prouinciarum, in INSTAVRANDIS publicis Operibus negligentiæ, hac enixa constitutione sua occurrit Constantinus M. A. D. 321. sc. Rectoribus hæc inspiciendorum instaurandorumque publicorum Operum cura ex officio incumbebat: vt præter *hanc leg.* docet *lex 3. 11. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 27. 28. 29. 31. 33. 35. 37. in fin. hoc tit.* & Vlpianus, *lib. 2. de offic. Procons. l. 7. § 1. D. de Offic. Procons.* Idque etiam præceptis imperialibus (vt *hac leg.* vocantur,) id est Mandatis Principum, quæ Rectoribus de more dabantur nominatim continebatur, vt præter *hanc legem* ostendit *lex 6. hoc tit.* coniuncta *leg. vnic. supr. de prab. Salar.* & *lex 20. in fin.* (coniuncta cum *l. 80. supr. de Decurionibus:* item *l. 7. D. eodem titulo.*) Idem & Basilius *epist. ad Heliam Rectorem Prouinciæ 372.* siu. *ep. 94. pag. 188. Tom. III. Oper. Edit. Benedictin.* indicat, vbi agit de Ecclesia tum excitata cum adiunctis operibus: ὅς γε οὐδὲ τούτου ἕνεκεν πρὸς τὴν ἐπιστασίαν ἡμῶν ἐξεβιάσθης, ὡς μόνος ἐξαρκῶν τῷ μεγέθει τῆς γνώμης τά τε κατερρυηκότα τῶν ἔργων τῷ χρόνῳ ἀναλαβεῖν, καὶ οἰκῆσαι τὰς ἀοικήτους, καὶ ὅλως εἰς πόλεις τὰς ἐρημίας μετασκευάσαι: *tu certe non idcirco ad nos regendos inuitus adductus es, quod solus animi magnitudine possis opera collapsa vetustate instaurare, loca non habitata incolis complere & vno verbo solitudines in vrbes transformare.*

Id vero cum hac tempestate Constantinus M. negligi a Iudicibus videret, coërcendæ eorum negligentiæ tria *hac leg.* constitutum iuit. Primo, quidem *Inspectores* publicorum Operum per diuersas Prouincias misit, quod *hac leg* testatur, qui ad se videlicet referrent, quænam opera publica desidia Iudicum corrupta deprehendissent. Nempe huiusmodi Inspectores extra ordinem a Principibus mittebantur, inspiciendis operibus publicis, num sarta tecta ea essent. Quod Inspectorum genus addendum aliis compluribus, de quibus alibi. Secundo, *Referre* Iudices ad se Principem de effectis, non de inchoatis operibus iubet: Ne alioquin scilicet inter has moras atque hoc obtentu ad Principem de singulis referendi, operum publicorum instauratio negligeretur. Relationum seu Consultationum ad Principem vsus hac parte damnosus est, de quibus alioquin Relationibus fuit *tit. 29.* peculiaris, *lib. 11. supr.* Atque hic casus addendus est in casibus singularibus, quibus de effecta & perfecta consummataque re potius ad Principem referendum est, quam de inchoata. Hic tantum casus *hac leg.* excipitur, si forte noui impensarum tituli prouidendi sint: id est, si soliti & ordinarii, atque assignati

gnati tituli, siue pecuniæ & reditus non sufficiant sartis tectis. Soliti scilicet tituli, certique reditus ad sarta tecta publica in singulis Ciuitatibus destinati erant, vt per Prouincias; (de quibus agitur quoque *leg. 6.18. 26 infr.*) ita & in ipsa Vrbe Roma quoque. Meminit Ammianus Marcellinus *lib. 27. cap. 3.* vbi de Lampadio P. V. *Ædificia*, inquit, *erigere exoriens noua, vel vetusta quadam instaurans, non ex titulis solitis parari iubebat impensas*: vid. & Symmachum *lib 10. epist. 33.* & 50.

Ex hoc interim loco illud quoque discimus, non fuisse in potestate Iudicum ad opera publica quidquam aliunde eo transferre, vel eo nomine quidquam indicere: denique rem hanc omnem Principi reseruatam fuisse: sic in Gallia vocantur *Deniers d' Octroy qui se leuent par les Villes, par permission du Roy, pour estre employez aux ouurages & reparations d'icelles.*

Postremo constituit *hac leg.* Constantinus M. vt si referendum ad Principem necessario sit; nonnisi de rebus præcipuis & maximis non vero de quibuscunque & vilissimis ad se referatur. Scilicet consuli se, vt Principes alii, ita & Constantinus M. non de omnibus promiscue voluerunt, vt *h. l.* docet, & *l. 27. 30. infr. hoc tit.* itemque *l. 1. supr. de Relation.* quæ eiusdem Constantini M. est: vbi plene dixi: & quam Princeps iste superfluis relationibus occupationes suas diffindi ægre tulerit, ostendi. Apud Ammianum quoque Marcellinum, simili fine, *infra Imperiale culmen esse, minutias causarum mutare*, dicitur.

De Rectorum *Prouinciarum officio, in cœptis Operibus absoluendis potius, quam* Novis *excitandis.*

III. (a) Idem A. Secundo (b) P. P.

Prouinciarum Iudices commoneri (c) præcipimus, vt nihil se noui operis ordinari (d) ante debere cognoscant, quam ea conpleuerint, (e) quæ a decessoribus (f) inchoata sunt: exceptis dumtaxat Templorum ædificationibus. Dat. III. Kalend. Iul. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. Coss. (326.)

N O T Æ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustiniani*, prælata Leonis *l. vlt. Cod. Iust. eod. tit.* quæ de eadem re est, & adhuc amplior, & vbi nulla *Templorum* mentio fit. Omisit & *hanc leg.* Baronius. GOTHOF.

(b) Eidem Secundo PP. inscribitur biennio post, Ianuarino & Iusto COSS. A. 328. *lex 6. supr. de Accusationibus*: vid *Prosopogr.* ID.

(c) A se P. P. pariter vt *leg. 2. supr.* ID.

(d) *γρ. Ordinare*, nisi *supra* restituas, *à se. Ordinare* autem, est condere, ordiri, instituere, incipere, inchoare. ID.

(e) *Complere*, est perficere. ID.

(f) Propria hæc *Decessorum* vox: vid. *Gloss. Theod.* ID.

C O M M E N T A R I V S.

P. 281

Nova Opera excitare Rectores Prouinciarum, (sumptu scilicet publico) antequam Inchoata a decessoribus suis compleuerint, a Constantino M. vetantur *hac leg.* Anno D. 326. vt & a Theodosio M. *l. 21. infr.* a Leone *l. vlt. Cod. Iust. eod. tit.* pariter vt noua inchoare vetantur, antequam vetera instaurauerint: *l. 14 15. 16. 17. 19. 21. 29. infr.* & *d. l. vltim. Cod. Iust. eod. tit.* vide & *l. 7. D. de offic. Procons.* Imo & aliquando constitutum, ne omnino noua sine iussu Principis extruere eis liceret: *l. 11. 27. 30. 31. 37. infr.* & olim iam *l. 3. § 1. D. de Operibus publicis.* Excipiuntur tantum *hac leg.* a Constantino M. *Templa*; pariter vt Horrea & stabula a Valentiniano Sen. *l. 16.* & *17.* & ab Honorio, *l. 37.* Imo necessaria quæuis alia Opera ab eodem, eadem ratione: *l. 18. infr.* Horum scilicet operum maxime necessariorum fabricæ, ac nominatim (fauore Religionis) Templorum fabricæ aliorum Operum structura cedere debet.

Templorum porro appellatione quidnam *hac leg.* veniat, quæri potest, Gentiliumne, an vero Christianorum? De *Gentilibus*, id omnino accipiendum sequentia ostendere videntur: nempe & nominis ipsius, & horum temporum, ipsorumque Iudicum ratio: Nominis inquam; *Templorum* enim appellatione hoc æuo Gentilium templa proprie intelligenda, docet *l. 2. infr. de fid. Cathol.* imo & *Rubrica* seu *titulus* integer *de Pagan. Sacrif. & Templis.* (oppositus *titulo de Episcop. Eccles. & Cleric.*) ac nominatim *l. 3. 4 8. 16. 19. illius tituli*: Sed & *l. 2. 3. infr de Apostat.* & *l. 112. supr. de Decurionib.* vide & quæ dicam ad *Rubric. infr. de Paganis.* Tempora dein adhuc ista sub Constantino M. & quidem hoc Anno 326. fuere, vti & Ciuitates pleræque magnam partem; & Iudices, quibus *hæc lex* scripta est, plerique Gentiles essent. Quare & ex eo liquere potest, hisce temporibus, Anno D. 326. nondum Templa Gentilium a Constantino M. euersa fuisse. Quod tamen huic ipsi Anno adscribit Baronius, qui *hanc leg.* prætermisit. Quod quando factum fuerit? disquiro ipse ad *leg. 2. supr. de sepulc. viol.* & plenius ad *tit. de Paganis infr.* & ad Libanii *orat. ὑπὲρ ἱερῶν*: vbi iam dicere cœpi. Quin & noua subinde erecta excitataque, quod *hæc lex* ostendit. Quanquam videri cui possit Constantinus M. de Ecclesiis Christianorum hic sensisse. Hoc enim omnino tempus est, quo magno studio ædes Ecclesiarum excitabantur. Verum priori interpretationi ipse adhæreo:

De Immunitate *a collatione ad opera publica nemini a Iudicibus concedenda.*

V. (a) Impp. Constantius & Constans AA. Haue Catuline (b) K. NB.

Plurimi immunitates operum publicorum concessione Iudicum (c) adepti sunt: Itaque (d) omnes iubemus inquiri, (e) vt eorum nomina, adque etiam priuatas (f) indulgentias Lenitudo Nostra cognoscat. *Et* (g) *infra.* Iam (h) nunc tamen iussimus, vt aduersus fas elicitas immunitates per detrimenta (i) si (k) conperissent, (l) & in lucro (m) habere desistant, in (n) posterum aditus similia cupientibus obstruatur. Dat. VI. Kalend. Aug. Sirmio, Vrso (o) & Polemio coss [338.]

NOTÆ.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Ad Catulinum:* ita *Cod. Iustin.* Catulinus hic Vicarius Africæ fuit, vt hoc ipso Anno ostendit *l. 24. & 26. supr. de Decur. l. 2. supr. de honorar. Codicil.* vid. *Prosopogr.* ID.

(c) *Iudicum*, id est, Rectorum Prouinciæ, qui sub dispositione Vicarii fuerunt. ID.

(d) *Et ideo iubemus in posterum elicitas immunitates nullius esse momenti:* ita *Cod. Iust.* omnibus reliquis detractis, quæ tempori huic illigata. ID.

(e) A te Vicari. ID.

(f) Iudicum, seu a Iudicibus datas: *Priuatus* scilicet est quilibet alius a Principe: vid. *Gloss. Theod.* ID.

(g) Ita hic locus constituendus est, tum interpunctione, tum & literarum distinctione: Nempe his verbis, seu hac formula. Et *infra* (de qua in *Prolegomenis*) indicatur, ab *huius Cod.* Compositoribus, nonnulla ex serie huius constitutionis detracta; sic vt ex priore & posteriore aliqua constitutionis parte, ea quæ ad hunc titulum facerent, excerpserint. ID.

(h) *Iam nunc:* de vi huius formulæ dixi ad *l. 1. supr. de offic. Rect. Prou.* ID.

(i) Immunitas paucorum, cæterorum detrimentum est. ID.

(k) *γρ. qui*, vel *si qui.* ID.

(l) *γρ. Competissent*, vt *infr. cupientibus*, vel etiam, *comparassent.* Sed prius illud malo: vid. *Gloss. Theod.* ID.

(m) *In lucro habere*, vid. *Glossar.* ID.

(n) *Et in posterum:* translata huc voce *&*. ID.

(o) *Vrso Lupulo & Polemio*, ita *Cod. Iust.* ID.

COMMENTARIVS.

Immunitatem operum publicorum, id est, a Collatione ad opera publica priuata Iudicis, indulgentia in posterum concedi vetat *hac leg.* Constans Imperator. Eamque omnem quæ concessa hactenus petentibus fuerat, vti per Africam hoc tempore factum, viribus carere, eorumque simul nomina, qui huiusmodi immunitatem impetrauerant, ad se referri iubet sedula inquisitione. Principis scilicet solius indulgentia huiusmodi immunitas recte quæritur, id quod *hac leg.* indicatur, eo ipso, dum concessiones huiusmodi Iudicum, priuatæque indulgentiæ nominatim prohibentur: *Priuata indulgentia κατὰ διαστολὴν* indulgentiarum Principis dicuntur. Sed & quæritur sæpe ea immunitas operum publicorum dignitatis alicuius vel militiæ priuilegio: nam & Senatores ab hac collatione immunes erant, *l. 2. infr.* aliæque dignitates, (exceptis certis casibus, vt in *specie l. 23. 49. infr.*) vt & Veterani, *l. 2. supr. de Veteranis.* Extra hos collatio hæc omnibus ex æquo incumbebat. De qua collatione eiusque forma erat quoque *lex 17. & 34. infr.* Cæterum non temere est, quod *hanc legem* Constanti Imperatori adsero: quandoq idem in Imperii diuisione Africæ diœcesis ei cesserat, quo pertinet *hac lex.*

De Ratiociniis *operum publicorum.*

p. 283

VI. (a) Idem AA. ad Marcellinum (b) Com. Orientis (c)

Quæ operibus publicis inpensa constiterit, accepto (d) ferri (e) oportere cognoscas Dat. V. Non. Octobr. Const. Limenio & Catulino Coss. [349.]

NOTÆ.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda autem *huic legi* est *lex vnic. infr. de prab. Salar.* vbi male inscriptio habet ad *Marcellinum Corr.* pro *Com. Or.* GOTHOFR.

(b) *Marcellinus* Comes Orientis sub Constantio Anno Domini 349. An hic Marcellinus, cuius meminit Epiphanius *hæresi* 71. *num.* 1. *pag.* 829. *Edit. Coloniens. apud Jerem. Schrey.* ID.

(c) Cuius caput Antiochia. ID.

(d) Vide *leg.* 27. & 28. *infr.* ID.

(e) An a te? An vero impensa a te, ferri a me Principe? Illud malo. ID.

COMMENTARIVS.

EXPENSA in opera publica accepto ferri oportere desiit Constantius *hac leg.* Quod vt intelligatur, sciendum est, EXPENSIS Ciuitatis, seu Reipubl. opera publica cuiusque ciuitatis exstrui solita, & viribus Reipubl. vt loquitur Vlpianus *l. 7. §. 1. D. de aff. Proconf.* & *lex vn. supr. de prab. Salar.* (quæ *huic nostra* coniungenda est:) & *lex 26. infr.* atque ita expensis propriis & vectigalibus Ciuitatumque viribus *l. 18. 26. infr. hoc. tit.* Affectata scilicet huic rei constitutionibus pars quædam erat, vectigalium seu Canonis, (pariter vt in Vrbe Roma ex Ærario: *lex 27. infr.*) & quidem tertia redituum Ciuilium: ex *d. l. 18.* (vbi dicetur) & *l. 32. 33. 48. infr.* Hæc vero impensa ita iusta, ita necessaria fuit, vt & Decuriones per Curatorem Kalendarii seu Reipubl. & Rectores Prouinciarum, sine vllo Principis iussu, pecuniam in id optimo iure erogarent: cum tamen (quæ differentia notanda est) nulli Salarium ex viribus Reipubl. tribui possit, sine Principis iussu: *d. l. vnic.* quæ *huic nostræ* vt dixi coniungenda est: ceu vnius & eiusdem constitutionis pars, & vt existimo, *Mandatorum*, quæ Comiti Orientis Marcellino a Constantio data portio. De cuiusmodi Mandatorum capite, super operibus, inquam, publicis, fidem facit *lex 2. supr. hoc. tit. lex vltim. in fin. D. de Operib. publ. lex 20. infr. hoc tit.* iuncta *l. 8a. supr. de Decurionibus.* Et ita quidem *hac lex* accipienda est de Rectoribus Prouinciarum, & de Decurionibus Curatoribusque Reipubl. seu Kalendarii, dispensatoribusque, vt loquitur *lex 28. infr.* iisque, a quibus sumptus ex Ærario præbentur: *l. 27. infr.* Non etiam de Ergepistatis, siue Curatoribus operum publicorum, quod tamen Græcos voluisse video. Huiusmodi proinde impensas in opera publica factas, accepto ferendas desiit Constantius *hac leg.* id est, vel ab ipso Principe, si Iudices eas fecerint; vel sane (quam *huius leg.* speciem puto) si Decuriones aut minores Iudices, a Maioribus Magistratibus, veluti in specie *huius legis* a Comite Orientis, ad quos videlicet statis temporibus ratiocinia singularum Rerumpubl. seu Ciuitarum perferebantur. *Accepto ferre* hic, & *l. 27.* & *l. 28. infr.* est, cum rationes alicuius putantur, eas adprobare.

Hoc autem, quod *hac leg.* statuitur, ita verum esse sequentes constitutiones voluerunt, si in vetera opera pecunia erogata fuisset. Alioquin si in noua, absque permissu Principis erogatum quid fuerit, id accepto ferri noluerunt alii Principes; & in his Valentinianus Iunior, *d. l. 27.* & *28.* Alio vero pertinet, Constantii eiusdem Epistola, etsi verborum formula alioquin similis, quam Symmachus adfert, *lib. 9. epist. 121.* itemque *lib. 10. epist. 47.* qua priore ait, *id quod operibus publicis constabat impensum*, Constantium, *integrari per P. V. statuisse.* Eius quippe loci sententia est, iussisse Constantium, vt reliqua Arcæ vinariæ exigerentur, & sic id quod operibus publicis *aliunde* fuerat impensum, integraretur.

Cæterum, quia *hac lex* est de ratiociniis operum publicorum, nonnulla alia eodem pertinentia repeti velim a *titulo* in id expresso *Cod. Iust. de ratiocin. oper. public.*

De SENATORVM IMMVNITATE *a collatione ad opera publica.*

VII. (a) Idem AA. ad Senatum.

QVONIAM diuersi Iudices (b) nonnulla opera, in quibusdam æstimant (c) vrbibus extruenda, ad huiusmodi necessitatem (d) Senatorum substantia non vocetur. Eos (e) quoque Senatores, quibus per diuersas Prouincias fuerit sollicitudo (f) commissa, fretos sanctione nostra, huiuscemodi temptamentis (g) debet constanter obsistere: ne Senatoriæ facultates harum rerum contemplatione vexentur. (h) Dat V. Non. Maji, Tauro & Florentio Coss. [361.]

NOTÆ.

(a) *Lex 7. Cod. Iust. de dignitat.* hinc decerpta est. Iungenda autem *huic legi* sunt complurimæ aliæ, puta: *lex 3. de lustral. collat. l. 12. 13. supr. de Prætor. l. 1. supr. de Protostasia: l. 1. supr. de Metat. l. 7. supr. de Annon. & tribut. l. 1. supr. de public. comparat. l. 48. supr. de Decurionib.* GOTHOFR.

P.284 (b) Rectores Prouinciarum. ID.

(c) Exi-

(c) *Existimant:* Cod. Iustin. *ID.*

(d) *Necessitatem*, id est, collationem ad huiusmodi opera. *ID.*

(e) Sequentia absunt a *Cod. Iustin.* *ID.*

(f) Defendendi Senatus: de quibus Senatus Defensoribus: vid. *l. 2. 3. supr. de præd. Senatorum.* *ID.*

(g) *Temptamentum*, attentatio, conatus: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

(h) *Vexari* facultates dicuntur: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

COMMENTARIVS.

SENATORES, & Senatorias facultates, per Prouincias, IMMVNES a collatione ad opera publica esse, seu immunitate operum publicorum, quæ Iudices in vrbibus excitant (de qua immunitate dictum semel ad *leg. 5. supr.*) frui iubet Constantius *hac leg.* Nempe vt Rectores Prouinciarum hac tempestate noua opera prout æstimassent, excitare in vrbibus potuere, non expectato etiam Principis aut Præfecti Prætorio arbitrio (quod ex *hac leg.* liquet, ac postea prohibitum fuit *l. 11. 27. 30. 31. 37. infr.*) Ita possessores ad operum istorum publicorum sumptum aliquid conferre adigebantur, vt cæteroquin ad opera publica collatio hæc exigebatur, vt præter *hanc legem* ostendit *l. 5. supr.* & *l. 17. & 34. infr.* Quod Traiano tamen olim displicuisse ex eius Rescripto ad consultationem Plinii discere licet *lib. 10. epist. 35.* *Si instructio*, inquit, *noui balinei oneratura vires Prusensium non est, possumus desiderio eorum indulgere, modo ne quid ideo intribuant*, id est, conferant. Atenim hac tempestate, vt ab hac collatione ad opera publica nonnulli immunes erant, veluti *Veterani*, constitutione Constantini M. *l. 2. vers. iam nunc. supr. de Veteranis*, ita & *Senatores* fuere, *hac* Constantii *leg.* quos sane Senatores & aliis oneribus veluti Metati, & Synoneti onere idem liberatos voluit: *l. 1. supr. de Metat.* & *l. 1. supr. de publica comparatione:* quas *huic*, cum multis *aliis*, vt iam dixi, coniungi oportet.

Et vero (quod obseruandum) sunt hæ *leges* omnes *Constantianæ Orationis ad Senatum* partes, qua Senatoriæ Dignitati Princeps iste enixe consultum voluit, prolixeque adeo definitum iuit, quibusnam oneribus Senatores subiacerent, vicissim, a quibus immunes essent: Adeo quidem, vt ex *hac ipsa lege* liqueat (quod etiam comprobat *lex 2. & 3. supr. de præd. Senator.*) nonnullos e Senatorum numero per Prouincias fuisse, quibus *sollicitudo* defendendi scilicet Senatus mandata erat, seu commissa; qui inquam obsisterent aliquid vsurpantibus aduersus Senatorum priuilegia, vt ad *eas leges* docui, quod & *hac lege* his verbis inculcatur: *Eos quoque Senatores, quibus per diuersas Prouincias sollicitudo fuerit commissa*, &c. pariter, vt suos habuit plebs Defensores, de quibus *suo tit.* dictum, *de Defensor. Ciuitat.* Suos, Ecclesia; de quibus *l. 38. infr. de Episcop.* Suos, Pauperes, de quibus *Canon. 75. Cod. Can. Eccles. Africanæ pag. 904. 905. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.*

Tandem obseruandum, sicut operum publicorum obtentu Senatorias facultates a Iudicibus contra Ius attritas *hac lex* docet, ita & Curialium, (id est, Senatorum municipalium) facultates eodem obtentu sæpe vexatas; de quo extat Libanii locus *Oratione in Tisamenem, ad Theodosium Imp. pag. 447. Edit. Morell.* Eodemque pertinet *lex 37. infra.*

De PRÆTORIIS *ærario paulo ante vindicatis, per Ægyptum, publico iuri restituendis, iterata Iuliani constitutio.*

VIII. (a) Idem (b) AA. Ecdicio (c) PF. Ægypti.

OPORTVIT, (d) Prætoria Iudicum, & (e) domos iudiciarias, (f) publico (g) iuri adque vsui vindicari: Sed quia salubris nostra dispositio (h) dilata est, nunc saltem tradatur effectui, &c. PP. (i) IV. Non. Decembr. Antiochiæ, Mamertino & Neuitta Coss. [362.]

N O T Æ.

(a) *Lex 4. Cod. Iustin. de operibus public.* hinc interpolata est: Iungendaque huic, *lex prox. seq. 9.* GOTHOFR.

(b) Emendanda *huius leg.* & *sequ.* inscriptio: Tribuendæ quippe eæ sunt, vt & *leu. 10.* Imperatori *Iuliano.* *IDEM.*

(c) Ad hunc *Ecdicium Præfectum Ægypti* extat Iuliani *epist. 6. & 9.* Hic idem indicari videtur apud Ammianum Marcellinum *lib. 22. c. 14.* in gestis huius ipsius Anni. Eidem inscribitur *d. lex prox. 9.* *ID.*

(d) Iam antea scilicet iuxta anteriorem dispositionem nostram. *ID.*

(e) *Et*, pro, *id est.* *ID.*

(f) *Publicas*, Ita *Cod. Iust.* *ID.*

(g) *Publico*, id est, Ciuitatum seu Rerumpublicarum. *ID.*

(h) *Dispositio*, id est, iussio. *ID.*

 (i) Ita

(i) Ita quoque *lex prox.* Sed hoc pro *Dat.* accipiendum est, neque enim Antiochia ad præfecturam Ægypti pertinuit: Et Iulianus Imp. (cui *hæ leges* restituendæ sunt:) hoc ipso Anno & tempore Antiochiæ constitit, quod vel Ammianus Marcellinus testatur, *lib.* 22. *cap.* 9. 10. & *lib.* 23. *cap.* 1. 2. *GOTHOFR.*

COMMENTARIVS.

IVLIANI tres constitutiones ordine sequuntur, in eandem sententiam: de publicis videlicet CIVITATVM operibus, siue ærario vindicatis, siue occupatis, siue impetratis, sub Constantino videlicet & Constantio, publico iuri restituendis, quæ ad Historiam Ecclesiasticam omnes quoque pertinent, vt deinceps ostendetur. De ÆRARIO vindicatis est hoc *caput*: De occupatis *l. prox.* (quæ huic nostræ ceu eiusdem constitutionis pars coas-
P.265 sanda est) de Impetratis seu Donatis, *l.* 10. Ærario igitur VINDICATA sub his Impp. publica opera nonnulla per Ægyptum, puta Prætoria, publico vsui reddi, vt anteriore quidam iussione Iulianus iam iusserat, ita & *hac leg.* rursum, iterata iussione, quia id nondum factum fuerat, iubet, Antiochiæ ipse constitutus, fine Anni D. 362. Pariter vt Ergasteria *d. l. prox.* aliaque opera publica, *l.* 10. sed & initio huius anni, *l.* 1. *supr. de locat. fundor. iuris Emph. & Reipubl. & Templ.* possessiones publicas Ciuitatibus restitui iussit, quæ quarta Iuliani, verum tempore omnium prima constitutio super hac re occurrit. Quo pertinet etiam Ammiani Marcellini locus *lib.* 25. *cap.* 4. in παρεκβάσει illa de Iuliano, *vectigalia ciuitatibus restituta cum FVNDIS, absque his, quos velut iure vendidere præteritæ Potestates*: vbi *Potestatum* appellatione non magis Iudices accipio quam Principes ipsos: Addenda & hanc in rem *lex quinta* puta *lex* 1. *Cod. Iust. de diu. præd. vrb. & Rust.* de qua ad *l. prox.* Tandem & Sexta, *l.* 2. *d. tit.* Adeo res hæc Iuliano curæ fuit, vt Ciuitatibus erepta iura sub Constantio, & in his fundi operaque publica ciuitatibus restituerentur: de quo vide & Libanium προσφωνητικῷ, cuius verba alibi referen. Est vero *hac lex* nominatim de Prætoriis. *Prætoria* Iudicum notum est fuisse domos iudiciarias: & vero hic παραλλήλως μῶ pro eodem sumuntur: Ea & alibi vocantur Iudicum mansiones, *l.* 1. *supr. de domib. ad rem priuatam pertinentibus.* Eodemque sensu *Nouell. Iustinian.* 24. δικαστικὰ καταγώγια. Verum de his plenius ad *legem* 3. *supr. de officio Iudicum omnium*: *l.* 6. *supr. de Metatis*: *l.* 2. *supra, Ne quis in palat. maneat.*

Hæc cum ita perspicua sint, Historica tantum *huius legis* causa eruenda, atque adeo quonam proprie *hæc lex* pertineat? inuestigandum venit. Tenendum igitur, Constantium Imp. maxime Ciuitatibus vectigalia quamplurima fundosque ademisse: vtpote quæ ferme superstitioni Gentilitiæ dicatæ erant, vel erroris illecebras præbebant (sic quidem etiam vt possessiones & reditus quidam agonothetici essent; id est, ludis in honorem Deorum edendis destinati forent) vt docet *d. lex* 1. *supr. de locat. fundor.* Aliisque etiam rationibus Ciuitatum iura imminutum iuit, non tantum aliis operibus publicis ademptis, & inter cætera ergasteriis, verum etiam Prætoriis ipsis, & quidem per Ægyptum. Et vero huc omnino pertinet id, quod idem Ammianus Marcellinus *lib.* 22. *cap.* 11. de Georgio Episcopo Alexandrino, scribit; *Inter cætera*, inquit, *dicebatur* (Georgius Episcopus Alexandrinus,) *id quoque maligne docuisse Constantium, Quod in vrbe prædicta* (Alexandrina scilicet) *Ædificia cuncta* (publica) *solo cohærentia, a conditore Alexandro magnitudine expensarum PVBLICARVM extructa, emolumentis ÆRARII proficere deberent ex Iure.* Georgio itaque hoc Episcopo interfecto, Prætoria ærario vindicata, publico rursus iuri vsuique Iulianus vindicari *hac lege* voluit, pariter vt ergasteria, *d. l. prox.* idque Alexandriæ; & per Ægyptum, vt in commune alia opera publica, impetrata, donataque; *lege prox.* 10. Neque hanc etiam interpretationem abnuunt eiusdem Iuliani *Epistolæ*, ad hunc ipsum Ecdicium Præfectum Ægypti, *duæ* puta 6. & 9. in quibus & de hoc eodem *Georgio* & de *Athanasio* agitur, & ex quibus apparet, Ecdicium hunc Præfectum Ægypti, Gentilem fuisse. Denique tres hæ leges, puta *hac lex* 8. & *duæ sequ.* 9. & 10. Iuliani, omnino reuocant, quæ sub Constantio in præiudicium Ciuitatum operumque publicorum facta fuerant, siue quia Ærario vindicata, siue quia a priuatis occupata, his siue donata; de quo iam quoque dixi *ad Libanium*, ὑπὲρ ἱερῶν.

Ab eadem certe Iuliani mente est, vt id quoque addam, quod Libanius *Oratione funebri in Iulianum*, *p.* 291. *Edit. Morell.* memorat, Iulianum statim vt rerum potitus est, inter cætera, quæ ad instaurandum ritum Gentilitium molitus est, id constituisse, vt qui ex lapidibus Templorum domos sibi extruxissent, *ei quoddam* penderent, vnde noua Templa excitarentur: νεὼς τοὺς μὲν ποιῶν, τοὺς δὲ ἐπισκευάζων, εἰ δὲ τοὺς εἰσάγων ἤδη. (ἔστη) χρήματα δὲ ἐτέλουν, οἱ τοῖς τῶν ἱερῶν λίθοις σφίσιν αὐτοῖς οἰκίας ἐγείραντες: *templa quædam ædificans, alia instruens, etiam noua inducere constituit, pecunias autem pendebant, qui ex lapidibus ædium sacrarum sibimet ipsis domos erexerant.* Cui simile id quod ab eodem statuitur, nempe vt pensio seu *solarium* soluatur pro extructis in solo Reipublicæ, seu pro superficie, *l.* 1. *Cod. Iust. de diuers. præd. vrb. & rustic.* Quæ & ipsa Iuliano tribuitur: de quo ad *legem proximam* 9.

De SVPERFICIE *seu* SVPERSTRVCTIS *a priuatis super* ERGASTERIIS *publicis Alexandriæ: Iuliani* lex.

IX. (a) Idem AA. (b) Ecdicio (c) PF. Ægypti. Post alia.

COMPERIMVS, super Ergasteria publica, quæ ad ius (d) pertinent Ciuitatis, (e) plerosque

que (f) sibi domos extruxisse (g): Præcipimus ergo, eas (h) inconcusso iure quæ ædificauerunt, possidere. PP. (i) IV. Non. Decembr. Antiochiæ, Mamertino & Neuitta Coss. [362.]

INTERPRETATIO. *Si quis in ciuitate consistens in locis* (k) *publicis sibi domos forte* (l) *construxerit, eas sine* (m) *inquietudine aliqua possideat.*

NOTÆ

(a) Iungenda *huic legi* est *lex proxime præcedens.* 8. Tribuenda autem ea, pariter vt superior, *Iuliano* Imperatori. *GOTHOFR.*

(b) Male in Aniaueis Cod. Goth. & Sichard. *Impp. Constantius & Constans.* *RITTER.*

(c) De hoc *Ecdicio* PF. Ægypti, dixi ad *l.* 8. *supr.* quæ eidem inscribitur. *GOTHOFR.*

(d) Male, in nonnullis editionibus *huius*, nisi legamus *hulus*, id est, *huius ius*: de quo mox. *ID.*

(e) Alexandrinæ. *ID.*

(f) *Plerosque*, id est, plurimos passim. *ID.*

(g) *Construxisse* MS. G. *Struxisse* Sichard. *RITTER.*

(h) *yg. Eos*, quomodo & Sichardus edidit. *Eos*, qui extruxerunt scilicet, nisi ita legas; *eas*, (scilicet *domos*) *inconcusso iure qui ædificauerunt*, &c. *GOTHOFR.*

(i) Pro *Dat.* de quo ad *d. l.* 8. *ID.*

(k) Interpres, generaliter nimis *hanc leg.* accepit, quæ tantum est de Ergasteriis: & quidem adhuc temporaria & localis. *ID.*

(l) *Fortasse*, MS. G. *RITTER.*

(m) *Sine inquietudine possidere debebit.* MS. G. *ID.*

P. 286

COMMENTARIVS.

SVPERFICIEM seu SVPERSTRVCTA a priuatis super Ergasteriis publicis Alexandriæ, priuatis relinqui iubet Iulianus Imp. *hac lege*, quæ inter Iulianeas *hoc titulo* secunda est. Etsi scilicet *Ergasteria* ipsa iuri publico proculdubio vindicari voluerit Iulianus; non minus quam *Prætoria* Iudicum, & domos iudiciarias *lege superiore*, quæ *huic*, vti dixi, coniungenda est: imo & tertio loco *alia loca publica* priuatis donata, *l.* 10. *infr. prox.* quæ in priuatorum iura sub Constantio potissimum transferant, & nominatim, Ergasteria publica in Vrbe Alexandrina, & ad ius Ciuitatis (Alexandrinæ scilicet) pertinentia; Attamen domos, quas sibi priuati super iis extruxerant, iis *hac leg.* possidendas inconcusso iure relinquit. Aliam proinde rationem haberi voluit Iulianus ipsorum Ergasteriorum, aliam vero eorum, quæ his superstructa essent: & sic aliam soli primæque superficiei, aliam alterius superficiei; & vt Græci loquerentur, aliam κατωγείων, seu κατωγέων, aliam ἀνωγέων: quæ quidem Iuliani indulgentia similis est alteri illi, quæ sub eiusdem Iuliani nomine extat *Cod. Inst. l.* 1. *de diuers. Præd. vrb. & Rustic.* qua iubetur, pro ædibus, quas nonnulli in solo Reipubl. extruxerant, placitam præstare pensionem: quod alioquin etiam conuenit *legi* 52. *infr. hoc tit.* & *l.* 5. §. 1. *D. de operib. public.* Parumque abest, quin *huic legi*, vt & *superiori*, coniungendam putem *prædictam leg.* 1. *Cod. Inst. de diuers. præd.* quæ *Attici* nomen præferre videtur, loco, *Ecdicii.* Et certe argumentum omnino conuenit: *Hac* scilicet *lege*, domus a priuatis ædificatæ super Ergasteriis publicis stare iubentur: & sic *superficiarium* hoc ius seu ἐμβατευτικὸν toleratur: *Illa* vero *leg.* superficiei, seu domibus ita extructis *pensio* quædam imponitur, vel imposita probatur: Pensio inquam, quomodo etiam imponitur in simili specie *d. l.* 52. *infr.* & in priuata superficie, *l.* 74. *D. de rei vindic.* Quod alias in commune *solarium* dicitur, pro solo scilicet cuius mentio fit *l.* 7. §. 2. *D. de vsufr. l.* 15. *D. qui potiores in pign. hab. l.* 39. §. 5. *D. de legatis* I. *l.* 2. §. 17. *D. ne quid in loc. publ. vel itin.* quæ & merces soli vocatur *l.* 17. *D. de pignor. act.* reditus, quantitas, *d. l.* 52. *infr.* (vbi dicam de eius modo, & a quo imposita;) vectigal, *l.* 5. §. 1. *D. de operib. public.* Vbi interim notanda venit species hæc iuris superficiarii, non quidem ex conuentione vel voluntate priuata & præcedanea descendens per venditionem, locationem, donationem, vltimam voluntatem; vel etiam ad tempus, de quo sunt ferme *leges Digestorum*, & Edictum, vel Interdictum *de superficie*; verum extra ordinem ex sequente consensu, & ex post facto authoritate Imperatoris, vel Magistratus, inque perpetuum, sub lege pensionis, vectigalis, quantitatis, & reditus seu solarii, ad compendia ærarii publici, vel Rerumpubl. augenda; pariter vt *d. l.* 52. *infr.* Et Tertia adhuc *lege*, puta *d. l.* 2. §. 17. *D. ne quid in loco public.* Et Quarta, puta *d. l.* 5. §. 1. *D. de operib. publ.* (quomodo & pensio imposita in alia specie, *l.* 41. *in fin. infr.* in nonnullis Galliæ consuetudinibus *Droit de Festage*, dici videtur.) Ad rem. Ergo solum, seu proxima solo superficies, κατάγειον, ad se superiorem superficiem, seu ἀνώγεον hoc casu non trahit, cum alias regulariter *superficies*, seu superædificatum solo cedat: Et Theodosius M. speciatim *l.* 22. *infr.* omnia quocunque in loco publico Ciuitatis extructa dirui iusserit. Ergo superimpositas fabricas antea a priuatis, locis publicis, tulit Iulianus in *huius leg.* specie, proculdubio superimpositas Principum anteriorum permissu. Extat sane quoque similis huius permissionis exemplum *super imponenda fabricæ* Porticui cuidam, apud Cassiodorum *IV. Var.* 30. si modo res petita non officeret vtilitati publicæ vel decori: quæ omnia interim obseruanda sunt ad argumentum *de iure superficiario*,

Cæte-

Cæterum præter ea, quæ ad *huius leg.* historiam e superiore huc accersi debent, ac nominatim Ammiani Marcellini locus, Tria notanda veniunt. Primo, de Ergasteriis. Ergasteria scilicet (quorum alia publica erant, seu ad Ius Ciuitatum pertinentia, de quibus *hac leg.* & *l. 3. supr. de conlat. donatar.* quas & ideo tabernas ad Ius Ciuile pertinentes vocat Theodos. *Nouell. 30. de locis Republ.* Alia vero priuata, de quibus *l. 5. supr. de Metatis:* & *l. 14. infr. de Episcopis:* & *l. 21. Cod. Iust. de operibus publicis:*) fuerunt officinæ, seu tabernæ, mercimoniis vel exercitiis deputatæ, vt vocantur disserte *d. l. 5.* ex quorum locatione pensiones colligebantur, & publica quidem publicitus; *dict. Nouell. 30.* Neque ambigo, cum Constantii mentem intueor, hæc Ciuitatibus adimentis, & retro Iuliani ea restituentis, Ergasteria ista ad superstitionem quoque Gentilitiam pertinuisse, atque inibi merces seu opera fabricata venumque exposita, quæ superstitioni inseruirent. Secundo, hinc colligere licet, ergasteria ista ita comparata fuisse, vt nudæ ferme tabernæ essent, quibus tamen aliquando ædes superstruerentur. Tertio, obseruandum, *Ciuitatis* appellatione *hac leg.* Vrbem Alexandrinam nominatim intelligendam, quæ κατ' ἐξοχὴν *Ciuitas* seu *Vrbs* vocabatur: præsertim vbi *lex* ad Præfectum Ægypti emitteretur. Stephanus quoque de Alexandria: ἐλέγετο δὲ κατ' ἐξοχὴν ΠΟΛΙΣ, ὡς καὶ ἐπὶ Ῥώμης λέγεται ΟΥΡΨ: *dicta vero est per excellentiam* πόλις, *quomodo & Roma vrbs dicitur.* Item Eustathius *Iliad.* β'. *pag. 239. Edit. Roman.* φέρεται ἱστορία, πόλιν τὰς ἀρχὰς αὐτὰ ταῦτα δίχα προσθήκης κατ' ἐξοχὴν κληθῆναι τὴν Ἀλεξάνδρειαν. Et alioquin in Diœcesibus sola Metropolitana hoc nomen ferme tulit; Vid. præter hanc legem quoque *l. 13. supr. de legat.* vbi dixi. Quæ cum ita sint, non est *huius legis* lectio sollicitanda; neque intrudenda vox, *huius*, ibi, *ad huius ius pertinens Ciuitatis*, quod nullo modo stare potest, quia *hac lex* dicitur *Proposita*, seu *Data* Antiochiæ, ad quam *lex* ipsa non pertinet, verum ad Ægyptum: cuius etiam Præfecto *hac lex* inscribitur.

Tandem obseruandum, *hanc legem* mere temporariam & localem esse: Alexandrinæ scilicet ciuitati propriam & huic tempori adstrictam, quo scilicet Ergasteria sub Constantio Alexandriæ ædificiis occupata, ad iura ciuitatis reuocantur, intactis his quæ superædificata. Et sic suum cuique seruatum æquitate quadam Iuliani, qua is commendabatur.

P.287

De DONATIS *a Principibus operibus publicis reuocandis: Iuliani* lex.

X. (a) Idem (b) AA. ad Rufinum. (c)

QVICVMQVE, cuiuslibet Ordinis, Dignitatis, aliquod opus publicum, quoqun genere, obscura (d) interpretatione (e) meruerit, fructu talis beneficii, sine aliqua dubitatione, priuetur: Non solum enim reuocamus quod factum (f) est, verum etiam in futurum cauemus, ne qua fraude temptetur. (g) Dat. VII. Id. Decemb. Aquil. (h) Mamertino & Neuitta Coss. [362.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex a Cod. Iustinianeo.* GOTHOFR.

(b) Et hæc *Iuliano* tribuenda est, pariter vt *duæ superiores.* ID.

(c) De hoc *Rufino* in Commentario *infra.* ID.

(d) An pro *maligna*, vt Amm. Marcellinus (*loco* quem laudaui ad *l. 8. supr.*) *maligne docuisse?* Minime. *Obscura*, id est, *obreptitia.* ID.

(e) Repono *impetratione.* ID.

(f) Sub Constantin. ID.

(g) Simile quid tentetur. ID.

(h) An *Aquis?* neque enim Iulianus *Aquileiæ* fuit hoc tempore? Quid si *Dat.* pro *Acc.* hic intelligamus? IDEM.

COMMENTARIVS.

DONATA (a Principibus scilicet Christianis, Constantino M. & Constantio,) priuatis opera publica, cuiuscunque ordinis, dignitatis, quæcunque tandem, & quocunque genere (etiam adnotatione speciali scilicet) reuocari iubet *hac leg.* Iulianus, quæ Tertia est *hoc titulo* e Iulianeis; quæque eodem pertinet quo *duæ superiores*, & ad historiam Ecclesiasticam: quibus similiter idem & Prætoria Ærario ante vindicata, & Ergasteria a priuatis occupata in iura ciuitatum reuocari iussit. Quod alioquin tralatitii iuris est, vt ne priuati publica opera, quocunque tandem genere a Principe petere seu impetrare possint. De quo tamen erunt quatuor præterea *leges infr.* puta *l. 40. 41. 42. 43.* Hæc vero *lex* speciatim pertinet ad Iuliani odium, quo Constantini & Constantii actibus bellum indixerat, a studio superstitionis Gentilitiæ, cui cum hæc opera publica ferme inseruirent,

rent, a Christianis istis Principibus in priuatos quoque plurima collata fuerant; de quo dixi iam *ad Libanium* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν: & ad *titulum*, *supr. de collat. donatar.* a Iuliano vero reuocata: & id quidem in duabus præcipuis Orientis Ciuitatibus; Antiochiæ videlicet, si modo hæc *lex* pertinet ad *Rufinum Comitem Orientis*, illum nempe cuius meminit Marcellinus: & Alexandriæ, quo aperte spectant *duæ superiores leges*. De quo Rufino paulo prolixius. Rufinum scilicet, (qui integro nomine *Aradius Rufinus*) Iulianus Imp. in locum Auunculi sui Iuliani Comitem Orientis recens prouexit, vt testatur Ammianus Marcellinus *lib. 23. cap. 1.* Eidemque inscribitur & Iouiani *lex 2. supr. de Metall.* vbi male editum *Comiti Officiorum*, pro *Comiti Orientis*. Eius etiam mentio in veteribus Inscriptionibus. Verum de hoc *hæc lex* non videatur accipienda. Iulianus enim superiore adhuc die Comes Orientis erat *VIII. Id. Decembr.* quo data ad eum *l. 3. de contrab. empt.* Imo Iuliani istius mortem Anno 363. refert diserte Marcellinus. Quid igitur? Forte hic *Vulcatius Rufinus*, de quo Marcellinus quoque *l. 21. cap. 12.* quem forte Aquileiæ Iulianus præfecit, argumento eorum, quæ *ibi* Marcellinus de Aquileia scribit; vt & subscriptionis *huius legis*: *Dat.* (Reddita) *Aquileia*.

De Novis *operibus* Romæ, *nisi Principis permissu a quoquam non excitandis.*

XI. (a) Impp. Valentinianus & Valens AA. ad Symmachum (b) P. V.

Intra Vrbem Romam (c) æternam (d) nullus (e) Iudicum nouum opus informet, (f) quotiens Serenitatis Nostræ arbitria (g) cessabunt: (h) Ea tamen instaurandi, quæ iam deformibus ruinis intercidisse dicuntur, vniuersis licentiam damus. Dat. VIII. Kalend. Iun. Philippis, (i) Diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364.]

N O T Æ.

(a) *Lex 5. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda *huic* videri possit *l. 19. supr. de cursu publico*: emendata eius subscriptione: Nisi, non tam coniungenda videatur, quam proximo confinio cohærere. Concordat huic *lex* 19. & 27. *infr.* GOTHOFR.

(b) *Symmachus* hic P. V. Romæ pater Epistolographi fuit, (vide *Prosopograph.*) cui inscribitur & *lex prox.* 12. de quo vide inter alios *Ammianum Marcellinum lib. 27. cap. 3.* & *Veterem Inscriptionem* apud Gruterum CCCLXX. 3. IDEM.

(c) *Veterem & nouam*: ita *Cod. Iust.* aduersus veritatem Historicam *huius legis*. ID.

(d) *Æterna* Vrbs Roma: vide *Gloss. Theod.* sublata autem hæc vox *æterna*, ciuili animo, *Cod. Iust.* ID.

(e) Etiam Præfectus Vrbi, de quo ad *l. 19. infr.* ID.

(f) *Informare*, est de nouo excitare: vide *Gloss. Theod.* pariter vt *ordinare*, in *l. 3. supr.* ID.

(g) *Arbitria*, id est iussa, auctoritas. ID.

(h) *Nisi ex suis pecuniis huiusmodi opus construere voluerit*: Hæc exceptio addita *Cod. Iust.* ID.

(i) Philippopoli *d. l. 19. de curs. publ.* ID.

C O M M E N T A R I V S.

P.388 Valentiniani Sen. octo constitutiones sequuntur de operibus publicis, puta *lex 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.* Et hæc quidem vt & *proxima* 12. ad opera publica Vrbis Romæ pertinet. Romæ igitur Nova opera publica sumptu scilicet publico (quod Tribonianus recte vidit) Iudices quicunque (etiam Præfect. Vrb. cui *hæc lex* inscribitur, itemque Præfect. Prætor.) excitare, a Valentiniano Sen. *hac leg.* prohibentur: pariter vt a Gratiano & Valentiniano Iuniori, intra eam ipsam Vrbem Romam, *l. 19. 27. infr.* nisi Principis permissu, *hac leg.* & *d. l. 27.* Haud aliter atque alii Iudices per Prouincias, *l. 30. 31. 37. infr.* Quod antiqua quoque constitutionibus cautum fuisse docet *l. 3. §. 1. D. de operibus publicis.* Etsi vetera ruinis deformia instaurare quilibet arbitratu suo possit: Quamlibet scilicet potestates in excelso locatæ sint. (vt loquitur *d. l. 19.*) quamlibet de Roma ipsa agitur. Attamen quod Triboniani insertum quoque ingerit, *manibus Iudicum sumptibus publicum fatigari Ærarium Principes noluerunt.* Noluit Valentinianus *hac leg.* etiam ab ipsomet P. V. Quod & ipsum noluit in alia re simili, in *l. 19. supr. de cursu publico*, quæ altera eiusdem constitutionis pars, *huic* sociandi videri possit: Cuius verba *hic* apponenda sunt: *Magnifica Sedes tua euectionum faciendarum arbitrium in publicis tantum causis vsurpet. Verum ingenti procurabitur cautione, ne parum considerata facilitas ita publicis incipiat visceribus imminere, vt fatigatione nimia pœnitentiam huius concessionis suscipere cogamur.* Cæterum quicquid *hac leg.* caueatur, ab eodem sane Symmacho PV. cui *hæc lex* inscribitur,

fcribitur, memorat Ammianus, *l. 27. cap. 3. excitatum pontem Romæ ambitiofum, atque firmiffimum, quem ipfe condidit, & cum magna ciuium lætitia dedicauit:* Sed proculdubio Valentiniani arbitrio feu permiffu.

Illud hic femel notandum, quatuor tantum *leges*, ad opera publica Vrbis *Romæ* hoc *titulo* pertinentes occurrere: puta Valentiniani Sen. *hanc legem*, & *prox. 12.* Gratiani *legem 19.* Valentiniani Iun. *legem 27.*

De HORREIS *Vrbis Romæ, & Portus, a priuatis vfurpatis, dirutis, reftituendis reparandifque. Et de* ANNONA *vrbica recte condenda, & vfurpata reftituenda.*

XII. (a) Idem AA. ad Symmachum PF. V. (b)

HORREA fifcalia, (c) apud Vrbem Romam, necnon etiam Portus, (d) in vfus tranflata priuatos cognouimus: Hæc ad priftinum. *** Inferioribus horreorum frumenta condantur, quæ natura loci & humore vitiantur. Annonas quoque horreis antiquitus deputatas (e) hos rethibere (f) conpelles, qui eas in damna publica aufi funt occupare, quarum fubftantiam entechæ (g) populi Romani proficere præcipies. Sane quos inueniens (h) fabricarum deftructionis auctores, ad reparationem neceffario tenebis. (i) Dat. VI. Id. Iun. Naiffo, Diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364]

NOTÆ.

(a) Abeft *hac lex e Cod. Iuft.* Iungendæ vero ei funt *lex 5. 6. fupr. de Piftorib. l. 2. fupr. de calc. coctor. l. 1. fupr. de canon. frum. Vrb. Rom. l. 1. de Saccariis Port. Rom.* Et proculdubio etiam *l. 5. fupr. de Pen.* Imo & *alia*, vt exiftimo; puta *lex 5.* & *6. fupr. de Piftorib. l. 8. fupr. de Annon. & trib.* GOTHOFR.

(b) Vrbis Romæ fcilicet, cui Infcribitur & *lex 11. fupr.* de quo vide *Ammianum Marcellinum lib. 27. c. 3. Veterem Infcriptionem, apud Gruterum CCCLXX. 3.* & *Indicem noftrum perfonarum.* ID.

(c) *Fifcalia* horrea; *hac leg.* & *l. 16. fupr. de Sufceptorib.* & *l. 1. infr. de Equis Curul.* quæ alias publica. Quomodo in genere *fifcalia loca* dicuntur *l. 13. fupr. de Metall.* Quæ alias *opera publica*: Sic & fifcales copiæ, *l. 4. fupr.* vide *Gloff. Theod.* ID.

(d) Vrbis Romæ. ID.

*** Locus, partim mutilus, partim male interpunctus: Itaque fic reftituam: *Hac ad priftinum reftitues*: id eft, publico vfui atque iuri rurfum vindicabis: vt *l. 8. fupr.* Ad *priftinam* vero, vt ad fpeciem priftinam, *leg. 16. infr.* ad ftatum *priftinum* aituris, *l. 20. infr.* ad formam priftinam, *l. 45. infr.* Mox ita locus legendus: *Nec in inferioribus horreorum*: vel, *in interioribus horreorum*: de quo mox. ID.

(e) Id eft, Condicas: vt *fupr. conduntur.* ID.

(f) *Redhibere*, id eft, Reftituere: vid. *Gloff. Theod.* ID.

(g) *Entiche*, in Cujacian prim. & Edit. Quartan. vtrumque pro *Entheca*. Entheca eft ἀφορμὴ, & quicquid fepofitum, conditumque vfus alicuius & præfidii caufa. *Entheca* igitur *Pop. Rom.* hic eft annona publica, feu Canon Vrbicarius: Ita piftrini entheca, *l. 7. fupr. de Piftorib.* quæ alias dotalia, *d. l. 7. fupr. de Piftorib.* Ita menfariorum ἐνθήκη Libanio: Agrorum feu prædiorum ἐνθήκας, quæ alias vocantur dotes prædiorum, *l. 2. §. 1. D. de Inftruct. l. 34. §. 1. D. de legat. 2.* & *Nou. Iuft. 128. c. 8.* feu Repofita, *l. 92. in fin. D. de legat. 3.* vt & apud Columel. *lib. 1. cap. 8.* vel etiam peculium agrorum, *l. 79. D. de legat. 3.* Ita rurfum *nauis entheca* dicitur apud Auguftinum *Sermon. 49. de diuerfis*, fiu. *Sermon. 355. de vita & moribus clericorum fuorum cap. 4. Tom. V. Oper. Edit. Benedictin. pag. 1382. Enthecam nobis habere non licet*, & paullo ante, *nauiculariam nolui effe ecclefiam Chrifti.* Leontius *in vita Ioan. Eleemofyn. interprete Anaftafio Bibliothecar. cap. 3. init. Tom. II. Actor. Sanct. d. 23. Ianuar. pag. 501. Nauclerus emit Enthecam*, id eft, oneravit nauem emptis mercibus. IDEM. De *entheca* dixit CVIACIVS *in expofit. Nouell. 128.* ibique docet Libanium fcripfiffe, *quicquid pecuniæ feponant menfarii, Atticos vocare enthecam*, quem Libanij locum ego non inuenio: verum auctoritate Cuiacii Nofter & hac nota & notis in Digeft. vtitur. *'Ἐνθήκην, fundi inftructum effe'*, monuit etiam *Cl.* SALMASIVS *de modo vfurar. pag. 24. 25.* cui adde *Cl.* DU FRESNE in *Gloffar. voc. entheca.* RITTER.

(h) γρ. *Inuenies*, quam lectionem etiam habet Edit. quartan. GOTHOFR.

(i) Adftringes, coges. ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

p. 289

De Horreis (σιτοβολείοις, ὡρείοις) fiscalibus Vrbis Romæ (quæ P. Victor hoc ipso tempore ccccxx. vel cccvii. fuisse testatur;) item Portus Vrbis Romæ seu Ostiensis, est *hac lex* Valentiniani Sen. Anno D. 364. ita quidem, vt ea nonnulla contineantur, quæ ad hunc titulum *de operibus publicis* minus pertinent, & titulo *de Canone frumentario* reddi oportuit: quem errorem & alias sæpe admiserunt *huius Codicis* Conditores: de quo, peculiari capite *in Prolegomenis*. Et est ea ipsa, pars prolixioris Valentinianeæ constitutionis (vt ex tot illis *legibus*, sex ad minimum, liquet, quas *ei* coniungendas dixi:) qua in vniuersum, Annonæ Vrbicæ Valentinianum enixe prospectum iuisse deprehenditur, tum ipsiusmet annonæ cura suscepta; quo pertinet *lex 1. de Canon. frum. V. R.* tum eorum qui annonam pinserent, seu pistorum, *d. l. 5. & 6. supr. de Pistorib.* & *d. l. 5. supr. de Panis*, tum eorum qui annonam portarent; quo spectat *lex vnic. de Saccar. Port. Rom.* denique horreorum, vbi annona recondebatur, quo potissimum pertinet *hac lex*, & vt puto *dict. lex 2. supr. de calcis coctorib.* Idque omne Symmacho proculdubio P. V. educante: cui hæ constitutiones inscribuntur; pariter vt *lex 2. supr. Trib. in ips. spec.* & *lex 8. supr. de annon. & tribut.* quæ & ipsæ ad Annonam Vrbis Romæ spectant. Huc scilicet pertinet Symmachi istius elogium apud Ammianum Marcellinum *lib. 27. cap. 3. Symmachus*, inquit, *Aproniano successit* (in Præfectura Vrbis scilicet) *quo instante vrbs sacratissima otio COPIISQVE abundantius solito fruebatur.* Copiis, id est, vt vel *l. 4. supr.* & *l. vltim. in fin. de Suariis*, docuit, annona Vrbicaria, ad quam *supr.* omnino pertinet *hac lex*. Addit Ammianus (quod iam notatum ad *l. superiorem*) *excitatum a Symmacho Roma pontem ambitiosum & firmissimum, quem ipse condidit, & magna ciuium lætitia dedicauit.* Itaque & annonæ & operibus publicis Vrbis Romæ Symmachus multifariam prospexit: sed quod vtrumque sane spectat *hac lex*: ac nominatim ad horrea fiscalia, in quibus videlicet annona publice recondebatur, de quibus est *tit. supr. de condit. in public. horr.* deque iisdem actum iam *l. 4. supr.* Atque vt alibi huiusmodi horrea erant, ita & apud Vrbem Romam, atque in Portu Vrbis Romæ, vt *hac lex* ostendit. Illa horrea vrbis dicuntur, *l. 1. d. tit. de condit. in publ. horr.* Seu horrea Romana, Symmacho *lib. 3. epist. 55.* Hæc dicuntur *horrea Portuensia*: *supr. tit. de Patron. Horreor. Portuens.* vbi plene dixi.

De his itaque horreis, eorumque annona Quatuor hæc *hac leg.* constituuntur. Primo, publico iuri atque vsui ea vindicari iubet, quæ a priuatis nunnullis vsurpata fuerant, vel etiam impetrata; euiusmodi vsurpationum vel impetrationum operum publicorum exempla nobis præbuerunt iam *tres* Iuliani *leges*, puta *l. 8. 9. 10. supr.* Suppeditabit & *lex 41. 42. 43. infr.* Pariter Honorius, *l. 4. supr. de canon. frument. V. R.* pœnam seu multam quinque librarum imponit iis, qui quid ex his horreis, cellulisue, quæ intra Vrbem Romam, atque in Portu constitutæ pistorio iure tenentur, sibimet tanquam possessione priuata, ausi fuerint vindicare.

Secundo, Valentinianus Sen. *hac lege*, vt ea hactenus habet, frumenta condi iubet *in inferioribus horreorum*: Verum ipsa rerum naturalis, quæ etiam *hac ipsa lege*, redditur, *Quæ*, inquit, *natura loci & humore vitiantur*, apertissime euincit, vitiosam esse hanc lectionem: Nempe enim frumenta natura loci inferioris & humore vitiantur, quod experientia satis testatur: vnde & qui de re Rustica scripsere omnes, Varro *lib. 1. cap. 57.* Columella *lib. 1. cap. 6.* Palladius *lib. 1. cap. 19.* Plinius *lib. 18. cap. 30.* monent, *triticum condi oportere in granaria SVBLIMIA, quæ perflentur vento ab exortu, & Septentrionum regione.* Vitruuius *lib. 6. cap. 9. Granaria*, inquit, *SVBLIMATA, & ad Septentrionem aut Aquilonem spectantia disponantur; ita enim frumenta non poterunt cito concalescere, sed afflatu refrigerata diu seruantur. Namque cæteræ regiones procreant curculionem, & cæteras bestiolas, quæ frumentis nocere solent.* Philo quoque *libro 5. de telorum constructione. pag. 87. Veterum Mathemat. Paris. 1693. in f.* Τίθεται δὲ καὶ ἄλλον τρόπον (ὁ σῖτος) ἐν ὑπερῴοις διηλειμμένοις * ἐν ἀμόργῳ τοὺς τοίχους, καὶ τὸ ἔδαφος, καὶ τὰς θυρίδας ἔχουσι, καὶ διαπνοὰς πλείους ἐστραμμένας πρὸς Βορρᾶν, καὶ πεφραγμένας δικτύοις, ἵνα μήθ᾽ ὑπὸ τῶν ὀρνίθων κατεσθίηται, μήτε θηρία ἐγγίγνηται: *Deponitur etiam alio modo (frumentum) in cœnaculis, amurca perunctos parietes & solum & fenestras habentibus, & spiracula complura ad Aquilonem obuersa, cancellis occlusa, ne aut ab auibus comedatur, aut bestiæ irrepant.* Ita quoque Tarantinus apud Georgium Bassum, Γεωπονικῶν *lib. 2. cap.* περὶ σιτοβολείου 25. καλῶς ἀποκλείεται σῖτος ἐν ἀνωγέοις, &c. *frumentum recte clauditur in locis sublimibus.* Quare hic legendum fuerit, *non in inferioribus*, addita negatiua, vel, *in editioribus*, vel sane, *in interioribus*. Scilicet horrea hæc fiscalia Romana & Portuensia, Tiberi marique proxima erant: itaque ne frumenta congesta ex vicino Tiberi & mari humorem traherent, & sic vitiarentur, voluerit Valentinianus, in partibus interioribus horreorum frumenta condi; non in primoribus.

Tertio, annonas ipsas horreis conditas a priuatis nonnullis ita restitui vult, vt vsurpatorum bona proscribantur, & annonæ addicantur. Quod ipsum ius repetitum postea constitutione Arcadii, *l. vltim. supr. de condit. in public. horr.* Ammianus quoque Marcellinus *lib. 28. cap. 1.* Exemplum memorat Hymetii Proconsulis Africæ, ob hanc siue causam, siue prætextum, parte bonorum multati. Notandum interim multæ genus, Enthecæ populi Romani, seu Annonæ destinatum, quomodo & aliis publicis vsibus sæpe multæ destinatæ, *l. 2. de Iudiciis: l. 5. de Episcopis: l. 20. quorum appellat.* v. & *l. 5. Cod. Iust. de modo multarum.*

Postremo reparari horrea ab his iubentur, qui destructionis auctores extiterant.

* Male editum διηλειμμένοις. *D. THEVENOTIO* enim in edendis Mathematicorum operibus fuit id maxime propositum, vt nihil ex Codicibus antiquis commutaret: tametsi errores manifestissimos librariorum culpa in eos irrepsisse omnes videant. Vid. *Præfat. ad Mathemat. Veter. Parisiens.*

De TVRRIBVS LIMITANEIS *per Daciam Ripensem partim reficiendis, partim nouis excitandis, Valentiniani Sen.* lex.

XIII. (a) Idem AA. Tautomedi (b) Duci Daciæ (c) Ripensis. (d)

IN limite (e) Grauitati (f) Tuæ commisso, præter eas Turres, quas refici oportet, (si forte indigeant refectione) Turres (g), administrationis (h) tempore quotannis (i) locis oportunis (k) extrue. Quod si huius præcepti auctoritatem neglexeris, finita admi- p.290 nistratione reuocatus (l) in (m) limitem, ex propriis facultatibus eam fabricam, quam administrationis (n) tempore, adiumentis militum, & impensis, (o) debueras fabricare, extruere cogeris. Dat. XIII. Kalend. Iul. Med. (p) Diuo Iouiano & Varroniano coss [364.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustinianeo:* quia temporaria, & historica est. *GOTHOFR.*

(b) Forte, *Tautomeri.* Forte is *Teutomer* Francus, Protector Domesticus: de quo Ammianus Marcellinus *lib.* 15. *cap.* 3. in Anno D. 355. Et ita sentit quoque Valesius *de gestis vet. Franc. p.* 44. *ID.*

(c) de *Dacia Ripensi*, vide saltem Vopiscum *in v. Aureliani cap.* 3. cuius iam ætate (id est, sub Constantio Imp) Dacia diuisa erat: Ammianum Marcellinum *lib.* 26. *cap.* 7. in gestis Anni sequentis 365. *in rebus Procopii;* Rufum Fest. *in Breuiario cap.* 8. De Duce Daciæ Ripensis, vid. *Notit. Imperii. fol.* 105. *ID.*

(d) Ad differentiam mediterraneæ: cuius meminit idem Ammianus Anno prox. *lib.* 26. *cap.* 5. & Iornandes *de Regn. successfion.* in rebus Aureliani Aug. *pag.* 233. *Tom. I. Script. Rer. Ital. Ant. Murator.* *ID.*

(e) Dacico, Scythico *ID.*

(f) *Grauitas Tua*, titulus Ducis. *ID.*

(g) Nouas scilicet. *ID.*

(h) Tuæ. *ID.*

(i) *Duces* igitur plures annos in administratione fuere. *ID.*

(k) Necessariis. Ita pariter Marcellinus *loco* quem mox apponam, *Turresque adsiduas per habiles locos & OPPORTVNOS.* *ID.*

(l) Retractus, & reductus per Protectores, vt *l.* 3. *supr. ad leg. Iul. Repet.* *ID.*

(m) *Ad limitem.* *ID.*

(n) *Administrationis* vox competit quoque Ducibus. *ID.*

(o) Publicis scilicet, *Impensarum* vox de publicis. *ID.*

(p) An *Mediolanum* hic accipiendum? Diserte enim scribit Ammianus Marcellinus *lib.* 26. *cap.* 5. Cum Valentinianus & Valens Sirmium introissent, diuiso Palatio, vt potiori placuerat, Valentinianum Mediolanum, Constantinopolim Valentem discessisse? Non. Quid igitur? MEDIANA suburbanum Naissi hic accipiendum: de quo vid. Ammianum Marcellinum *d. lib.* 26. *cap.* 5. *init.* de quo mox plura. *ID.*

COMMENTARIVS.

TVRRES LIMITANEAS (& quidem in specie *huius leg.* per Daciæ Ripensis limitem) non veteres modo refici, verum etiam nouas quotannis locis opportunis seu necessariis, adiumentis militum & impensis a Duce Daciæ Ripensis excitari, iubet hac constitutione Valentinianus Sen. Anno D. 364. proposita pœna Duci eas propriis facultatibus extruendi deposita administratione; atque eo fine eo retrahendo, reuocandoque ad limitem.

Hæc *huiusce legis* sententia est. In qua obseruandum primo, *legem* hanc latam a Valentiniano, Imperii sui initio, lacessentibus vbique ferme tum Romani Imperii limitem Barbaris. Testatur quippe Ammianus Marcellinus, *lib.* 26. *cap.* 4. in huius ipsius Anni gestis, hoc tempore, *velut per vniuersum orbem Romanum bellicum canentibus buccinis, excitas gentes sæuissimas, limites sibi proximos persultasse: Gallias Rhetiasque simul Alemannos populatos: Sarmatas, Pannonias & Quados; Pictos, Saxones & Scotos & Atacottos Britannos ærumnis vexasse continuis, Austorianos Mauricasque alias gentes Africam solito acrius incursasse: Thracias diripuisse prædatorios globos Gothorum,* &c.

Itaque (quod secundum) cum *Dacico* quoque limiti Thraciæ contermino vel metueretur, vel infestus esset hostis, limitis *Dacici* tutelam quoque suscepit Valentinianus, Turrium nominatim cura habita.

Turres

Turres scilicet (quod tertio obseruandum) in Imperii Romani limitibus erant: Turres, inquam, sparsæ locis opportunis, vt *hac lex* testatur. Quod in Gallicano limite factum ab hoc eodem Valentiniano, quem Alemanni & Franci persultrabant, vt testatur Ammian. Marcellin. *lib. 28. cap. 2.* loco huic simillimo. *At Valentinianus magna animo concipiens & vtilia, Rhenum omnem a Rhetiarum exordio, ad vsque fretalem Oceanum magnis molibus communiebat, castra extollens altius, & castella, Turresque adsiduas per habiles locos & opportunos,* (quomodo *hac leg. locis* OPPORTVNIS *extrue*) *qua Galliarum extenditur longitudo: nonnunquam etiam vltra flumen ædificiis positis subradens barbaros fines.* De Turribus his alioquin passima iam obseruatio est: vide etiam Ammian. Marcellin. *lib. 23. cap. 5.* In Glossis Cyrilli πύργος, *turris, burgus*, & frequens earum in Itinerario *Antonini* mentio, *pag. 273. 290. 298. 301. 400. 445. Edition. Wesseling.* Ambrosius VI. *Hexaemer. cap. 9.* de omnis generis Turribus, *Latronum*, inquit, *quoque cauentur incursus, si exploratores in muris aut turribus, aut montis excelsi supercilio sint locati, vt desuper spectent plana Regionum, in quibus insidia latronum latere non possunt.* Cum burgis itaque turres eædem fuerunt. Sidonius, de burgo Leontii. *Carm. 22. v. 119.*

Celsa transmittent aëra turres,
Quarum culminibus sedeant, commune minantes
Pompa, vel auxilium.

Procopius *de ædificiis lib. 4. cap. 5.* agens de propugnaculis ad Danubium, τὰ πολλὰ τῶν ἐρυμάτων αὐτοῖς ἀμέλει ἀπεκέκριτο εἰς πύργον ἕνα, *multa certe munimenta vna admodum turri constabant.* Vnica scilicet turre burgos constitisse ait, Ideo postea dicta μονοπύργια. Idem Procopius *ibidem*, μονοπυργία τε, ὡς τὸ εἰκὸς, ἐπεκαλεῖτο, *vnde merito monopyrgia dicebantur.* *) Denique Paulus Diaconus *lib. 10. hist. miscell. pag. 65. Tom. I. Script. Rer. Ital. Ant. Murator. Seuerus*, inquit, *magnam fossam firmissimumque vallum crebris insuper turribus per 132. millia passuum a mare ad mare deduxit.*

Quarto obseruanda pœna reuocandi ad limitem Ducis deposita administratione ea male gesta. Cui geminum exemplum præbet *l. 3. supr. ad leg. Iul. Repetund.* vbi de Natali, Præside Sardiniæ agitur, ad quam dicta huc quoque arcessi possunt.

Quinto obseruetur inter cætera militaria exercitia, *Adiumentis* militum, *Opera* militaria apud Romanos facta, de quo operis & adiumenti militaris genere, vide & Vopiscum, *in vita Probi*, locis *duobus c. 9.* & *21.* & Aurelium Victorem *in eiusdem vita*, imo & Ammianum, non *vno loco*: inter cætera sub hoc ipso Valentiniano Sen. circa Annum Domini 369. *lib. 28. cap. 2.* Eaque officii Ducum pars fuit, inhærere & incumbere militum exercitationibus; vt præter *hanc legem* testatur Theodosii Iun. *Nouella 31. de ambitu.* Deque eo opere exercitii militaris ex professo scripsit Lipsius *lib. 5. de re militari, Dialog. 13. pag. 148. seqq.* Verum quid remotiora colligo? Huc omnino pertinent Veteres Inscriptiones duæ, quæ in idem tempus incidunt, & proximos Consulatus, & ad eundem limitem spectant: ex quibus apparet de hisce Turribus seu Burgis, ordinantibus & disponentibus Magistris militum, insistentibus Præpositis Legionum a fundamentis ad summam manum, a militibus constructis & perductis. Prior p. 291 extat Viennæ in Gymnasio publico bonarum literarum, *in Corp. Inscr. Gruteri CLXIV. 3.*

DDD. NNN. VALENTINIANI. VALENTIS ET. GRATIANI. PERENNIVM. AVGVSTORVM. SALVBERRIMA. IVSIONEM *a)* HVNC BVRGVM. A FVNDAMENTIS. ORDINANTE VIRO. CLARISSIMO. EQVITE. *b)* COMITE ET VTRIVSQVAE. MILITIAE. MAGISTRO. INSISTENTE, ETIAM. LEONTEO. PP. MILITES. AVXILIARES. LAVREACENSES. CVRE. EIVS. COMMISSI. CONSVLATVS EORVNDEM. DOMINORVM. PRINCIPVMQVE. NOSTRORVM. TERTII *c)* AD SVMMAM. MANVM. PERDVXSERVNT PERFECTIONES

a) Iussione. b) Equitio. c) id est, A. D 370.

Altera non procul Strigone, *apud eundem CLXIV. 4.*

IVDICIO. PRINCIPALI. D.D.D. N.N.N. VALENTINIANI. VALENTIS. ET. GRATIANI PRINCIPVM. MAXIMORVM. DISPOSITIONE. ETIAM INLVSTRIS. VIRI. VTRIVSQ. MILITIAE. MAGISTRI COMITII. FOSCANVS. PRAEPOSITVS. LEGIONIS. I MARTIORVM. VNA. CVM. MILITIBVS. SIBI. CREDITIS HVNC. BVRGVM. CVI. NOMEN. COMMERCIVM. QVA CAVSA. ET. FACTVS. EST. A. FVNDAMENTIS. ET CONSTRVXSIT. ET. AD. SVMMAM. MANVM. OPERIS XXXVIII. CONSVLATV. D. N. GRATIANI. AVG. II. ET PROBI. V. C. FECIT. PERVENIRE.

In priore porro Inscriptione, EQVITIVS Comes & Magister vtriusque Militiæ hic ille est cui inscribitur *lex 8. supr. de re militari*, cuiusque multa mentio apud Ammianum Marcellinum, Zosimum, Hieronymum: vt ad *eam leg.* notaui: & quidem in rebus Procopii *Anno D. 365. 366.* Ac nominatim apud Ammianum *lib. 26. Anno D. 365.* vbi (quod & ipsum notandum summopere) *Daciæ mediterranea* meminit *cap. 5.* & Daciæ Ripensis, *cap. 7.* quo *hac lex* pertinet: Refert enim Equitium relatione Antonii Tribuni regentis in Dacia mediterraneum militem edoctum Procopium Constantinopoli Tyrannidem adsumpsisse, mox & Thracias, quæ Daciæ vicinæ, occupasse. Dein subiicit: *Adiungit his* (Procopius) *aliud veloci diligentia maturandum; & electi quidam soliditate præcipites ad capessendum Illyricum missi sunt, nullo præter petulantiam adiumento confisi, aureos scilicet nummos effigiatos in vultu noui Principis, aliaque ad illecebras aptantes: quos correptos Equitius per eas regiones militum Rector, extinxit genere diuerso pœnarum. Parisque dein metuens, obstruxit tres aditus angustissimos, per quot Prouinciæ tentantur, Arctoæ:*

*) Post verba: *Ideo postea dicta μονοπύργια*, scripsit Gothofredus, *vide Constantinum Porphyrogenetam in Chorographia.* Expunxi hæc, fateorque ingenue latere me, quæ illa Constantii Chorographia sit. In *Tacticis* eius, & *de Thematibus*, item *de administr. Imperio* de μονοπυργίοις nihil lego.

Arctoa: unum per RIPENSEM DACIAM; alterum per Succos notissimum: tertium per Macedonas, quem appellant Acontisma. Hacque cautela vana persuasione rapiendi Illyrici destitutus vsurpator indebita potestatis, magna perdidit instrumenta bellorum. Vbi vides alterum militaris operis & munimenti in eadem Dacis Ripensi genus, intra biennium sub eodem Valentiniano.

Postremo, Ammiani locus hic suspiciendus nobis est, tum & Itinerarii Burdigalensis, & Antonini locus hic citandus: ex quibus huic *legi* vniuersæ lux magna adfulgebit: tum explicandæ Inscriptioni, tum Subscriptioni, denique circumstantiis omnibus *huius legis* pene firmandis. Quid scilicet in subscriptione per MED. accipiendum sit; quum e vicinia Daciæ Ripensi *hac leg.* Valentinianus consultum fuerit: tandem & TVRRIVM istarum in hoc limite situm intueri licebit. Ammiani locus est *lib. 26. c. 5. init. Acta tranquillime hyeme, concordissimi Principes percursi Thraciis, Naissum aduenerunt, Vbi in suburbano, quod appellatum MEDIANA, a ciuitate tertio lapide disparatum, quasi mox separandi, partiti sunt Comites.*

Itinerarium Hierosolymitanum missis mutationibus *pag. 566. Edit. Wesseling.*

Ciuitas NAISSO.
Mansio Romansiana.
Mansio TVRRIBVS.
Mansio Meldia.
Ciuitas SERDICA.
Mansio Buragara.
Mansio Iliga.
Mansio BONAMANSIONE.
Mansio Basapare.
Ciuitas EILOPOPVLI.
(*vr. Filopopuli.*)

Hisce quoque mire concordat Itinerarium Peutingerianum.

Itinerarium Antonini *pag. 134. seqq. Edition. Wesseling.*

Mœsia. *NAISSO.*
Remisiana.
TVRRIBVS.
Meldia.
Thracia. *SERDICA.*
Burburaca.
Helice.
Lissas.
Bessapara.
Philippopoli.

Nunc tandem succedat Consularium nostrorum Theodosianorum pars.

D. Iouiano & Varroniano Coss.

VIII. * Kal. Iun. Dat. PHILIPPIS * *lex 11. de operib. publ.* } ad Symmachum P. V.
* al. IX. * vel PHILIPPOPOLI *lex 19. de cursu publ.* }

III. Kal. Iun. Dat. SERDICAE *lex 3. de legatis*, ad Mamertinum PP.

...., Kal. Iun. * Dat. Bona mansione *lex 1. de priuil. Corp. V. R.* ad Symmachum P. V. PP. in foro Traiani.

* *vr. VI. Kal. Iun.* vti poscit itineris ratio. vid. *Chronologia.*

VI. Kal. Iun. Dat. BONA MANSIONE *lex 12. de erog. mil. ann.* ad Victorem Mag. milit.

IV. Non. Iun. Dat. NAISSO *lex 3. de Pistoribus*, ad Symmachum P. V.

VIII. Id. Iun. Dat. NAISSO *lex 4. de Pistoribus.*
VI. Id. Iun. Dat. NAISSO *lex 2. de calcis coctoribus, l. vnic. de Saccariis, lex 12. de operib. publ. lex 5. 6. de Pistoribus. lex 1. de canone frum. V. R.* } ad Symmachum P. V.
V. Id. Iun. Dat. NAISSO *lex 5. de Pœnis*,

P. 595 III. Id. Iun. { Dat. NAISSO *l. 6. de Pœnis*, Arthemio.
{ Dat..... *l. 6. de Medicis*, ad Mamertinum PP.

Id. Iun. Dat. NAISSO *l. 8. de annona*; ad Symmachum P. V.

XIII. Kal. Iul. Dat. MED. *l. 13. de operib. publ.* Tautomedi Duci Daciæ Ripensis. Et hæc quidem est *lex* nostra Data a Valentiniano MEDIANAE, prope NAISSVM, constituto, proxime apud DACIAM, de TVRRIBVS in Daciæ limite excitandis.

De ORNAMENTIS *vnius ciuitatis quamuis abditæ, ad aliam quamuis Metropolim non transferendis.*

XIV. (a) Idem AA. ad Mamertinum PF. P. (b)

PRÆSVMPTIONEM Iudicum (c) vlterius (d) prohibemus, qui in euersionem abditorum (e) oppidorum, Petropolis, (f) vel splendidissimas (g) ciuitates ornare se fingunt,

gunt, transferendorum signorum, (h) vel marmorum, vel columnarum materias requirentes. Quod post legem nostram sine pœna admittere, non licebit: præsertim cum, neque (i) nouam constitui (k) fabricam iusserimus † antequam vetera reformentur: Et, si adeo (l) aliquid fuerit inchoandum, ab aliis ciuitatibus conueniat temperari. Dat. Kalend. Ianuar. Med. Valentiniano & Valente Coss. [365.]

NOTÆ.

(a) Abest *hec lex* a *Cod. Iustin.* Concordat huic legi, *l. 1. supr. hoc tit.* & *lex 31. infr.* GOTHOFR.

(b) De hoc *Mamertino* PP. vid. *Prosopogr.* Eidem inscribitur *l. 16. infr.* vid. & Ammianum sæpe. *ID.*

(c) Id est, Rectorum Prouincialium, qui sub Præf. Prætorio fuere: *l. 37. infr.* *ID.*

(d) Deinceps, porro. *ID.*

(e) Id est viliorum, minorum. *ID.*

(f) *γρ. Metropolis*, mos vt ostendam. *Metropolis* autem pro *Metropoles:* de quibus alibi. *ID.*

(g) Vid. *l. 11. supr. de Medicis & Profess. l. 12. & 13. supr. de legatis.* *ID.*

(h) *Signa* sunt statuæ. *ID.*

(i) *Neque iusserimus*, id est, etiam prohibuerimus: vt *l. 5. seu vlt. sup. Quibus equor. vsus*: *Vti equinis animalibus non iubemus*, pro *vetamus*, de quo ad eam *legem* plenius *not. d.* & in *Glossario.* *ID.*

(k) Vt *l. 16. infr.* institui. *ID.*

† *Legis* huius rursum fit mentio *l. 15. prox.* *ID.*

(l) Tam necessario, tanta necessitas sit, &c. *ID.*

COMMENTARIVS.

ORNAMANTA (cuiusmodi tria memorantur, Signa, Marmora, Columnæ:) Ciuitatis vnius ad alteram transferri a Iudicibus prohibet Valentinianus Sen. hac constitutione, pariter vt Constantinus *l. 1. supr.* Honorius *l. 31. infr.* de quo ad *d. l. 1.* plenius dictum fuit. In tantum, vt id quoque obseruari velit Valentinianus, etsi nominatim (id enim *hac leg.* singulariter notandum) de Metropoli ipsa Prouinciæ (ita enim hic legendum, *Metropolis*, pro *Metropoles*) vel splendidissima alia Ciuitata ornanda agatur, & viceuersa etsi abditum sit oppidum, e quo ornamenta transferuntur; de cuius rei ratione vt & exceptione Vrbis Romæ & Constantinopolitanæ, ad *d. l. 1.* quoque dictum fuit; quam & ipsam rationem *hac lex* indicat his verbis: *qui Metropoles vel splendidissimas Ciuitates ornare se fingunt.* Nempe color etiam hic a Iudicibus quæsitus, cum sæpissime tamen & reuera in sinum suum domusque suas ornamenta hæc verterent. Vetus hæc alinquin querela est de Rectoribus, Prouinciarum & Ciuitatum ornamenta in sinum suum conuertentibus: videatur saltem *Verrina* Ciceronis, de *signis*. Et nota quoque querela Iuuenalis, *Satyr. 8.* inter cætera *v. 110. seqq.* Sed & Labarius in *Cophino*, quo Rectorum Prouinciarum furta & adulteria perstrinxerat, apud Nonium *in verbo Lenis, cap. 15. n. 13.* *Quum Prouincias dispoliauit, columnas* (de his quoque *hac leg.* agitur) *monolithas, labella, lenis*, &c. vide & quæ scripsi ad *l. 15. de curs. publ.* vide & *l. 7. Cod. Iust. de ædific. priu.* Hanc porro insuper rationem Valentinianus *hac leg.* raddit, quod vetera potius reformari debeant, quam noua institui, idque etiam a se prohibitum; de qua prohibitione vt aliorum Principum constitutiones extant, puta *l. 3. 11. supr. l. 19. 20. 21. 27. 28. 29. 30. 31. 37. infr.* Ita tres insuper aliæ eiusdem Valentiniani; puta *lex 15. 16.* (quæ eidem *Mamertino* inscribitur) & *17.* dicam ad *d. l. 15. prox.*

P. 193 *De* NOVIS *operibus publicis a Iudicibus omnibus etiam Spectabilibus, per diœcesim Africæ, non prius excitandis, quam vetera reparata fuerint.*

XV. (a) Idem AA. ad Dracontium. (b)

LEx † sancientibus nobis rogata (c) est, quæ Iudices omnes, (d) & Rectores Prouinciarum Edicto suo adque auctoritate cohibet, aliquid noui operis adripere (e) prius, quam ea quæ victa senio (f) fatiscerent, repararent: Quæ nunc etiam credidimus repetenda. Dat. XIV. Kalend. Mart. Med. Valentiniano & Valente Coss. [365.]

NOTÆ.

N O T Æ.

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iustinianeo.* *ID.*

(b) Vicarium Africæ: vid. *Ind. personar.* Interim vide *l. 33. supr. de appellat.* & *l. 10. supr. de cohortal. l. 10. 11. & 13. supr. de Annon. l. 9. supr. de Susceptorib. l. 10. supr. de iure fisci.* *ID.*

† *Legis huius* seu *Edicti* fit quoque mentio *superiore lege* 14. *ID.*

(c) Promulgata. *ID.*

(d) Etiam Spectabiles, veluti Proconsules & Vicarius. *ID.*

(e) Ita quoque *l. 18. infr.* *Quodcunque opus inchoandum esse necessario viderint in aliqua Ciuitate, id arripere non dubitent:* & *l. 37. infr.* *Horreorum vel stabulorum fabricas arbitratu proprio arripiant.* *IDEM.*

(f) Senio victa; vt *l. 1. supr.* *Ne quis in Palat. man.* Item senium temporis sentiunt: *l. 16. infr.* Ætatis senio concussæ ædes, *l. 44. infr.* Symmachus *lib. 7. epist. 80.* vbi de ædibus. *Perge igitur vt facis & VICTIS eas redde nouitatem. Multo hoc factu promptius, quam quod Hesiodum ferunt positu SENIO in virides annos rediisse:* vide alia apud Iuretum in Symmachum *lib. 1. ep. 4.* & congruentia apud Cassiodorum *l. Var. 25.* vbi inter cætera *in fin. vetustate SENECTVTE fuscata.* *IDEM.*

C O M M E N T A R I V S.

NOVA opera non prius a Iudicibus Prouincialibus quibuscunque, etiam Spectabilibus, excitari iubet Valentinianus Sen. quam vetera reparata fuerint: vt *hac leg.* ita & *l. 14. supr.* & *l. 16.* & *17. infr.* & aliorum Principum constitutionibus, puta *l. 19. 21. 29. infr.* Imo quam cœptis a decessoribus completis *l. 3. supr. l. 21. 29. infr.* Imo vlterius quandoque porrectum, nempe, vt nunquam noua licuerit Iudicibus excitare, nisi iussu Principis, *l. 11. 27. 30. 31. 37.* *Ratio* autem istius prohibitionis duplex est, partim ne inanibus sumptibus Prouinciales vexentur, quorum alioquin securitati hanc in partem per Africam enixe variisque rationibus prospectum voluit idem Valentinianus, variis constitutionibus ad eundem Dracontium datis, quas paulo ante cumulaui: partim ne reditus Rerumpublicarum eo obtentu exhaurirentur.

De NOVIS *operibus, præterquam stabulis, non inchoandis a Iudicibus, sed veteribus reparandis.*

XVI. (a) Idem AA. ad Mamertinum PF. P. (b).

CENSVRA tua ac (c) Iudicibus licentiam penitus amputabit, ne aliquid (d) nouellum (e) adgrediantur opus, veterum inlustrium (f) fabricarum reparatione neglecta. In eo sane larga ac benigna his licentia tribuetur, vt ornamenta vrbium, ac decora marmorum, quæ in aliquo senium (g) temporis sentiunt, ad speciem pristinam (h) & vsum congruæ vtilitatis instaurent. Cæterum, nihil auspicari quemquam noui operis patieris: exceptis Stabulorum fabricis, quæ ex vsu publico (si ita res tulerit) non prohibemus institui. (i) Dat. Id. Mart. Senigalia, (k) Valentiniano & Valente AA. Coss. [365.]

N O T Æ.

(a) Abest a *Cod. Iustin.* *GOTHOFR.*

(b) Italiæ, Illyrici, & Africæ, vt hoc ipso Anno docet Ammianus Marcellinus *lib. 26. cap. 5.* Eidem inscribitur *lex 14. supr.* *ID.*

(c) *γρ. hanc.* *ID.*

(d) Aliquod. *ID.*

(e) *Nouellum* opus: vid. *Gloss.* *ID.*

(f) Ita *l. 19. infr.* *Nobilia opera.* *ID.*

(g) Vide quæ dixi ad *l. 15. supr.* *ID.*

(h) Vide quæ dixi ad *l. 12. supr.* *ID.*

(i) Vt *supr. l. 14.* constitui. *ID.*

(k) *Senigallia*, vel *Senogallia*, vel *Sina Gallica*, in Vmbria olim maritima: de qua vid. quæ collecta iam Italiæ Antiquæ *lib. 2. cap. 5. p. 607, 608.* His vero temporibus in Piceno ea erat. *ID.*

COMMEN-

P.494

COMMENTARIVS.

NOVA opera non prius a Rectoribus Prouinciarum institui, quam veteribus reparatis, vetat rursum *hac leg.* Valentinianus Sen. pariter vt *l. 14.* (quæ eidem Mamertino PP. inscribitur) & *15. supr.* & *l. 17. 19. 21. 29. infr.* de quo ad *d. l. 14.* & *15.* Satis scilicet habent Iudices, in quo sese suamque industriam exerceant, seu *larga ac benigna* satis *licentia* seu materies est Iudicibus, *in eas*, si inquam ædificandi libidine teneantur, veterum reparatio, quod *hac leg.* his verbis indicatur: *In eo sane larga ac benigna his licentia tribuitur.*

Excipiuntur tantum *hac leg.* Stabula, quæ ex vsu publico noua institui possunt, pariter vt *l. 17. prox.* itemque *l. 37.* Stabula inquam, animalium scilicet, quæ cursui publico destinata erant, de quibus affatim *tit. de curs. publ. supr.* (Quo *titulo* & altera eiusdem Valentiniani *lex* ad eundem Mamertinum PP. occurrit, ante quinque dies data, puta *lex 23. eod. tit.*) Pariter vt excipiuntur horrea, *d. l. 17.* & *37*, quæ Iudices *studio laudandæ deuotionis* arbitratu proprio adripere posse vel debere dicuntur. Nempe quia in his vtilitas publica, atque vrgens vertitur annonæ & cursus publici ratio: Quam vtilitatem publicam promquere *deuotionis* genus est, & quidem laudandæ: de quo adhue ad *leg. prox.* vbi de *Horreis* nominatim. Imo & cætera opera necessaria excipiuntur *l. 18. infr.* Similique quadam olim ratione sub Constantino M. & Templa, *l. 3. supr.* Tandem huius rei cura PP. *hac leg.* indicitur, quia scilicet sub eius dispositione fuerunt Rectores Prouinciarum.

De NOVIS *operibus, per Picenum, non inchoandis, exceptis Stabulis & Horreis, Sed veteribus reparandis: & de* COLLATIONE *in ipsis speciebus ad opera.*

XVII. (a) Idem AA. ad Valentinianum (b) Cons. Piceni. (c)

SI quid Sinceritas Tua his vrbibus (d) quibus præest, putauerit deferendum, instaurare antiquum opus rectius (e) poterit, quam nouum inchoare. Sane si quid reparationi alicuius operis postulandum (f) erit, non in pecunia, sed in ipsis speciebus postulare te par est. Si loca aliqua indigent nouis Stabulis aut Horreis, videris (g) exædificare etiam, (h) si emolumenta publica aduerteris postulare. Dat. Prid. Non. Octobr. Valentiniano & Valente Coss. [365.]

NOTÆ.

(a) Abest a *Cod. Iustinianeo.* GOTHOFR.

(b) Alibi *Valentino*, de quo dixi ad *l. 2. supr. de Exhib. reis.* ID.

(c) Annonarii, non suburbicarii, de quo dixi ad *d. l. 2.* ID.

(d) Piceni scilicet annonarii: quarum numero est & SENIGALIA, vbi *superior lex* data est. ID.

(e) Id est, potius. ID.

(f) Extra ordinem. ID.

(g) *videris exædificare*, id est, ædificari cura. ID.

(h) Locus hic ita distinguendus, *videris exædificare etiam, si,* &c. id est, *& illa ædificato, si,* &c. ID.

COMMENTARIVS.

DE NOVORVM operum institutione, VETERVMQVE reparatione a Rectore Prouinciæ, est hæc rursum Valentiniani Sen. constitutio, de quo affatim ad *leges superiores:* Idque *hac leg.* nominatim per Picenum (Annonarium) & ad Consularem eius Prouinciæ, Tribus in id constitutis. I. *Noua* scilicet opera non ante institui, quam antiquis instauratis, oportere; de quo iam sæpe *supra.* Neque absimilis etiam est *lex vltim. D. de operibus publicis.* II. *Conlationis* ad reparationem operum publicorum formam *hac leg.* præscribit: Nempe, vt non pecunia in id conferatur, sed species ipsæ, id est, ferrum, plumbum, æs (de quarum specierum ad opera publica conlatione, vide *l. 16. supr. de Pistoribus:* & Ammiani Marcellini locum, *lib. 27. cap. 3.* quem seruo, ad *l. 19. infr.*) & similes species, quibus adde & lapides: quomodo Theodoricus R. apud Cassiodorum I. *Variar. 28.* vniuersis Gothis & Romanis mandat, saxa in agris suis iacentia, & muris ciuitatis profutura, vt libenti animo sine dilatione concedant. Proculdubio, tum quod non tam facile in alios vsus hæ species conuerti possint, neque tam facile diripi, dilapidari, quam pecunia: tum, ne immodico forte pretio hæ adærarentur, seu taxarentur. De collationis alioquin in genere in ipsis speciebus faciendæ necessitate, fuit *supra lib. 11. tit.* peculiaris 2. *tribut. in ipsis speciebus inferri.* III. *Stabula* tamen & *Horrea*, sicubi necessaria sint, noua, etiam veteribus operibus non reparatis, extrui iubet. De *Stabulis* ad *l. 16. prox. supr.* Nunc de *Horreis:* Horum scilicet peculiaris quoque ratio fuit & quidem apud Valentinianum, vtpote in quibus condita esset annona militaris. Eademque hac parte mens postea

fuit Honorio *l. 37. infr.* Hinc & idem Valentinianus voluit *l. 2. Cod. Iustin. de cond. in publ. horr.* Iudicem seu Præsidem Prouinciæ, cum ad quamlibet vrbem seu mansionem accessisset, protinus horrea inspicere, eaque sarta tecta habere, alioquin negligentia eius ad damnum eius referenda.

P.295 **NOVA** ***opera necessaria a Rectoribus Prouinciarum excitanda, etiam ex aliarum ciuitatum canone.***

XVIII. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Probum PF. P. (b)

RECTORES Prouinciarum quodcumque opus inchoandum esse necessario (c) viderint in aliqua Ciuitate, (d) id arripere (e) non dubitent. Si ciuitatis eius Respublica tantum in tertia pensionis (f) parte non habeat, quantum cœptæ fabricæ poscat inpendium, ex aliarum (g) ciuitatum Reipublicæ canone (h) præsumant, tertiæ videlicet portionis. PP. VII. Kal. Feb. Sirmio, (i) Gratiano A. III. & Equitio Coss. [374.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex a Cod. Iustin.* Concordant autem *l. 26. 48. infr.* meminit huius legis *lex 33.* GOTHOFR.

(b) *Probus* PP. sub Valentiniano Sen. Illyrici, vt docet vel *huius legis* subscriptio, *PP. Sirmio.* Vide Ammianum Marcellinum hoc ipso tempore *lib. 29. cap. 6.* ID.

(c) *Quæ vrgent*, in loco Ammiani mox. ID.

(d) Insigniore; puta splendidissima, vt dicitur *l. 24. supr.* clariore, *l. 26. infr.* ID.

(e) Eadem voce vtitur *lex 15. supr.* & *lex 37. infr.* & Ammianus mox. ID.

(f) Reditus & vectigalium, &, vt mox vocatur, *Canonis.* ID.

(g) Minorum scilicet, *l. 26. infr.* ID.

(h) Canon, *hac leg.* & *l. 33.* id est, pensio annua: vid. *Glossar. Theod.* ID.

(i) De hac subscriptione mox dicam. ID.

COMMENTARIVS.

NOVA Opera NECESSARIA, & quidem in specie huius legis, *Militaria*, ad tuitionem vrbium, Iudices seu Rectores Prouinciarum in Ciuitatibus excitare, inconsulto Principe, hac constitutione a Valentiniano Sen. conquisitis etiam ex aliarum Ciuitatum canone impensis, si tertia pensionis pars huic rei destinata non sufficiat, non suppetat, permittuntur, imo iubentur, pariter vt Stabula, vel horrea, & Templa: *l. 3. 16. 17. supr.* Dixi *Militaria*; Nempe enim pertinet *hac lex* proprie ad opera Militaria in Ciuitatibus, quibus hostes arcerentur, & ad *Quadorum* motus hac tempestate repellendos. Quod omnino persuadet *Probi* ipsius *PP.* nomen, cui *hac lex* inscribitur, & subscriptio legis *PP. Sirmio*, item vox *necessario* in *hac leg.* Postremo ipsa horum temporum ratio: Nempe Auctor est Ammianus Marcellinus, in horum ipsorum temporum historia, *lib. 29. cap. 6.* Quados præsidiariorum Castrorum trans Danubium in suis terris Valentiniani iussu ædificatorum iniuria tactos, dein Gabinii Regis sui cæde efferatos, vna cum gentibus circumsitis Danubium transgressos messis tempore, cæde, præda, *Sirmium* vsque ferme progressos. Mox de Probo PP. hæc subiicit: *Per omnia itaque propinqua malorum similium dispersa formidine, PRÆFECTVS PRÆTORIO, agens tunc apud SIRMIVM, PROBVS, nullis bellorum terroribus adsuetus, rerum nouarum lugubri visu præstrictus, oculosque vix attollens, hærebat diu quid capesseret, ambigens: & cum paratis velocibus equis noctem proximam destinasset in fugam, monitus tutiore consilio mansit immobilis. Didicerat enim omnes secuturos confestim, qui MOENIBVS claudebantur, tegendos latebris opportunis: quod si contigisset, impropugnata CIVITAS venisset in manus hostiles. Proinde parumper lenito pauore, ad ARRIPIENDA QVÆ VRGEBANT acri animo adsurgens, retersit obrutas ruderibus FOSSAS, MVRORVMQVE maximam partem pacis diuturnitate contemptam, & subuersam, ad vsque celsarum TVRRIVM minas expediit, studio ÆDIFICANDI coalitus. Hac ratione opere velociter absoluto, quod IMPENSAS ÆDIFICANDI causa Theatri dudum congestas sufficientes ad id, quod efficere maturabat, inuenit. Atque huic spectato consilio salutare addidit aliud: & sagittariorum cohortem e statione proxima, adfuturam obsidio si venisset, acciuit. His velut obicibus Barbari ab oppugnanda VRBE depulsi.* Sirmii igitur egisse Probum ex *hac leg.* & superiore *Ammiani* loco liquet, & tertio Ausonii *in carmine*, quod subditum *epistolæ 16.* Valentinianus igitur ad suggestionem Probi PP. *hanc legem* emiserit, tutandis Illyrici Prouinciis. Adeo quidem, vt ad opus necessarium inchoandum non sufficiente Canone Ciuitatis, & aliarum Ciuitatum reditus, in id impendere Rectores & vsurpare velit, puta minorum; vt docet *l. 26. infr.* Tertia scilicet Redituum Reip. vbi Tria sunt obseruanda.

Primo notandum, suos habuisse reditus Ciuitates, suas pensiones, suum canonem; pensiones inquam, & in his vectigalia, *l. 26. 48. infr. l. 2. de sepulc.*

fepulc. viol. & Symmachus *loco* quem mox laudabo. De huiusmodi Ciuitatum vectigalibus, quæ destinata Ciuitatum vsibus vel functionibus Curialium Ordinum, denique ad angustiarum suarum solatia, est quoque insignis *lex* Arcadii, *10. Cod. Iust. de vectigal.* qua vetat peti: contra, firma his & perpetua manere decernit. Petere scilicet ea nonnulli ausi, siue quia paganis vsibus ea in partem inseruirent, vel his redundare viderentur.

Secundo notandum, *certam* reditus Reip. (qui *ciuiles reditus* dicuntur *l. 1. Cod. Iust. de ratiocin. oper. publ.*) cuiusque partem operibus publicis fuisse destinatam affectatamque, & quidem Tertiam a Valentiniano nostro: quod iuxta *hanc leg.* etiam comprobant *l. 32. 33. & 48. infr.* E quibus *lex 33.* huius nostræ meminit, & Valentinianum huius rei Auctorem nominatim facit. Atque ad hanc rem destinatæ certæ possessiones, vt docet *lex 1.*
P.296 *supr. de locat. fundor.* Huc pertinet etiam quod Symmachus scribit *lib. 10. epist. 10.* *Habenda est ratio vectigalium publicorum, & lauacri aftiui instauratio, cum Reip. viribus conferenda, vt si quid redundat, expensis ceteris, in sumptum operis conferatur.* Huic non absimile est, quod de reditibus Ecclesiarum cautum olim *veterib. Canonib. & legib.* Vt de his quatuor partes fiant: 1. Pontifici, ad sui sustentationem. 2. Presbyteris, Diaconis, Clero. 3. Templorum & Ecclesiarum reparationi. 4. Pauperibus, infirmis, & peregrinis. Item *legum Longobardicarum, lib. 3. tit. 3. l. 4.* siu. *inter Caroli M. Leg. Langab. cap. 95. pag. 105. Edit. Murat. Tom. I. Script. Rer. Ital. part. 2.* *Vt decimæ populi in quatuor partes diuidantur. Prima pars Episcopis detur: alia Clericis: tertia Pauperibus: quarta in fabrica ipsius Ecclesiæ:* Vid. & *cauf. 12. Qu. 2. can. 23. 25. 26. 27. 28. 29. 30.* & *cauf. 16. Qu. 3. can. 2.* Vide & quæ notat Paponius *lib. 1. tit. 1.* & quæ ad ipsum Pap. notant alii.

Tertio obseruandum, minorum Ciuitatum reditus, non sufficiente maiorum reditu, ad vtilitatem maiorum deriuari iussos, vt a Valentiniano *hac leg.* ita & a Valentiniano Iuniore, *l. 26. infr.* Quod clariorum vrbium dignitati tributum, etsi ornamenta a minoribus Ciuitatibus ad maiores transferri vetita, *l. 11. 14. 37. hoc tit.* Facilius scilicet pecuniam quam ornamenta minoribus Ciuitatibus detraxeris, detrahique voluerunt Impp. Ab hoc vero non abludit, quod tractant Doctores, vtrum Episcopus de bonis inferioris Ecclesiæ pro alterius constructione, vel pro alterius Ecclesiæ sustentatione conferre possit: de quo vid. Marci *decisiones, q. 1013. 1014.*

De NOVIS *operibus etiam ab Illustribus Romæ non excitandis sumptu publico, vel aliorum operum nuditate.*

XIX. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS & VALENTINIANVS AAA. ad Senatum. (b) Post alia.

NEMO Præfectorum (c) Vrbis, aliorumue Iudicum, (d) quos potestas in excelso (e) locat, opus aliquod nouum in Vrbe Roma inclyta moliatur, (f) sed excolendis veteribus intendat animum. Nouum quoque (g) opus qui (h) volet in Vrbe moliri (i) sua pecunia, suis operibus absoluat, non contractis (k) veteribus emolumentis, (l) non effossis nobilium (m) operum substructionibus, (n) non rediuiuis (o) de publico saxis, non marmorum frustis (p) (spoliatarum ædium reformatione (q)) conuulsis. Lecta in Senatu, (r) Valente V. & Valentiniano AA. Coss. [376.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iust.* Iungenda autem est ei *l. 8. supr. de Metall.* forte etiam (quod non temere adsero) *l. 13. supr. de Accusation.* Vbi dies diuersus ab eo, qui subscriptus *d. l. 8.* GOTHOFR.

(b) Vrbis Romæ. *ID.*

(c) Quæ sublimissima in Vrbe potestas erat. *ID.*

(d) Veluti Præfectorum Prætor. cui etiam argumentum præstat *d. l. 13. supr. de Accusat.* *ID.*

(e) Inclytæ potestates, *d. l. 13.* *ID.*

(f) Scilicet expensis publicis, quo pertinet hæc prima *huius legis* sententia. *ID.*

(g) Itaque: vel *quodque.* *ID.*

(h) Iudicum scilicet, vt *supr. initio legis.* *ID.*

(i) *Moliri* opus. *ID.*

(k) Est qui tentat, *contactis.* Male. *ID.*

(l) Putabam aliquando hic legendum, *monumentis*, aliquando *æramentis*, aliquando *fulmentis*, id est, columnis. Sic *fulmenta* Aquitanica, apud Sidon. *lib. 2. epist. 10.* Fulmenta, a fulciendo. Sed *emolumentis* & hic, & *d. l. 8. de Metall.* rectum est. *Emolumenta* vel potius *emolimenta* sunt molitiones, vt vocantur *l. 31. infr.* ab emoliri. Symmachus *lib. 10. epist. 9. Edit. Parei,* 1617. in 8. quæ est in auctuar. Symmachian. *ep. 12. Edit. Iureti:* *Vereor ne operi*

ne operi emoliendo astiuo opportunitas subtrabatur. Et in *l. 1. Cod. Iust. de Stat. & imagin.* (quæ coassanda est cum *l. 37. infr. hoc tit.*) *emolumentorum* vox de Statuis & Imaginibus effertur. *Si quis Iudicum accepisse aneas, vel argenteas, vel marmoreas statuas, extra Imperiale beneficium, in administratione positas, detegetur, emolumenta, qua accepit, in ea positus dignitate, quam polluit, cum extortis titulis vel præsumptis, in quadruplum fisco nostro inferas,* &c. puter quis, ibi *emolumentorum* vocem pro commodis accipi. Denique *emolumentum* nihil aliud est, quam structura: proculdubio proprio significatu, in re architectonica, etsi apud Vitruuium nusquam ea occurrat. *ID.*

(m) Ita *leg. 16. supr.* Veterum illustrium fabrica. *ID.*

(n) *Substructionis* vox hæc in re propria, etiam alicubi apud Quintilianum: de quo vide *Gloss. Theod.* *ID.*

(o) *Rediuiui* vocem hac in re vsurpat quoque Cassiodorus III. *Var. 9.* & IV. *Var. 24.* *ID.*

(p) Quid si *crustis*? *Crusta* marmorum, tum apud alios, tum apud Cassiodorum I. *Var. 6.* *ID.*

(q) *γρ. deformatione.* Vt etiam habet Editio Tiliana, & quæ in Quarto prodiit, & prima Cuiacii; quanquam & hæc lectio sustineri posse videatur. *ID.*

(r) Id. Aug. vt *d. l. 8. de Metallis.* *ID.*

COMMENTARIVS.

GRATIANI hæc elegantissimo & Gallicano cothurno conscripta constitutio est, ad opera publica Vrbis *Romæ* pertinens, pariter vt tres aliæ *hoc titulo* eodem pertinent: puta, *lex 11. 12. supr. l. 27. infr.* Est autem *hæc lex* pars prolixioris Gratianeæ orationis ad Senatum; vnde etiam desumpta est *lex 8. supr. de Metallis*, quæ huic proinde iungenda venit. ROMÆ igitur NOVA opera publica, excitare omnes *hac leg.* vetantur: nisi suo sumptu, non per aliorum publicorum operum ruinas vt *hac leg.* diserte exprimitur, vel etiam speciebus (quod addendum) corrogatis & extortis a priuatis. Omnes inquam, etiam Iudices excelsi; pariter vt a Valentiniano Sen. *l. 11. supr.* & rursum a Valentiniano Iuniore, *l. 27. infr.* quod idem & per Prouincias constitutum, *l. 3. 14. 15. 16. 17. 21. 27. 30. 31.* & *l. 3. §. 1. D. de operibus public.* ac nominatim inter alios quoque PRÆFECTVS Vrbis Romæ: cum alias Præfecti Vrbis hac in re nimio plus sibi indulgerent, vt patet vel exemplo Lampadii P. V. ante decennium ferme, de quo Ammianus Marcellinus, *lib. 27. cap. 3.*
P. 297 *Ædificia erigere exoriens noua vel vetusta quadam instaurans, non ex Titulis solitis parari iubebat impensas: Sed si ferrum quarebatur, aut plumbum, aut æs, aut quidquam simile, Apparitores immittebantur qui velut ementes, diuersas raperent species nulla pretia persoluendo: vnde accensarum iracundiam pauperum damna deflentium crebra ægre potuit celeri vitare digressu.* Suo igitur sumptu Noua opera excitare Iudices non prohibebantur, vt *hac leg.* ita & *l. 27. 28.* & *31. infr.* non vero (qui modus *hac leg.* adhibetur, quæque vetus est prohibitio, & de qua etiam actum, *l. 1. supr.*) spoliatione seu nuditate aliarum ædium seu operum, ex quibus ornatus Ciuitati accedit, *hac leg.* & *l. 30. infr.* Quod elegantissimis verbis *hac leg.* exprimitur, propriisque quamplurimis, ex architectonica etiam nonnullis petitis: qualis est vox *emolumentorum, substructionum, operum Nobilium, rediuiuorum saxorum, marmorum frusta*, de quibus singulis *in notis*, & in *Glossar.* Et hæc quidem vera sunt de stantibus emolumentis, substructionibus, saxis, marmorum frustis, non reuellendis: Alia vero ratio fuerit, si lapides sponte demoliti, diruti, saxa collapsa, si iacentia marmora nullum sui vsum præbeant, ornatui publico non prosint. Quam in rem non vna exstat apud Cassiodorum Theodorici R. iussio: qua transferri ad mœnium seu operum publicorum reparationem ea iubet: *lib. II. Var. 7.* & *lib. III. Var. 9.* cuius hic verba apponere iuuat: habent enim quæ cum *hac leg.* nostra committantur: *In municipio itaque vestro sine vsu iacere comperimus columnas & lapides, vetustatis inuidia demolitos. Et quia indecore iacentia seruare nil proficit, ad ornatum debent surgere REDIVIVVM, antequam dolorem monstrare ex memoria præcedentium sæculorum. Atque ideo præsenti auctoritate decernimus, vt si vera fides est suggerentium, nec aliquid publico nunc ornatui probatur accommodum, supra memoratas platonias vel columnas ad Rauennatem ciuitatem contrahat modis omnibus deuehendas: vt collapsis metallis obliterata facies reddatur iterum de arte pulcherrima: & qua situ fuerant obscura, antiqui nitoris possint recipere qualitatem.* Eodem pertinet & *sequens epistola 10.* De hac ipsa re est quoque *III. Variar. epistola 49.*

Interim ex *l. 8. supr. de Metall.* (quæ *huic*, vt dixi, coassanda est) apparet, quanam ratione inter alias Gratianus vtrique huic malo (quod nimium frequens in Vrbe Roma erat) occurrere satagerit, vt ita non tantum vetera Romæ excolerentur, sed etiam noua excitarentur, citra aliarum ædium deformationem. Eo scilicet fine data ab eo Senatoribus potestas, eo Orationis suæ ad Senatum capite, quod continetur *d. l. 8.* per Macedoniam & tractum Illyrici, (quæ marmoribus abundabant) eruendorum marmorum & lapidum, proposita etiam vectigalis & portorii immunitate, de quo ad *eam leg. 8.* plenius. Portoriorum scilicet & vectigalis onera, vt in causa ferme esse solent, ne lapides aut marmora eruantur, ita contra, proposita demum horum immunitate, lapidicinas feruere, atque a veteribus ædificiis temperari necesse est.

Illud tandem ad *hanc* quoque *legem* notari cupio: sicut ea Gratianus Præfectis Vrbi, quamlibet in excelso locatis, modum quendam ponit: ita contra hoc ipso Anno, Præfecturæ Vrbis dignitatem adsertum iuisse, *l. 3. Cod. Iust. de officio Præfecti Vrbi:* constituto videlicet, *Vt Præfectura Vrbis cunctis quæ intra vrbem sunt antecelleret dignitatibus:* Ideo proculdubio, quod Maximinus Præfectus Prætorio Romæ intoleranter sese efferens (de cuius nimio fastu videndus est Ammianus Marcellinus *lib. 28. c. 1.* & *lib. 29. c. 2. 3.* quem & sub Gratiano damnatorio iugulatum ferro scribit *d. l. 28. c. 1.*) supra Præfectum Vrbis sese extulerat. Nam & alios nonnullos eiusdem Maximini actus hoc ipso Anno, & proximo, Gratianus Imperator (*huius legis* Auctor) infirmauit,

firmauit, vt ad alias iam *leges* plures ostensum est. Imo & *hac* quoque *ipsa lex* eodem non improbabiliter referri possit. Atque vt *legem* illam 3. *Cod. Iust. de officio P. V.* pertexam, posteriorem eius sententiam corruptissimam ita restituendam censeo: *Tantumque, ex omni parte, dignitatis, quantum sine omni iniuria ac detrimento honoris alieni erit, vsurpet.*

De Novis *Operibus: pro qua parte ea a Rectoribus Prouinciarum excitari possint.*

XX. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theod. AAA. Iuliano (b) PF. Ægypti.

Iudex, (c) qui ad Prouinciam fuerit destinatus, duas partes, vel (d) incuria vel vetustate conlabsas, ad statum pristinum nitoris adducat: adque tertiam constrat (e) * nouitatis: si tamen famæ (f) & propriis cupit laudibus prouidere. Dat. XVI. Kalend. April. Thessal. Gratiano A. V. & Theod. A. I. Coss. [380.]

N O T Æ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem *ei* est *l. 80. supr. de Decurion.* *GOTHOFR.*

(b) *Iuliani* huius Præfecti Ægypti ἀπὸ ὑπάρχων Αἰγύπτου epigrammata extant 4. *Antholog. cap.* 23. & *cap.* 32. & alibi. Forte de hoc accipiendus Libanius *epist. ad Anatolium* 79. *Edit. Wolff.* *ID.*

(c) *Iudex*, id est, Rector Prouinciæ. *ID.*

(d) Sic Cornelius Nepos *in vit. Attic. cap.* 20. *Cum ædes Iouis Feretrii, vetustate atque incuria detecta prolaberetur.* *IDEM.*

(e) *γρ. construat nouitatis.* Nouitatis, id est, noui operis. Cassiodorus quoque *IV. Var.* 24. in eadem re: *Vt rebus antiquitate confusis, NOVITATIS facies adulta reddatur:* & *IV. Var.* 30. *Et antiquis mænibus NOVITATIS crescat aspectus.* *ID.*

(f) Ita *industriæ captare famam*: *l. 31. infr.* quæ eiusdem Theodosii M. est. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

P. 298 Theodosii M. nouem constitutiones de operibus publicis sequuntur, puta *lex 21. 22. 23. 24. 25. 29. 30. 31.* E quibus hæc ad Ægyptum pertinet: Lex vero *21. 24.* & *31.* ad Præfecturam Prætorianam Orientis: *lex 22.* ad Antiochiam & Diœcesin Orientis: *lex 23. 25. 29.* ad Vrbem Constantinopolitanam. Hic *lege* cui iungenda est seu coassanda *lex 80. supr. de Decurionib.* quatenus Nova opera Iudices per Prouincias excitare possint, (de quo ad *legem superiorem*, aliasque plures dictum est:) definit. Scilicet duas saltem partes labantes eos instaurare iubet: tertiam, si velint, nouam instituere permittit, ex sumptu videlicet publico: Nempe istud, vt *prouidere possit fama, propriisque laudibus*, (vt *hac lex* loquitur) quas sane Iudices nouis operibus enixe captabant; vti docet quoque *lex 31. infr.* his verbis: *Liceat nouis molitionibus industria captare famam*, &c. Quod idem tamen postea reuocauit, *d. l. 31. infra.*

Ex huius porro *legis* coniunctione, cum *d. l. 80. supr. de Decurionibus*, apparet, hanc veramque esse partem *Mandatorum*, quæ Iuliano cum imperio in Ægyptum destinato, a Theodosio M. data fuerunt. Sane, vt de Decurionum pœnis, mandatis Principum aliquid comprehendi solitum fuisse, docet aperte *lex 15. 27. supr. de Decurionibus*: *l. 1. supr. de Pæn.* (quo pertinet *d. l. 80.*) ita & de operibus publicis, docet aperte non tantum *lex 2. supr.* Verum etiam *lex vltim. §. 1. D. de operibus publicis.* *Si quis*, inquit, *opus ab alio factum adornare marmoribus, vel alio modo ex voluntate populi facturum se pollicitus sit; nominis proprii titulo scribendo, manentibus priorum titulis, qui ea opera fecissent, id fieri debere Senatus censuit. Quod si priuati in opera, quæ publica pecunia fiant, aliquam de suo adiecerint summam: ita titulo inscriptionis vti eos debere, iisdem Mandatis cauetur, vt quantam summam contulerint in id opus, scribant.* Sic & *legem 6. supr.* Mandatorum pariter partem esse censeo; cui iungenda alioquin & *l. vnic. supr. de prab. salario.*

Illud ad ad *hanc leg.* notari cupio, ab hoc Anno 380. Rectores Prouinciarum per Orientem ad Arcadii Imp. initia vsque, septemdecim annorum spatio Operum publicorum instaurandorum curam a se passim abdicasse, quæ causa fuit tot deinceps Theodosii M. *legum* de operibus publicis reparandis, puta *l. 21. 29. 31.* & sanciendæ *legis 36. infr. hoc tit.* ab Arcadio Filio eius, qua negligentia Iudicum in reparandis operibus publicis *a primo Theodosii COS.* (qui *huic legi* subscriptus est) vsque ad *legis* illius tempus ea pœna plectitur, vt de suo ea reparare iubeatur.

De NOVIS OPERIBVS *non prius excitandis, quam veteribus reparatis, cœptisque a decessore absoluendis.*

XXI. (a) Idem AAA. Eutropio PF. P.

SINGVLI quique Iudicum primo omnium in tuendis veteribus ædificiis publicis impendant propriæ sollicitudinis curam, tum adgrediantur noua: adque studio cautæ celeritatis quidquid a superiore (b) reppererint inchoatum, quasi a se cœptum nouerint explicandum. Dat. XVI. Kal. Septemb. (c) Hadrianop. Gratiano A. V. & Theod. A. I. Coss. [380.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Concordat vero ei *lex* 3. *supr.* maxime, itemque *l.* 11. & 15. & 16. & 19. & 29. *infr.* *GOTHOFR.*

(b) Id est, *decessore.* *ID.*

(c) *rg. XII. Kalend. Decembr.* *ID.*

COMMENTARIVS.

NOVA opera a Rectoribus Prouinciarum non prius extrui, quam veteribus reparatis, & *hac leg.* Theodosius M. iubet; de quo 101 iam fuerunt *hoc tit.* leges. Item (quod in *hac leg.* singulare est) quam cœptis a decessore, absolutis. Quod ipsum cauetur & *l.* 3. *supr.* & *l.* 29. *infr.* Breuiter vt vetera reparare, ita cœpta ab aliis explicare, seu absoluere prius Rectores Prouinciarum tenentur, quam noua inchoent Re proinde cœpta ab aliis quasi a se cœpta, id est, haud aliter, atque si ipsi cœpissent, absoluere iubentur: quod Rectores Prouinciarum in grauido sæpe habebant, seu fastidiebant, nouis potius Operibus auram popularem, propriæque industriæ famam captantes.

De LOCIS *publicis non occupandis priuatorum operibus; imo & hisce diruendis, non obstante præscriptione, vel Rescripto.*

XXII. (a) Idem AAA. Haue Procule (b) K. NB.

PRÆSCRIBTIO temporis iuri publico non debet obsistere: sed ne (c) Rescribta (d) quidem: Adque ideo diruenda sunt omnia, quæ per diuersas Vrbes, vel in Foro, vel in quocumque publico loco (e) Ciuitatis, (f) extructa noscuntur. Dat. III. Id. Iun. Constp. Merobaude II. & Saturnino Coss. [383.]

P.299 NOTÆ.

(a) *Lex 6. Cod. Iust. eod. tit.* Concordat *lex* 47. *infr.* & 52. *GOTHOFR.*

(b) *Proculus* hic non erat Præf. Vrbi, quod voluit Contius (cui alioquin inscribitur *lex* 25. *infr.*) Verum Comes Orientis, cui inscribitur hoc ipso Anno *l.* 14. *supr. de cohortal.* itemque *lex* 103. *supr. de Decurion.* & Anno superiore 382. *lex* 90. *supr. de Decurion* Eiusdem meminit Libanius *de vita sua, p.* 66. 68. *Edit. Morell.* & *Orat. ad Icarium,* non semel: qui Icarius ei in Comitiua successit. *ID.*

(c) *Nec*, in *Cod. Iustin.* *ID.*

(d) Vide *l.* 1. 6. 7. *supr. de diuers. rescrips.* vbi dixi. *ID.*

(e) *Contra ornatum & commodum, ac decoram faciem Ciuitatis:* hæc inserta in *Cod. Iust.* *ID.*

(f) Antiochenæ. *ID.*

COMMENTARIVS.

OCCVPARI priuatorum ædificiis loca publica prohibentur *hac leg.* a Theodosio M. Anno D. 383. Loca, inquam, publica, veluti forum, aliaue similia; *hac leg.* Porticus, *l.* 52. *infr.* pariterque palatii loca, quæ priuatis ædificiis occupari prohibentur a Theodosio Iuniore, *l.* 47. *infr.* quæ sæpe occupabantur auiditate cogendæ pecuniæ, *l.* 25. *infr.* vbi vid. quæ dico; adeo vt ædificata locis illis

illis subrui seu destrui iubeantur: & *hac leg.* & *dict. l. 47.* vide & *l. 2. D. ne quid in loco sac. fiat.* & *l. 2. D. ne quid in loc. publ.*

Hæc ita indistincte *hac leg.* Atenim Tribonianus hanc exceptionem addit, *si videlicet opera illa priuatarum contra ornatum & commodum ac decoram faciem Ciuitatis extructa fuerint:* quod & ipsum iure antiquo, & postea quoque obtinuit. Nam vt sæpe publica loca priuatorum ædificiis occupabantur; quem in finem etiam olim sæpe, *Curatores locorum publicorum persequendorum*, ita nuncupatim dicti mittebantur: vel huiusmodi ædificiis vectigal imponi solebat, vt docet *l. 52. infr.* vbi dicam: itemque *l. 5. §. 1. D. eod. tit.* quod *Solarium* dicebatur, seu *Pensio.* vt *l. 41. in fin. infr.* vbi dicam; vel huiusmodi ædificia in publicum vindicabantur: *l. 5. §. 1. D. eod.* Redditis etiam ædificatori impensis ex Plebiscito veteri, cuius meminit Dionys. Halicarnass. *lib 10. cap. 38. Edit. Wechel.* & *cap. 32. Edit. Hudson.* Cuius hæc verba sunt: ὅσα βεβιασμένοι τινὲς ἢ κλοπῇ λαβόντες ᾠκοδομήσαντο, κομισαμένους τὰς δαπάνας, ἃς ἂν οἱ διαιτηταὶ γνῶσι, τῷ δήμῳ παραδιδόναι: *quæ vero per vim aut fraudem occupassent ædificiis, ea restitutis ex arbitrorum sententia impensis, addici populo.* Adeo autem loca publica seu fines publici priuatorum ædificiis occupari non oportet, vt neque *præscriptionem* temporis hac parte vllam obsistere posse, *hac leg.* definiat Theodosius M. Quæ Regula alioquin notissima est. Sed hic eleganter proponitur: Præscriptio temporis iuri publico non debet obsistere, de quo alibi: vid. & quæ dicam ad *l. 7. infr. tit. prox. de aquæductu.* Neque etiam *Rescripta*, nam & hæc iuri publico damnosa non valent, quomodocunque fuerint impetrata, *l. 1. 6. 7. supr. de diuers. rescript.* vbi dixi. Est igitur hic casus addendus ad eas exceptiones, quibus publicum ius præscriptione non tollitur; de quo Interpretes ad *l. 4. Cod. Iust. de præsc. 30. ann.*

Porro pertinet *hac lex* ad Comitiuam & Vrbes Orientis: & in his ad vrbem Antiochiam, quæ Orientis metropolis & apex erat. Nam & Proculus, cui *hac lex* inscribitur, Comes Orientis erat: quod docet *lex 14. supr. de cohortal.* & *l. 90. 103. supr. de Decurionibus:* & Libanius *de vita sua, pag. 66. 68. Edit. Morell.* & *ad Icarium* non semel: Cuius Libanii etiam plures ad eum extant *epistolæ:* puta *735. 767. 771. 775. 793. 824. 857. Edit. Wolff.* Et proinde *Ciuitatis* appellatione *hac leg.* Antiochia intelligenda venit: vbi vel in foro vel alio publico loco extructa dirui iubet. Vnde forte etiam angariarum genus illud enatum, ad rudus efferendum, in quod inuehitur Libanius, *orat.* περὶ τῶν ἀγγαρειῶν, & *orat. aduersus Icarium*, huius Proculi in Comitiua successorem. Sane *hanc legem* extorsisse videntur angustiæ viarum Vrbis Antiochenæ, ἡ στενότης, cuius causa Libanius *de vita sua, p. 66. 67. Edit. Morell.* periculum vitæ adiisse se memorat hoc ipso tempore, cum ex Senatu seu Curia Antiochena produisset; cum eo ipso loco Proculi Com. Orientis mentionem faciat; cui *hac lex* inscribitur, vt non inani coniectura putet quis *hanc legem* eo spectare, seu *hanc legem* ex hoc vel simili casu elicitam.

Post hæc ita scripta, compos iam epistolarum Libanii factus, Proclum hunc commendari video a Libanio *epist. 771.* ob vias, Porticus, balnea, Fora ipsius sumptibus Antiochiæ excitata: ὅτι πολὺ πρὸ τῶν τριῶν ἔφην ᾑρέθη Πρόκλος ὑπ᾽ αὐτῶν τῶν ἐν τῇ πόλει παρ᾽ αὐτοῦ πεποιημένων ὁδῶν τε καὶ στοῶν, καὶ λουτρῶν καὶ ἀγορῶν· φιλεῖν μὲν γὰρ ἀνάγκην ἔχειν τόν γε αὐτοῦ πόνον: *ideo, dicebam ego, quod longe ante tres illos Proclus a viis, & porticibus & balneis, & foris quæ vrbi comparauit, electus est. Ipsum enim hunc laborem ad amandum impellere.* Et mox: ὡς μὴ μόνον ἐν τῇ στοᾷ τῇ παρὰ σοῦ φαίνεσθαι τοῦ δήμου τὴν εὐθυμίαν ἑσπέρας ἑκάστης ᾄσμασιν, ἀλλὰ καὶ τῆς βουλῆς δι᾽ ὧν ἂν βουλῇ πρέποι: *adeo non solum in porticu, quam fecisti, singulis vesperis hilaritas populi canticis, sed & Senatus illa per ea, quæ Senatum decent, celebratur.* Quare pertinet omnino *hac lex* ad hoc Procli Comitis Orientis studium in excitandis Antiochiæ publicis operibus, tuendisque.

De Portv *&* Aqvædvctv *Constantinop. instaurando, operarum ab omnibus collatione facta, citra cuiusquam* Immvnitatem *Theodosii M.* lex.

XXIII. (a) Idem (b) AAA. Cynegio. (c) PF. P.

Ad Portus & Aquæductus (d) instaurationem, (e) omnes certatim, facta operarum conlatione, instare debent: Neque (f) aliquis ab huiuscemodi consortio, dignitatis (g) priuilegiis, excusari Dat. XV. Kalend. Februar. Constantinop. Richomere, & Clearcho Coss. [384.]

N O T Æ.

P. 300

(a) *Lex 7. Cod. Iust. eodem tit.* Iungendaque *huic legi* est *l. 5. supr. de auro coron.* Extat etiam *hac lex* in *corpore Constitution. de Aquæductibus pag. 233. Edit. Polen.* GOTHOFR.

(b) Mala: Reponenda enim hæc Imppp. nomina. *VALENTINIANVS*, Theodosivs *&* *Arcadius?* vide *Chron. Theod.* ID.

(c) Prima hæc *lex* est, quæ *Cynegio PP.* hoc *Cod.* inscribitur. Et sane ante tres Septimanas Postumianus adhuc Præfectus Præt. erat, vt docet *lex 7. supr. de honor. codicill.* ID.

(d) *Et murorum:* hoc amplius in *Cod. Iust.* ex *l. 49. infr. hoc tit.* sed contra veritatem historicam *huius legis.* IDEM.

(e) *Siue*

(e) *Siue extructionem.* Hoc additum *Cod. Iustin. ID.*

(f) Ita quoque *Cod. Iust.* & in *corpore Const. de Aquaduct.* & sustineat quis, repetita ἀπὸ τοῦ κοινοῦ voce *debet.* Sed mallim: *Nec queat quis. ID.*

(g) Alicuius. *ID.*

COMMENTARIVS.

AD publica VRBIS CONSTANTINOPOLITANÆ opera seu ædificia, pertinent deinceps *hoc titulo* quatuordecim sequentes *Constitutiones:* puta, quatuor Theodosii M. *lex 24. 25. 29. 30.* Arcadii quinque: *lex 38. 39. 44. 45. 46.* Theodosii Iun. quinque: *lex 47. 50. 51. 52. 53. seu vltim.* Ex quibus apparet, quam enixum horum trium Principum, (post Constantinum, Constantium, Iulianum, & Valentem) in exornanda vrbe illa studium fuerit, quod alii quoque Scriptores memorant, vti *suo* de singulis *loco* dicitur. Idque partim in excitandis Nouis in ea Operibus publicis, quo pertinet Theodosii M. *lex 24.* & Theodosii Iun. *lex 50. 51.* partim in reparandis veteribus, vel incendio consumptis, quo spectat Theodosii M. *lex 29.* & Arcadii *lex 44.* partim in ornatu vsuque eorum tuendo, ampliandoque: quo pertinet Theodosii M. *lex 25.* & Arcadii *lex 38. 39. 40.* Theodosii Iun. *lex 47. 52.* & *vltim.* denique in ruinis & incendiis auertendis; quo spectat Theodosii Magni *lex 30.* & Arcadii *lex 39.* & *45.*

Cæterum varia Opera publica Vrbis Constantinopolitanæ *hisce legibus* partim nominantur, partim indicantur, nouem scilicet. *Primo*, Portus, *Secundo*, Aquæductus (Theodosiani scilicet) mentio fit *l. 23.* *Tertio*, ad Porticum Senatus pertinet *lex 44.* *Quarto*, ad Porticus Circi *lex 45.* & *46.* *Quinto*, de Palatio est *lex 47.* *Sexto*, de Thermis Honorianis & Porticu earum, *lex 50.* *Septimo*, de Nouo muro, eiusque turribus, *lex 51.* *Octauo*, de Lauacro Zeuxippi & Porticibus eius *lex 52.* *Nono*, de Auditoriis Professorum in Capitolio, Porticibus eius, & exedris, *lex vlt.*

Hæc nostra, vti dixi, est de PORTV & AQVÆDVCTV Theodosiano, ad quorum instaurationem omnes, nullo excepto, operas conferre iubet, Theodosius M. A COLLATIONE, scilicet operarum vel sumptuum, ad opera publica immunitatem, vt cæteroquin nulli, quæcunque tandem dignitas tribuit, seu nullius Dignitatis priuilegio quis ab huiusmodi consortio excusatur, vt *hac lege*, ita rursum *l. 49. infr.* Cassiodorus *V. Var. 9.* consortio inquam, id est, communi onere & communione: Ita ad Portus & Aquæductus Theodosianorum instaurationem nominatim omnes, citra vllam immunitatem, instare iubet *hac leg.* Theodosius M. Anno Domini 384. *Omnes*, inquit, *certatim facta operarum collatione.* Quare neque cuiquam, Iudicum indulgentia, hæc immunitas tribui potest: vt *l. 5. supr.* Neque vlla dignitas excusationem præbet, vt in *huiusce legis* specie, ita & *d. l. 49.* & sic in subitis & extraordinariis huiuscemodi, ac Nobilibus Operibus, de quibus vt *hac leg.* ita & *illa* agitur. Alias enim Senatores ab huiusmodi collatione immunes erant, in specie *l. 7. supr.* & Veterani, *l. 2. supr. de Veteran.* Portum scilicet Constantinopoli Theodosius M. hoc tempore instaurare cœpit: Portum inquam, qui & ideo postea *Theodosianus* vocatus fuit, in *veteri descriptione Constantinopoleos, duodecima regione*, vbi perperam scriptum in nonnullis, *Portam Theodosianam*, loco, *Portum.* Eundem intelligit Themistius *orat. 6. p. 162. Edit. Petau. Flexia 1613. in 8.* (quam hoc ipso Anno 384. habuit.) *Aquaductum* pariter (Valentiacum scilicet) hoc tempore instaurauit Theodosius, vt *hac lex* docet, de quo est quoque *lex 3. 4. infr. de Aquaduct.* Nam postea alium aquæductum idem Theodosius M. instituit, qui *Theodosiacus* vocatus fuit, cuius fit mentio *l. 29.* & *30. supr. de Prætor.* Deque eodem accipio *l. 7. Cod. Iust. de Aquaduct.* de vtroque *l. 6. infr. de Aquaduct.* His duobus scilicet operum publicorum generibus Constantinopolim Theodosius M. inter cætera hoc tempore ornauit: de quo, quam multis, inquam, operibus publicis Theodosius hanc vrbem ornauit, fidem facit quoque præter *hanc legem* & *l. 25. infr.* quod Gregorius Nazianzenus scribit *orat. 25. pag. 435. Edit. Paris & Colon.* quam Theodosio M. imperante habuit, (vt diserte præfert Scholium titulo additum Edit. Richard. Thomsoni) vbi Aquæductum, de quo *hac leg.* diserte memorat, καὶ τὸ ἄπιστον (inquit) τοῦτο ἔργον, ὁ ὑποχθόνιος καὶ ἀέριος ποταμός, *atque hoc incredibile opus, subterraneus nimirum & areus fluuius.* Quibus verbis eleganter & vere Aquæductum describit. Item Portum his verbis διασυρτικῶς: θάλασσαν δὲ ὕπω περιεῤῥήξαμεν ἡμῖν αὐτοῖς, *nec vero nobis adhuc mare in orbem effregimus.* Et Themistius *d. orat. 6. pag. 161. 162. Edit. cit.* (hoc ipso Anno, vti dixi, habita:) & deinceps vetus *Vrbis Constantinopolitana* descriptio, vbi multa Theodosii nomine Opera designantur: quanquam ex his etiam nonnulla sunt Theodosii Iunioris. Ad illorum igitur duorum operum excitationem, instaurationem, omnes sine vlla exceptione, & quidem dignitatis, operas conferre voluit. Atenim idem diuersum aliquid statuit in collatione auri coronarii *l. 5. supr. de aur. coron.* (quæ alioquin *huic* nostræ coniungenda est:) Idem sane in constructione *murorum* a Theodosio Iuniore constitutum, *l. 49. infr.* Quod etiam Tribonianus *huic legi* addendum putauit: pariter vt *hanc legem* porrexit quoque ad *extructionem* nouam operum publicorum illorum.

P. 301 *De* VITIO *operis publici, & vt de eo Curatores operum publicorum, eorumque hæredes teneantur, ad 15. annos vsque.*

XXIV. (a) Idem (b) AAA. Cynegio PF. P. (c)

OMNES, quibus vel Cura mandata fuerit operum publicorum, vel pecunia ad extructionem

nem solito more decreta, (d) vsque ad annos quindecim ab opere perfecto cum suis heredibus teneantur obnoxii: ita, vt si quid vitii in ædificatione infra (e) præstitutum tempus prouenerit, (f) de eorum patrimonio (exceptis tamen his casibus, qui sunt fortuiti) reformetur. (g) Dat. III. Non. Febr. Constantinop. Arcadio A. I. & Bautone Coss. [385.]

NOTÆ.

(a) *Lex 8. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Et *hæc lex* tribuenda est *Valentiniano*, THEODOSIO, *& Arcadio.* ID.

(c) Orientis. ID.

(d) *Credita* in *Cod. Iust.* Ita in *l. 3. supr. de frum. Vrbis Constantinop.* Mutuum appellatur, quod datur mancipibus in coëmptionem frumenti: Estque id proprie Promutuum, quod prorogatur: de quo ad *eam legem* 3. Pecunia scilicet a Magistratibus & Decurionibus *decreto* Ordinis dabatur in Opus publicum. ID.

(e) *Intra.* Cod. Iust. Sed rectum quoque est. ID.

(f) *Peruenerit* Cod. Iust. Sed nostrum istud melius. ID.

(g) *Reformetur*, id est farciatur: vid. *Gloss. Theod.* ID.

COMMENTARIVS.

Vitio Operum publicorum nouiter extructorum (forte in Vrbe Constantinopolitana, quod temere tamen non adsero) occurrit hac constitutione Theodosius M. Anno 385. Cvratores scilicet Operum publicorum eosue quibus pecunia ad extructionem solito more decreta creditaue (vt habet *Cod. Iust.*) est, de vitio operis, (nisi id fortuitum sit) ad quindecim annos vsque tam ipsos quam heredes eorum teneri iubet hac constitutione: Quæ singularis omnino est, & singularem profecto præscriptionem continet quindecim annorum. Quanquam Harmenop. *lib. 3. tit. 8. §. vltim.* decennalis tantum præscriptionis hac parte meminit.

Curatores operum publicorum erant, Mechanici qui a Republ. operi perficiendo præstituebantur; quibusque ad extructionem pecunia decernebatur, qui scilicet impensas operis tractabant. Cuius generis apud Symmachum sunt Cyriades, Auxentius, & Aphrodisius *lib. 4. epist. 71.* & *lib. 5. epist. 76.* & *lib. 10. epist. 38.* & *39.* quibus locis multa ad *huius legis* illustrationem occurrunt: atque inter alia, de Discussoribus extra ordinem missis, qui de vitio Operis quærerent. Hic Curator rursum sub se redemptores habebat, qui Opus faciendum conducebant, quos *Ergolabos* dicebant: cum his Curator negotium habebat, at Respubl. cum Curatore: *l. 2. §. 1. D. de operibus public.* Curator itaque hic de vitio Operis teneatur, nisi si a fortuito casu id vitium procedat. Itaque si quis Opus, quod perfecit, semel *adsignauit*, id est approbauit, deinde id fortuito casu aliquid passum sit, periculum ad eum, qui perfecit, non pertinet: *l. 1. §. vltim. D. de pollicitat.* quæ huc egregie facit, nihil vero ad *titulum, de pollicitationibus*, verum ad officium Curatoris Reipublicæ: qua causa *lex* hæc desumpta ex *libro singulari* Vlpiani *de officio Curatoris Republic.* Neque ipse tantum, sed & heredes ipsius teneantur. Vtrumque hoc ita constitutum, obseruari æquissimum est, eo quod opera publica, vt cætera publica, segnius ferme accurati solent. (Et nihilominus ad priuata quoque opera decennalem præscriptionem, cuius meminit Harmenopulus, pertinere existimem:) Alioquin apud Symmachum *lib. 10. epist. 39.* Cyriades mechanicus pro argumento stabilitatis pontis ædificati, triennii stabilitatem opponebat. *Interea Cyriades V. C. facilem prospectum esse suggessit operis sarciendi, cuius stabilitatem sicut assertum est, hyems tertia non resoluit.*

Tandem illud notandum superest, nisi Cynegii nomen *huic leg.* inscriptum obsisteret, quem vtique PP. Orientis fuisse liquet, *hanc leg.* optime referri potuisse ad eam ipsam Basilicæ Pontisque Romæ discussionem, de qua Symmachus *dictis locis*: Nam & res omnino congruit, & temporis ratio: hoc enim tempore Symmachus P. V. erat.

De priuatis ædificiis non Adiiciendis *seu extruendis ad opera publica Constantinop. & de adiectis, diruendis Theodosii Magni* lex.

XXV. (a) Imppp. Valentinianus, Theod. & Arcadius AAA. Proculo (b) P. V. Constantinop.

Tvrpe est, publici splendoris ornatum, priuatarum (c) ædium adiectione corrumpi, & ea quæ conspicuæ (d) Vrbis (e) decori, vel nostri temporis, vel prioris (f) seculi
p. 393 ætate creuerunt, (g) auiditate cogendæ (h) pecuniæ, sociari. Vnde sublimis Eminentia tua, quidquid talis astutiæ deprehenderit fraude violatum, id si publicis nitoribus faciem

aspectus

aspectus deterioris inducit, siue illud voluntaria (i) præsumptione temeratum est, siue expressam (k) coactis (l) adnotationibus, occasionem fraudis obtinuit, iubebit amoueri: Tuo enim arbitrio relinquimus, a quibus temperandum, quæue diruenda, diiudices. Dat. XVI. Kalend. August. Rom. Timasio & Promoto Coss. [389.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex a Cod. Iustin.* Forte iungenda huic legi *lex 9. supr. de annonis ciuicis*: Concordat sane huic, *l.* 4. & 9. *supr.* & *l.* 38. 39. 46. & 47. *infr.* GOTHOFR.

(b) *Proculo* huic P. V. Constantinopol. inscribitur hæc ipso anno *d. lex 9. supr. de annonis ciuicis*: & plures aliæ hoc anno 389. 391. 392. De eo agit Zosimus *lib.* 4. *cap.* 45. & 52. Chronicon Alexandrin. *An.* 393. *pag.* 708. 709. *Edit. Rader.* Eius fit quoque mentio *l.* 12. *supr. de annonis ciuicis.* ID.

(c) Veluti Tabernarum. ID.

(d) *Conspicua*, λαμπρά. ID.

(e) Intelligit Vrbem Constantinopolitanam. ID.

(f) Sub Constantino M. Constantio, Iuliano, & Valente. ID.

(g) Extructa sunt: quo ipso sensu & *surgendi* vox vsurpatur. ID.

(h) Haud dubio, tabernis ibi positis. ID.

(i) Id est, citra Principis adnotationem. ID.

(k) *al. expressum.* ID.

(l) Id est, extortis. ID.

COMMENTARIVS.

NITORI seu SPLENDORI operum publicorum in Vrbe Constantinopolitana consulit hac constitutione Theodosius M. prohibita priuatarum ædium ad publica opera ADIECTIONE, & si quæ adiectæ, impetrata destructione, arbitrio Proculi P V. Constantinop. Anno D. 389. Scilicet INTERVALLO seu ambitu non nisi certo intermisso, a publicis operibus priuati recte ædificant, *hac leg.* & *l.* 4. 22. *supr. l.* 38. 39. 46. 47. *infr.* Non tantum propter incendiorum metum; ad quam rationem spectat *lex* 4. & *l.* 39. 46. *infr.* Verum etiam propter ornatum publicum, seu publicum nitorem, quo pertinet hæc lex; *Turpe est*, inquit Theodosius hac lege, *publici splendoris ornatum, priuatarum ædium adiectione corrumpi, & ea quæ conspicua Vrbis decori, vel nostri temporis, vel prioris sæculi ætate creuerunt, auiditate cogendæ pecuniæ sociari.* Cui respondet & locus Ammiani Marcellini, quem mox subiiciam. Quare cum publicis vrbium, & quidem summarum, ædificiis priuatæ ædes sæpe adiicerentur, vel voluntaria præsumptione, vel extortis a Principe adnotationibus, atque ita publicus earum ornatus corrumperetur, subinde Principes, atque vtriusque Romæ Præfecti, huic rei occurrendum putauere; inter quos Theodosius M. hac constitutione, vel etiam ipse Proculus Præfectus Vrbis Constantinopolitanæ, vt ex huius constitutionis fine liquet. Ita & Prætextatus Præfectus Vrbis Romæ sub Valentiniano Sen. Anno 367. teste Ammiano Marcellino *lib.* 27. *cap.* 9. *Adolescebat*, inquit, *gloria præclari Rectoris plura & vtilia disponentis. Namque & meniana sustulit omnia, fabricari Romæ priscis quoque vetita legibus: & discreuit ab ædibus sacris, priuatorum parietes iisdem inuerecunde connexos.* Ita & Arcadius *l.* 38. 39. *infr.* & *l.* 46. Eademque ratio in Palatiis *in l.* 47. *infr.* Alia vero ratione coniungere aliquid muris municipalibus vetitum *l.* 9, *in fin. D. de damn. rerum*, nempe tum sanctimoniæ, tum securitatis gratia.

Illud obseruandum, quod *hac leg.* dicitur, priuata ædificia publicis adiecta seu sociata, auiditate cogendæ pecuniæ: Scilicet, vt in aliis vrbibus, ita & in Vrbe Constantinopoli tabernas suas negociatores mercibus suis exponendis huiusmodi locis publicis, multitudine hominum frequentatis, velati foro, de quo est *l.* 22. *supr.* Palatio, quo spectat *lex* 47, *infr.* baloeorum porticibus, *l.* 52. *infr.* sociatas ambinose voluere, auiditate cogendæ pecuniæ: quod & hodie fieri videmus, sic vt magno huiusmodi loca locentur, vendantur. Sic & in pastoforiis seu porticibus Templorum, res sacro vsui destinatas & olim præstitisse, & nunc videmus. Sic & circumiecta adhærentiaque loca Basilicis, vbi iura redduntur, officinis occupantur.

Denique obseruandum, fieri *hac leg.* mentionem Operum publicorum, quibus Vrbem Constantinopolitanam Theodosius M. ornauit; cuius rei fidem facit quoque *lex* 23. *supr.* & vt ad *eam* notaui, Themistius quoque *orat.* 6 *p.* 160. 161. *Edit. Petau. Flexiæ* 1613. *in* 8. Et Gregorius Nazianzenus *orat.* 25. *pag.* 435. *Edit. Paris* & *Colon.* In his sane fuere Portus, Aquæductus, Palatium Theodosianum, Balnea, Porticus, Gymnasia, forum etiam Theodosiacum (cuius mentio fit in vetere Vrbis Constantinopolitanæ descriptione.) Atque eo nomine Themistius Theodosium vel maxime commendat, ea oratione, quam quinquennio ante hanc constitutionem habuit; Anno 374. Eodem pertinet & columna in Hippodromo Constantinopoli extructis Tyrannis erecta a Theodosio M. IVDICE SVA PROCLO, id est, ab hoc ipso videlicet Proculo P. V. cui *hac lex* inscribitur: de qua duæ sunt Inscriptiones, seu duo Epigrammata: vnum Græcum, alterum Latinum in *Corpore Inscriptionum Gruteri CLXXXV.* 6.7. Græcum extat quoque *lib.* 4. ἀνθολογίας: *cap.* εἰς κίονας 17.

De

Ad Clariorvm *vrbium opera absoluenda, quando quibusue conditionibus ex minorum reditu quid vsurpari possit.*

XXVI. (a) Idem AAA. Polemio PF. P. Illyrici (b) & Italiæ.

Qvotiens clariores (c) vrbis, (d) per singulas quasque Prouincias, (e) expensis propriis & vectigalibus (f) maiorem pecuniam, absoluendi cuiuslibet operis necessitate deposcunt, id ex minorum (g) viribus (h) vindicetur: Ita vt non ante poseatur, quam
P. 303 omnis summa, (i) quæ hisdem ex suis compendiis (k) quæri (l) solet instaurandis ædibus, adsumatur. (m) Consequens vero erit, vt in notitiam Serenitatis Nostræ, quotiens habita fuerit hæc vectigalium vsurpatio, deriuetur, (n) quantum fuerit aliunde præsumptum, per quos expensum, quatenus consummatum. Dat. XVII. Kalend. Febr. Med. Valentiniano A. IV. & Neotherio Coss. [390.]

N O T Æ.

(a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iustin.* Concordat huic *l.* 18. *supr.* Antiquari videatur *hac lea*, & *d. l.* 18. per *l.* 48. *infr.* *GOTHOFR.*

(b) De hac *Præfectura Prætoriana Illyrici & Italiæ* dixi plene ad *l.* 2. *supr. de Const. Princ.* Eidem Polemio, PF. P. Illyrici & Italiæ inscribitur *lex* 58. *infr.* hoc ipso Anno. Et *l.* 9. *Cod. Iustin. de off. Rector. Prouinc.* *IDEM.*

(c) Splendidissimæ *l.* 14. *supr.* & *l.* 32 *infr.* Ita Ausonii poëma extat *de Claris Vrbibus.* *ID.*

(d) Pro, *Vrbes.* Intelligit autem Metropolitanas potissimum. *ID.*

(e) Illyrici & Italiæ. *ID.*

(f) De *vectigalibus* his in hac ipsa re *l.* 48. *infr.* *l.* 2. *supr. de sepulcro viol.* Symmachus loco quem mox laudabo. *ID.*

(g) Vrbium. *ID.*

(h) *Viribus*, id est, redditibus: Propria hæc vox *hic*, & *l. vnic. supr. de prab. salar.* (quæ *lea* alloquin iungenda est cum *l.* 6. *supr.*) & apud Symmachum in eadem re, *lib.* 10. *epist.* 10. *Habenda est ratio vectigalium publicorum & lauacri astiui instauratio, cum Reipubl. viribus conferenda, vt si quid redundat expensis cæteris, in sumptum operis conferatur.* *ID.*

(i) Tertia vectigalium, vt *l.* 18. *supr.* 35. 33. 48. *infr.* *ID.*

(k) Vectigalibus. *ID.*

(l) Et sepon. *ID.*

(m) Id est, insumatur. *ID*

(n) *Derinari in notitiam.* *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

Valentiniani Iun. tres ordine de *Operibus publicis* Constitutiones sequuntur. Hæc est de Svmptibvs ad opera clsriorum Ciuitatum. Svmptvs scilicet Reipubl. & vectigalia nominatim (de quibus iam ad *l.* 18. deque iisdem *l.* 48. *infr.* & *l.* 2. *supr. de sepulc. viol.*) si operibus publicis necessariis absoluendis clarioris alicuius Vrbis non sufficiant, e minorum Ciuitatum viribus, id est, reditibus & vectigalibus, adsumi supplerique iubentur, *hac leg.* Valentiniaoi Iun. pariter vt a Valentiniano Sen. *l.* 18. *supr.* Id quod clariorum vrbium dignitati datum. Sub duabus tamen conditionibus.

Prima, vt non ante eo deueniatur, quam exhausta omni summa in ea Ciuitate ex suis compendiis, id est, vectigalibus omnibus instaurandis, seu instituendis ædificiis insumpta. Est hoc scilicet remedium subsidiarium, cui locus non est, nisi solito, solenni, canonico & ordinario deficiente.

Secunda conditio est, vt posteaquam subsidiaria hæc impensa vsurpata fuerit, ad Principem diligenter referatur, quantum fuerit præsumptum, per quos seu in quæ expensum, & quatenus Opus publicum consummatum sit: Scilicet, vt *Clarioribus* per singulas Prouincias *vrbibus* ac Metropolitanis priuilegium hoc tribuerunt Principes, (Valentinianus Sen. *l.* 18. *supr.* & Valentinianus Iun. *hac leg.*) vsurpandi canonis minorum in ea Prouincia ciuitatum, ad exornandam forte Metropolim, quam velut matrem cæteras venerari oportet; suisque adeo reditibus detrahi quid hac occasione minores Ciuitates patienter ferre debent, suasque vires subiicere, vt in cæteris subiiciuntur. Ita id non temere fieri debet, sed duabus illis conditionibus seruatis, ne alioquin hoc ob-

tentu maiorum Ciuitatum exornandarum, minores viribus suis seu reditibus spolientur. Quo ipso obtentu ne ornamentis suis minores spoliarentur, prouisum fuit *l. 1. 14. supr.* & *l. 37. infr.* a Rectoribus videlicet Prouinciarum, aliisue Iudicibus & Magistratibus, quorum partim spoliis, partim negligentiæ, partim profusioni potissima pars *legum hoc tit.* oppositæ sunt: puta, *l. 1. 2. 3. 7. 11. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. hac lex, l. 27. 28. 29. 30. 31. 33. 35. 37. infra.*

De NOVIS *operibus Romæ, non excitandis sumptu publico, sed veteribus reficiendis.*

XXVII. (a) Idem AAA. Albino P. V. Rom.

AVGVSTÆ (b) in partibus (c) ciuitatis magis antiqua reddi conuenit, quam inchoari superuacua. Nosse itaque par est Officium Magnitudinis tuæ, & cæteros, a quibus sumptus huiusmodi (d) operibus de ærario (e) præbebuntur, accepto (f) omnino non ferri, si quis per vsurpationem opus (g) præter conscientiam nostram intra æternam (h) Vrbem voluerit publica conlatione (i) construere. Ideoque summam omnem, quæ illi contra interdictum forte præbebitur, pecunia sua, & propriis facultatibus pendet, (k) sequestrata (l) condemnatione librarum auri decem, quæ plectet sacrilegam (m) contemnentis audaciam. Dat. Prid. Non. April. Med. Valentiniano A. IV. & Neotherio Coss. [390.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iust.* Coniungenda vero ei *lex proxima*, etsi ad alium data sit. GOTHOFR.

(b) Vrbem Romam intelligit. *ID.*

(c) *Partes* Vrbis Romæ. *ID.*

(d) Nouis. *ID.*

P. 304 (e) Populi Romani. Ærarium Vrbis Romæ. *ID.*

(f) Vid. *l. 6. supr.* & *l. 28. infr.* *ID.*

(g) *Supernacuum*, vt *supr.* *ID.*

(h) *Æterna vrbs*, Vrbs Roma: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

(i) Id est, publicis pecuniis & impensis, *ex Ærario*, vt *supr.* *ID.*

(k) Restituet. *ID.*

(l) *Sequestrata* condemnatione, id est, præter condemnationem. *ID.*

(m) *Sacrilegium* est, publicas pecunias in superuacua insumere. *ID.*

Idem, de NOVIS *Operibus intra PP. Illyrici & Italiæ.*

XXVIII. (a) Idem AAA. Polemio PF. P. (b) Illyrici & Italiæ.

SI quis (c) nouum opus in qualibet (d) ciuitate sustollere (e) audacius, (f) quam consultius molietur, de proprio se conlaturum sumptus, & perfecturum quod cœperit noscat. Nihil quippe Dispensatoribus (g) ex hoc vsu feremus accepto: (h) & (i) contra, Officium, adque ipsum Iudicem auri pondo dena constringent: vt saltem metu, (k) quod facere sponte debuerant, reficiendis vetustioribus inpendant laborem. Dat. Prid. Non. April. Med. Valentiniano A. IV. & Neotherio V. C. Coss. [390.]

NOTÆ.

(a) Iungenda, vti dixi, *lex superior*, cuius eadem sententia est, etsi ad alium data sit. GOTHOFR.

(b) Dixi de hoc Polemio PP. ad *l. 26. supr.* *ID.*

(c) Iudex scilicet. *ID.*

(d) Illyrici vel Italiæ. *ID.*

(e) Extol-

(e) Extollere. *ID.*

(f) Vt *l. prox. supr. Sacrilegam contemnentis audaciam. ID.*

(g) Id est iis, a quibus sumptus Operibus de Ærario præbentur: vt *l. prox. supr. ID.*

(h) Vt *l. 6.* & *l. prox. supr. ID.*

(i) *vg. E contra. ID.*

(k) Vt *l. 1. §. 1. D. de Iust. & Iure: Bonos metu pœnarum efficere cupientes. ID.*

COMMENTARIVS.

NOva opera a Iudicibus quibuscunque, vt in Vrbe Roma *l. 27.* ita & per Illyricum & Italiam, *l. 28.* a Theodosio M. & repetita sanctione *l. 31. infr.* excitari prohibentur; vt a Valentiniano Sen. *l. 19. supr.* Pariter vt a Valentiniano Sen. *l. 11. supr.* ex Ærario scilicet Vrbis Romæ, & reditibus Rerumpubl. *Ærarii* scilicet vox Romano propria; vectigalium, pensiooum, reditnuum, Rebuspubl. & Ciuitatibus aliis. Contra Vetera resici seu reddi a Iudicibus iubentur. Et hæc quidem ita coostituta: Tum ne nouis ædificiis reditus publici exhauriantur, tum ne vetera posthabeantur, quod vtrumque ab ambitione Iudicum nouitatis gloriam & industriam captantium, iam passim fiebat. Eum in finem tria *bis duabus legibus* constituuntur, seu triplici metu Iudices compescuntur. I. Primum est, quod suo sumptu nouum Opus cœptum atque inchoatum perficere cogendi sunt: quod & ipsum statuit *l. 31. infr.* II. Secundo, quod dispensatoribus pecunia publica in huiusmodi Opus erogata accepto ferenda non sit: eum alioquin, quæ Operibus publicis impensa constiterit, accepto ferri oporteat; *l. 6. supr.* vbi dixi: Et hæc duo, quæ dixi, repetita sanctione iterantur, *d. l. 31. infr.* III. Tertio, multa Iudici, eiusque Officio imponitur, decem librarum auri, hanc iussionem contemnentibus. Porro sicut Iudicibus seu Rectoribus Prouinciarum, per Illyricum & Italiam fibula imponitur *hac leg.* & *l. 26.* quæ ad Polemium PP. Illyrici & Italiæ datæ sunt, Anno Domini 390. ita & eodem Anno ad eundem Polemium PP. Illyrici alia fibula imponitur *l. 9. Cod. Iust. de Offic. Rector. Prouinc.* puta, vt ne Augustissimam Vrbem iniussu Principis adire audeant.

De Novis *operibus a Iudicibus non excitandis.*

XXIX. (a) Imppp. Theod. Arcad. & Honor. AAA. Aureliano P. V. (b)

NE quis Iudicum (c) noua ædificia moliatur, cum opera nonnulla, aut cœpta penderent, (d) aut neglecta (e) putarent. Dat. III. Kalend. Mart. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem *huic legi* est *lex prox.* ac præterea sex aliæ constitutiones, puta *l. 3. supr. de Constit. Princ. l. 1. supr. de præd. Senator. l. 26. supr. de Prætor. l. 130. 131. 132. supr. de Decurion.* GOTHOFR.

(b) Ita quoque pleræque *prædictarum legum* habent: Sed aliæ habent PF. P. vt *d. l. 131. 132. supr. de Decurion.* Qua de re dixi ad *d. l. 3. supr. de Constitut. Princip. l. 1. supr. de præd. Senator. l. 131. supr. de Decurion.* IDEM.

(c) An qui sub P. V. dispositione erant in Vrbe Constantinopolitana? an qui sub PP. *ID.*

(d) Id est, nondum absoluta essent. *ID.*

(e) Id est ruinosa. *ID.*

COMMENTARIVS.

P. 305 NOva Opera extruere Iudices a Theodosio M. *hac leg.* vetantur, nisi prius iis, quæ cœpta sunt, absolutis: Item, quam reparatis veteribus, de quo iam toties ad *leges superiores*: vide saltem *l. 21. supr.* Cæterum, ex ipsa temporum horum ratione, & coniunctione tot *illarum*, quas modo notaui, *legum*, colligere licet, prauum hac quoque parte morem, qui sub Tatiano PP. vel sub Proculo P. V. inoleuerat, *hac leg.* emendari. De quo Proculo dixi ad *l. 25. hoc tit.* & ad *l. 3. supr. de constit. Princ.* quæ *huic*, inter cæteras, iungenda est.

RVINA *aliarum domorum publica noua opera quando excitari possint.*

XXX. (a) Idem AAA. Aureliano P.V. (b)

SI quando concessa a nobis licentia fuerit extruendi, (c) id Sublimis Magnificentia tua sciat esse seruandum, vt nulla (d) domus inchoandæ publicæ fabricæ gratia diruatur, nisi vsque ad quinquaginta libras argenti pretii æstimatione taxabitur: De ædificiis vero maioris meriti (e) ad Nostram Scientiam referetur, vt vbi amplior poscitur (f) quantitas, Imperialis extet auctoritas. Dat. III. Kalend. Mart. Constantinop. Theod. A. III. (g) & Abundantio Coss. [393.]

NOTÆ.

(a) *Lex 9. Cod. Iust. eod. tit.* Quænam autem *leges* huic iungendæ sint? ad *l. superiorem* iam dictum est, quæ & ipsa *huic* iungenda est. Concordat quoque *l. 19. supr.* huic *legi.* *GOTHOFR.*

(b) Ita quoque in *Cod Iust.* *IDEM.*

(c) Publicam fabricam scilicet: vt mox. *ID.*

(d) Etiam priuata. *ID.*

(e) *Pretii* Cod. Iust. *ID.*

(f) Ita quoque *Cod. Iust.* Sed malim, *noscitur*. Quanquam & illud sustineri potest. *ID.*

(g) Incidunt in hunc annum Theodosii *Quindecennalia*, quorum beneficio & hæc & lex superior illustrari possunt. *RITTER.*

COMMENTARIVS.

RVINA, seu destructione, (& sic nuditate, spoliatione) aliarum ædium noua opera publica, permissu Principis (nam id *hac leg.* requiritur, pariter vt *l. 11. 27. supr.* & *l. 31. 37. infr.*) extrui vetat *hac leg.* Theodosius M. quod & ipsum vetuerat Valentinianus Sen. *l. 19. supr.* Vbi plura iam diximus. Et modus tamen quidam huic rei *hac leg.* adhibetur. Licentia quippe Operis publici noui extruendi facta a Principe, alicui forte Præfecto Prætorio, vel Præfecto Vrbi, permittitur *hac leg.* eas domos publici operis gratia diruere, quæ non excedunt æstimationem quinquaginta librarum argenti, id est, ducentos quinquaginta solidos. Nam libra argenti æstimatur quinque solidis, vt docuit *lex vnic. supr. de argent. pret. quod thes. inf.* & *l. 13. supr. de Tyronibus,* collata cum Symmacho *lib. 6. epist. 62. & 64.* Itemque *l. 8. supr. de desertoribus.* Si maioris sint *meriti*, id est pretii, citra Principis auctoritatem id fieri non potest.

Obseruetur itaque, ea ædificia maioris meriti visa, quæ excederent quinquaginta libras argenti, seu ducentos quinquaginta solidos: Minoris vero meriti, quæ intra eam summam consisterent: In alia vero re Libræ *200.* pro magna summa habentur: vt in *spec. leg. 49. de appellat.* Alia exceptio, seu limitatio continetur *l. 37. infr.* Interim ex his apparet, quàm male Interpretes *hac leg.* abutantur, ad firmandam eam sententiam, quod publici operis gratia priuati domos suas vendere, & relinquere cogantur: de quo certe sunt *l. 50. 51. vlt. infr. hoc tit.* & *l. 1. infr. de Aquaductu.*

Aduersus geminam Iudicum AMBITIONEM, *circa* INSCRIPTIONES & MOLITIONES *nouas Operum publicorum.* *Theodosii Magni* lex.

XXXI. (a) Idem AAA. Rufino PF. P. (b)

SI qui Iudices perfecto (c) operi suum potius (d) nomen, quam Nostræ Perennitatis scribserint, Maiestatis teneantur obnoxii. Illud * etiam repetita (e) sanctione decernimus, Vt nemini Iudicum liceat nouis molitionibus (f) industriæ captare famam. Quod si quis in administratione positus sine iussu nostro ædificii alicuius iacere fundamenta temptauerit, is proprio sumptu etiam priuatus perficere cogetur, quod ei non licuerat inchoare: Nec Prouincia permittetur abscedere, priusquam ad perfectum (g) manucœptum (h) perduxerit: & si quid de quibuslibet publicis titulis in ea ipsa fabrica præcepto eius impensum fuerit, reformarit. (i) Dat. (k) III. Non. Iul. Constp. Arcadio III. & Honor. II. AA. Coss. [394.]

NOTÆ.

P. 305

N O T Æ.

(a) Prima tantum *huius leg.* ſententia in *Cod. Iuſt.* relata eſt, puta in *l.* 10. *Cod. Iuſt. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Oricoris. *ID.*

(c) *Publicis pecuniis:* hoc additum a Triboniano. *ID.*

(d) *Suum nomen ſine noſtri Numinis mentione inſcripſerint:* Ita *Cod. Iuſt.* de quo mox. *ID.*]

* Cætera deſunt a *Cod. Iuſtin.* *ID.*

(e) Nam hoc ipſum iam ab eodem Theodoſio prohibitum: *l.* 27. 28. *ID.*

(f) *Molitiones,* pro ædificiis & operibus publicis: vid. *Gloſſ. Theod.* *ID.*

(g) Id eſt, ad finem & ἀποτέλεσμα. *ID.*

(h) *Manucœptum,* vnica voce. Niſi malis, *ad perfectam manum, cœptam perduxerit:* verum prius illud malo. *IDEM.*

(i) Id eſt reſtituerit. *ID.*

(k) Niſi *data,* pro *accepta* accipias, tum dies *huic legi* ſubſcriptus, vel locus vitioſus fuerit: iam enim Theodoſius in Eugenium moturus Conſtantinopoli digreſſus fuerat, vt docet ſubſcriptio *l.* 18. *ſupr. de cohortalib. l.* 27. *infr. de Heretic. l.* 12. *infr. de Scenic.* Niſi forte *hæc lex,* pariter vt *lex* 24. Arcadio tribuatur, quod non puto, propter illa, *repetita ſanctione,* quæ omnino Theodoſium auctorem arguunt. *ID.*

COMMENTARIVS.

Ivdicvm, id eſt Rectorum Prouinciarum in adminiſtratione poſitorum (vt *verſ. Quod ſi quis,* dicitur) ambitioni ſeu præſumptioni geminæ circa opera publica hac Theodoſii M. conſtitutione occurritur. Prima Iudicum præſumptio ſeu ambitio eſt circa Inscriptionem Nominis Operi publico. Nempe eo audaciæ deuenerant nonnulli Iudicum, vt operi publico, publicis videlicet pecuniis (quod Iuſtinianus addidit, propter *l.* 2. 3. *in fin. l.* 7. *in fin. D. eod. tit*) perfecto ſeu extructo, ſuum potius nomen quam Imperatoris inſcriberent. Vbi *Potius* θετικῶς accipiendum eſt, id eſt, ſuum nomen inſcriberent tanquam Conditorum, obliterato Imperatorum nomine, quorum diſpoſitioni meritoque Opus publicum adſcribi oportebat inter cætera Imperii decora. Herbis igitur iſtis Parietariis, ſeu Parietinis id *hac leg.* interdicitur. Iudicis eiuſdem nomen, quo curante Opus factum eſt, inſcribi iure poteſt, ſed non tanquam conditoris, vel ſolum, quod *hac leg.* prohibetur: vnde Tribonianus hæc *huius legis* verba ita recte refinxit; *ſuum nomen ſine noſtri Numinis mentione inſcripſerint,* Quod & iam ab antiquo prohibitum fuit, alterius, quam Principis, vel priuatorum quorum pecunia opus excitatum fuit, inſcribi nomina non licere, vt docet Macri *l.* 3. *in fin.* & Modeſtini *l.* 4. *D. de operibus public.* ſic vt non liceret Præſidi nomen ſuperſcribere. *Superſcribere* dixit Modeſtinus pro inſcribere, ὑπεργράφεσθαι, id eſt tanquam conditorem inſcribere. Breuiter, inſcribi poteſt quoduis nomen, non tanquam conditoris, ſed tanquam Curatoris: Quo pertinet etiam inſignis Ammiani Marcellini locus *lib.* 27. *cap.* 3. de Lampadio P. V. Romæ: *Vanitatis,* inquit, *eius exemplum, ne latius euagemur, hoc vnum ſufficiet poni, leue quidem, ſed cauendum iudicibus. Per omnia enim Ciuitatis membra quæ diuerſorum Principum exornarunt impenſæ, nomen proprium inſcribebat: non vt veterum inſtaurator, ſed conditor. Quo vitio laboraſſe Traianus dicitur Princeps, vnde eum Herbam Parietinam iocando cognominarunt.* Vanitatis igitur & ambitionis argumentum iſtud in Iudicibus fuit. Quomodo & in Principibus notatum: in quibus econtra modeſtiæ id, & ciuilitatis ſignum fuit, ædes publicas inſtaurare, nuſquam nomine ſuo inſcripto ſeruatiſque vbique titulis Conditorum. Quod de Seuero Imp. memorat Spartianus *in vit. c.* 23. Quo loco reſcribo *Magnum vero illud in ciuilitate eius,* pro quo hactenus legitur peſſime *in ciuitate eius:* quod etiam non mutem *in vita* eius. *Ciuitatis* enim vox hac in re propria, quod notiſſimum. Ita Alexander Seuerus quoque pontibus Traiani a ſe inſtauratis, nomen Traiani reſeruauit teſte Lampridio *in vit. c.* 26. *in fin.* Imo & eo ciuilitatis quidam Imperatorum proceſſere, vt neque in ſuis quoque Operibus titulos amarent, quod Spartianus de *Hadriano* ſcribit *cap.* 19. 20. Quandoque tamen extra ordinem id Magiſtratibus nonnullis permiſſum, vt videlicet operi ex eorum nomine titulus ſcriberetur, ſtudio augendæ Vrbis, quod factum a Conſtantio Imp. Anno 361. *l.* 13. *ſupr. de Prætor.* ibi: *hac pollicitatione dumtaxat vt eidem operi ex eius nomine titulus ſcribatur,* vbi vide quæ dixi. Et hæc de prohibitione quæ *huius leg.* initio continetur: vbi & pœna notanda, *Maieſtatis* videlicet crimini factum, quod hic improbatur, imputari: *Maieſtatis* ſcilicet crimen eſt ea vſurpare quæ ſoli Principi reſeruata ſunt: quod aliis exemplis, vel *hoc Codice* firmatur: de quo vid. *Paratitlon, ad l. Iul. maieſtatis.* Non omittendus hic obiter locus Baſilii *in Pſalm.* 48. de huiuſmodi operum inſcriptionibus *num.* 7. *pag.* 184. *Tom. I. Oper. Edit. Benedictin.* οὐχ ὁρᾷς τοὺς οἰκοδομοῦντας ἐν ταῖς πόλεσιν ἀγορὰς καὶ γυμνάσια, τείχη ἀνιστῶντας, ὑδραγωγοὺς ἐπισκευάζοντας, πῶς τὰ ὀνόματα αὐτῶν τούτοις ἐπικέκληται τοῖς γηΐνοις κατασκευάσμασι; *non vides eos, qui ædificant in vrbibus fora ac gymnaſia, exſtruunt mœnia, aquæductus conſtruunt, quomodo eorum nomina his terrenis indita ſint ædificiis?* Nempe priuatis de ſua pecunia opus aliquod molientibus, ius & mos fuit, nomina ſua inſcribere.

Secunda Iudicum præſumptio, cui a Theodoſio M. hac repetita ſanctione occurritur eſt, Novorvm operum abſque Principis iuſſu, neglecta veterum reparatione, excitatio; repetitis iiſdem pœnis, quæ iam *l.* 27. 28. conſtitutæ fuerant. I. Nempe refundendæ eius pecuniæ ſumptuſue, quod ex impenſis publicis in id erogatum fuerit. II. Cœpti Operis propriis impenſis abſoluendi, quod & ipſum cauetur *d. l.* 27. *ſupr.* III. Eo fine (quod Tertium nunc primum conſtituitur) Iudices Prouincia ſua ante excedere prohibentur, quam vtroque præſtito, puta refuſa pecunia, cœptoque opere abſoluto. Haud abſimili exemplo Duces, qui ſuæ adminiſtrationis

tionis tempore neglexerint in limite sibi commisso veteres Turres reficere, nouasque locis opportunis extruere, finita administratione ad limitem reuocari iussi, *l. 13. supr.* Haud absimili plane exemplo alia in re, Iudices Prouinciarii finita administratione, excipiendis Prouinciarum querelis in Prouincia certo dierum spatio commorari cogebantur, neque ante Prouincia discedere poterant: de quo dictum fuit ad *l. vlt supr. de Assessor.* vide & *Nouell.* Valentiniani *inter Theodos. 23. in fin.* & *tit. Cod. Iust. vt omn. Iud.* vt hic absoluendis operibus publicis a se excitatis citra Principis arbitrium.

P. 307 *De* REDITVVM *Reipublicæ tertia parte affectata ad reparationem Operum publicorum & succensionem Thermarum.*

XXXII. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Eusebio Consulari (b) Siciliæ.

NE splendidissimæ vrbes, vel oppida, vetustate labantur, de reditibus fundorum iuris Reipublicæ tertiam partem reparationi publicorum mœnium, (c) & thermarum (d) subustioni (e) deputamus. (f) Dat. XI. Kalend. Iul. Med. Olybrio & Probino Coss. [395.]

INTERPRETATIO. *Quotiens ædificia vetustate consumpta necesse fuerit reparari, ad ipsam reparationem tertiam partem de proprio fiscus impendat.*

NOTÆ.

(a) *Lex 11. Cod. Iust. eod. tit.* Concordat huic *l. 18. supr. l. 33. & 48. infr.* GOTHOFR.

(b) In *Cod. Til. & Edit. in Quarto* C. S. L. & expressius adhuc in *Cod. Iust.* COMITI *Sacrarum largitionum*, procul dubio recte, non (vt hic habetur) *Consulari Siciliæ* errore nato ex *Notis.* ID. Sichard. habet, *Eusebio Cons.* & MS. G. *Eusebio Comiti Siciliæ.* RITTER.

(c) De hac *Mœnium* voce, mox. GOTHOFR.

(d) Vide quæ scripsi, ad *l. 131. supr. de Decurionib.* quæ & ipsa est de calefactione Thermarum. ID.

(e) Male in Iust. *substitutioni*; alii libri melius, *substructioni*, de quo mox. ID. *Substitutioni* MS. G. & Sichard. RITTER.

(f) Exemplo Valentiniani Sen. vt idem Honorius profitetur *l. prox. 33.* GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

SVMPTVS sartis tectis Operum publicorum e tertia parte red tuum fundorum iuris Reipubl. hac Honorii constitutinne, & rursum *l. 33. prox.* (exemplo scilicet Valentiniani Senioris, cuius est ea de re *l. 18. supr.*) deputantur. Denique tertia pars redituum Reipublicæ operibus publicis destinata erat. Redituum inquam, qui ex fundis ad Rempubl spectantibus (de quibus *suo titulo lib. 10. & 11.*) quotannis colligebantur, seu qui ex locis fundisque Reipubl. quotannis conferri solebant, vt loquitur *d. l. prox.* Reparationi inquam publicorum mœnium, id est operum & ædificiorum publicorum, vt quoque *l. 1. supr. l. 33. 39. infr. l. 3. supr. de calc. coctarib.* eodem sensu apud Victorem Schotti *in Commodo cap. 17. Mœnia Romana potentia vix digna lauandi vsui instituit.* Et Aggenus in Frontin. *p. 74. Edit. Rigalt.* & *pag. 58. Edit. Goes. In tutelam rei vrbanæ assignata sunt sylua, de quibus ligna in reparationem publicarum mœnium traherentur.* Nam publica mœnia dixit Aggenus, quæ Frontinus ipse *p. 55. Edit. Rigalt.* & *pag. 41. Edit. Goes.* publica opera. Symmachus *lib. 10. epist. 34. Me cultum spoliatorum Mœnium inuestigare iussistis.* In quibus locis explicandis, interpretandis, Viri docti frustra sudarunt. Ambrosius *epist. 14. ad Marcellinam sororem, pag. 207. Tom. V. Oper. Edit. Paris. 1614. Ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ; publicorum tibi* (Imperator) *mœnium ius commissum est, non sacrorum.* Omitto alia. Neque tamen diffiteor & ipsos muros hac appellatione venire. Reparationi publicorum mœnium additur *hac lege*, *Thermarum subustio.* Hi scilicet duo expensarum tituli & præcipui quidem per vrbes splendidiores oppidaque fuere: Reparatio, inquam, Operum publicorum, & subustio Thermarum. *Subustio*, inquam, si recte habet *hac leg* id est, balnearum publicarum calefactio, & vt Basilica habent ἔγκαυσις, vt monuit iam Cuiacii XVIII. *Obseru. 37.* quem secutus quoque postea Leonclauius, *Notator. lib. 2. p. 354.* Ammianus Marcellinus dixit *succensionem*, initio *lib. 31. Mandautum*, inquit, *congeri ligna ad Valentini lauacri succensionem:* de qua Thermarum calefactione vide & *l. 131. supr. de Decurionibus:* vbi fusius dixi, & *l. 1. §. 2. l. 18. §. 5. D. de Munerib.* vide & *Paratitl. supr. lib. 14. de Mancipib. Thermar.* Et ita quidem vox *subustioni* hic defendi potest: Et tamen nonnulli *Codices* Iustinianei probabiliter hic habent *substructioni:* proba enim hæc vox hac in re. *Glossar.* ὑποράπτω οἰκοδομήν, *substruo, resarcio. Substructiones* (nam ita ibi legendum) ὑπαραφαί. Item *substructiones*, ἐπισκευαί. *Substructio* est fabrica & refectio. Nempe Thermarum substructio, instauratio,

alter

alter titulus est expensarum in publica opera sarta tectaque: Symmachi locus huc facit *lib. 10. epist. 10. Habenda est ratio vectigalium publicorum & LAVACRI astiui INSTAVRATIO cum Reipubl. viribus conferenda, vt si quid redundat expensis ceteris in sumptum OPERIS conferatur.* Sic quoque hæc duo iunguntur apud eundem Symmachum *lib. 10. epist. 53. Ne commoda populo Romano ciuitas qua LAVACRIS publicis ligna & calcem reparandis MOENIBVS subministrat.* Ad huius tandem *legis* argumentum facit quod Theodoricus Rex apud Cassiodorum *II. Variar. 37. Spoletinis ciuibus ad EXHIBITIONEM Thermarum supra consuetudinem aliam millenam deputari iubet.* Duplici igitur huic vsui tertia ciuilium redituum pars ab Honorio *hac leg.* deputatur, quomodo & eam deputauerat Valentinianus Senior *d. l. 18. supr.* & rursum postea idem Hoootius *seg. prox. 33.*

P. 308 *De* SVMPTIBVS *ad reparationem Operum publicorum ex sola tertia ordinariorum redituum Reipubl. parte, non ex* SVPERINDICTIONIBVS *sumendis.*

XXXIII. (a) Idem AA. Haue Vincenti (b) K. NB.

PRÆCIPVA nobis cura est, ne, aut prouinciales nostri superindictionibus (c) prægrauentur, aut opera publica pereant vetustate conlabsa. Singuli igitur Ordines (d) ciuitatum ad reparationem (e) mœnium (f) publicorum nihil sibi amplius nouerint præsumendum, præter tertiam portionem eius canonis, (g) qui vt (h) locis fundisque Reipublicæ quotannis (i) conferri solet: sicut Diui Parentis (k) nostri Valentiniani (l) Senioris deputauit auctoritas. Dat. III. Non. Iul. Med. Olybrio & Probino CONS. [395.]

NOTÆ.

(a) *Lex 3. Cod. Iust. de diuers. Præd. Vrb.* hinc decurrata est. *GOTHOFR.*

(b) *Vincentius* hic Præf. Prætorio Galliarum fuit, de quo alibi dixi: vide & *Indicem personarum.* *ID.*

(c) De *superindicto*, vide *supr. tit. 6. lib. 11.* *ID.*

(d) *Ordines*, id est, Ciuitatum Curiæ. *ID.*

(e) *Restaurationi*, Cod. Iust. *ID.*

(f) Id est, Operum publicorum: vide dicta ad *l. 1. & 32. supr.* *ID.*

(g) *Canonis, hac leg.* & *l. 18. supr.* id est reditus, vt *l. 32. supr.* pensiones, *d. l. 18.* vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

(h) *Ex*, Cod. Iustin. *ID.*

(i) *Annua præstatione*, ita *Cod. Iustin.* *ID.*

(k) De hac *Parentis* appellatione dixi ad *leg. vnic. supr. de actlon. cert. temp. fin.* *ID.*

(l) Intelligit *leg. 18. supr.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE SVMPTIBVS ad sarta tecta Operum publicorum per Ciuitates, est hæc rursum Honorii Imp. constitutio. Qua vt tertiam partem integram Canonis, qui ex locis fundisque Reipubl. colligitur, sartis tectis solis deputat, exemplo Valentiniani Sen. *l. 18. supr.* quomodo & *l. supr. 32.* sartis tectis & subultioni Thermarum eam deputauit. Ita vice versa eo nomine quicquam a Prouincialibus exigi vetat. Eadem scilicet prouidentia curaque (quam & ipse præcipuam sibi esse eleganter profitetur) & sartis tectis reditu sufficienti consulens, ne alioquin vetustate collapsa pereant, & indemnitati prouincialium, ne alioquin prouinciales superindictionibus collationibusque ad sarta tecta prægrauentur. *Præcipua*, inquit, *nobis cura est, ne aut prouinciales nostri superindictionibus prægrauentur, aut Opera publica pereant vetustate conlapsa.* Ex *hac* interim *lege* appatet, vectigalia Rerumpublicarum seu ciuitatum ex parte e locis fundisque Reipubl. collecta, & annuatim quidem.

De MVRIS *per singulas ciuitates Orientis excitandis, vel renouandis: deque modo* COLLATIONIS *ad id Arcadii Imp.* lex.

XXXIV. (a) Idem AA. Cæsario PF. P. (b)

OMNES Prouinciarium Rectores literis (c) moneantur, Vt sciant, Ordines (d) adque (e) incolas vrbium singulârum, muros, vel nouos debere facere, vel firmiûs veteres

renouare:

renouare: Scilicet hoc pacto inpendiis (f) ordinandis, vt adscribtio (g) currat (h) pro viribus (i) singulorum: Deinde (k) scribantur (l) pro æstimatione futuri operis territoria (m) ciuium, ne plus poscatur aliquid, quam necessitas imperauerit: neue minus, ne instans (n) inpediatur effectus. Oportet namque per singula (o) iuga certa quæque (p) distribui, vt par cunctis præbendorum sumptuum necessitas inponatur. (q) Dat. IX. Kalend. April. Arcad. IV. Honor. III. AA. Coss. [396.]

NOTÆ.

(a) *Lex 12. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) *Cesarius* PP. Orientis sub Arcadio Imp. vid. *Prosopogr.* *ID.*

(c) Tuis scilicet seu a te PP. sub cuius videlicet dispositione Rectores Prouinciarum erant. *ID.*

(d) *Ordines* vrbium, Curiæ seu Decuriones: vid. *supr. tit. de Decurionib.* *ID.*

(e) His duabus appellationibus tota Ciuitas compreheoditur, *Ordinis*, inquam, & *incolarum*. Alioquio tribus designatur, *Decurionum, Honoratorum, Possessorum*. *ID.*

(f) *Impendiis*, id est, impensis, id est, sumptibus, vt *infr.* *ID.*

(g) *Adscriptio*, id est, indictio: vid. *Gloss. Theod.* & *supr. tit. de Annon. & tribut.* Sic mox *infr. scribantur.* *IDEM.*

(h) *Currere* dicitur adscriptio, quæ per singulos fit. *ID.*

(i) Id est, *viribus*, facultatibus: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

P.309 (k) Ita quoque est in *Cod. Iust.* Neque autem in *proinde*. *ID.*

(l) *Adscribantur*: Cod. Iust. vt supr. *adscriptio*. *ID.*

(m) *Territoria*, & vt mox vocantur, *iuga*, pro agris priuatorum, vt & *l. 186. supr. de Decurion*, vbi dixi. Vide & Siculum Flaccum, & alios. *ID.*

(o) *Instans*, id est, qui imminet, necessarius. *ID.*

(o) *Non sterilia*, hæc limitatio, hic modus additus *Cod. Iust.* *ID.*

(p) vt. *queque*, non vt io Cod Iust *queque*. *ID.*

(q) *Nemine excusatione, vel alia præsumptione, ab huiusmodi immunitate* (necessitate) *præbenda*: hæc addita in *Cod. Iust.* ad maiorem lucem, ex *Nouella* Valeotioiani 40. *inter Theodos. de Pentapol.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE MVRORVM per Cioitates singulas siue constructiooe, siue instauratione, est hæc Arcadii Imp. coostitutio, Anno D. 396. qua iubet is, per singulas ciuitates (Præfecturæ scilicet Prætorianæ Orientis) qua nouos muros excitari, qua veteres renouari firmarique; ob *instantem* scilicet vtilitatem, seu oecessitatem aliquam; Proculdubio aduersus impetus hostiles, cuiusmodi fuerunt hoc tempore Hunnorum; Auctor enim est Claudianus, *in Rufinum 2. v. 28 seqq.* Zosimus *lib. 5, c. 20. 21.* Socrates *lib. 6. cap. 1.* & Sozomenus *lib. 8 cap. 1. & 25.* Philostorgius *lib. 11. cap. 8.* Hunnos quasdam Orientis partes, & in his Armeniam, Meliteneo, Euphratensem, Syriam Cœlen, Ciliciam; immittente, vt credebatur, Rufino, his ipsis temporibus incursasse. Quo etiam pertinet *l. 15. supr. de re milit.* quæ inscripta est *Remisthe o Duci Armeniæ*, cui eidem roscribitur & *lex 57. supr. de cursu publico.* Cuiusmodi item fuerunt hoc ipso ferme tempore in Libya Pentapolitana & Ægypto Mazacum & Ausurianorum motus; teste Synesio *epist. 129.* & *in Catastasi init.* & Philostorgio *lib. 11. cap. 8.* vbi etiam Ciues intra muros & mœnia Ciuitatum continere se iussos coactosque scribit Syoesius *in d. Catastasi*, & *epist. 129.* His igitur irruptionibus, ac nominatim priori, Rufino iam cæso, & Cæsario ei in Præfectura suffecto, (cui *lex* hæc inscribitur) Arcadius hac inter alias ratione hostibus instantique periculo occurrendum putauit, muris videlicet qua veteribus reparari, qua nouiter extrui iussis: idque ex *Collatione* Decurionibus & iocolis vrbium singularum seu possessoribus ind cta. De qua collatione ad Opera publica sunt præterea *hoc tit. lex 5. 7. 17. 23. supr.* Ac nominatim quoque ad murorum constructiooem *l. 49. infr.* repetita *l. vltim. infr. de equor. conlat.* quæ Theodosii Iunioris filii eius est; cui idem in hac ipsa specie constructionis murorum ob oecessitates Illyricianas placuit. De qua collatione pro reparatione murorum est quoque locus apud Cassiodorum *IX. Var. 14.*

Porro collationis istius formam nominatim Arcadius *hac leg.* præscribit, idque duplici fine; tum vt ne quid instanti operi deesset, tum ne Curiales & possessores inique grauarentur. Nempe 1. futuri prius operis æstimationem iniri iubet, id est, quanta pecunia ad opus seu murorum extructionem & reparationem opus sit. Quod & cæteroquio in commune ædificantis cuiusque prudentiæ esse monet vel sacra Scriptura. At in hoc casu, ideo ne plus minusue a possessoribus poscatur. 2. Deinde adscriptionem seu indictionem fieri iubet, pro viribus & facultatibus singulorum, & pro modo iugorum terræ, seu territoriis Ciuium: vt ita *par cunctis præbendorum sumptuum necessitas imponatur.* De qua collationum forma & æquabilitate io genere, suo loco *lib. 11.* vt & de oullo excusaodo a murorum reparatione, vid. *Nouellam* Valentiniani *inter Theodosianas de Pentapolis 40. in fin.* quod exinde Tribonianus in *leg.* ex *hac* desumptam retulit.

NEGLI-

Negligentiam *Iudicum in reparandis Operibus publicis quatuor generum, annis ab hinc 17. plectit Arcadius* hac leg. *reparationis necessitate bis de suo impacta.*

XXXV. (a) Idem AA. Cæsario PF. P. (b)

Qvidqvid de Palatiis, (c) aut Prætoriis (d) Iudicum, aut Horreis, (e) aut Stabulis (f) & (g) receptaculis animalium publicorum, ruina lapsum fuerit, id Rectorum facultatibus reparari præcipimus, qui a Primo (h) Consulatu Diui Genitoris (i) nostri, vsque ad præsens tempus, gesserunt Iudiciariam potestatem. PP. Regio, (k) Arcad. IV. & Honor. III. AA. Coss. [396.]

N O T Æ.

(a) Abest *hec lex* a *Cod. Iustinianeo.* GOTHOFR.

(b) Orientis. IDEM.

(c) De *Palatiis* dixi *tit. Nequis in Palatiis:* vid. & *l.* 47. *infr.* & *l.* 2. *infr. de Aqueduct.* ID.

(d) De *Prætoriis* Iudicum dixi ad *l. vlt. supr. de Offic. Iud. omn.* vid. & *l.* 8. *supr.* ID.

(e) De *Horreis* dixi *tit. de cond. in publ. horr.* vid. & *l.* 12. & *l.* 17. *supr.* ID.

(f) De *Stabulis* seu receptaculis animalium, vide & *l.* 16. 17. *supr.* [illegible] *tit. de cursu publico.* ID.

(g) *Et*, pro *id est.* ID.

(h) Id est, ab Anno D. 380. qui subscriptus *legi* 20. *supr.* ad quam dixi. ID.

(i) Theodosii M. ID.

(k) *Regio.* Regium hic est quod prope Constantinopolim erat, duodecimo ab vrbe lapide, vt docet Itinerarium *Peutingerianum.* ID.

C O M M E N T A R I V S.

De Reparatione Palatiorum, Prætoriorum, Horreorum, Stabulorum, quæ intra Ciuitates Prouinciasque erant, est hæc Arcadii constitutio, qua quidem Ivdicvm seu Rectorum Prouinciarum Negligentia plectitur: Negligentia, inquam, in reparandis quatuor istis Ope-
P. 310 ribus publicis, quæ intra insigniores ciuitates insigniora quoque & maxime necessaria fuere; 1. *Palatia*, 2. *Prætoria* Iudicum. 3. *Horrea*. 4. *Stabula*. Plectitur, inquam, hac ratione, quod omnes omnino qui per Orientis Præfecturam, abhinc septemdecim annis Rectores Prouinciarum fuerant, eaque publico sumptu excitare debuerant, suis sumptibus reparare iubeantur. Scilicet ad Rectorum curam inter alias potissimas, eorumque Officium horum Operum publicorum reparatio pertinebat: quod etiam docet *lex* 1. *supr. ne quis in Palat.* & *lex vlt. Cod. I. de Offic. Rect. Prou.* & *l.* 7. *D. de officio Proconsulis.*

Materia *reparandis quatuor Operibus publicis extraurbanis per diœcesim Orientis ex demolitione Templorum ab Arcadio deputatur.*

XXXVI. (a) Idem AA. Asterio (b) Com. Orientis.

Qvoniam Vias, Pontes, per quos itinera celebrantur, (c) adque Aquæductus, (d) Muros (e) quinetiam, iuuari prouisis sumptibus oportere signasti, cunctam materiam, quæ ordinata (f) dicitur, ex demolitione Templorum, memoratis necessitatibus deputari censemus, (g) quo ad perfectionem cuncta perueniant. Dat. Kal. Nouemb. Cæsario & Attico Coss. [397.]

N O T Æ.

(a) Abest & *hec lex* a *Cod. Iustin.* & ab Annalibus Ecclesiasticis Baronii, quo referri eam oportuit. Iungenda autem ei & subiicienda *lex* 7. *infr. de Aqueduct.* seu *lex* 4. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) De *Asterio* hoc mox. ID.

(c) *Celebrari* itinera dicuntur per vias & pontes, per quos celebre iter est. Ita *Murus* celebrari dicitur *l. 51. infr.* *IDEM.*

(d) Valentiacum, Theodosiacum: de his Aquæductibus Antiochenis est etiam *d. lex 7. infr. de Aquaductibus,* quæ huic iungenda. *ID.*

(e) De *Muris* est quoque *lex 34. supr.* & *l. 49. infr.* & *l. vlt. supr. de Equor. conlat.* *ID.*

(f) *Ordinata*, id est, vel a te destinata, refectioni scilicet vel statuta, æstimata necessaria: vel ordinata, id est, seposita. *ID.*

(g) Idjest, iubemus. *ID.*

COMMENTARIVS.

MATERIA reparationi viarum, pontium, Aquæductuum, murorum, per Comitiuam Orientis, quibus reparandis Asterius Comes Orientis hoc tempore animum intendebat ex Templorum Gentilium demolitione, hac Arcadii constitutione deputatur seu destinatur, ad suggestionem eiusdem Asterii Comitis Orientis: cuius Asterii Comitis Orientis mentio fit quoque apud Sozomenum *lib. 8 cap. 2.* Huius etiam opera Ioannes Chrysostomus ad Episcoparum Constantinopolitanum electus, ex Vrbe Antiochena eductus fuit: *ἔδοξε Κωνσταντινουπόλει ἐπιτήδειος εἶναι τῆς ἐκκλησίας ἐπισκοπεῖν. Ψηφισαμένων δὲ τοῦ τε λαοῦ καὶ τοῦ κλήρου, καὶ ὁ Βασιλεὺς συνῄνει, καὶ τοὺς ἄξοντας αὐτὸν πέπομφε: συνεκάλει δὲ καὶ σύνοδον, καὶ τούτῳ σεμνοτέραν τὴν Χειροτονίαν δεικνύς· οὐκ εἰς μακρὰν δὲ τὰ Βασιλέως γράμματα δεξάμενος ΑΣΤΕΡΙΟΣ ὁ τῆς ἕω ἡγούμενος, ἐδήλωσεν Ἰωάννῃ παραγενέσθαι πρὸς αὐτὸν, ὡς περί του δεησόμενος: ἐλθόντα δὲ αὐτίκα εἰς ὄχημα σὺν αὐτῷ ἀνεβίβασε, καὶ σπουδῇ ἐλάσας, ἧκεν εἰς Πάγρας, σταθμὸν οὕτω καλούμενον: ἐνταῦθα δὲ παραδοὺς αὐτὸν τοῖς ἐκ Βασιλέως ἀποσταλεῖσιν, ἀνέστρεψεν: ἔδοξε δὲ τὰ περὶ τούτου καλῶς διῳκηκέναι πρὶν Ἀντιοχέας μαθεῖν, χαλεποὺς τε περὶ στάσεις καὶ δήλους ὄντας, ὡς οὔποτε ἂν ἑκόντες Ἰωάννου ἀπηλλάγησαν, πρὶν παθεῖν τι ἢ δρᾶσαι: idoneus visus est, qui Constantinopolitanam ecclesiam gubernaret. Quod cum populus simul & clerus vno consensu decreuissent, Imperator quoque comprobauit, misitque qui eum adducerent. Episcoporum præterea Synodum conuocauit, vt eo pacto illustriorem redderet eius ordinationem. Non multo post Asterius Comes Orientis, cum Imperatoris literas accepisset, Ioannem ad se acciuit, quasi quidpiam ab eo postulaturus. Qui cum venisset, confestim Asterius eum vna secum in vehiculum imposuit, & concito cursu Pagras vsque eum deduxit, qua statio est ita dicta. Ibi cum Ioannem illis, qui a principe missi erant tradidisset, Antiochiam reuersus est. Prudenter autem hoc negotium curasse visus est, antequam Antiocheni quidquam rescirent, qui & asperi erant in seditionibus, nec vnquam sua sponte Ioannem dimissuri videbantur, priusquam mali quidpiam aut patrassent ipsi, aut passi essent.* Quo loco minus proprie Interpres olim *Præfectum Orientis* vertit, quod Valesio obseruatum. Hic idem Antiochiæ Comes est, quem in eiusdem rei historia memorat Palladius, & Georgius in *vita Chrysostomi.* Eidem inscribitur Anno prox. 398. *lex vnic. de secund. nupt.*

Ex demolitione igitur Templorum Gentilitiorum materia hoc tempore destinata ab Arcadio Operibus istis publicis instaurandis. Ex quo apparet, per Orientem Gentilium Templa hoc tempore sub Arcadio strenue diruta. Quod factum etiam biennio post per Phœnicen, nominatim Orientis Prouinciam, vt docet *l. 16. infr. de Pag. Sacrif. & Templ.* qua templa *in agris* posita dirui iubentur sine turba & tumultu: id quod etiam memorat Socrates *lib. 5. cap. 2.* de quo dixi plenius ad *eam l. 16.* & ad Libanii *orat. ὑπὲρ τῶν ἱερῶν*, a me *editam.* Quare obseruanda iam *hac lex*, velut ad historiam *Ecclesiasticam* pertinens, quæ tamen abest hactenus ab Annalibus Baronii.

Interim notanda hic quatuor illa Operum publicorum genera, quæ hic coniunguntur: *Via, Pontes, Aquaductus, Muri.* Quæ in agris extra, & circa vrbes ferme erant: (ita contra quatuor genera supra *l. 35.* coniungi videmus, quæ intra vrbes ipsas erant.) Quorum instructio inter præcipuos titulos Imperatorios fuit: Viarum inquam, Pontium, Aquæductuum, & Murorum. Quod vero ad Templa attinet: similiter Theodoricus Rex apud Cassiodorum *III. Variar. 31.* ait, *Templa* etiam a se, petentibus multis, ad reparationem Operum Vrbis Romæ collata.

P. 318 *De* NOVIS *operibus publicis a Iudicibus non inchoandis &* ORNAMENTIS *non euellendis vel transferendis.*

XXXVII. (a) Idem AA. Theodoro PF. P.

NEMO Iudicum in id temeritatis erumpat, vt inconsulta (b) pietate nostra, noui aliquid operis existimet inchoandum: Vel ex diuersis operibus æramen, (c) aut marmora, (d) vel quamlibet speciem, quæ fuisse in vsu vel ornatu probabitur ciuitatis, eripere, vel alio transferre, sine iussu Tuæ Sublimitatis audeat: Etenim si quis contra fecerit, tribus (e) libris auri multabitur. Similis etiam condemnatio (f) Ordines ciuitatum manebit, nisi orna-

ornamentum genitalis patriæ decreti huius (g) auctoritate defenderint. Horreorum autem, vel Stabulorum fabricas arbitratu proprio Prouinciarum Iudices studio laudandæ deuotionis (h) adripiant. (i) Dat. Kalend. (k) Ian. Med. Honor. A. IV. & Eutychiano Coss. [398.]

N O T Æ.

(a) *Lex* 13. *Cod. Iustin. eod. tit.* Iungendaque huic, mox vt ostendam, *lex* 1. *Cod. Iustin. de Statuis & Imaginibus.* GOTHOFR.

(b) Vi *d. l.* 1. *extra Imperiale beneficium.* ID.

(c) Ita Cod. Iust. *ornamentu.* *Æramen* hic dicitur, vt & Paulo III. *sent. tit.* 6. §. 56. *Instructa domo legata, ea legato continentur, quibus domus munitior, vel tuta ab incendio præstatur: tegulæ, specularia, & vela legato continebuntur: Item æramenta, lecti, culcitæ, puluini, subsellia, cathedræ, mensæ, armaria, delphicæ, pelues, conchæ, aquiminalia, candelabra, lucernæ, & similia, quæcunque materia expressa* Apud Plinium *lib.* 35. *cap.* 15. æramentum. In *glossis* Cyrilli χάλκωμα, *æramentum.* Apud Vincent. Lirinensem *in Commonitor. cap.* 22. *pag.* 350. *Edit. Baluz.* *Nolo pro auro aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramento supponas. Nolo auri speciem, sed naturam plane.* Æramen igitur, siue æramentum, est ornamentum ex ære, vt sunt ænea simulacra, & statuæ æneæ: de quibus agitur *d. l.* 1. *Cod. I. de Stat.* quæ *huic* iungenda est. Vide veterem ἐξήγησιν *totius Orbis* sub Constantio, quem nuper adidi *cap.* 43. *pag.* 35. ID.

(d) De marmoreis statuis agitur pariter *d. l.* 1. ID.

(e) *Sex.* Cod. Iust. ID.

(f) *Condemnatio*, pro *multa*: vid. *Gloss.* ID.

(g) *Huiusmodi*, Cod. Iust. male. ID.

(h) *Deuotio*, καθοσίωσις, pro affectu & studio in publicum: vid. *Gloss.* ID.

(i) Eadem *adripiendi* vox, *l.* 15. 18. *supr. hoc tit.* ID.

(k) *III. Kalend.* Cod. Iust. & *d. l.* 1. *Cod. Iust. de Statuis*: XII. Kalend. ID.

COMMENTARIVS.

IVDICVM seu Rectorum Prouinciarum Temeritati, Audaciæ, Ambitioni, circa Opera publica occurrit *hac leg.* Honorius Imp. Anno 398. Quæ quidem pars est prolixioris Constitutionis, qua in vniuersum nimiæ Rectorum ambitioni circa Opera publica occurrit; puta etiam in statuis æneis, argenteis, marmoreis, (nam lapideæ proculdubio concessæ erant) inconsulto pariter Principe, admittendis; vt docet *lex* 1. *Cod. Iustin. de statuis & Imag.* quæ velut eiusdem constitutionis pars, *huic* coassanda, hocque adeo vinculo huic coniungenda venit. I. Igitur NOVA Opera inconsulto Principe Iudices inchoare ab Honorio *hac leg.* prohibentur, pariter vt statuas illas admittere vetantur sibi delatas, extra Imperiale beneficium, *d. l.* 1. *Cod. Iust. de statuis.* Exceptis tantum *Horreis*, & *Stabulis*: quæ Exceptio pariter continetur *l.* 16. & 17. *supr.* vbi vide quæ de his dixi prolixius. II. Item ORNAMENTA, veluti æramen, aut marmora, ex aliis Operibus eripere seu transferre Iudices prohibentur: atque ita aliorum Operum nuditate seu spoliatione alia ornare. Quod & ipsum prohibitum *l.* 1. 14. *supr.* vbi dixi; & quadamtenus *l.* 30. *supr.* Etsi Exceptiones quædam hac parte additæ. Ac primo quidem *d. l.* 30. si minoris meriti ædes essent. Hac *leg.* pariter, si in vsu & ornatu Ciuitatis non sint, quæ detrahuntur. III. iussu Principis, *d. l.* 30. vel Præfecti Prætorio: *hac leg.*

Illud obseruandum Curiis & Decurionibus quoque *hac leg.* diserte pœnam indici, si ipsi ornamentum genitalis patriæ suæ non defenderint: id est, si ipsi sese non opposuerint Iudicibus ornatum Operum publicorum eripientibus, vel alio transferentibus. Quomodo & *d. l.* 1. *Cod. Iust. de Statuis*: pariter pœnam minitatur iis, qui adulandi studio aut metu inconstantis ignauiæ in Statuas Iudicibus ponendas consenserint. Quod & ipsum proculdubio de Decurionibus accipiendum est: hi enim Statuas in Municipiis, honorandi alicuius gratia, decernebant: *l.* 13. §. 4. *D. de Iniur.* Denique Decuriones plectendi, Iudicum ambitioni velificantes, vel ignauia inconstanti, vel adulandi studio: vt loquitur *d. lex* 1. Pro coronide, & vt liqueat quantopere *ea lex* huic nostræ conueniat, verba eius hic apponere iuuat: *Si quis IVDICVM accepisse æneas, vel argenteas, vel marmoreas statuas, EXTRA IMPERIALE BENEFICIVM in administratione positus detegatur, emolumenta quæ accepit in ea positus dignitate quam polluit, cum extortis Titulis vel præsumptis in quadruplum fisco nostro inferat: simulque nouerit existimationis suæ pœnam se subiturum. Nec eos sane periculo pudoris haberi volumus immunes, qui adulandi studio, aut metu inconstantis ignauiæ transire quæ sunt interdicta, tentauerint.* Interea & illud ex *his ll.* discimus, Principis nonnisi beneficio & indulto noua Opera arripere, vt & statuas admittere veritos Iudices: in detrahendis vel transferendis ornamentis, Præfecti Prætorio iussum suffecisse.

P. 312

De INTERVALLO *inter* PRIVATA *ædificia &* HORREA *publica.*

XXXVIII. (a) Idem AA. Eutychiano PF. P. (b)

EXCELLENS Eminentia tua cuncta priuata ædificia, quæ coniuncta Horreis publicis esse cognouerit, dirui ac demoliri præcipiet; ita vt ex quatuor lateribus (c) priuatorum (d) consortio (e) separata sint, ac libero spatio recernantur, (f) vt a principio fuerant fabricata. Dat. V. Non. Iul. Constantinop. Honor. A. III. & Eutychiano Coss. [398]

NOTÆ.

(a) Abest *hec lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) Orientis. Eidem inscribuntur in hoc argumento de operibus publicis *lex* 40. & 48. *infr.* & *l.* 9. *Cod. Iust. de Aquæductu.* ID.

(c) Vicinitus, *l.* 4. *supr.* ID.

(d) A priuatorum. ID.

(e) Connexitate. ID.

(f) Secernantur. ID.

COMMENTARIVS.

INTERVALLO seu ambitu nonnisi certo quodam intermisso, vt ab aliis Operibus publicis, *l.* 25. *supr. l.* 39. 46. *infr.* ita vel maxime ab HORREIS publicis seu fiscalibus; priuati ædificare vetiti *hac leg.* ab Arcadio pariter vt a Constantino M. *l.* 4. *supr.* causis, quas docent nos *huius tituli lex* 4. 25. *supr. l.* 39. 46. *infr.* Itaque si hoc spatio non intermisso connexa fuissent priuatorum ædificia, ea destrui subinde iussa, vt a Constantino M. *d. l.* 4. *supr.* a Theodosio M. *dict. l.* 25. *supr.* ab Arcadio, *hac leg.* & *d. l.* 39. *infr.* & 46. *infr.* Vt in aliis vrbibus, ita Constantinopoli *l.* 25. *supr. hac leg.* & *d. l.* 39. 46. *infr.* Rursum, vt aliis Operibus publicis adiecta, ita & Horreis oominatim, *hac leg.* & *d. l.* 4. *supr.* Ad insularum itaque speciem, vt alia Opera publica, ita cum maxime *horrea* accedere voluerunt: quod his verbis *hac leg.* exprimitur: *ita vt ex quatuor lateribus priuatorum consortio separata sint, ac libero spatio recernantur.* Quæ omnino *Insularum* definitio est, cuiusmodi priuatæ Insulæ Romæ plures quam domus fuere.

Porro illud ex *hac leg. in fin.* discimus; a principio seu ab initio ita Horrea Constantinopoli excitata fuisse libera & separata a priuatorum operibus, nempe Constantiniaois temporibus quod etiam ostendit *d. l.* 4.

De PARAPETASIIS *& similibus Constantinopoli diruendis, Arcadii* lex.

XXXIX. (a) Idem AA. Seuero P. V. (b)

AEDIFICIA, quæ vulgi (c) more *Parapetasia* nuncupantur, vel si qua aliqua (d) opera publicis (e) mœnibus vel priuatis sociata (f) cohærent, vt ex his incendium, vel insidias vicinitas reformidet, aut angustentur spatia platearum, vel minuatur porticibus latitudo, dirui ac prosterni præcipimus. Dat. V. (g) Id. Octobr. Constantinop. Honorio A. IV. & Eutychiano Coss. [398]

NOTÆ.

(a) *Lex* 14. *Cod. Iust. eod. tit.* Videri possit *huic legi* iungenda *l.* 33 *supr. de Prætor.* GOTHOFR.

(b) Constantinopolitanæ. ID.

(c) *Vulgo*, Cod. Iust. ID.

(d) *Alia* Cod. Iustin. ID.

(e) Locus hic ita deformatus in Cod. Iust. *Mœnibus, vel* ([illegible]) *publicis operibus:* Male; nam & mœnia priuatis ædificiis hic tribuuntur, & communis *hec lex* est publicis & priuatis ædificiis. ID.

(f) *Ita sociata:* Cod. Iustin. ID.

(g) *VI.* Cod. Iustin. ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

PARAPETASIA, aliaque Opera publicis vel priuatis operibus SOCIATA, ex quibus incendium vel insidiæ metuuntur, spatiaue platearum aut porticuum arctantur, Constantinopoli *hac leg.* ab Arcadio destrui iubentur Anno D. 398. Quæ & ipsa prifcis Romæ legibus & nominatim quidem a Prætextato P. V. Romæ sub Valentiniano Sen. circa Annum D. 367. pariter sublata. Testis Ammianus Marcellinus *lib. 27. cap. 9. Alta quies*, inquit, *parta proposito Ciuium Romanorum aptissima, & adolescebat gloria praclari Rectoris, plura & vtilia disponentis. Nam & meniana sustulit omnia, fabricari Roma priscis quoque vetita legibus, & discreuit priuatorum parietes ab adibus sacris iisdem inuerecunde connexos.* Eodemque pertinent in partem *lex 11. 12. Cod. Iust. de adific. priuat. Parapetasia* autem sunt *adtenta & appensa* opera, quæ aliis Operibus adhærent, & adfixa sunt: quæ alias ἐξώσται, id est subgrundia, & mœniana: in Basili- P.313 eis παραπέτσια, quod est, *adplicita*, seu *adplicacata*. Quod vtrumque etsi legitimum sit, ex *hoc* tamen *Codice*, Codicis *Iustinianei* lectio constituenda venit, vt etiam nonnulli habent manuscripti, quicquid Cujacius contra contendat. Vocamus nos *Saillies & Aduances*, *Appentils*. Quæ pariter destrui iussa in Gallia ab Henrico secundo, Anno 1554. & Karolo IX. *in Comitiis Aurelianen. art. 96. 97.* & rursus Montepessulis, Anno 1564. & prohibita ab Henrico III. Anno 1586. iisdem omnino rationibus, quibus *hac leg.* Mansit vero & hæc Parapetasiorum vox hodienum in militia. Cæterum de legitimo spatio & interuallo inter opera priuata & publica videatur quoque *lex 4. 25. l. 38. supr.* iterumque *lex 46. infr.* Ait *lex*, vt ex his incendium, vel *Insidias* vicinitas reformidet. *Insidias* nempe a latrociniis & raptu. Alio sensu *in prafat. Digestor.* quæ incipit *Tanta §. 7.* (pro quo præfatio græca habet δέδωκεν.) *Post hac ea, qua de operis noui nunciationibus, damnique infecti, & pro adificiis dirutis, & eorum INSIDIIS, & qua de aqua pluuia arcenda, veteribus Authoribus placita sunt.* Pro quo Græca habent, καὶ τῶν ἐν τέτοις τὶ τὸ κακεργέντων. Ibi enim *Insidio* sunt eorum, qui calumniose damni infecti sibi caueri postulant, & ideo iurare prius coguntur. Errant enim qui ibi *incendiis* substituunt; vel qui eodem ibi sensu, quo hic *insidias* accipiunt.

PETI *quænam opera publica possint.*

XL. (a) Idem AA. Eutychiano PF. P. (b)

SI aliquando operum (c) publicorum petitores emergant, non nisi diruta penitus, quæ (d) distructa, & quæ parum sint vsui (e) Ciuitatum, petitoribus (f) adsignentur. (g) Dat. Id. Decembr. Honorio A. IV. & Eutychiano Coss. [398.]

NOTÆ.

(a) *Lex 15. Cod. Iust. eod. tit.* hinc admodum interpolata est. Neque adeo male iungatur huic *lex 9. supr. de diuers. rescript.* Nam & hæc est de Rescriptis. Concordat *lex 10. supr. l. 41. 42. 43. infr.* GOTHOFR.

(b) Orientis: vid. *l. 1. supr. de nau. non excus.* anno sequente. Eidem in hoc argumento de Operibus publicis inscribitur *lex 38. supr. lex 42. infr.* & *lex 7. Cod. Iust. de aquaducto.* ID.

(c) *Si aliquando homines emergant, qui a nostra clementia opus publicum sibi praberi postulauerint, nonnisi*, &c. ita *Cod. Iust.* propter sublatum scilicet petitionis & petitorum nomen: *Cod. de petition. bon. sublat. lib. 10. tit. 12.* de quo ad *tit. de petition. lib. 10. supr.* Propter quam ipsam caussam *lex prox.* tota abest a *Cod. Iust.* ID.

(d) γρ. (vt in *Cod. Iust.*) *penitusque.* ID.

(e) *Sunt in vsu*: ita *Cod. Iust.* ID.

(f) *Percipiant*: ita *Cod. Iust.* petitorum nomine rursum omisso. ID.

(g) *Intimandis huiusmodi Rescriptis iudicio Amplissima tua Sedis*: hoc additum *Cod. Iustin.* Quod abit a *l. 41. prox.* accedit ad *l. 43.* ID.

COMMENTARIVS.

DE PETITIONIBVS Operum publicorum sunt quatuor ordine sequentes *leges*: puta; hæc Arcadii constitutio: pariter vt in eodem argumento versatur altera eiusdem Arcadii *lex 42.* & Honorii *lex 41.* & *43.* versabatur & Iuliani *lex 10. supr.* PETERE scilicet hac tempestate seu impetrare priuati sæpe publica opera a Principibus, variis occasionibus soliti: & *Christiani* quidem sæpe petitores emergebant Operum publicorum, & quidem eorum quæ superstitioni Gentilitiæ olim seruierant: puta Templorum. Quo pertinere iam ostendi *d. l. 10. supr.* Eodemque apertissime pertinet *d. lex 41. infr.* deque eo præterea fidem facit *l. 19. & 24. supr. de petition.* idque etiam ex parte ostendit Aggenus Vrbicus, *commentar. in Front. lib. 1. p. 61. Edit. Gues.* & Maioriani *Nouella 6.* Atque id sicubi factum, sane factum per Orientem, vt ostendit *d. l. 10. supr. l. 19. 24. supr. de petition.* Deque eo videndus Libanius *orat.* ὑπὲρ ἱερῶν, vbi vide quæ iam dixi. Frequentatæque hoc æuo hæ *Templorum* petitiones, quod ea passim deponerentur, destruerenturue: de quo ad *tit. infr. de Pagan. sacrif.*

Et

Et tamen præter hæc, & alia quoque opera publica peti subinde solita. Huic igitur petitorum auiditati seu inhiationi, io perniciem sæpe ornatus publici, Curiatum, & Collegiorum (vt ostendit *d. l. 41.*) variis Priocipum constitutionibus subinde occursum fuit, & hac quidem Arcadii inter cæteras, Anno Domioi 398. occurritur, qua definit, *Non nisi penitus diruta destructaque, & quæ parum sint vsui* (vel etiam ornarui) *Ciuitatum, a priuatis peti posse.* Nempe ea tantum priuari impetrare possunt, quæ oullum præstare valent vsum, aut ornatum Ciuitatibus; quod & ipsum cauetur *dict. l. 41. prox.* Alia vero vsum aliquem, vel ornatum præstitura, io publicos potius vsus conuertenda, & sic Curialibus & Collegiatis potius, quam priuatis adsignanda. Quo pertioet omnioo Theodorici R. epistola apud Cassiodorum, *II. Variar. 24.* vbi Helpidio Diacono postulanti in Spolerioa ciuitate loca, quæ iam longo situ squallor vetustatis obruerat, id coocedit his verbis, & sub eadem taxatione: *Atque ideo petitioni tuæ robur præsenti humanitate largimur, vt Porticum cum areola positurus post Curasi thermas, SI TAMEN PVBLICO VSVI non deseruit, absoluta liberalitate potiaris,* &c. *Hac igitur auctoritate suffultus, in supradictis locis ædificandi sume fiduciam.* Similis taxatio in *Epist. 30.* eiusdem libri, *si res petita aut vtilitati publicæ non officit, aut decori*, io ea specie, de qua ad *l. 9. supr.* Eodem tandem pertioet Maioriani *Nouella 6.* vbi io posterum hanc competendi liceotiam omnino interdixit intra Vrbem Romam.

---

p. 314 *De* PETITIONIBVS *operum publicorum, &* TEMPLORVM: *deque eorum impetrandorum forma & conditionibus* *Honorii* lex.

XLI. (a) Idem AA. Hadriano PF. P. (b)

OMNIA ædificia publica, siue iuris Templorum, (c) intra muros posita, vel etiam muris cohærentia, quæ tamen nullis censibus patuerit obligata, Curiales & Collegiati (d) (submotis competitoribus (e)) teneant adque custodiant, suarum non immemores fortunarum, ita vt eos (f) nullus penitus inquietet qui (g) aliquem locum publicum, aut per sacram adnotationem meruerit, aut in areis vacantibus, quæ nullum vsum ciuitatibus ornatumque præberent, insinuata auctoritate Rescribti, propriis sumptibus ædificauerit. Si qua vero super huiusmodi locis fuerit orta dubitatio, non aliquid Municipes (h) siue Collegiatos volumus sponte præsumere: sed a Rectore Prouinciæ ortam dirimi quæstionem: vel Sublimem consuli Præfecturam, si iudicandi exegerit difficultas. Palatina (i) sane Officia ab his locis abstinere oportet, nec præbendæ instructionis gratia cuique (k) subripiendi (l) aditum referari: Cum si quando a quopiam vacans locus, aut area postulatur, consultius ad Ordinarios Iudices nostri mittantur affatus: (m) vt si neque vsui, neque ornatui ciuitatis adcommodum (n) videtur esse quod poscitur, periculo Ordinis & Prouincialis Officii, absque vllius gratiæ conludio, competitori sub gestorum testificatione tradantur. Pensiones (o) autem, quæ deinceps (p) sublatæ (q) a competitoribus fuerint, rationabiliter inpositas, reparationi iubemus proficere ciuitatis: videlicet (r) pensionibus præteriti temporis, quæ iam sollemniter sacro priuatoque debentur ærario. Dat. IV. Non. Iul. Med. Vincentio & Frauitta Coss. [401.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iust.* ob petitiones sublatas: Omisit eam quoque Baronius. *GOTHOFR.*

(b) Italiæ. *IDEM.*

(c) Vide *l. 24. supr. de Petition.* *ID.*

(d) Vide *supr. tit. de Collegiatis*, vbi plene. *ID.*

(e) Vid. *supr. tit. de Petition.* *ID.*

(f) Curiales & Collegiatos scilicet. *ID.*

(g) Priuatus qui. *ID.*

(h) *Municipes*, id est Curiales: vt *init. legis:* & *l. 186. supr. de Decurion.* & *l. vlt. supr. de exactionib.* & pari sensu, *l. 5. Cod. Iust. de omni agro desert.* & *l. 1. Cod. eod. de fugitiu. colon.* *ID.*

(i) Id est, Palatini rerum priuatarum. *ID.*

(k) Cuiquam. *ID.*

(l) Obripiendi. *ID.*

(m) *Ad-*

(m) *Adfatus.* *ID.*

(n) *Adcommodum.* *ID.*

(o) *Censuere* vid. *leg.* 5. *in fin. D. hoc tit.* *ID.*

(p) An intelligit post impetrationem? vt sic pro *fuerint*, reponamus *fuerant*? Minime. *ID.*

(q) *Sublata*, id est, exactæ. *ID.*

(r) Exceptis videlicet. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE PETITIONIBVS Onerum publicorum est hæc pariter Constitutio: Sed Honorii (pariter vt altera eiusdem constitutio ad eundem Hadrianum PP. puta *l. 43. infr.*) & inter cætera, de petitionibus eorum, quæ iuris *Templorum* fuerant: de quibus iam dixi *ad legem superiorem.* Quorum alia intra muros posita, alia muris cohærentia fuera; de quo dicam ad *l. 3. infr. de Pagan. sacrif. & Templ.* Itemque de Arearum vacantium petitione; cuiusmodi areas vacantes etiam priuatis olim quandoque occupare & ædificare permissum; vide Sueton. *in Vespas. cap. 8.* De his igitur quatuor *hac leg.* constituuntur, in gratiam Curiarum & Collegiorum. Primo scilicet Curialibus vel Collegiatis huiusmodi loca nullum vsum vel ornatum ciuitatibus præbentia adsignantur: sic vt ea ab aliis competitoribus amplius peti non possint, neque ea priuatis Curiales & Collegiati derelinquera debeant. Si modo loca illa nullis censibus sint obligata: nam si obligata sint, detrectantibus eos Collegiatis vel Decurionibus soluere, priuati ea iure impetrare possint. Cui omnino congruit altera eiusdem Honorii, superiore Anno 400 constitutio; puta *lex 5. supr. de locat. fundor.* Curialibus inquam, & Collegiatis, quæ duo Corpora per municipia & ciuitates fuere, per quos vtilitas & voluptas publica, cum magno fortunarum suarum dispendio, (quod etiam *hac leg.* indicari puto, ibi: *Suarum non immemores fortunarum*,) procurabatur; atque adeo *hac leg.* eis ea loca attribuuntur. De quibus *suis titulis supr. de Decurion. & tit. de Collegiatis.*

Et secundo tamen, dubitatione aliqua super eo exorta, prohibentur Decuriones & Collegiati loca hæc sibi sponte præsumere, vt cæteroquin nemini licet sibi ius dicere, seque vindicare; de quo dictum fuit *supr. tit. vnde vi. & tit. de bon. proscript.* Quin iubentur Rectores Prouinciarum hanc quæstionem dirimere, vel si adeo difficilis ea sit, Præfectum Prætorio consulere: Nempe Rectorum Prouinciarum pars officii hæc erat, Præfectum Prætorio, vbi iudicandi difficultas exigeret, consulere, vt cæteroquin Præfecti Prætorio dispositioni suberant.

P. 315 Tertio, rescripta concessionis huiusmodi Operum publicorum, si quando priuatis factæ, ad ordinarios Iudices seu Rectores Prouinciarum mitti iubentur, quod immutatum *l. 43. infr.* ad eundem Hadrianum, vbi ad PP. tantum hæc rescripta referri iubet, quod etiam probat *l. 15. Cod. Iust. eod.* quæ alioquin desumpta est ex *l. 40. supr.* Contra Palatini rerum priuatarum scilicet, (de quibus *suo tit. supr. de Palatinis:*) huic rei sese miscere vetantur, vt ita cum iusta causæ cognitione hæc res procedat: Nempe Ordine seu Decurionibus & Officialibus Rectoris Prouinciæ insistentibus, vtrum locus petitus, non sit vsui aut ornatui Ciuitatis, deque ea re gestis confectis. Nam his Rectoribus Prouinciarum hæc causæ cognitio demandatur potius quam Palatinis, ad euitandum gratiæ colludium, vt loquitur *hac lex*, quia scilicet Palatini plerumque vt quorum nihil interesset, hanc in partem gratiosi esse solebant, & poterant; de quorum colludiis in genere *suo tit.* Atenim Decuriones seu Ordines Ciuitatum, itemque Officiales perpetui, *ornamentum patriæ genitalis* (vt loquitur *lex 37. supr.*) vsumque & vtilitatem strenue defensure creduntur.

Vltimum *huius leg.* caput est, de *Pensionibus*, quæ huiusmodi locis, a priuatis petitis, iisdemque concessis impositæ sunt: vult scilicet Honorius *hac leg. pensiones*, id est, censum & vectigal huiusmodi rebus donatis a Principe rationabile quoddam imponi: Quomodo & domibus in loco publico excitatis solarium seu pensio quædam imposita, *l. 52. infr. hoc tit. & l. 1. Cod. Iust. de diuers. præd.* de quo dixi ad *l. 9. supr.* Quomodo & alias rebus a Principe donatis canon quidam impositus. Sed tamen deinceps eas sublatas *hac leg.* restitui iubet: sic quidem vt præteriti temporis pensiones priuato Principis ærario vindicentur: futuri vero temporis, reparationi ciuitatis adsignentur. Quod notandum. Census scilicet seu pensiones rerum a Principe donatarum sartis tectis Ciuitatis, seu reparationi Operum publicorum destinatas fuisse: Quomodo & alias Principes sartis tectis Operum publicorum, varia vectigalia sub ndo deputauere. Ita Lampridius de *Alex. Seuero in vit. c. 21.* memorat, *Lenonum vectigal & meretricum & exoletorum in sacrum Ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis ad instaurationem Theatri, Circi, Amphitheatri, & Ærarii deputauit.* Vbi recte legitur, *Ærarii*; quod & ipsum inter Opera publica Romæ erat: eique pariter instaurando vectigal istud deputatum. Imo & priuatas aliquando possessiones sartis tectis iidem Imperatores deputauere. Quomodo de Tacito Imp. Vopiscus scribit *in vit. c. 10. De proprio possessiones quas in Mauritania habuit sartis tectis Capitolii deputauit.* Denique hæc Honorii *lex* tota est de Forma & conditionibus Operum publicorum petitorum impetrandorum, in Ciuitatis vtilitatem. Operum inquam publicorum ac nominatim Templorum: quare notanda hæc deinceps *lex* ceu ad Historiam Ecclesiasticam pertinens, quæ tamen ab Annalibus Baronii abest.

De ERGASTERIIS *donatis* EVDOXIOPOLITANIS *in Thracia, deque iis deinceps non petendis, Arcadii* lex.

XLII. (a) Idem AA. Eutychiano PF. P. (b)

EVDOXIOPOLITANÆ ciuitatis ciues, (c) pro oblatano (d) suam patriam Ergasteria conde-

condonamus. Ne quis igitur Ergasteria memorata a nostra Serenitate deinceps petere moliatur; eaque ratione ciuium (quorum censum cupimus ampliari) iura perturbet. Dat. Prid. Id. Iul. Constantinop. Honor. A. VI. & Aristineto Coss. [404.]

N O T Æ.

(a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iustin.* velut temporaria. *GOTHOFR.*

(b) Eutychianus sub Arcadio PP. Orientis: vid. *Prosopogr.* De eo mox etiam aliquid. *ID.*

(c) *Ciues condonamus:* sustineri potest: alioquio melius *Ciuibus.* *ID.*

(d) De huius loci restitutione mox dicam. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

DE ERGASTERIIS, deque PETITIONIBVS Operum publicorum est hæc Arcadii Imp. constitutio, data Anno D. 404. pariter vt altera eiusdem *lex 40. supr.* & Honorii duæ constitutiones: *l. 41. supr.* & *43. infr.* & ita quidem, vt non absimilis hæc sit, initio *d. l. 41. supr. prox.* Nempe, sicut ædificia publica siue iuris Templorum, iam Curialibus & Collegiatis concessa, ab aliis deinceps peti prohibentur, ita & *hac leg.* EVDOXIOPOLITANIS nominatim Ergasteria publica ab Arcadio condonantur, & deinceps ab aliis peti prohibentur: vbi de tribus videndum est.

Primo, de *Eudoxiopoli* ipsa: *Eudoxiopolis* scilicet (cuius *hac leg.* mentio fit, & apud Socratem *lib. 7. cap. 36.*) fuit in Prouincia *Thracia*, quæ antea Selymbria. *) Ideo & Romanus Eudoxiopolitanus inter Episcopos Prouinciæ Thraciæ Concilio Chalcedonensi subscripsisse legitur *Tom. II. Concil. pag. 471. Edit. Harduin.* In ea vrbe postea constitit Theodosius Iun. filius Arcadii, *huius legis* auctoris, Anno D. 416. vt docet subscriptio *legis 182 supr. de Decurion.* & *l. 23. supr. de Pœnis.* Vnde Heracleam mox profectus, atque inde Constantinopolim: & rursum Anno 408. vt docet *lex 4. Cod. Iust. de SS. Eccles.* quæ omnino referenda est ad *Honorium XII. & Theodosium Iun. A. VIII. Coss.* eique iungenda *lex penult. Cod. eod. de commerc.* & *l. 2. supr. de præd. Curialium:* & iterum Anno D. 423. vt docet *lex 61. infr. de heret.*

Secundo obseruandum *Ergasteria*, de quibus agitur *hac lege*, & *l. 9. supr.* & *l. 5 supr. de Metat.* & *l. 3. supr. de conlat. donatar.* & apud Libanium, *in Antiochico, p. 384. Edit. Morell.* fuisse tabernas mercimoniis deputatas; vt etiam vocantur *d. l. 5.* & in his quædam ad priuatos spectantia, de quibus *d. l. 5.* alia publica, de quibus *hac leg.* & *d. l. 9* &
P. 316 *d. l. 3.* quæ alibi ad Principem seu fiscum pertinebant, alibi ad Ius Ciuitatum, vt *d. l 9.* quæ ideo *taberna ad Ius ciuile pertinentes* vocantur, *Nou. Theod. 30.* & ex quorum locatione pensiones seu reditus in publica opera erogabantur, vt *eadem Nou.* ostendit.

Hac igitur *lege* Arcadius Eudoxiopolitanæ Ciuitatis ciuibus Ergasteria, quæ Fiscalia erant, condonat: ob insigne videlicet aliquod, (quod Tertio loco hic obseruandum) horum Eudoxiopolitanorum in se meritum, quod hac ratione pensatum voluit, vt hæc *huiusce legis* verba ostendunt. *Pro oblatauo suam patriam;* item illa, *quorum censum cupimus ampliari.* Quæ priora corruptissima sunt, quæ ita quis refingenda putet? *Eudoxiopolitana Ciuitatis ciuibus pro oblatis nobis*, vel *pro oblatiuo*, seu *oblatitio, sua patria Ergasteria condonamus:* pro auro oblatitio (de quo *supr. lib. 6. tit. de Senator. 2.*) coronario Principi oblato: de qua auri coronarii oblatione fuit *tit. supr. lib. 12. tit. 13.* Quomodo & Cyrenæ apud Synesium *lib. de Regno, p. 2. Edit. Petau.* eidem Arcadio aurum coronarium obtulisse memorantur. Quomodo & anno 416. auream Coronam Theodosio Iun. donatam ab Vrbe P. V. & Senatu Constantinop. memorat Auctor *Chronici Alexandrini pag. 718. 719. Edit. Rader.* Cuius etiam auri Coronarii meminit ipse Theodosius Iun. hoc Anno ipso, *l. 15. supr. de legat.* Et ita quidem hic locus legi posse videatur. Non vt quidam tentabat, *pro oblarando.* Verum legendum hic; *Pro oblata nobis sua patria.* Vel, quod præferam, *propter oblatam nobis suam patriam.* Scilicet vsitatissimum hoc adulationis in Principes genus fuit, inter Ciuitates Romanas, sese Principi offerre, de ipsius Principis nomine, vel necessitudinum ipsius, veluti liberorum & coniugum designandas, Principisque nomen vel eius affectuum ἐπωνυμίαν adsciscere; quod iam olim obseruabat Dio *lib. 54. ad an. V. C. 739. pag. 537. Edit. Leonclau.* ὅτι, inquit, καὶ τὰς ἐπωνυμίας ταῖς πόλεσιν ἡ γερουσία ἐν μέρει τιμῆς ἔνεμε, καὶ οὐχ, ὥσπερ νῦν, αὐτοὶ ἑαυτοῖς ἕκαστοι καταλόγους ὀνομάτων οὓς, ἂν ἐθελήσωσιν ὡς πλήθει ποιοῦνται: *quod cognomina etiam vrbibus honoris causa Senatus imposuit, & non, quod nunc fit, ipsa sibi nomina, quotquot vellent, delegerunt.* Sic & Libanius *orat. post. concilia. 13. p. 418 Edit. Morell.* postquam summam erga Antiochenos indulgentiam multis prædicauit, optat vt de noui seu iunioris Augusti, id est Arcadii nomine, Antiochenæ vrbi nomen indat: τὸ σὺν τῷ νέῳ βασιλεῖ τότε ἑκὼν, τότε καὶ πρὸς βίαν δώσεις τὴν ἀπὸ τοῦ παιδὸς ἐπωνυμίαν, *vt cum nouo rege lubens hoc etiam nobis vel per vim concedas, appellationem a filio tuo.*

Ad eum igitur morem, cum *Arcadius* Imp. propensissimo in vxorem suam *Eudoxiam*, (quæ & hoc ipso Anno a nonnullis mortua dicitur, VI. Nonas Octobris: ab aliis non ita multo post) studio esset, vtpote quam non tantum Augustam Anno 400. proclamari fecerat (vt testatur Author *Chronici Alexandrini pag. 712. 713. Edit Rader.*) verum etiam præcedente *hac leg.* Anno 403 argentea eius statua super columnam porphyreticam iuxta Ecclesiam posita fuerat, teste Marcellino *in Chronico:* de quo vide & Socratem *lib 6. cap. 18.* quæ res tumultuum maximorum, pellendi etiam Vrbe Ioannis Chrysostomi, Incendiique, & Arsacii Episcopi ordinandi causa fuit. Etiam Ciuitates Principi hac parte gratificandi studium induerunt. Itaque & *Selymbrienses* Peryntheo seu Heracleæ & Constantinopoli proximi

*) Vid. *HIEROCLIS Synecdem. init.* & ibi *Cl. WESSELINGIVM* in notis *pag. 631.*

proximi in Thracia mox mutato nomine *Eudoxiopolitani* suam Patriam seu Ciuitatem in id obtulere; de *Eudoxia* videlicet Augustæ nomine designandam. Hadrianus Valesius *lib. 2. de gestis veter. Francor. p. 65.* refert (ex quo Authore? nescio.) *Eudoxiam Selymbriam oppidum Thraciæ restitui, atque Eudoxiopolim appellari iussisse:* forte ex *Zonara*. Atque hic *huius leg.* sensus est, quæ hac obseruatione historica singularis est. Et alioquin de *Augustarum* nominatim nominibus designandarum Ciuitatum mos hoc sæculo quantopere inualuerit, fidem faciunt inter alias, & duæ *Helenopoles*, de quibus Sozomenus *lib. 2. cap. 2. in fin.* De Vrbibus, tum de suo, tum de filiorum suorum nomine a Principe designatis hoc æuo, fidem faciunt sub Theodosio M. patre Arcadii nostri, *Theodosiopolis*, & *Arcadiopolis*; de quibus Cedrenus *pag 324. Edit. Reg.* Eodemque pertinet quod Libanius *orat. ad Theodosium M. 13. ἐπὶ ταῖς διαλλαγαῖς, p. 418. Edition. Morell.* gratias agens pro indulgentia missa Antiochenis, inter alia optat, imo petit ab Imper. vt Antiochiæ patriæ suæ, & sui præsentiam cum filio, & cognomen ab *Arcadio* filio suo tribuat: Πάλιν δ' αὖ τῦδε μεῖζον, τὸ σὺν τῷ νέῳ Βασιλεῖ τότε ἡμῖν, τότε καὶ πρὸς βίαν δώσεις τὴν ἐπὶ τῦ παιδὸς ἐπωνυμίαν, &c. *rursus hoc quoque maius, vt cum nouo rege lubens hoc quoque etiam, vel per vim concedas, appellationem nimirum a filio tuo.*

Quomodo & Chrysostomus *εἰς τὰς ἀνδριάντας, ad populum Antiochen. homil. 20. pag 230.* siu. *homil. 21. pag. 220. Tom. II. Oper. Edit. Ben dictin* in eadem re, de Theodosii ipsius nomine ob humanitatem nominari postulat, νῦν δὸς αὐτὴν καλεῖσθαι λοιπὸν ἀπὸ τῆς σῆς Φιλανθρωπίας, id est: *nunc ipsam iube ab humanitate tua post hac appellari.*

Neque hic etiam mos intra ciuitates singulares stetit; verum & *Prouinciæ*, imo & integræ Diœceses ex affectu aliquorum Imperatorum nominibus designatæ: Ita scilicet Diœcesim Ponticam Constantius ad honorem vxoris Eusebiæ, Eusebiæ cognomine dedicauit, teste Marcellino *lib. 17. cap. 7.* Ita *Valeria* Prouincia cognominata ad honorem Valeriæ Diocletiani filiæ; eodem teste, *lib. 19. cap. 11.*

Omittere interea neque id possum, inscribi hanc legem *Eutychiano PP.* qui, vt omittam alia, quæ de eo iam alibi, ab Eudoxiæ Augustæ partibus aduersus Ioan. Chrysostomum erat: cuiusque multa mentio in rebus *Chrysostomi*, etiam hoc ipso Anno, apud Georgium Alexandrinum *in vit Chrysostom. n. 61.* Theodorum Diaconum, referente Palladio *in Dialogo de Vit. Chrysostom. cap. 3. pag. 27. Edit. Bigotii.*

De Petitionibus *locorum publicorum & de* Rescriptis, *quibus ea conceduntur apud Præfectum Prætorio allegandis, & examinandis.*

XLIII. (a) Idem AA. Hadriano PF. P.

Petentibus loca publica ea condicione adnuimus, ne quid vsui vel ornatibus, aut commodis ciuitatum auferatur. Et quanquam nullum opinemur existere, qui contra commoda, vel ornatum propriæ ciuitatis competitorum obreptionibus cohiberet, (b) adtamen huiuscemodi Rescribta non nisi ad excellentiam Tuam referri præcipimus: scientibus Iudicibus, quod si quis deinceps subrepticia voluerit allegare Rescribta, non nisi reprehen-
P. 317sione (c) existimationis suæ, & pœna Officiorum suorum his aditum præbebunt. Si in tradendis locis publicis, si qui forte nostra liberalitate fuerint concessi, Excellentiæ Tuæ non expectetur auctoritas. Dat. VIII. Kalend. Octobr. Rau. Stilichone II. & Anthemio Coss. [405.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iustinianeo.* GOTHOFR.

(b) Pro *cohiberet*, id est, *conniueret*, vt multis aliis *huius Cod.* legibus, de quo vide Glossar. *conniueret* autem, pro *conniuere velit.* IDEM.

(c) Cum reprehensione. ID.

COMMENTARIVS.

De Petitionibus locorum publicorum est hæc rursum Honorii constitutio, & quidem ad eundem Adrianum PP. data pariter vt *lex 41. supr.* Sed ita tamen, vt *hac leg.* ei derogetur, quoad tertium eius caput, *vers. cum si quando.* Nempe sicut eorum demum locorum publicorum donationem a se factam valere vult, quæ neque vsui, neque ornatui aut commodis Ciuitatum deseruient, ita huius rei cognitionem, atque adeo rescriptorum huius concessiones non iam ad Iudices ordinarios, vel eorum Officiales vel Curiales tantum pertinere vult; verum huiusmodi rescripta ad Præfectum Prætorio ipsum referri, eiusque auctoritatem expectari: Nempe, quicquid in speciem contra prolestetur, *vers & quanquam:* quod & Rectores Prouinciarum, eorumque Officiales & Curiales sæpe gratiæ colludio, vt loquitur *dict. l. 41. supr.* itemque Curiales & Colle-

Collegiati contra commoda & ornatum propriæ Ciuitatis obreptionibus petitorum conniuerent. Præfecti itaque Prætorio iudicium hoc esse voluit, vt dignitate ipsa Imp. proximi, ita extra suspicionem gratiæ alicuius positi, neque aliter iudicaturi pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quam e re cuiusque ciuitatis publica. Quod & ipsum probauit Iustinianus *leg. 15. Codice Iustin. eodem titulo*, quam alioquin ex *lege 40. supra* desumpsit.

De IMAGINIBVS *Principum Operibus publicis adhærentibus; Quod eas, cum opus aliquod publicum reparatur, deponere liceat inconsulto Principe.*

XLIV. (a) Idem AA. Æmiliano P. V. (b)

SI quando vsus exegerit, vel Porticus, vel quaslibet ædes, (c) ætatis senio seu fortuitis (d) concussas casibus, reparari, liceat etiam inconsulta Clementia Nostra cum reuerentia sui Imaginem deponere, vel nostram vel retro Principum, reportatamque post refecta ædificia loco proprio denuo conlocare. Dat. V. Kalend. Iul. Constantinop. Arcad. A. VI. & Probo Coss. [406.]

NOTÆ.

(a) *Lex 16. Cod. Iustin. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Constantinopolitanæ. *IDEM.*

(c) Publicas. Eo quippe pertinet *hic titulus. ID.*

(d) Puta incendio? vt in specie *huius legis*: de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

IMAGINEM Principis de Porticibus (nam in his Principum Imagines fuisse non *hac lex* tantum, verum & *lex 12. infr. de Scanic.* ostendit:) aliisue ædibus, id est, Operibus publicis, reuellere seu deponere, instaurandi operis publici causa, seu reficiendi, etiam inconsulto Principe licere definit Arcadius *hac leg.* Anno Domini 406. Præfecto Vrbis scilicet. Sic tamen vt reparato ædificio loco suo ea reponatur. Quod proculdubio Æmilianus P. V. inconsulto Principe Arcadio facere ausus non fuerat. Nempe vt superiorum sæculorum, ita huius Arcadiani & deinceps Theodosiani propria quædam fuit, nimiaque erga Principum Imagines veneratio, imo adulatio, de quo alioquin plenius dicendum erit *suo titulo* hoc ipso libro, *de Imaginibus Imperialibus*, (vbi etiam *hæc lex* melius posita fuisset:) quemadmodum & iam olim sub Gentilibus Principibus. Sic quidem inter alia, vt circa positas semel Principum imagines, nil temere auderent. Qua propter non raro hæc criminum materies fuit, imo Maiestatis criminis species, si quis Imaginem Principis extraxisset, violasset; si quis eam conflasset, vendidisset, vt præter Tacitum *lib. 1. Annal. cap. 73.* docet *l. 4. 5. 6. 7. D. ad leg. Iul. Maiest.* itemque *l. 24. D. de contrah. empt.* de quo & similibus scripsit Brissonius *IV. Selectar. Antiquit. c. 11.* Proinde & eas refigere, id est, deponere non licuit, etsi vetustate corruptas reficere liceret: *dict. l. 5. in princ. D. ad leg. Iul. Maiest.* Atque hæc hæsitandi Æmiliano P. V. ratio fuit; verum peculiaris adhuc magis, propter magnam ante biennium Anno Domini 404. Chrysostomi libertatem, qua in statuam Eudoxiæ (de qua *l. 42. supr.*) intonuerat. Igitur ne Ioannitis, seu Ioanni Chrysostomo accedere forte videretur, consulendum Imperatorem ipsum putauit.

Porro *huius leg.* species, quinimo & *duarum* P. 318
sequentium, pertinet ad incendium quod exortum Constantinopoli; & quidem hæc ad id, quod exortum XII. Kalend. Iulii. Anni 404. quodque *hæc lex* his verbis innuit; *seu fortuitis concussas casibus.* Eius meminit & *lex 37. infr. de Episcopis.* Socrates *lib. 6. cap. 18.* Sozomenus *lib. 8. cap. 22.* & Zosimus *lib. 5. c. 24.* & Auctor *Fastor. Siculor. pag. 714. 715. Edit. Rader.* Absumpta autem incendio illo, non modo magna Ecclesia Constantinopolitana, verum etiam Senatus, vt testantur Sozomenus, Socrates, Zosimus, Fasti Siculi *loc. citatis*, & Palladius *in Dialogo de Vit. Chrysostom. cap. 10. pag. 92. 93. Edit. Bigotii.* vbi Porticus hæ fuere, (quarum *hac leg.* mentio fit.) Nam & Zosimus disertis verbis de Senatu hæc, *ἀγάλμασι κεκαλλώπιστο τεχνιτῶν, simulacris artificum exornata erat.* Porro magna Ecclesia & Senatus hic in prima Regione fuere, vt docet *Vetus descriptio Vrbis Constantinopolitanæ.*

De PORTICVVM CIRCI *Constantinopolitani tabulatis, & ascensibus, incendio nuper absumptis, instaurandis. Arcadii* lex.

XLV. (a) Idem AA. Æmiliano P. V. (b)

OMNIBVS Tabulatis, tam his quæ intercolumniis (c) adfixa sunt, quam his quæ superiores

riores Porticus diuidunt, ad formam pristinam (d) ciuitatis habitus (e) reuocetur. *Ascensibus* etiam his, qui ad superiores Porticus ducunt, tam in latiorem modum patentibus, quam pro ligneis scalis (f) lapideis gradibus fabricandis: Ita enim & pericula incendii aberunt, & si qui casus (g) aduersi tulerint, facile amotis angustiis, homines inter incendia, discursus, ac liberandi sui facultatem (h) inuenient. Dat. XI. Kalend. Nouembr. (i) Constantinop. Arcad. A. VI. & Probo Coss. [406.]

N O T Æ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Iungenda autem videtur ei *lex* 46. *prox.* Saltem eodem vtraque pertinet, & pleraque conueniunt. *GOTHOFR.*

(b) Constantinopolitanæ: Hoc ipso Anno eius meminit Auctor *Chronici Alexandrini pag.* 714. 715. *Edit. Rader. IDEM.*

(c) γρ. *intercolumnis*, id est, intercolumniis. *ID.*

(d) An *peristilinam?* mox dicam. *ID.*

(e) *Habitus Ciuitatis*, id est facies. *ID.*

(f) *Scalæ*, igneæ: *Gradus*, lapidei. *ID.*

(g) Id est incendia, *vt mox.* *ID.*

(h) Discurrendi facultatem. *ID.*

(i) Malim, *Decembr. vt lex prox.* 46. *ID*

C O M M E N T A R I V S.

AD PORTICVVM CIRCI Constantinopolitani, quæ incendio nuper conflagrauerant, instaurationem, pertinet hæc Arcadii constitutio: illisque etiam deinceps ab incendio vindicandis: quo pariter pertinet *lex prox.* 46. quam huic etiam iungendam censeo. Auctor est scilicet Scriptor *Fastorum Siculorum*, seu *Chronici Alexandrini pag.* 714. 715. *Edition. Rader.* his Coss. atque hoc ipso tempore, quo hæ *duæ leges* datæ sunt, Circi Porticus & adhærentia ædificia incendio conflagrasse. Ἀρκαδίου Αὐγούστου τὸ ς΄ καὶ πρέβου· ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων ἐκάησαν αἱ θύραι τοῦ ἱππικοῦ σὺν τῇ πρανδιάρᾳ, καὶ προσπαρακείμενοι ἔμβολοι, μηνὶ ὑπερβερεταίῳ, πρὸ η΄ Καλανδῶν Νοεμβρίων, ὥρα τρίτη τῆς νυκτός. *Arcadio A. VI. & Proba Coss. His Coss. ostia Circi vna cum prandiara & circumpositis porticibus, mense hyperberetæo VIII. Kalend. Nouembr. hora tertia noctis conflagrarunt.* Vbi sane obscurum valde foret, quidnam per πρανδιάραν & προσπαρακειμένους ἐμβόλους Scriptor ille intellexisset, nisi id ex *hac leg.* & *prox.* colligere liceret: nempe προσπαρακειμένους ἐμβόλους nil aliud esse, quam ædificia priuatorum adhærentia, de quibus *d. l. prox.* πρανδιάραν vero, Tabulata Porticuum Circi: de quibus *hac leg.* quæ alias *præcinctiones*, (de quibus vide *Vitruuiana lib.* 5. *c.* 3. in his & hic locus *lib.* 5. *cap.* 8. *Gradationes Scalarum contra quadratorum angulos, dirigantur ad primam præcinctionem.* Imo totum *caput* videndum est, quod est de Theatro, eiusque salubri constitutione: vide &, qui de Amphitheatro scripsere.) Idem & *Balthei* per ambitum, Tertulliano *de Spectacul. c.* 3. & Calpurnio *in Amphitheatro Cari Ecclog.* 7. *v.* 47. diazomata, gradi, plutei: Nempe πράνδιον, *Zona*, *Cingulum*, *Baltheus* in re vestiaria. Gloss. Isidori, *Prandeum*, *genus Zonarum.* Constantinus, *de admin. Imp. cap* 6. βλαττία, πράνδια, χαρίρια, σημέντα. *blatia*, *Zona*, *armilla*, *segmenta.* Landulphus Sagax *hist. miscell. lib.* 16. *pag.* 109. *Tom. I. Script. Rer. Ital. Ant. Muratar.* in Iustiniano de Auaribus: *habebant retrorsum comas prolixas valde, atque perplexas, iunctas prandeis.* Monachus Sangallensis, de Carolo M. *lib.* 2. *c.* 7. *Tenuissimas illas pelliculas, vel tenuiores brandeas extrahere cœpissent.* Sigebertus *in Chronogr.* Tom. I. Script. Rer. German. Ioan. Pistorii *ad An.* 441. *pag.* 713. *Ed. Struuian. Et sic Brandeum altaris, quo consecratum Corpus Domini inuoluerat, particulatim diuidebat.* Ergo πρανδιάρα, translatione a re vestiaria ad Architectonicam, Zonæ, Balthei, præcinctiones operum publicorum, ac nominatim Circi, Theatri. Nunc ad rem.

Duo ad Porticuum Circi instaurationem *hac leg.* constituit Arcadius. Prius est de TABVLATIS, earum alterum est de Gradibus. Tabulata porro hæc seu præcinctiones duum generum hic memorantur, vnum quod intercolumniis adfixum: alterum, quod superiores Porticus diuidit. Intercolumniorum frequens mentio apud Vitruuium *lib.* 3. *cap* 1. & 2. *lib.* 4. *cap.* 3. & *lib.* 5. *cap.* 1. & 9. Sunt autem spatia inter columnas alicuius Porticus: Tabularia igitur quædam his intercolumniis adfixa. Tabulata hic proculdubio sunt, quæ alias *coaxationes* vocantur, seu *Mæniana*, *protecta*, & *protecta pergula*, vnde videlicet populus spectare poterat: cuiusmodi Tabulatum Mænii, a quo Mœniana, memorant Festus, Asconius Pædianus, & Porphyrio. Porro tam hæc Tabulata, quam alia superiores Porticus diuidentia, ad pristinam formam reuocari *hac leg.* iubentur. Putabam aliquando, ratione & fine *hac leg.* suadentibus, hic reponendum; *ad formam peristiliuam*, id est, ad formam peristiliorum, quorum mentio apud Vitruuium *lib.* 3. *cap.* 1. *lib.* 5. *cap.* 11. & *lib.* 6. *cap.* 4. p. 319
Est autem peristylium locus columnis clausus, & vndique septus: ita Ammianus *lib.* 22. *cap.* 13. de fano Apollinis Daphnæi, *Quod idem templum*, inquit, *inuisi videbant ambitioso circumdari peristylio.* Pollux *lib.* 1. *cap.* 8 *Segm.* 78 *pag.* 50. *Edit. Hemsterhuis.* οὕτως δ' ἂν τὸν περίστυλον τόπον περικίονα· καὶ γὰρ στῦλος, καὶ κίων ὀνομάζεται· κατὰ τοὺς Ἀττικοὺς περίστῳον: *peristylon, seu locum, qui columnis septus est,* περικίονα *vocabis.* στῦλος *enim columna* & κίων *vocatur. Attici vero* περίστῳον *dicunt.* Glossarium vetus: *Peristylium*, περίστυλον, & alibi περίστυλον, *mansio.* Apud Ezechielem, *cap.* 40. *v.* 17.

καὶ

καὶ εἰσήγαγέ με εἰς τὴν αὐλὴν τὴν ἐσωτέραν, καὶ ἰδοὺ παστοφόρια καὶ περίστυλα κυκλῳ τῆς αὐλῆς. Versio vulgata, *pauimentum stratum lapide in atrio per circuitum*, & *cap. 42. v. 5.* περίστυλον versum *Porticum*, & *Machab. 2. cap. 4. v. 46.* ὅθεν ἀπολαβὼν ὁ Πτολεμαῖος εἴς τι περίστυλον: *itaque Ptolemaeus in quodam atrio positum.* Ad *formam* igitur *perstilinam*, id est, vt peristylia excitari solent, Arcadius tabulata illa excitari voluerit: verum nil temere muto; quin, seruandum, *ad formam pristinam*, omnino censeo: scilicet collapsa & absumpta incendio tabulata porticuum Circi ad formam pristinam reuocari iubet Arcadius, atque ita & pristinum simul Ciuitatis habitum. Quod quidem primum est, quo incendio nuper mederi Arcadius *hac leg.* instituit.

Secundo, incendiis in futurum occurrere satagit. Nempe eo fine *Adscensus* ad superiores porticus ducentes, & latiores, & lapideos extrui iubet: ad incendia videlicet deinceps amolienda, aut exorta facilius restinguenda. Et hac quidem duo *hac leg.* remedia continentur: Alia insuper duo continentur *l. prox. 46.* quae *huic* vti dixi proculdubio etiam coniungenda est.

De PRIVATIS *aedificiis non adiiciendis ad opera publica vel superponendis: & de* INTERVALLO *xv. pedum a publicis Operibus vacuo relinquendo Constantinopoli.*

XLVI. (a) Idem AA. Aemiliano P. V. (b)

AEDIFICIA (c) priuatorum publicis aedibus adhaerentia, siue superposita (d) destrui tollique praecipimus. Et in posterum id aperte sancimus, vt si * qui aedificandi (e) iuxta publicas aedes animos dederit, quindecim pedum spatio interiecto inter publica ac priuata aedificia, ita sibi nouerit fabricandum, vt tali interuallo & publicae aedes a periculo (f) vindicentur, & priuatus aedificator, velut perperam fabricati (g) loci destructionis quandoque futurae non timeat detrimentum. Dat. XI. Kalend. Decemb. Const. Arcad. A. VI. & Probo Coss. [406.]

NOTAE.

(a) *Lex 9. Cod. Iust. de aedific. priuat.* & forte *huic* iungenda est *lex superior:* saltem pleraque habet, in quibus conueniat. *GOTHOFR.*

(b) Constantinopolitanae. *ID.*

(c) Prima haec sententia abest a *Cod. Iust.* *ID.*

(d) Vid. *l. 9. supr. hoc tit.* *ID.*

* *Lex*, quam dixi, *9. Cod. Iust. de aedific. priuat.* hinc desumpta est, vbi tamen hoc ita immutatum: *si cui loci proprietas aedificandi iuxta publicas aedes animum dederit.* *ID.*

(e) Malim *aedificandis*; id est, aedibus excitandis. Nisi hoc placet, putet quis legendum, *animose se dederit*, vt *l. 7. supr. de praed. Nauicular.* vbi de domorum molitionibus, *quam cultus hodiernus, qui per industriam hominis animosi accessit:* vel ita, *si cui animus steterit:* vel ita, *si cui*, vel *cuius animo sederit:* vel *si quid aedificandi animo sederit.* *ID.*

(f) Incendii. *ID.*

(g) *Fabricato loco*, Cod. Iustin. *ID.*

COMMENTARIVS.

ADHAERENTIA & SVPERSTRVCTA Operibus publicis priuatorum aedificia, ab Arcadio Constantinopoli *hac leg.* dirui iubentur, Anno D. 406. Proculdubio ob experimentum recentis incendii Constantinopoli exorti: quod vt caeteroquin procliue est colligere, ita nominatim *hac leg.* indicatur his verbis, *vt publica aedes a periculo vindicentur.* Et vero id disertis verbis scribit Auctor *Fastorum Siculorum*, seu *Chronici Alexandrini pag. 714. 715. Edit. Rader.* Ἀρκαδίου Αὐγούστου τὰ ϛ´ καὶ Πρόβου. ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων ἐκάησαν αἱ θύραι τοῦ ἱππικοῦ, σὺν τῇ πρανδιάρᾳ, καὶ προσπαρακείμενοι ἔμβολοι, μηνὶ ὑπερβερεταίῳ πρὸ η´ Καλανδῶν Νοεμβρίων, ὥρᾳ τρίτῃ τῆς νυκτός. *His*, inquit, *Consulibus incendio conflagrarunt ostia* (imo Porticus) *Circi, vna cum Prandiana, & connexa taberna, mense Octobri VIII. Kal. Nouembr. hora tertia noctis.* Vbi προσπαρακείμενοι ἔμβολοι mihi nihil aliud videtur, quam *aedificia adhaerentia.* Et alioquin eodem, seu ad idem incendium pertinet *lex superior 45.* quam & *huic* iungendam puto. Sane vt duo *illa leg.* remedia Arcadius complectitur, per quae incendio illi, quod dixi, mederi instituit, ita & *hac* pariter duo complectitur. Quare vt in praesens demolitione adhaerentium & Superpositorum aedificiorum Arcadius *hac leg.* cautum, ita in futurum

futurum quoque prospectum fuit. Interuallo scilicet seu spatio 15. pedum inter publica & priuata ædificia statuto. Sane & cæteroquin interuallo seu spatio non nisi legitimo ferme quodam intermisso ab Operibus publicis priuatis ædificare permissum fuit, ob incendiorum potissimum metum, vt docuit iam *lex 4.25.38.39. supr.* ac multo magis publicis Operibus superponere, vel superstruere non licuit: vt docet quoque *lex 9. supr.* excepta specie *legis 50. infr.* Atenim spatium hoc legitimum vicinitatis, seu quaquauersum, seu ex quatuor lateribus, vt alibi aliud fuit, (quod docet *lex 4. supr. hoc tit.*) ita *hac leg.* ab Arcadio *15. pedum* constituitur. Quod ipsum sane *lege* Theodosii constitutum *lib. 4. tit. 24. de ædific. priuator. supr.* Auctor est Papianus *lib. Responsorum tit. 18.* & Additamentum primum *legis Burgund. tit. 1. §. vlt.* vt ad eum *titulum* iam dixi. Sane & Theodosii Iun. eam in rem constitutio extat *l. 11. Cod. Iust. de ædific. priuat.* Denique eius iuris velut veteris meminit Leo *Nouell. vltim.* Vt ad priorem legis sententiam redeam, vt cæteroquin illicite ædificata P. 380
dirui constitutiones iubent, *l. 11. §. 14. D. de legat. 3.* ita id exemplum secutus quoque Romæ Prætextatus P. V. sub Valentiniano Sen. teste Ammiano *lib. 27 c. 9.* qui non tantum Mœniana sustulit omnia, fabricari Romæ priscis legibus vetita, verum etiam priuatorum parietes discreuit ab ædibus sacris, iisdem inuerecunde connexos.

PALATIVM *Imperatoris priuatis ædificiis occupari nullo modo; contra ibi extructa dirui, oportere.*

XLVII. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Monaxio (b) P. V. (c)

QVICVMQVE locus in Palatio (d) huius (e) vrbis priuatis ædificiis incommode (f) occupatus est, is quamprimum, subruptis (g) omnibus, quæ in eo sunt ædificiis, Palatio reformetur, (h) quod priuatorum non est parietibus cohartandum: (i) Nam *Imperio* (k) *magna ab vniuersis secreta debentur:* vt hi tantum locum habeant habitandi, (l) quos (m) legitimus (n) Maiestatis nostræ vsus, & Reipublicæ disciplina delegit: In futurum etiam vniuersis ab huiusmodi vsurpatione prohibendis. Dat. IX. Kal. Mart. Constant. Honor. VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

NOTÆ.

(a) *Lex 17. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Meminit huius *Monaxii* P. V. Constantinopolitanæ, Author *Chronici Alexandrini pag. 716. 717. Edit. Rader.* hoc ipso Anno 409. Plures aliæ constitutiones eidem inscribuntur *hoc Codice:* & inter alias, hoc ipso anno, *lex 1. de frum. V. Constant.* & *lex vltim. Cod. Iust. qui dare tutores:* vid. *Prosopogr.* *ID.*

(c) In *Cod. Iust.* perperam PP. *ID.*

(d) De *Palatiis:* vide & *l. 38. supr. l. 8. infr. de Aquæductu:* & *tit. supr. Ne quis in Palat. man.* & *l. 1. infr. de Paganis.* *ID.*

(e) Constantinopolitanæ. *ID.*

(f) *Inuerecunde*, vt in loco Ammiani Marcellini *lib. 27. c. 9. in fin.* *ID.*

(g) *vg. Subrutis:* vt recte quoque in *Cod. Iust.* & Edit. quartan. *ID.*

(h) *Reformetur*, id est restituatur: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

(i) *Coarctandum*, Cod. Iust. *ID.*

(k) *Imperium*, pro Imperatore ipso, vel pro Sede & domo Imperiali. *ID.*

(l) In eo scilicet Palatio. *ID.*

(m) Obserua duo hominum genera circa Principem, qui in Palatio habitabant. *ID.*

(n) *Legitimus*, id est ordinarius, solemnis. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. sex constitutiones sequuntur, de Operibus publicis: quarum quinque ad publica Constantinopolitanæ Vrbis opera pertinent, puta, *hac lex*, & *lex 50. 51. 52. 53. seu vltim.* Sexta, ad Illyricum spectat, puta *lex 49.* Hæc vero nominatim est de PALATIO Constantinopolitano, (cuius alioquin mentio fit quoque apud Zosimum, *lib. 5. c. 24.* & in *Veteri Vrb. Constantin. descript. regione 14.*) Qua id Theodosius Iun. cauet, PALATIVM Principis seu Imperatoris priuatorum ædificiis occupari non debere, seu priuatorum parietibus coarctari. Addita ratione, *Quod Imperio magna ab vniuersis secreta debeantur:* id est. quod priuati a Palatio seu ab Imperii & Imperatoris secreto

creto, sedeque procul abesse debeant; *Exceptis tantum, quos legitimus Imperatoria maiestatis vsus & Reipubl. disciplina delegit:* id est, quos ob Palatinam dignitatem, vel Officium, actumue Reipubl. in Palatio habitare necesse est. Vnde interim discimus, Imperii dignitates Principisque Officiarios Constantinopoli in Palatio habitasse. Alioquin ab aliis ædificata in Palatio, *hac lege Subrui*, seu dirui iubentur, quæ proculdubio extructa fuerant a negotiatoribus quibusdam auiditate cogendæ pecuniæ: quod factum quoque aliis in locis publicis docuit *lex 25. supr.* & docebit *lex 52. infra.*

REDITVM *cuiusque ciuitatis, antiquitus ad Opera publica destinatum, ei seruandum.*

XLVIII. (a) Idem AA. Bonosiano P. V. (b)

NIHIL ex his (c) quæ instaurationi (d) ornatibusque singulis (e) deputauit Antiquitas, (f) nullius colore occasionis, auferri volumus. Igitur futuro proximo Consulatu (g) vniuersa prædictæ (h) Vrbi debitorum vectigalium (i) inlibata augmenta (k) perualeant. (l) Dat. IV. Kal. Decemb. Rau. Post Conf. Varanæ V. C. [411.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex a Cod. Iustinianeo.* GOTHOFR.

(b) *Bonosiano* huic P. V. inscribitur quoque Anno 409. *lex vlt. supr. de Decuriis V. R.* IDEM.

(c) Vectigalibus, vt *infr.* ID.

(d) *Instauratio* absolute, pro instauratione ædificiorum & Operum publicorum. ID.

P. 311 (e) Id est, quibuscunque. ID.

(f) Eodem modo *altera illa lege*, puta *l. vltim. supr. de Decuriis* V. R. eidem Bonosiano inscripta, dicitur, *genus esse iniuria Antiquitati aliquid sociare.* Ergo Honorius in huiusmodi causis Antiquitati neque detrahi, neque addi quidquam voluit. ID.

(g) Anno Domini 412. *Honor. IX. & Theodos. V.* ID.

(h) De qua Vrbe id accipiendum? mox inquiram. ID.

(i) Vectigalia: de his quoque hac in re, *l. 26. supr. l. 2. supr. de sepulch. violat.* Symmachi locus *lib. 10. epist. 10.* IDEM.

(k) *Augmenta* vectigalium, vocat pensiones vectigalium, propria voce in re tributaria & vectigali, de qua consule *Gloss. Theod.* ID.

(l) *Perualeant illibata*, id est, permaneant. ID.

COMMENTARIVS.

VECTIGALIVM seu Canonis Reipubl. seu Ciuitatis cuiusque partem aliquam in Orbe Romano, ab antiquo Operibus publicis destinatam fuisse, iam docuit *lex 18. 26. 32. 33. supr. hoc tit.* Quod & ipsum ex *hac leg.* discimus: sic vt neque alio diuerti, neque arrodi vlla parte potuerit. Docet & Cicero *Epistol. ad famil. lib. 13. epist. 11. ad Brutum*, vbi de Arpinatibus agit. Denique ita ab antiquo huic rei deputata fuit, *vt ei nullius occasionis calore auferri potuerit:* vt *hac leg.* dicitur. Quæ quidem ipsa Honorii Imperatoris quoque *hac leg.* sententia est. Et sic submota omni exceptione: etsi superiores leges nonnullæ exceptionem quandam admittant, veluti *d. l. 18. & 26. supr.* Nempe vt non sufficiente maiorum Vrbium reditu, minorum Ciuitatum reditus adsumantur. Et de facto tamen hæc vectigalia Operum publicorum instaurationi sæpe detracta, quæ ad suum & genuinum vsum subinde reuocari constitutionibus oportuit: vt ab Honorio *hac leg.* Et quidem, vt dixi, *omnis occasionis calore submoto:* quibus verbis putet quis speciatim id indicari, Nequidem ad inclytarum vrbium ornamentum ea transferri posse, veluti Vrbis Romæ: idque tum Inscriptionis argumento, tum & ipsa temporum ratione suadente: Nempe hoc tempore, recuperata iam Roma, vrbi instaurandæ incumbebatur, cuius partem Alaricus incendio consumpserat, vt testatur Marcellinus *Chronico*, Anno super. 410. Possit tamen videri Honorius *hac leg.* agere de vectigalibus ipsius Vrbis Romæ: & tum sententia eius fuerit, adeo Vrbis Romæ instaurationi incumbendum esse, vt vectigalis eo destinati pars ad nullum alium vsum traduci possit. Denique dubium, quam vrbem hic intelligat Honorius, an Vrbem Romam, cuius Præfecto *hac lex* inscribitur? An vero aliam Vrbem in Diœcesi tamen Vrbicaria constitutam, cuius mentio facta fuerit in integra constitutione, cuius hæc nonnisi particula est: sunt enim complures huiusmodi leges *in Cod. hac*, quæ plenum sensum non habent; de quo peculiari *cap. in Prolegom. Theod.* vide saltem *leg. vltim. infr.* Mihi verisimile, Vrbem, qua de hic agitur, non Vrbem Romam, verum aliam de Vrbicaria Præfectura & Diœcesi fuisse.

IMMV-

Immvnitatem *nulli tribuendam a collatione ad murorum constructionem, & a comparatione transuectioneque specierum per Illyricum.*

XLIX. (a) Idem AA. Herculio (b) PF. Illyrici.

Constrvctioni murorum, & comparationi transuectionis (c) specierum vniuersi sine vllo priuilegio cohartentur: (d) ita vt in his dumtaxat titulis (e) vniuersi portione (f) suæ possessionis & iugationis ad hæc mœnia (g) cohartentur: *quo ita demum, a summis ad infirmos* (h) *vsque sarcina decurrente, ferendi operis non leue solatium,* (i) *sed in commune omnibus profuturum, communi labore curetur.* Quod in partibus (k) dumtaxat Illyricianis nostram Clementiam statuisse Tua Sublimitas recognoscat. Dat. V. Id. April. Constantinop. DD. NN. Hon. (l) IX. & Theod. V. AA. Coss. [412.]

N O T Æ.

(a) Repetita extat *hac lex*, sed paulo aliter *l. vltim. supr. de Equor. collat.* vbi dixi: itemque *l. 1. Cod. Iust. de quib. muneri. lib. 10. tit. 48.* GOTHOFR.

(b) *Herculio* huic PP. *Illyrici* inscribitur Anno 410. *lex 178. supr. de Decurion. lex 5. supr. ne conlat. translat.* & anno 408. *lex vlt supr. de Equor. collat.* Ad eundem extat Ioan. Chrysostomi *epistola.* 201. *IDEM.*

(c) *γρ. Transuectionique*, & ita in *d. l. vlt.* De hac Transuectione seu translatione specierum, dixi ad *l. 10. supr. de extraordin.* & dicam adhuc ad *l. 40. infr. de Episcopis.* *ID.*

(d) Coartentur, *d. l. vlt* tum illa præterea subiiciuntur, (quæ & *fine huius leg.* habentur) *ad necessitates Illyricianas, nam in his dumtaxat*, &c. *ID.*

(e) Sequentia longe aliter extant in *d. l. vlt.* & *d. l. 1. Tituli* autem sunt species collationum. *ID.*

(f) *γρ. pro portione*, vt *d. l. 1. Cod. Iust.* *ID.*

(g) *Munia*, vt *d. l. vltim.* & *d. l. 1. Cod. I.* *ID.*

(h) *γρ. Infimos*, vt etiam extat in *d. l. vlt.* & *d. l. 1.* & in Edition. quartan. *ID.*

(i) Solatium ex communi & communicato labore. Quo ipso sensu Cassiodorus *V. Var. Omnes in commune subeatis, qui vicinitate iungimini, quatenus accommodato solatio securius impleatur, quod paucis inexplicabile forte cognoscitur.* *ID.*

(k) *Partes* Illyricianæ, id est, tractus Illyrici: vide imaginem Imperii Rom. ex *Cod. Theod.* *ID.*

(l) In *d. l. vltim. supr de equor. collat.* alius dies, aliique Consules adnotati, *III. Id. April. Basso & Philippo* COSS. vide quæ *ibi* dixi. *ID.*

P. 321

COMMENTARIVS.

De Mvrorvm constructione est iam tertia hæc *huius tituli*, (& quidem ista Theodosii Iunioris) lex. præter *legem 34.* & *36. supr.* erit & quarta *l. 51. infr.* Ita tamen vt *d. l. 51.* sit de muris Vrbis Constantinopolitanæ, *lex* vero *34.* & *36.* de muris per Orientem; *hac* nostra de muris per Illyricum. Rursum *d. l. 51.* itemque *d. l. 36.* de muris ad ornatum magis: at enim *d. l. 34.* itemque *hac 49.* ad hostes repellendos: & hæc quidem, vt docet Inscriptio, & finis *huius leg.* & *lex vltim. supr. de equor. collat.* (vbi *hac lex* repetita extat,) ad Illyricianas necessitates.

Nunc de sententia *huius leg.* Nempe a collatione ad murorum constructionem, cuiquam immunitatem tribui, vetat *hac leg.* Theodosius Iun. & *d. l. vltim.* vetat pariter Valentinianus III. *Nou. De Pentapolis, 40. inter Theodosianas, versic. Cuius ordinatio.* De quo Principe accipio, illius *Nouella* argumento, quod Vegetius *prologo lib. 4. de re militari*, scribit de muris Vrbis Romæ reparatis: pariter vt a comparatione (de qua *suo tit. supr. de publica comparatione*) & transuectione specierum, de quibus ad *d. l. vltim. supr. de equor. collat.* vbi *hac lex* repetita extat. Cum alioquin a cæteris collationibus nonnullis Dignitatibus immunitas tribuatur, de quo dictum fui *lib. 11.* Idemque constitutum *supr. l. 23.* de portus & aquæductus instauratione: Idem de itinere muniendo, *l. 5. de itin. muniend.* De *huius leg.* Historia, specie, & ratione, dixi ad *l. 177. supr. de Decurionibus:* & ad *d. l. vltim. supr. de equorum collat.* itemque ad *l. 1. supr. de littor. & itiner. custod.*

De THERMIS *Honorianis, deque* PORTICV *ad eas, Constantinopoli absoluendis, occupatis priuatorum locis, concessaque inuicem, permutationis vice, priuatis, vetusta Basilica, Theodosii Iunioris* lex.

L. (a) Idem AA. Isidoro P. V. (b)

OPVS (c) cœptum extruatur, & Porticus Thermas Honorianas præcurrat acie (d) columnarum: Cuius (e) decus tantum est, vt priuata (f) iuste negligeretur paulisper vtilitas: Sed ne census sui quisquam intercepta lucra deploret, sed e contrario cum pulchritudine Ciuitatis (g) etiam fortunas suas auctas esse lætetur, pro loco quod quisque possederat, superædificandi licentiam habeat: Nam in locum priuati ædificii, quod in vsum publicum translatum est, occupationem Basilicæ iubemus Vetustæ (h) succedere; vt contractus quidam, & permutatio facta videatur, (i) cum dominus, qui suum dederat (k) Ciuitati, pro ea habiturus sit ex publico, remota omni formidine, quod (l) inconcusso robore & ipse habere, & quibus velit tradere, habebit liberam facultatem. Dat. IV. Kalend. Nouembr. Constantinop. Honorio IX. & Theod. V. AA. Coss. [412.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* vtpote localis & temporaria. Etsi multæ aliæ *leges* certo alicui loco & tempori adstrictæ in *tit. Cod. Iust. de oper. publ.* relatæ sint. Concordat huic leg. *lex prox.* 51. GOTHOFR.

(b) *Isidorus* sub Theodosio Iun. P. V. Constantinopol. vid. & *leg.* 2. 3. *supr. de iur. liberor.* IDEM.

(c) Thermarum & Porticus. *ID.*

(d) *Acies* columnarum in porticibus. *ID.*

(e) *Operis* Thermarum & Porticus. *ID.*

(f) Priuatorum. *ID.*

(g) Constantinopolitanæ. *ID.*

(h) Basilicæ vetustæ, vide interim quæ dixi *l.* 46. *supr.* *ID.*

(i) Fuit. *ID.*

(k) *Dederit.* *ID.*

(l) Id quod. *ID.*

COMMENTARIVS.

DE THERMARVM HONORIANARVM, deque Porticus earum Constantinopoli constructione, est hæc Theodosii Iun. constitutio Anno D. 412. cuius causa cum priuatorum loca seu ædificia nonnulla occupari oportuisset, Imperator permutatione quadam Basilicam vetustam inuicem priuatis tribuit, & ab his occupari iubet. PRIVATORVM scilicet loca, ædificia, publici operis causa sæpe olim iure occupabantur. Sed tamen compensato aliquo, triplici ratione: neque enim extorqueri possessoribus proxima operibus publicis mos fuit. Exemplum in Suetoo. *Octau. c.* 56. I. Vel enim *Immunitas* quædam inuicem iis tribuebatur, vt in *spec. l.* 1. *infr. de Aquaductu.* II. Vel pretium competens pro his de publico præstabatur, vt in *spec. l. vlt. infr* Quo pertinet quoque Ciceronis locus *ad Atticum.* & hic Frontin. locus *de Aquaductibus art.* 128. *p.* 216. *Ed. Polen. Posset hoc S. C. aequissimum videri, etiamsi ex rei tantum publica vtilitate ea spatia iudicarentur, multo magis cum Maiores nostri admirabili aquitate, ne ea quidem eripuerunt priuatis, qua ad modum publicum pertinebant. Sed cum aquas perducerent, si difficilior possessor in parte vendenda fuerat, pro toto agro pecuniam intulerunt: ac post determinata necessaria loca rursus eum agrum vendiderunt, vt in suis finibus proprium ius tam Respubl. quam priuata haberet.* III. Vel denique permutatio quædam cum priuatis instituebatur. Quod vt *leg.* mox *sequ.* 51. cui iungenda & *lex* 13. *supr. de Metatis*: ita & *hac leg.* fit: vbi notanda illa, *Vt contractus quidam & permutatio facta videatur.* Et *hac* quidem *lege*, ad absoluendam *Porticum* Thermarum Honorianarum Constantinopoli, pro possessionibus priuatorum occupatis vetus Basilica hac Theodosii Iun. *lege* conceditur: Sic vt super eam *superadificandi* licentia plenoque iure & inconcusso robore fruendi alienandi eius quod superædificatum fuerit, ius tribuatur. p. 313

Ex *hac* interim *lege* notentur, Primo *Thermarum Honorianarum* mentio. Hæ vero *Regione* 5. & 13. *Vrbis Constantinopolitana* a veteri Vrbis Constantinopolitanæ descriptionis Auctore collocantur. Secundo notandum, *Porticum* Thermis Honorianis his adiectam hoc tempore a Theodosio Iun. & quidem ingenti decore. Quomodo & alias ferme, ab aliis excitatæ Thermæ ab aliis Impp. adiectæ Porticus. Tertio notandum in genere Porticus lauacris quoque seu Thermis contiguas ferme constructas, seu

seu vt *hac leg.* dicitur Thermas *pracurrisse*; quod testatur & *lex 52. infr.* Sed & hic Ammiani Marcellini locus, *fine lib. 29. Claudius*, inquit, *P. V. Porticum excitauit ingentem lauacro Agrippa contiguam. Euentus boni cognominatam, ea re quod huius nominis prope visitur templum.* Lampridius *Alexandro Seuero, cap. 25. Antonini Caracalla Thermas additis fortionibus perfecit & ornauit.* Vbi pro *fortionibus*, Causabonus *porticibus*. In Heliogabalo quippe de iisdem Thermis idem Lampridius *cap. 17. in fin. Sed Porticus defuerant, qua postea ab hoc subdititio Antonino extructa sunt, & ab Alexandro perfecta.* Quarto notandum, has Porticus *acie columnarum* constituisse. De columnis ex quibus Porticus constabant, res nota: vnde & varia quoque pro columnarum ordinibus porticibus nomina non tantum duplicibus, sed & vsque ad tetrastichis & pentastichis; de quo vide vel Capitolinum in *Gallienis cap. 18.* De altitudine quoque harum columnarum vide Vitruuium, *lib. 5. c. 7.* vnde & *Acies* columnarum *hac leg.* dicitur.

De MVRO NOVO *Constantinopoli excitato, occupatis alicubi ad id priuatorum terris, quibus inuicem* TVRRIVM *eius muri vsus deputatur, sub refectionis onere. Theodosii Iunioris* lex.

LI. (a) Idem AA. Anthemio PF. P. (b)

TVRRES Noui Muri, qui ad munitionem Splendidissimæ Vrbis (c) extructus est, completo opere, præcipimus eorum vsui deputari, per quorum terras idem murus studio ac prouisione Tuæ Magnitudinis ex Nostræ Serenitatis arbitrio celebratur. (d) Eadem (e) lege in perpetuum & condicione seruanda, vt annis singulis hi, vel (f) ad (g) quorum iura terrulæ (h) demigrauerint, (i) proprio sumptu earum (k) instaurationem sibimet intelligant procurandam, (l) earumque (m) vsu publico beneficio potientes, curam reparationis ac sollicitudinem ad se non ambigant pertinere: Ita enim & splendor operis (n) & Ciuitatis munitio cum priuatorum vsu & vtilitate seruabitur. Dat. Prid. Non. April. Lucio V. C. CONS. [413.]

NOTÆ.

(a) *Lex 18. Cod. Iust. eod. tit.* Indicatur vero *hac lex l. 13. supr. de Metatis.* Concordat huic legi *lex 50. prox. supr.* GOTHOFR.

(b) *Anthemius* sub Theodosio Iun. PP. vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) Constantinopolitanæ. ID.

(d) *Celebrari* murus dicitur: ita *iter celebrari* per vias, pontes, *l. 36. supr.* ID.

(e) Ita quoque *Cod. Iust.* id est: *Ea final.* Nisi malit quis, quod puto, *ea demum*, vel *ea tamen.* ID.

(f) Abest a *Cod. Iust.* Male. ID.

(g) *Ou ayant droict.* ID.

(h) *Terrula*, supr. *terra*, id est, priuatorum possessiones. ID.

(i) *Demigrare*, pro simplici, *migrare*: vel *de* vno ad alium migrare. ID.

(k) *Turrium* scilicet. Cod. Iust. *eorum*, vt mox, *eorumque*: quod longe aliud. ID.

(l) Id est, ad curandam. ID.

(m) *Eorumque* Cod. Iustin. vt dixi. ID.

(n) Noui muri. ID.

COMMENTARIVS.

DE TVRRIBVS NOVI MVRI Constantinopolitani est hæc Theodosii Iun. constitutio; quarum vsum permutationis iure quodam priuatis, quorum terræ ideo occupatæ fuerant, seu per quorum terras murus ille celebratur, ducebatur, concedit. PRIVATORVM scilicet terras publici operis causa quandoque occupari mos fuit, sic tamen vt permutatio quædam cum his institueretur, quod hæc quoque *lex*, sicut & *superior prox. lex 50.* vbi dixi, testatur: Et quidem in spec *huius leg.* turrium noui Muri Constantinopoli occasione. *Murus* scilicet nouus muniendæ Vrbi Constantinopolitanæ, a Theodosio Iun. studio ac prouisione, non Cyri P. V. (vt Cuiacius scripsit *ad leg. 7. Cod. Iustin. de metatis.*

metatis. *) verum *Anthemii P. P.* extructus fuit, vt præter *hanc legem*, docet quoque Socrates, *lib. 7. cap. 1.* ὑπὸ δὲ τῷ υἱῷ τῷ νέῳ Θεοδοσίῳ ὀκταετεῖ τυγχάνοντι, τὰ τῆς ΕΩΑΣ ἐτάττετο· ΑΝΘΕΜΙΟΥ τοῦ ὑπάρχου τὴν διοίκησιν ποιουμένου τῶν ὅλων: οὗτος τὰ μεγάλα ΤΕΙΧΗ τῇ Κωνσταντίνου πόλει περιεβάλετο: φρονιμώτατος δὲ τῶν τότε ἀνθρώπων καὶ ἐδόκει καὶ ἦν. *Orientis vero imperium sub ditione fuit Theodosii iunioris eius filii, qui tunc temporis octo annos natus fuit. Anthemius vero Præfectus Prætorio, summam rerum sub illo administrabat. Hic Constantinopolin magnis vndique mœnibus cinxit: omnium porro sui temporis prudentissimus & habitus est, & reuera fuit.* Nicephorus etiam *lib. 14. cap. 1. Rerum omnium administratia Anthemio Præfecto commissa est: Anthemius iste MOENIA Constantinopolis demolitur, Pomæria Vrbis prolaturus. Lateritio ingenti, qui nunc cernitur, MVRO eam circumdedit, opere eo per menses duos magna & fere incredibili celeritate confecto.*
324 Meminit & huius rei *Tripartita* Auctor *lib. 11. c. 1.* Igitur cum hic murus extrui cœpisset, eumque per priuatorum terras *celebrari*, id est, extrui, duci oporteret, Theodosius, velut contractu quodam & permutatiooe facta, *Turres* eius muri, priuatorum illorum, quorum terræ occupatæ fuerant, vsui depotauit: *hac leg.* & *l. 13. supr. de Metatis:* Sic tamen, vt onera earum Turrium ipsi deinceps agnoscerent, puta, earum instauraodarum quotannis *hac leg.* Itemque Metati onus quod postea statutum *d. l. 13. supr. de Metatis*, qua hæc indicatur, quamque *hic* totam adscribi oportet: *Idem Augusti Eustathio P. P. Deuotissimos milites, ex procinctu redeuntes, vel proficiscentes ad bella, Muri noui Sacratissimæ Vrbis singulæ Turres in pedeplanis suis suscipiant. Nec aliquis possessorum grauiter ferat, quasi illa dispositione, quæ super publicis ædificiis (vel beneficiis) processerat, violata, cum priuatæ quoque domus tertiam partem talis rei gratia soleant exhibere. Dat. V. Non. Mart. Constantinop. Honorio XIII. & Theod. X. AA. CONS.* Anoo 422. Hoius quoque muri noui fit mentio in *l. 18. Cod. Iust. de SS. Eccles.* & *Nou. 59. cap. 5* apud Zonaram. *Annal. lib. 13.* in rebus Theodos. Iun. *cap. 22. in fin. pag. 42. Tom. II. Oper. Edit. Reg.* Meminit & muri & turrium simul Marcellinus *in Chronico, Ardubare & Callepio Conss.* id est, Anno 447. *pag. 278. Tom. II. Oper. Sirmondi. Ingenti*, inquit, *terra motu per loca varia imminente, plurimi Vrbis Augustæ MVRI recenti adhuc reædificatione constructi, cum LVII. TVRRIBVS corruerunt.* Et mox: *Eodem Anno, Vrbis Augustæ muri, olim terra motu collapsi, intra tres menses, Constantino P. P. operam dante, reædificati sunt.* Meminit & Auctor *Chronici Alexandrini, Theodosio XVII. & Festo Coss. pag. 730. 731. Edit. Rader.* id est, Anno 439. murorum a Theodosio hoc circumcirca factorum Constantinopoli qua mare spectat: ἐν τούτῳ τῷ ἔτει ἐκέλευσε Θεοδόσιος Αὔγουστος τὰ τείχη κύκλῳ γενέσθαι ἐν ὅλῳ τῷ παραθαλασσίῳ Κωνσταντινουπόλεως: *hoc anno curauit Theodosius Augustus muros circum circa fieri Constantinopoli, qua mare spectat.* De huius alioquin Priocipis sollicitudioe circa muros excitandos dixi ad *l. 49. supr.*

Cæterum etsi *lex* hæc proprie pertineat ad Constantinopolim, & localis sit, potest tamen ad alias ea recte in vsum accommodari, præter locum communem de occupandis priuatorum locis publici operis gratia, deque permutatione & compensatione eo nomine tribuenda. Primo quidem, vt ii, per quorum terras muri ducuntur, Priocipe vel Curatore Reip. concedente, in Turribus eorum habitare possiot. Neque taotum in pedeplanis (quod Cuiacius perperam putauit, *arg. d. l. 13.* quæ vtique pedeplana adsignat non ipsis priuatis, sed militibus ibi metati iure hospitaotibus) verum in tota, quanta est, turre, etiam in edito turris, quod ex *hac leg.* discere licet etiam τριστεγίῳ forte: erant enim turrium plura *tabulata*: Si videlicet ea sit Ciuitas, cuiusmodi Constantinopolis, vbi nullus est ab hoste metus. Etsi sciam, in quibusdam Turribus muralibus Vrbium humiliores quosdam homines videri habitantes in inferiori parte, non in ea, qua pinnæ Murorum siue Turrium actes extaot.

Secuodo, aptari quoque potest *hæc lex*, si quaodo queratur de oneribus, quæ sustinere debent ii, qui publico fruuntur compensato.

Porro vt hæc Theodosii Iun. *lex* est de Turribus muri Constaotinop. ita de Turribus murorum in Vrbe Roma: vid. Valentioiani *Nouellam* inter Theodosianas *de Pantapolis 40. in fin.* quo referam quod scribit Vegetius *prologo lib. 4. de re milit.*

De

*) Secutus est Cuiacius Zonaram *in Annal.* loco in Commentar. adducto, qui ita de Cyro: βουληθεὶς δὲ ὁ βασιλεὺς Θεοδόσιος τὰ τείχη μεταθεῖναι τῆς πόλεως, καὶ μείζονα τὴν ταύτης θέσθαι περιοχήν, Κύρῳ τῷ ἐπάρχῳ τὸ ἔργον ἐνέθετο· καὶ ὃς σπουδῇ πολλῇ καὶ προθυμίᾳ χρησάμενος, ἀνήγειρε τὸ χερσαῖον τεῖχος ἀπὸ θαλάσσης ἕως θαλάσσης δι' ἑξήκοντα ἡμερῶν. κ. τ. λ. *Theodosius autem mœnia translaturus, & urbem amplificaturus, munus id Cyro Præfecto mandat, qui magno studio & celeritate terrestrem murum, a mari ad mare pertinentem, intra dies sexaginta absoluit.* Refecit autem muros Cyrus A. D. 447. docente *PAGIO in Critic. ad Annal. Baron. ad an. 446. num. 5.* vnde clarum per murum nouum, cuius facit mentionem *l. 7. Cod. Iust.* tit. *l. 13. Cod. Theod. de metatis*, quæ data iam est anno 422. intelligi non posse eum, quem Cyrus condidit, sed Anthemii PP. Hunc murum extruisse circa annum D. 412. vel 413. statuit Noster ad *d. l. 13.* & in *Chronico hist.* argumento huius legis oostræ: verum recte obseruauit *ANTON. PAGIVS dissert. hypat. part. 2. c. 14. n. 5.* (cuius verba habes in *Chronico*) ex ipsa lege deduci superioribus annis coeptum murum, inchoatumque in Decennalibus Theodosii A. D. 411. Imo ex lege porro liquet, murum hunc ne anno quidem 413. absolutum fuisse, cum præcipiat lex, *muri noui turres, COMPLETO OPERE*, priuatorum *vsui deputari.*

De BALNEO ZEVXIPPI *Constantinopoli: deque* SVPERFICIE *seu priuatorum domibus & officinis in porticibus eius positis. Theodosii Iunioris* lex.

LII. (a) Idem AA. (b) Seuerino (c) P. V. (d)

QVIA plurimæ domus cum officinis suis in Porticibus Zeuxippi esse memorantur, reditus memoratorum locorum pro quantitate, quæ placuit, ad præbenda luminaria, & ædificia, ac tecta reparandæ (e) gratia vrbis huius Lauacro, sine aliqua iubemus excusatione, conferri. Dat. V. Id. Ian. Victore CONS. [424].

NOTÆ.

(a) *Lex 19. Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Perperam. Reponendum enim solius *Theodosii*, Iunioris scilicet nomen: vide *Chronolog.* IDEM.

(c) *Seuerinus* P. V. Constantinop. Eidem superiori Anno 423. inscribitur *lex 11. Cod. Iust. de ædific. priuat.* vide *Prosopogr.* ID.

(d) *Præfecto Prætorio*, in Cod. Iust. *d. l. 19.* & *d. l. 11.* vid. *Prosopogr.* ID.

(e) *Reparanda, Regiæ Vrbis lauacro:* ita *Cod. Iust.* & quidem melius. Forte ita, *& ædificia ac tecta reparanda Egregiæ vrbis huius lauacro.* ID.

COMMENTARIVS.

DE LAVACRI seu Balnei ZEVXIPPI Constantinopoli porticibus: deque Porticibus positis in iis priuatorum domibus & officinis, est hæc Theodosii Iun. constitutio: quæ proinde ad locum communem pertinet de occupatis & ædificatis in locis publicis & priuatis: Et sic de *superficiario iure.* OCCVPARI equidem loca publica priuatorum ædificiis regulariter non licet: quod docet etiam *lex 22. 29.* & *l. 46. 47. supr.* quandoquidem tamen in nonnullis locis publicis ædificia extructa iam habere licuit, veluti domos & officinas, vt in specie *huius leg.* in porticibus publicorum Balneorum. Et id ipsum tamen sub onere certæ cuiusdam præstationis seu *reditus & pensionis*, seu canonis & *solarii* cuiusdam; de quo dicere anteuerti ad *leg. 9. supr.* plene, quo recurri cupio. Et in spec. quidem *huius leg.* in porticibus Balnei Zeuxippi Constantinopoli: Nempe cum Zeuxippi balneum seu lauacrum (de quo mox plenius) Constantinopoli egregium cummaxime foret, atque id porticibus circumdatum, in his porticibus domos & officinas priuati multas habebant extructas, seu cellulas, vt vocantur *l. seq.* Proculdubio vendendis, quæ ad lauacri maxime vsum
P. 325 necessaria erant: haud aliter ac in pastoforiis seu porticibus Templorum res sacro vsui destinatas, & olim prostitisse, & nunc prostare videmus. Aliisque locis publicis hominum multitudine maxime frequentatis ædificia priuati addebant, auiditate cogendæ pecuniæ, vt loquitur *lex 25. supr.* vbi plene dixi. Igitur vectigal seu *solarium* huiusmodi domibus seu officinis quoddam a Theodosio Iun. impositum, vt solitum imponi publico fruentibus, & superficiem in solo publico habentibus, vt docet quoque *lex 1. Cod. Iust. de diuers. præd. l. 2. §. 17. D. ne quid in loco publ. vel itinere:* & *lex 5. in fin. D. hoc tit.*

Cæterum huiusmodi solarium seu vectigal, modo operibus publicis reficiendis seu reparandis destinatum, modo in genere; vt in specie quoque *l. 41. supr.* modo speciatim alicui operi, *pour la fabrique:* vt in *huius leg.* specie eiusdem lauacri seu balnei reparationi, & præbendis ibidem luminaribus, in cuius porticibus domos & officinæ illæ erant. Vbi de tribus videndum est. Primo obseruandum, Thermas siue lauacra publica *Porticibus* circumdata fuisse, & quidem lauacra Zeuxippi Constantinopoli, quarum ipsarum meminit Zosimus *lib. 2. c. 30.* de quo ad *l. 50. supr.* Secundo, de luminibus Thermarum occurrunt & apud alios nonnulla testimonia, vt *l. 1. Cod. Iust. de naucular. seu naucler. publ. spec. transport. & de tollenda lustral. auri. collat.* vbi pars lustralis collationis huic rei destinatur. Sed & Lampridius eius meminit, *in Alex. Seuero c. 24. Addidit*, inquit, & *oleum luminibus Thermarum, cum antea non ante auroram* (alias *ante Nonam*) *paterent, & ante Solis occasum clauderentur.* Postremo de *Zeuxippi balneo* notandum, id balneum a Seuero Imp. Byzantii, quæ postea Constantinopolis dicta, extructum, vt testatur Suidas, *in voce* Σεβῆρος, & Codinus *in Originib. Constantinopol. pag 20. Edit. Reg. inter Script. R. B.* Theodorus Metochita, *hist. Rom. p. 94. Edit. Meursii.* quarum Thermarum Seuerianarum Zeuxippi mentio in *Anthologia lib. 4. c. 18.* εἰς λίθους, *Epigr. 23.* & *lib. eod. cap. 23.* εἰς οἴκους, *Epigr. 2.* ac *veteri descriptione Constantinopoleos, secunda regione:* Apud Gregorium Nazianzenum *orat. ad Arrianos 25. p. 435. Tom. I. Oper. Ed. Colon.* siu. *Lips. apud Weidm.* Sozomenum *lib. 3. c. 9.* Socratem *lib. 2. c. 16.* Procopium *lib. 1. de ædific. c. 10.* Cedrenum *in Seuero pag. 252. Tom. I. Oper. Ed. Reg.* Nicephorum *lib. 9. cap. 9.* Zonaram *in Iustiniano pag. 62. Tom. II. Oper. Edition. Reg.* Suidam *in voce* Χρισόδωρος. Præter omnes autem luculenter Petrus Gyllius Aquitanus Vir doctissimus *lib. 2. cap. 7. Topograph. Constantinop.* cur autem hæ dictæ Thermæ Zeuxippi; variæ sententiæ sunt, quas visere licet apud Eusebium *in Chronic. num. 157.* apud Suidam, & apud Procopium *lib. 1. de ædific. c. 10.* Incensum hoc lauacrum postea sub Iustiniano, teste Cedreno *anno quinto Iustin. pag. 369. Tom. I. Edit. cit.* Balneum quoque hoc vocatum *balneum Numerorum*, teste Nicephoro, *lib. 9. cap. 9.* quia ibi numeri militum, seu milites lauabantur.

Vt ad sententiam *huius leg.* redeam, Pensionem seu solarium harum domorum & officinarum

nomioe præstari vult Theodosius Iun. Idque *sine aliqua excusatione:* id est, sic vt ab eo nemo immunis sit. Quod modum vero huius solarii attinet non exprimitur is: *Pro quantitate*, inquit, *quae placuit*, id est, quæ definita præscripta fuit vel ab Imperatore, vel a Seuerino P. V. Sic & indefinite placita pensio solarii in genere dicitur *l. 1. Cod. Iust. de diu. præd.* Curatorum vero Reipublicæ id muneris fuisse ostendit *lex 5. D. de operibus publicis:* vel Curatorum publicorum operum, *l. 2. §. 17. D. ne quid in loco publ. vel itin.*

Ad AVDITORIA *Professorum Constantinopoli, Capitolii Porticuum exedræ a Theodosio Iuniore deportantur: ita quidem, vt si quid his adhuc desit, coëmtis vicinis cellulis id suppleatur.*

LIII. (a) Idem AA. (b) & Valentinianus Cæs. Constantio (c) P. V. (d)

EXSEDRAS, quæ Septentrionali videntur (e) adhærere Porticui, in quibus tantum amplitudinis & decoris esse monstratur, vt publicis commodis (f) possint, capacitatis ac pulchritudinis suæ admiratione, sufficere, supradictorum (g) concessibus (h) deputabit. (i) Eas (k) vero, quæ tam Orientali, quam Occidentali lateri copulantur, quas (l) nulla a platea aditus, adque egressus patamen, (m) ipsisque (n) humiliores aliquanto adque angustiores putantur, vicinarum spatia Cellularum ex vtriusque lateris portione oportet adiungi: ne quid aut ministris (o) eorundem locorum desit, aut populis (p) Sane, si qui memoratas cellulas probabuntur vel Imperatoria largitate, vel quacumque alia donatione, aut emptione legitima, possidere, eos Magnificentia Tua conpetens pro hisdem de publico pretium iubebit accipere. Dat. III. Kalend. Mart. Constantinop. DN. Theod. A. XI. & Valentiniano Cæs. Coss. [425.]

NOTÆ.

(a) Et *hæc lex* abest a *Cod. Iustin.* Iungendaque huic *lex vlt. supr. de Stud. liberal. Vrbis Romæ vel Constantinopoleos.* Item *lex vnic. supr. de Profess. qui in Vrb. Constant.* quibus titulis *hæc lex* commodius posita fuisset. GOTHOFR.

(b) Inducendum alterum A. vt etiam docet *d. l. vlt.* & *d. l. vnic.* IDEM.

(c) Constantio huic P. V. Constantinop. inscribitur quoque *lex vlt. Cod. Iustin. de offic. P. V.* vbi editum *Constantino.* ID.

(d) Constantinopolitanæ. Hinc interim replenda Inscriptio *d. l. vlt.* ID.

(e) Id est adhærent, sic & *d. l. vlt. qui videntur intra Capitolii Auditorium constituti:* vid. plura in *Gloss.* IDEM.

(f) An aliis? an magistrationibus & confessibus; *hac leg.* & *d. l. vlt.* ID.

(g) Professorum seu Magistrorum, *d. l. vlt.* absque qua *hæc lex* imperfectum sensum haberet. Simile exemplum *legis* imperfectæ *l. 48. supr.* de quo in *Prolegom. Theodos.* ID.

(h) An *concessibus*, id est, quo conceduntur? An *congressibus?* Sed malim *confessibus.* ID.

(i) Sublimitas videlicet tua, vel Magnificentia tua: Id enim repetendum cum ex *fine d. l. vltim.* tum ex fine *huius leg.* nisi malis, *deputabis.* ID.

(k) *γρ. Iis vero*, exedris scilicet, vel, *Ad eas.* ID.

(l) *γρ. Quæ nullus*, vel *ad quas nullus a platea aditus*, vel *ad quas nullum a platea aditus & egressus patamen.* IDEM.

P. 316 (m) *Patamen*, huius seculi vox, pro patente aditu & egressu. Sicut *foramen*, ita *patamen.* ID.

(n) Magistris scilicet vel potius confessibus. ID.

(o) Forte scribendum *Magistris.* ID.

(p) *Populis*, id est, discipulis & ad audiendum confluentibus. ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

De Avditoriis Professorum Constantinopolitanorum est hæc Theodosii Iun. constitutio, Anno D. 425. Quæ quidem pars est prolixioris Theodosii Iun. constitutionis: qua studiis liberalibus consultum iuit: vnde duo adhuc capita supersunt, puta *lex vltim. supr. de Stud. liberal. V. Rom. & Constant.* Imo & *lex vnica supr. de Profess. qui in V. Constant. doc.* absque qua *lege vltim.* foret, nullus satis certus huic legi sensus constaret. Quo argumento liquet, quæ quantaque sit coniungendarum inter se *legum* vtilitas: parte altera, quam multa grauiter ab *huiusce Codicis* Conditoribus admissa fuerint, quæ peculiari *Prolegomenon libro* collegi. Igitur Theodosius Iun. *Academiam* Constantinopolitanam bene fundaturus, in Capitolio Constantinopolitano Auditorium Professoribus adsignatum iuit: quod etiam indicatur bis *d. l. vltim.* quod quidem Capitolium fuit *regione octaua*, vt docet *descriptio Vrbis Constant.* Pariter vt Romæ, in *octaua regione*, vbi Vmbilicus Romæ erat.

Nominatim vero Auditoria eis adsignat *hac lege* in porticibus Capitolii, & earum porticuum exedris, sub triplici ampliatione: *Primo* quidem, eas quoque exedras, quæ Septentrionali porticui adhærent, quamlibet maximæ amplitudinis & decoris, capacitatis ac pulchritudinis, iis adsignat. *Secunda* Ampliatio, quod contra exedras Orientali atque Occidentali lateri adhærentes, quæque angustiores erant, atque a platea aditum & egressum non habebant, ampliari velit; & (quod *Tertium*) coëmptis a legitimis possessoribus vicinarum cellularum spatiis. Qui casus singularis addendus est iis, quibus ob publicam vtilitatem priuati domos vel officinas suas prædiaque cum aliis locis commutare, vt in spec. *leg. 52.* & *53. supr.* vbi *dixi*: vel pensato priuilegio aliquo, vt 10 spec. *l. 1. infr. de Aquæductu*: vel pretio accepto vendere coguntur, & quidem ad Professorum Auditoria in sp. *huius legis*, sicuti & ad Religiosarum domorum incrementa: de quo vide vel Loisetii *arrestum 6. litt. A.* verum de hoc plenius ad *dict. l. 50. supra.*

Et hæc quidem est sententia *huius legis*: quæ vt melius intelligatur, de tribus adhuc videndum est; de Porticibus scilicet, de Exedris, & Cellulis illis. I. *Porticus*, (quarum *hac leg.* mentio fit,) sex huiusmodi ea Capitolii parte & regione memorat *Vetus Vrbis Constantinop. descriptio.* Ad eundem modum & inter alia πάρεργα Capitolii Romani variæ Porticus fuere, teste Virgil. *Æneid. VIII. v. 655. 656.* Liuio, *lib. 41. cap. 27.* siu. *32.* Velleio, *lib. 2. cap. 1.* Tacito *3. Histor. c. 71.* Suetonio *in Cæsare cap. 10.* De quo vide Rycquium *de Capitolio, cap. 34.* Cæterum vt Auditorium publicum in Porticibus Capitolii Constantinopoli a Theodosio Iun. additum; ita & Romæ pariter Bibliotheca ad Capitolium addita, de qua Eusebius *in Chronica*, & ex eo Orosius *lib. 7. cap. 16. in rebus Commodi.* An in Porticibus Capitolii, non est qui exerte dicat. Ibidemque recitationes poëmatum factæ, Poëtarumque commissiones: de quo idem Rycquius, *cap. 35.* Cuius hic error grauis est, quod hanc *legem* nostram de Capitolio Vrbis Romæ accepit. Et hæc de porticibus Capitolii.

II. *Exedræ* in his Porticibus erant loca seu Diætæ, non deambulandi populive gratia, vt ipsæ Porticus, vel ipsa mediana in priuatis cœnaculis & habitationibus, verum loca prope Porticus ædificata consessus causa, multorum hominum capacia, coire, docere, disputare, audire cupientium. Id enim sunt *exedræ*. Sane ideo cubicula, & exedræ iunguntur, *l. 5. §. 2. D. de his qui effuderint vel deiecer.* Sed & Strabo *lib. 17. p. 1143. Edition. Almeloveen.* de Musæo Alexandriæ, quod huc maxime facit: τὸ Μουσεῖον ἔχει περίπατον καὶ ἐξέδραν, καὶ οἶκον μέγαν, ἐν ᾧ τὸ συσσίτιον τῶν μετεχόντων τοῦ Μουσείου φιλολόγων ἀνδρῶν: *museum, quod deambulationem habet, & exedram & maximam domum, in qua cœnaculum est eorum, qui musei consortes sunt, ac literis humanioribus studium impendunt.* Cicero, quod huc pariter maxime facit, *lib. 5. de finib. c. 2. lib. 1. de Natur. Deor. c. 7.* & *lib. 3. de Orator. c. 5.* nominatim Exedram pro loco, in quo Philosophi disputantes sederent, locoque ad colloquendum, aut meridiandum, accepit. Iis quippe locis scribit, Crassum Oratorem in Tusculano, & Cottam Pontificem Romæ exedras habuisse. Sic vt recte nonnulli Exedram scholam interpretentur. In *Glossis* quoque Philoxeni *Ala*, Ἐξέδρα, Εἴλημα, Σχολή, &c. Pollux idem affirmat esse ἐξέδραν, & παστάδα, *lib. 7. cap. 27 segm. 122. pag. 775. Edit. Amsterdam.* παστάδας δὲ ὁ Ξενοφῶν, ἃς οἱ νῦν ἐξέδρας, *porticus vero Xenophon, quos nunc consessus vocant.* & *lib. 9. c. 5. segm. 46. pag. 1029.* ἀνδρῶνας, παστάδας, συσσίτια, συμπόσια, προεξέδρας, θώκους, seu συνθώκους iungit, & πόλεως μέρη facit. Idem *lib. 1. cap. 8. segm. 79. pag. 51.* λέγεται δὲ καὶ ἀνδρὼν, ἵνα συνίασιν οἱ ἄνδρες: εἶτα ἐξέδρα, ἵνα συγκάθηνται: τὸ δὲ συμπόσιον, &c. ἀνδρὼν, *qua viri conueniunt, dicitur: deinde exedra seu consessus, vbi consident ad loquendum. Sympositum vero, &c.* Est autem παστὰς cœnaculum: παστὰς enim pro νυμφὼν Hesychio. Quæ inde dicta, si fides Polluci *lib. 6. cap. 1. segm. 7. pag. 566.* & Scholiastæ Apollonii, διὰ τὸ ἐν αὐτῇ σιτεῖσθαι ὑμᾶς, οἱονεὶ πάσασθαι: etsi alii malunt, ἀπὸ τοῦ πάσσειν, quod est, ποικίλλειν, quod opere intestino cœlatum, laqueatiis & tectorio albarioque opere inductis pictisue & auratis ornata essent. Vnde Hesychio παστάδες διαγεγραμμένοι οἶκοι: & παστοφόριον, ἢ ναὸς ἐνασθής. Vnde & παστὸς velum variegatum plumario opere, quod thalami siue œci foribus & sacræ calybæ, id est, interiori cellæ obpansæ erant: vide Pollucem. Vnde & Pastophorium in *Gloss.* Isidori, *Atrium Templi* explicatur, vel *fafarium*, vbi rescribendum forte *sifarium*: nam *sifara* sunt vexilla & vela, de quibus dixi ad *librum 1. Tertull. ad Nationes, c. 12.* Verum ad exedras redeamus: Omnium manifestissime Vitruuius eas describit in porticibus, *lib. 5. de Architect. cap. 11.* de Palæstrarum ædificatione: *Constituuntur*, inquit, *in tribus porticibus Exedræ spatiosæ, habentes sedes, in quibus Philosophi, Rectores, reliquique, qui studiis delectantur, sedentes disputare possint.* Exedrarum rursum mentio fit apud eundem *lib. 6. cap. 5.* & *lib. 7. cap. 9.* Interim ex *hac leg.* & superiore Vitruuii *loco* liquet, Exedras has Porticibus adhæsisse, vel in his fuisse: vid. & Iosephum *lib. 1. de bello Iudaico, cap. 16.* vbi agit de Herodis operibus, βίβλῳ δὲ, τεῖχος, ἐξέδρας τε καὶ στοὰς ἀνέθηκε, *Bibli autem murum, exedras vero & porticus fecit.* Quod etiam sequentes Inscriptiones ostendunt, & hæc quidem quæ Tibure visitur in *Corpore Inscription. Gruteri CLXXII. 4.*

C. LVCTIVS. L. F. AVLIAN. Q. PLAVSVRIVS. C. F. VARVS
L. VENTILIVS. L. F. BASSVS C. OCTAVIVS. C. F. GRAECHIN
IIII. VIR.
PORTICVS. P. CCLX. ET. EXSEDRAM. ET. PRONAON. ITER
ET. PORTICVM. PONE. SCAENAM. LONG. P. CXL
S. C. F. C.

Item altera hæc Romæ *LXV. 3.*

SILVANO. SANCTO
C. AVSTVRNIVS
MEDICVS. LVDI. GALLIC
PORTIC. ET. EXEDR
ET. SIGN. AEN.
VOTO. SVSCEP
L. M.

Augustinus quoque *lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8.* diser-
P. 327 te Exedram lectioni & prædicationi inseruisse, in eaque gradus fuisse, ostendit: *Sequenti die, post sermonem redditum, narrationis eius libellum in crastinum populo recitandum promisi: quod quum ex Dominico Pascha die tertio fieret, in gradibus Exedra, in qua de superiore loquebar loco, feci stare ambos fratres, quum eorum legeretur libellus*, &c. Idemque Augustinus *initio libri de Gestis cum Emerito Donatistarum Episcopo*; de collatione sua cum illo Cæsareæ præsentibus Episcopis Prouinciæ & plebe; *Cæsarea*, inquit, *in Ecclesia maiori, cum Deuterius Episcopus Metropolitanus Cæsariensis vna cum Alipio*, &c. *& cæteris Episcopis in exedram processissent, præsentibus Presbyteris, & Diaconis, & vniuerso clero, ac frequentissima plebe; adesset etiam Emeritus partis Donati Episcopus, Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit*, &c. Itaque recte Budæus & Philander notant, Exedras eorum locorum figuram referre, quæ in Cœnobiis seu peristylus Monachorum aut Canonicorum *Capitula* dicuntur. Cæterum perflatiles eas fuisse, si non omnes, aliquas certe, Vitruuii testimonio clarum, *lib. 7. cap. 9. Apertis vero*, inquit, *peristylis aut exedris, aut cæteris eiusmodi locis, quo Sol & Luna possit splendores & radios immittere, denigratur.* Tandem a Græca origine dictas *Exedras* patet, nempe a frequentibus ibi sedibus, anaclinteriis, &c. vt ex Vitruuii quoque loco clarum est. Et hæc de Exedris, quas etiam separatas & singulas singulis Professoribus deputari iubet Theodosius Iun. *d. l. vltim. supr. de Stud. lib. V. R.* cui hæc non tantum coniungenda, verum immediate subiicienda est. III. *Cellulæ* hic, & *d. l. vltim.* sunt domunculæ, habitationes, officinæ (de quibus etiam actum *l. 52. supr.*) & quidem in specie *huius legis*, publicis porticibus, cuiusmodi in Monasteriis videmus, eadem voce retenta; vt ostendit Hieronymus *in vita Hilarionis ep. 51. pag. 157. Tom. I. Oper. Edit. Francf. apud. Christ. Gensch.* & Cassianus *lib. 2. de institution. cap. 12. Tom. VII. Bibl. Patr. max. pag. 22.* qua singulorum Monachorum claustra significantur; ad quæ ex mediano vel porticu commune Monachis iter est. Qua causa Ennodius quoque *lib. 1. epist. 5.* Monachos *Cellularios* vocat.

Cæterum ex *hac leg.* apparet, huiusmodi Cellulas porticibus publicis adhærentes, publicas fuisse: & proculdubio exponendis mercibus, vel artibus sellulariis exercendis publice locatas: Et tamen nonnullas ex his processu temporis ab Imperatoribus donatas, venditas.

Ex *hac* interim quoque *lege*, iunctisque duabus aliis, quibus ea socianda, venit, apparet, quo quantoque studio Theodosius Iun. Constantinopoli studia, Professoresque amplexus sit: de quo Theodosii studio dixi ad *l. vnic. supr. de Respons. Prudent.*

Postremum notandum, *hanc leg.* inscribi Constantio P. V. ad quem data est quoque lex *vltim. Cod. Iust. de offic. P. V.* vbi *Constantius* vocatur: ad quem pertinere videntur duo epigrammata, de opere quodam alio Constantinopoli excitato ab eo *lib. 4. ἀνθολογ. c. 28. εἰς πόλεις.*

DE AQVÆDVCTV.

TITVLVS II.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. XLII.

Omnes *huius tituli* constitutiones extant etiam post Frontini librum de Aquæductibus.

PARATITLON.

AQVÆDVCTVS *Rubr.* & *l. 2. 6. hoc tit.* & *l. 23. 36. supr. de Operibus publicis: l. 29. 30. supr. de Prætor.* seu Aquæductus publici, *l. 4. h. t.* dicuntur & Aquarum ductus, *l. 1. h. t.* Formæ, *l. 1. 8. 9. hoc tit.* & *l. 3. supr. de calc. coctor. Vrb. Rom.* Formarum meatus, *d. l. 1. h. t.* Aquarum meatus, *l. 8.* inter opera publica erant *d. l. 23. 36. sup. de oper. pub.* quæ ratio est, cur *hic titulus* superiori cohæreat. Dicuntur & Aquarum ductus; Aquæductuum partes hæ hoc titulo memorantur; Fistulæ, Matrices *l. 5. h. t.* Castella, *l. 5. 6. h. t.* seu Conceptacula, *l. 2. h. t.* sicut ipsius aquæ Moduli Aquarum, Obolus, *l. 2. hoc tit.*

Vnciæ,

Vnciæ, *l. 3. b. t.* & *l. vltim. h. t.* Fistulæ adpotæ, *l. 2. b. t.* Huiusmodi aquæductus erant Romæ, *l. 1. 5. 8. 9. b. t.* & in his nominatim Augusta forma, *d. l. 8. b. t.* & Claudia, *l. 9. seu vlt. b. t.* Constantinopoli, *l. 3. 4. 6. hoc tit. l. 29 30. supr. de Prætor.* (in his Theodosiacus Aquæductus, *d. l. 29. 30.*) Item in Daphnensi Palatio vsum aquæ præstans, *l. 2. hoc tit.* Vrbis Antiochenæ, *l. 7. hoc tit.* & *l. 36. supr. de Operibus publicis.* Item per Diœcesim Orientis, *d. l. 36. supr. de Operibus publicis*, qui quidem per Priuarorum possessiones & fines quandoque ducebantur, *l. 1. hoc tit.* De Fabrica, & Reparatione & Turela aquæductuum notanda sunt sequenria.

1. Impensas quandoque a Prætoribus in ludos anrea fieri solitas, fabricæ aquæductuum destinatas: *d. l. 29.* & *30. supr. de Prætor.*

2. Operas aliquando ad id omnes conferre coactos, *l. 23. supr. de Operib. publ.*

3. Quandoque reparationem sumptu publico penitus factam, *l. 8. h. t.*

4. Refectioni aquæductuum Romæ, & pecuniam seu argentum reconditum fuisse; quæ *formarum condita*, Symmach. *lib. 10. ep. 33.* de quibus ad *l. 3. supr. de calc. coct* 1500. onera calcis, & sic dimidiam partem præstationis calcariæ annuam deputatam, quæ ab Italiæ Regionibus præstabatur, *d. l. 3. supr. de calcis coctor.* vnde *Cespes Formensis*, in *Nouell. Valent. 40. de Pantapol.*

P. 328 5. Quandoque materiam aliunde ex demolitione templorum deputatam, *l. 36. supr. de Operib. publ.*

6. Repurgandis illis obnoxios fuisse eos, per quorum fines transibant, *l. 1. hoc tit.* qui ideo ab extraordinariis oneribus immunes erant; *d. l. 1. hoc tit.*

7. Ne arborum radices eos corrumperent, dextra læuaque de ipsis formis, 15. pedibus nonnisi intermissis, arbores haberi potuisse, *d. l. 1. b. t.*

8. Horum publicorum Aquæductuum curam, custodiam, tutelam pertinuisse ad Præfectum Prætorio, *l. 8. b. t.* Romæ ad Præfectum Vrbi, *l. 3. 4. 5. 6. 9. h. t.* ad peculiarem Consularem Aquarum, *l. 1. hoc tit.* & *l. 1. supr. de diuers. offic.* eorumque officia, *l. 1.* & *l. vltim. hoc tit.* & *d. l. 1. supr. de diuers. offic.* Aquæductuum ad Palatia Principis pertinentium, ad Comitem R. P. *l. 2. b. t.*

De *Modo vtendi* Aquæ ductibus publicis, aduersus fraudes, vitiaque; vt loquitur Frontinus, & licentiam priuatorom, hæc constituuntur. Aquam deriuare, *l. 4. 6. 8. hoc tit.* seu elicere, *l. 5. b. t.* ad domos non licuisse, nisi ex licentia, *l. 7. b. t.* seu Principis Concessione, *l. 2. 3. 5. 6. 8. b. t.* seu Imperiali largitate, *l. 2. b. t.* per Principis indulta, *l. 5. b. t.* Iure Beneficii (quæ vox huic rei propria est) *l. 6. b. t.* ex rescripro, *l. 8. b. t.* Secundo, neque in agros deriuare licuisse, *l. 4. 7. b. t.* Tertio, neque maiore quantitate vsurpare, quam fuerat concessum, *l. 2. 3. 6. 7. b. t.* admotis forte maioribus fistulis, *l. 2. b. t.* Quarto, non fistularum, quas matrices vocant, soliditate attentata, *l. 5. hoc tit.* Quinto, non ex aquæductu, *l. 6. b. t.* verum ex castellis, *l. 5. 6. b. t.* seu ex conceptaculo, *l. 2. b. t.* & ex formis ipsis, *d. l. 5. b. t.* Quandoque etiam vetitum quamlibet ex Rescripto aquam ex Aquæductu vsurpare: vt in spec. *l. 8.* & *9. b. t.*

De Tvitione *Aquæductuum a sordibus & arboribus, deque possessorum, per quorum prædia illi transeunt, in id officio, & ideo immunitate.*

I. (a) Imp. Constantinus A. ad Maximilianum (b) Cons. (c)

Aqvarvm possessores, per quorum fines (d) formarum (e) meatus transeunt, ab

extraordinariis oneribus (f) volumus esse immunes: vt eorum opera aquarum ductus sordibus oppleti mundentur: nec ad aliud superindictæ (g) rei onus hisdem possessoribus adtinendis, ne circa res alias occupati repurgium (h) formarum facere non occurrant. (i) Quod si neglexerint, amissione possessionum multabuntur: Nam fiscus eius prædium obtinebit, cuius negligentia perniciem formæ congesserit. Præterea scire eos oportet, per quorum prædia ductus (k) commeat, (l) vt dextra læuaque de (m) ipsis formis quindecim pedibus intermissis arbores habeant: Obseruante Tuo Officio, (n) vt si quo tempore pullulauerint, excidantur, nec (o) earum radices fabricam formæ corrumpant. Dat. XV. Kal. Iun. Gallicano & Symmacho Coss. [330.]

NOTÆ.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iust. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) An idem ille, qui *Maximilianus Macrobius* dicitur, cuique inscribitur *lex* 2. *supr. de emendat. seru.* Sed & *Iulius Maximilianus Comes* memoratur in *veteri Inscriptione*, quæ in Cœlio monte Romæ, quam ipse in gratiam Helenæ matris Constantini, Auiæ Constantis & Constantii, fecit. Extat ea in *Corpore Inscriptionum Gruteri* CCLXXXIV. 1. IDEM.

(c) Id est Consularem, & quidem *Aquarum*, mox vt ostendam: retracta voce *Aquarum* ab *initio leg.* ad hanc *Inscriptionem.* ID.

(d) *Fines*, id est, fundos, vt Interpretes, & *infr.* vel vt ipse malo *prædia*, terras, *l.* 51. *supr. de Operib. publ.* per extremos fines fundorum, ibi enim potius & humanius ducti aquæductus. ID.

(e) *Forma* hic, & *l.* 8. 9. *infr.* & *l.* 3. *supr. de calc. coctor.* & apud Frontinum, Sidonium *lib.* 1. *epist.* 5. Symmachum *lib.* 10. *epist.* 33. & in Auctario *epist.* 12. Cassiodorum, aliosque Recentiores, sunt Aquæductus. Vnde & *Comes Formarum* apud Cassiodorum *lib. VII. Var.* 6. & *Notit. Imper. Romani fol.* 118. ID.

(f) *Muneribus* in nonnullis Frontini libris. ID.

(g) Cuiuscunque superindicti. ID.

(h) *Repurgium*, sic lex; pariter vt Ambros. *in Theodos. Ep.* 17. *p.* 213. *Tom. V. Oper. Edit. Paris* 1614. *Non audisti Imp. quia cum iussisset Iulianus reparari Templum Hierosolymis, quod diuino, qui faciebant repurgium, igne cremarint.* ID.

(i) *Non curent*, ita *Cod. Iust.* non ita proprie, de quo mox. ID.

(k) *Aquæductus*, Cod. Iust. quod idem. ID.

(l) Vel *Commeant*, etsi illud quoque rectum est. ID.

(m) *Ex*, Cod. Iust. minus recte: rectius, *de*, id est, *ab* ipsis formis. ID.

(n) Officium Consularis Aquarum obserua, cuius mentio quoque fit *d. l.* 1. *de diuers. offic. supr.* vbi dixi. In *Cod. Iust.* hoc immutatum, in *officio Iudicis*: vt ita *hæc lex* generalis efficeretur. ID.

(o) An *Ne?* Illud recte sustineri potest. ID.

COMMENTARIVS.

DE TVITIONE Aquarum & Aquæductuum est hæc Constantini M. constitutio Anno D. 330. Et quidem, si mens non male augurat, de tuitione Aquæductuum *Constantinopolitanorum*,
P. 329 Hoc enim ipso mense Maio Constantinopolis dedicata fuit, eodemque mense etiam apertum lauacrum Zeuxippi (de quo lauacro *superiore titulo* actum fuit) vt testatur Auctor Chronici Alexandrini *pag.* 664. 665. *Edit. Rader.* De Tuitione, inquam, Aquæductuum, tum a sordibus, tum & a confusio rerum noxiarum: quod vtique ad Consularem Aquarum pertinet: non vero de tuitione, seu sartis tectis formarum ipsarum, cui rei etiam *Comes formarum* specialis aliquando Romæ destinatus fuit, ideo *lex* hæc Consulari Aquarum inscribitur: vox enim *Aquarum* (quod Pancirolus quoque iam recte indicauit, in *Consulari Aquarum*, in Notitia, *fol.* 122.) retrahenda est ad inscriptionem *legis*, & ita legendum: *Ad Maximilianum Consularem Aquarum:* Mox initium *legis* a voce, *Possessores*, deducendum: Nullus alioquin, imo falsissimus sensus hinc eliciatur, si legamus, *Aquarum possessores.* Neque enim Priuati vlli publicorum Aquæductuum possessores sunt, sed vt mox subiicitur, *per possessorum fines formarum meatus*, id est Aquæductus, *transeunt.* Vnde hoc metu Interpretes, *Aquarum possessores* hic ridicule interpretantur fundorum possessores, per quos aqua labitur. Et sane Maximilianum, cui *hæc lex* inscribitur, *Consularem Aquarum* fuisse, & *lex* integra ostendit, & illa nominatim verba *fin. leg. Obseruante tuo Officio*, &c. Consulari alioquin Aquarum inscripta est & altera *huius Cod. lex* 1. *supr. de diuers. Offic.* & quidem eiusdem Constantini M. vbi pariter *officii Consularis Aquarum* mentio fit. Meminit etiam Notitia Imperii *Consularis Aquarum fol.* 118. quin & duæ Inscriptiones de *Consulari Aquarum* extant *apud Gruterum* LIV. 6. & CCCCLIX. 7. Similes vero errores vocum perperam alibi positarum, ad initium vero legis retrahendarum, plures *suo capite* in *Prolegomenis* obseruamus: vide interea *leg.* 1. *supr. de bon. vacant.* Ergo Consularis Aquarum hoc æuo Con-

Constantinopoli fuit. Romæ enim iam olim Curatores præerant: de quibus vid. Frontinum *Aquæduct. articul. 97. pag. 170. seqq. Edit. Poleni*: vbi omnes Curatores qui ad se vsque fuerunt, adnumerat.

Antequam vero hanc *legem* illustro, illud ex *ipsa* præsupponendum est, priuatorum fines seu prædia occupata ad Aquæductus publicos: qui casus addendus est aliis, quibus priuatorum loca occupari possunt Reipubl. ergo: quo in argumento versantur *tres* præterea *leges*, puta *lex 50. 51.* & *lex vltim. supr. de operib. publ.* ad quas vide quæ dixi. Qua parte tamen Romanorum æquitas admirabilis notanda, quam Frontinus *de Aquæduct. articul. 128. p. 216. Edit. Polen.* notat, *qui ne ea quidem eripuere priuatis, quæ ad modum publicum pertinebant; sed cum aquas perducerent, si difficilior possessor in parte vendenda fuerat, pro toto agro pecuniam intulerunt, & post determinata necessaria loca, rursus eum agrum vendiderunt, vt in suis finibus proprium ius tam Res publica, quam priuata haberent.* Sic & ex *agris priuatorum*, terram, limum, lapidem, testam, arenam, ligna, cæteraque quibus ad eam rem (ad Aquæductus inquam) opus esset, vnde quæque eorum proxime sine iniuria priuatorum tolli, sumi, portari poterant, viri boni arbitratu æstimata, dari debebant, tollique poterant, sumi, exportari. Quin & ad eas res omnes exportandas, earumque rerum reficiendarum causa, quoties opus esset, per *agros priuatorum*, sine iniuria eorum, itinera, actus patere, datque iussa Senatusconsulto sub Augusto: quod memorat Frontinus *de Aquæductibus, articul. 125. pag. 211. Edit. Polen.* Nunc ad sententiam *huius legis*.

Duo sunt *huius leg.* capita de Aquæductuum tuitione. Primum est de Tuitione Aquæductuum *a sordibus*, seu de REPVRGIO aquarum a sordibus; de quo Tria constituuntur: *Primo* definitur, Possessoribus, per quorum fines seu prædia Aquæductus transeunt, Repurgium aquarum seu Formarum incumbere, id est, onus mundandorum Aquæductuum sordibus oppletorum; quod & ipsum testantur Mago & Vegoia inter Auctores *de limitibus, p. 263. Edit. Rigalt.* & *pag. 257. Edit. Goes.* loco, quem mox consignabo. *Secundo*, Pœna prædii confiscandi imponitur possessoribus id negligentibus. *Tandem* (& quod *initio leg.* proponitur) immunitas his inuicem ab extraordinariis oneribus seu superindictionibus tribuitur: *Ne* (vt eleganter adiicitur) *circa res alias occupati, repurgium formarum facere non occurrant.* Seu vt Valentinianus Iun. *Nouell. inter Theodosianas 40. in fin. vt propitius deuotionem solita functionis agnoscant.* Sic & Aquarii seu aquarum Custodes ὑδροφύλακες ab extraordinariis muneribus immunes erant, *l. 10. C. I. eod. tit.* Ait vero lex, *Non occurrant*, in tempore scilicet, quam elegantiam sustulit in *Cod. Iust.* Tribonianus: *occurrendi* enim vox hac in re propria; quale illud, *Satius in tempore occurrere, quam post causam vulneratam remedium quærere*; aliaque complurima similia. Item illud; *Postica occurrito Sanna.* Aquæductuum fauor hic est, vt quos repurgandorum eorum opera spectat, ii extraordinariis oneribus non auocentur. Hinc & leuiora tributa propter hoc eos persoluisse Mago pariter, *loco*, quem antea pollicitus sum, testatur: *Aquarum ductus*, inquit, *per medias possessiones diriguntur, quæ a possessoribus ipsis vice temporum repurgantur: propter quod & leuia tributa persoluunt.* Et hæc quidem ita *hac leg.* constituuntur, ac nominatim de Repurgio Aquæductuum, cuius onus incumbebat possessoribus prædiorum, per quæ Aquæductus transibat. Alioquin & olim iam in ipsa Vrbe Roma, & circa eam, a domorum & agrorum possessoribus, pro Aquæductu, seu ob formam Aquæductus, quæ infra domum, vel per agrum transibat, pensitatio quædam annua præstabatur, vt docet *l. 27. §. 3. D. de vsufruct.* & *l. 41. D. de action. empt.* itemque Vitruuius *lib. 8. cap. 7.* Et Frontinus *de Aquæductibus, articul. 118. pag. 203. Edit. Polen. Commoda publica familia ex ærario dantur, quod impendium exoneratur vectigalium reditu ad ius aquarum pertinentium: Ea constat ex hortis, ædificiisue: quæ sunt circa ductus, aut castella, aut munera, aut lacus: quem reditum prope sestertiorum CCL.* [al. cc.] *millium salientem ac vagum, proximis vero temporibus in Domitiani loculos versum, iustitia Diui Neruæ populo restituit, nostra sedulitas ad certam regulam redegit, vt constaret, quæ essent ad hoc vectigal pertinentia loca.* Atque hoc est etiam illud proculdubio, quod voluit Valentinianus, *d. Nou. inter Theod. de Pantapolit, 40.* cum *Cespitem Formensem, calcarium & Vecturarium* ab extraordinaria Tironum collatione, & ab exoluendis septem solidis per millenas indictis, immunem præstat. *Illud quoque*, inquit, *pro tuendo statu veneranda vrbis decernimus, vt a conlatione tironum, & ab exoluendis septem solidis per millenas nuper indictis, cespes Formensis, Æstrinsis, Calcarius & Vecturarius habeatur immunis, vt propitius deuotionem solita functionis agnoscant.* Nempe vt *Calcarius* & *Vecturarius cespes*, ibi est ager qui obnoxius erat functioni calcis & vecturæ, vt docet *lex 1. 2. & 3. supr. de calc. coctor.* ita *Formensis* est, qui functioni Formarum Aquæductuum erat obnoxius. Quarum formarum etiam, vt antea dixi, specialis Comes erat, vt ex *Notitia* & *Cassiodoro* liquet. De *Æstrinsi* cespite, quisnam is fuerit, non liquet: nisi *Aeriensem* (quod mihi succurrit) quis putet, cloacario obnoxium, immunditiarum videlicet faciei & impuriori spiritui, causisque grauioris cœli, quibus infamis AER fit, remouendis: Nam & ita in Notitia Imperii coniunguntur, *Comes formarum*, & *Comes riparum, aluei Tiberis, & Cloacarum*: itemque in *d. l. 27. §. 3.* coniunctim agitur de *fundis cloacarium debentibus*, & *ob formam aquæductus aliquid pendentibus. Si quid*, inquit, *Cloacarii nomine debeatur, vel si quid ob formam Aquæductus, quæ per agrum transit, pendatur: sed & si quid ad collationem viæ, puto hoc quoque fructuarium subiturum. Ergo & quod ob transitum exercitus confertur ex fructibus.* Sane & ita ἀερικὸν dictum, tributum ipsum, quod pro aëre impositum agris: Cuius mentio apud Cedrenum in rebus Michaël. Paphlagon. *Tom. II. Oper. pag. 742. Edit. Reg.* Leonem Tactic. *cap. 20. § 71.* & Harmenopulum *lib. 1. t. 4.* Procopium *hist. arcan. cap. 21.* de quo ἀερικῷ consule Cujac. *X. Obseru. 7.*

Alterum *huius leg.* caput est de CONFINIO rerum Aquis & aquæductibus noxio amoliendo: atque adeo de SPATIO arboribus vacuo ab Aquæductibus relinquendo: quo pertinent duæ præterea *Cod. Iust.* constitutiones: vna Theodosii Iun. *l. 6. Cod. eod.* Zenonis altera: *l. 10. Cod. eod.* Nempe & antiquis constitutionibus interdictum, ne iuxta aquæductus qualescunque arbores plantarentur, ne alioquin arborum radices fabricam formæ corrumperent: quod etiam docet Frontinus: seu vt Zeno ait *d. l. 10. Cod. Iust. eod. tit. Ne ex stirpibus labefactentur parietes Aquæductuum.* In simili Cassiodorus *II. Var. 39. Virgulta quoque noxia importunitate nascentia, euulsis cespitibus auferantur, ne RADICVM quidam capilli paulatim turgentes fabricarum visceribus inserantur, & more vipereo prolem sibi fœcunditate contraria nutriat, vnde se compago casura disrumpat.* In eadem vero omnino re, formarum, inquam, Vrbis Romæ reparatione, idem *lib. VII. in formula Comitiua formarum Vrbis 6.* quem locum iam Lucas de Penna *hic* laudauit: *In primis noxias arbores, quæ inferunt fabricarum*

P. 330

carum ruinas, dum sint quidam mœnium importabiles arietes, censemus radicitus amputari: quia nulla læsio remouetur, cuius origo non tollitur. Imo & *lib. V. epist. 38.* Theodoricus Rex vniuersos possessores admonet vt de forma Rauennate arbores, imo virgulta amputentur: vbi inter alia, egregie illud: *Nam quæ nunc virgulta sunt, erunt si negligantur & robora.* Ac nominatim quindecim pedum spatium dextra læuaque vacuum relinqui iussum, vt *hac leg.* ita iure antiquo seu *SC.* quod memorat Frontinus *lib. de Aquæduct. circa fin.* vbi & hanc rationem præmittit: *Arbores*, inquit, *magis nocent, quarum radicibus & concamerationes & latera soluuntur.* Quanquam Theodosii Iun. constitutione, *d. l. 6. Cod. I. eod. tit.* decempedale tantum spatium constituitur a sulco publico aquarum. Quam *legem* cum *hac* frustra aliter conciliant Interpretes nonnulli.

Datur præterea *hac leg.* negotium *Officialibus Consularis aquarum* (de quo ante dixi) vt arbores, si quæ pullulauerint intra id spatium, excidantur. Quod negotium pariter datum Curatoribus Aquarum *ex SC.* quod memorat Frontinus.

De DAPHNENSI *Aquæductu, modoque aquæ quem exinde priuatis ducere liceret:* *Valentis* lex.

II. (a) Imppp. Valentinianus, VALENS, & Gratianus AAA. Fortunaciano Com. R. P. (b)

AQVÆDVCTVS, qui Dafnensi Palatio (c) vsum aquæ præstat, quorundam auiditate (d) tenuatur, adpotis (e) maioribus fistulis, quam ex Imperiali largitate meruerunt: Consensu igitur omnium in tribus locis conceptacula reparentur: & *Singulorum nomina, Modusque seruandus*, tabulis adscribatur, &, si vltra licitum aliquem vsurpare constiterit, per singulos obolos, (f) libræ vnius auri dispendiis ingrauetur. (g) Et si sacri tenore Rescribti aliquis certum modum aquæ meruisse noscetur, non prius eidem accipiendi potestas aliquatenus (h) tribuatur, nisi adito Rectore (i) ex ipso conceptaculo quantitatem quam meruit possit adipisci. Dat. (k) III. Kal. Nou. Antiochiæ, Valentiniano NB. P. & Victore Coss. [369.]

NOTÆ.

(a) Abest hæc constitutio a *Cod. Iustin.* *GOTHOFR.*

(b) Per Orientem. *Fortunatiano* inscribitur hoc ipso Anno *lex 5. supr. de Metallis:* & Anno 365. vel 368. *lex 2. supr. de Tironib:* vt & Anno 377. *l. 3. supr. de fisci debitor.* Meminit eius Ammianus Marcellinus *initio lib. 29. cap. 1.* in gestis Anni proximi 372. vbi & *molestum Flagitatorem* vocat. Zosimus *lib. 4. cap. 14.* *IDEM.*

(c) De Palatiis vid. *Paratitlon* plenissimum, *tit. supr. ne quis in Palat. maneat. lib. 7. tit. 10.* *ID.*

(d) Auida cupiditas, *l. 6. infr.* *ID.*

(e) Putet aliquis restituendum, *admotis*, vel *adpositis:* seu *adpotis*, rectum est. *Adpotis*, id est, ad patandum admotis: Plautus *Rudente Actu 2. sc. 7. v. 8. si probe adpotus siem.* Igitur *Adpotis* pro adpotatis, vt *in epist. Alexandri ad Aristotelem:* Sic & *Vasa potoria*, vulgo *potatoria*; sic & *epotum*, pro epotatum: Iuuenal. *Sat. X. v. 177.*
——— *Epotaque flumina Medo.*

Pollio in Claudio, *c. 6.* *Epota flumina consumptasque syluas.* *ID.*

(f) Aquæ. *ID.*

(g) Id est grauetur, feriatur. *ID.*

(h) Vllo modo. *ID.*

(i) Consularem Syriæ intelligit, qui Antiochiæ. *ID.*

(k) An *Data*, pro Accepta, vel Reddita vel Proposita? Sequente enim demum Anno 370. Valentem Antiochiæ hiemasse, testatur Ammian. *lib. 29. c. 1.* & Zosim. *lib. 4. c. 13.* Vt sic proposita fuerit hæc *lex* Antiochiæ, vtpote quæ ad eius suburbanum Daphnense spectet, & ipsa ideo *Epidaphna* cognominata. *ID.*

P. 331 ### COMMENTARIVS.

DE DAPHNENSI Aquæductu prope Antiochiam, (Palatio scilicet Daphnensi seruiente,) est hæc Valentis Imp. constitutio, data Anno D. 369. qua consulit EROGATIONI seu iustæ IMPE-

IMPETRATIONI aquæ ex Aquæductu illo ducendæ, contra priuatorum vsurpationem: ne alioquin suis aquis Palatium illud defraudetur. Qui idem scopus est omnium sequentium *huius tit.* legum. Ita quidem etiam, vt *lex 7.* ad Aquæductus Antiochenæ Vrbis prope Daphnem pertineat. Quandoquidem ea *lex* inscribitur, Comiti Orientis, cuius vtique sedes, Antiochia erat. Cæteræ *huius tit.* leges pertinent ad Aquæductus publicos seu vrbanos Vrbis Constantinopolitanæ, puta *lex 3. 4. 6.* & Vrbis Romæ, nempe *lex 5. 8. 9. seu vltim.* quæ etiam *leges* ideo Præfectis Vrbi pleræque inscribuntur. Atenim hæc inscripta est *Comiti Rerum priuatarum:* quia & in ea agitur de Aquæductu ad rem priuatam Principis spectante, Palatii videlicet Daphnensis; pariter vt *l. 12. supr. de iure fisci:* quæ & ipsa est de luco Daphnensi. Vnde iam obseruandum ad *Comitis R. P.* curam & dispositionem pertinuisse Palatium Daphnense, & aquæductum Daphnensem.

Porro quantam iustæ erogationis ex Aquæductibus publicis curam Veteres habuerint, in vniuersum docet Frontini liber *de Aquæductibus*, qui sub Traiano Imp. scribebat, & vt iuste patrimonium quodammodo aquæ erogaretur: de quo etiam *seqq. legibus.* Sed hæc parem quoque habitam rationem Aquæductuum rei priuatæ ostendit. Quem in finem Sex *hac leg.* constituuntur. Primo *Fistulas*, de quibus plene Frontinus, maiores non esse admouendas, quam a Principe impetratæ fuerint, de quo mox. Secundo, *Conceptacula* aquarum in tribus locis reparanda. Tertio Tabulis publicis adscribendum *modum* aquæ cuique concessum. Quarto, *Modum* sibi concessum excedentem, in singulos aquæ obolos vna auri libra multandum. Quinto, *Rectori* seu Consulari Syriæ insinuandum esse Rescriptum aquæ concessionis (ex *l. 5.* & *vltim. Cod. Iust. eod. tit.* insinuandum Præfecto P.) Sexto, ex ipso conceptaculo *aquam* ducendam; In quo multa obseruanda sunt.

Ante omnia de *Palatio Daphnensi* videndum est. Eius multa apud Veteres mentio, quod sane erat in suburbio Antiochensi, quod *Daphne* vocabatur: sic quidem vt ipsa Antiochia, κατὰ διαςολὴν ad aliarum Antiochiarum discrimen *Epidaphne* dicatur a Strabone *lib. 16. pag. 1087. Edit. Almeloueen.* & Plinio *lib. 5. c. 21.* Quinimo & Laodicea apud Epiphanium *loco infra citat.* vtpote quod Daphne inter Antiochiam & Laodiceam media iaceret, mox vt dicam. Huius suburbani meminit quoque Ammianus Marcellinus *libro 19. c. 12. Apud Daphnen* (inquit) *amœnum illud & ambitiosum Antiochiæ suburbanum*, &c. Stephanus: Δάφνη προάςειον ἐπισημότατον τῆς ἐν Ἀντιοχείας μητροπόλεως. *Daphne, suburbium celeberrimum metropoleos Antiochiæ in oriente.* De eo multa quoque mentio apud Strabonem *lib. 16. pag. 1087. seqq. Edit. Almeloueen.* Dionem Cassium *lib. 51. pag. 447. Edit. Leonclau.* Capitolinum *in Marco Antonino cap. 8.* Zosimum, *lib. 1. cap. 52.* Eusebium, *Chronico.* Eutropium, *lib. 6. c. 14.* SextumRufum, *in Breuiario.* Chrysostom, *homil. 17. ad populum Antiochen. de statuis pag. 178. Tom. II. Oper. Edit. Benedictin.* Sozomenum, *lib. 5. cap. 19.* in Itinerario Burdegalensi, Itinerario Peutingeriano, apud Ammianum *lib. 22. cap. 13.* Socratem, *lib. 3. cap. 18.* Theodoretum, *lib. 3. cap. 10.* & *11.* apud Libanium, *in Monodia*, & in *Antiochico*, pluribus *p. 380. 381. Edit. Morell.* & in *epistolis.* Locus quinque millibus passuum distabat ab Vrbe Antiochia, atque is amœnissimus, aquis irriguis & luco cupressis obsitus, quod etiam ostendit *tit. Cod. Iust. de cupress. ex luco Daph. non excid.* & Libanius *de vita sua pag. 68. Edit. Morell.* Eodemque pertinet *lex 12. supr. de iur. fisci*, quæ & ipsa *Comiti Rerum priuatarum* inscribitur: de quo iam *supra.* Id etiam pictura *Itiner. Peutinger.* ostendit, & præter alios test[illegible] Sozomenus, *lib. 5. cap. 19.* & Libanius *Ant[illegible]o, p. 380. 381. Edit. Morell.* Fuit autem in eo inter alia amplissimum Apollinis fanum, cuius mentio apud Strabonem *lib. 16. p. 1090. Edit. Almeloneen.* & Libanium *d. p. 380.* de cuius conflagratione agit Libanius, singulari eam in rem *Monodia:* Ammianus Marcellinus *lib. 22. c. 13.* Sozomenus, *lib. 5. cap. 20.* Socrates, *lib. 3. cap. 18.* Theodoretus, *lib. 3. cap. 10.* & *11.* Ipsa igitur amœnitate loci inuitante, conciliante, Imp. Romani *Palatium* ibi habuere, vt ex *hac leg.* constat, & *Itinerario Burdegalensi pag. 581. Edit. Wesseling.* vbi locus hic non aliter designatur, quam his verbis, *Palatium Dafne;* (quod quidem *Itinerarium* conscriptum est sub Constantino M. Dalmatio & Zenophilo CONSS. Anno 333.) Eiusque meminit & Georgius Bassus *Geoponicor. 11. cap. 2.* Aquis vero cummaxime irriguis Daphne amœnissima fuit, Strabone, Eutropio, Sozomeno, Procopio testibus. Quod Libanius *in Antiochico* pluribus *pag. 381. Edit. Morell.* exequitur: & Chrysostomus *d. hom. 17. pag. 178. Tom. II. Oper. Edit. Benedictin.* ὅταν ἐθέλῃς (inquit) τῆς πόλεως (Ἀντιοχείας) εἰπεῖν ἐγκώμιον, μή μοι τὴν Δάφνην εἴπῃς τὸ προάςειον, μηδὲ τὸ πλῆθος καὶ μῆκος τῶν κυπαρίσσων, μηδὲ τὰς πηγὰς τῶν ὑδάτων, &c. *cum vis ciuitatis laudem efferre, ne mihi Daphnem suburbanam dicas, nec altitudinem cupressorum, & multitudinem, nec aquarum fontes.* Denique ad luxuriam prope factus hic locus & lucus. Inde in *epist.* D. Marci ad Præfectum suum apud Vulcatium Gallicanum *in Audio Cassio, c. 5. mores Daphnici*, seu *mores Daphnitæ*, pro diffluentibus & luxuriosis. *Audio Cassio*, inquit, *legiones Syriacas dedi diffluentes luxuria, & Daphnicis moribus agentes, quas totas excaldantes se reperisse Cæsonius Vectilianus scripsit:* Et mox *c. 6.* de eodem Audio Cassio luxuriæ infesto: *Statim*, inquit, *ad signa edici iussit, & programma in parietibus fixit, vt si quis cinctus inueniretur apud Daphnem, discinctus rediret.* Sed & Capitolinus, *in Marco Antonino, cap. 8. Et Verus quidem, posteaquam in Syriam venit, in deliciis apud Antiochiam & Daphnem vixit, armisque se gladiatoriis & venatibus exercens, quum per Legatos bellum Parthicum gereret, Imperator appellatus esset; quum Marcus horis omnibus Reipub. actibus incubaret, patienterque, delicias fratris, & prope inuitus ac nolens ferret.* Idem Capitolin. *in vita Veri c. 7. Antiochiam posteaquam venit, se luxuria dedit, egit hyemem Laodiceæ, æstatem apud Daphnen, reliquam partem Antiochiæ.*

Obiterque notandum, huius loci occasione, sicut Antiochia *Epidaphne* ad aliarum Antiochiarum discrimen dicta fuit, ita & Laodiceam Cœle-Syriæ, ab eodem luco κατὰ διαςολὴν ad aliarum Laodicearum discrimen designatam: nempe Daphna lucus inter Antiochiam & Laodiceam interiacebat. Epiphanius *hæresi Semiarrianorum 73. num. 5. pag. 845. Tom. I. Oper. Edit. Colon. apud Ierem. Schrey.* καὶ Γεώργιος ὁ Λαοδικείας, τῆς πρὸς Ἀντιοχείαν Δάφνης ἤγουν Κοίλης Συρίας, *& Georgius Laodicea, & Daphnes ad Antiochiam, hoc est Cœlesyria.* Nempe inter Laodiceam & Antiochiam ad Orontem interiecta fuit Daphne. Epidaphnen quoque ab Antiochia separat Tacitus *Annal. lib. 2. cap. 83. Germanico*, inquit, *sepulchrum Antiochiæ consecratum, vbi crematus: tribunal Epidaphnæ, quo in loco vitam finierat.* Et sic Epidaphne dicta, tam quæ supra, quam quæ infra Daphnen sita erat. Denique quod in Italia erant Baiæ, ad Alexandriam Canopus, id erat in Syria multo magis Daphne: locus ita infamis voluptatibus, vt

 Chryso-

P. 332 Chrysostomus *libro in S. Babylam, contra Iulianum & gentiles cap. 12. pag. 555. 556. Tom. II. Oper. Ed. Benedictin.* scribat, *inaccessum modestioribus* [illegible]*ugi*, ἄβατον εἶναι τοῖς σεμνοτέροις, καὶ ἐπιεικῶ[illegible]ελομένοις βίον: quem locum imitatus est etiam Sozomenus *hist. eccles. lib. 5. cap. 19.* Vnde natum illud, de quo supra, *Daphnicis moribus agere.* Sed vt dixi, cum omnia ibi ad amœnitatem essent comparata, duo inprimis in admirationem & amorem cunctos rapiebant, arborum vmbriferarum, & optimarum aquarum copia, ὑδάτων πηγαί. Hodie locus hic dicitur *Nero*, propter aquarum scaturigines, vt linguarum Orientalium periti notant. Ita & Græcis hodie *Nero* est aqua. *)

Hinc iam igitur, ne Aquæductus ille Daphnensi Palatio vsum Aquæ præstans, priuatorum vsurpationibus tenuaretur, *hac leg.* occurrendum Valens Imp. putauit: Nam & Priuati multi suas & eximias domos habuere apud Daphnem: cuiusmodi οἰκίαν λαμπράν τε καὶ μεγάλην ἐν Δάφνῃ ab Olympio constructam porticibus & fontibus illustrem, τῇ τῶν στοῶν καὶ κρηνῶν ὥρᾳ, memorat Libanius *epist. ad Lysimachum 564. in Cod. Regio*, quæ in *Edit. Wolfii* est *ep. 574.* Hinc igitur Priuati modum aliquem aquæ exinde, ex Aquæductibus inquam Daphnensibus a Principibus impetrare soliti: sic tamen vt auiditate sua modum concessæ aquæ excederent: & quidem nominatim; quod *hac leg.* dicitur *adpositis* vel admotis maioribus fistulis. Quam fraudem memorat & Frontinus *de Aquaductibus artic. 112. p. 196. Edit. Poleni. In quibusdam*, inquit, *cum calices legitimæ mensuræ signati essent, statim amplioris moduli fistulæ subiectæ fuerunt: vnde acciderat vt aqua non per legitimum spatium coërcita, sed per breues angustias expressa, facile laxiorem in proximo fistulam impleret. Ideoque illud adhuc quoties signatur calix, diligentia aduertendum est, vt fistulæ quoque proximæ per spatium quod SC. comprehensum, diximus, signentur.* Quare sedulo cautum, quod & *hac leg.* cauetur, ne fraus ea in re admitteretur, maioribus fistulis admotis: quod cautum & eo Senatusconsulto, quod memorat Frontinus *p. 191.* NE CVI EORVM, QVIBVS AQVA DARETVR PVBLICA, IVS ESSET INTRA QVINQVAGINTA PEDES EIVS CASTELLI, EX QVO AQVAM DVCERENT, LAXIOREM FISTVLAM SVBIICERE, QVAM QVINARIAM. Et Frontinus ipse; *sed neque statim ab hoc liberum subiiciendi qualemcunque plumbeam fistulam permittat arbitrium: verum eiusdem luminis, quo calix signatus est, eundem per pedes L. prope det.* Modi igitur, seu media aduersus hoc vitium seu fraudem, hæc ponuntur.

Primum est, quod a Principe solo modus aquæ concedendus sit, quod ipsum obseruatum & in Vrbicis Aquæductibus; vt præter *l. 8. h. t. l. 1. §. 42. D. de Aqua quotid.* docet cumprimis Frontinus *de Aquaductibus art. 103. Circa ius ducendæ aquæ in Priuatis hæc obseruanda sunt, ne quis sine literis Cæsaris, id est, ne quis aquam publicam non impetratam ducat:* & mox *art. 105. Qui aquam in vsus priuatos deducere volet, impetrare eam debebit, & a Principe Epistolam ad Curatorem adferre. Curator deinde beneficio Cæsaris præstare maturitatem.*

Secundo, *Tabulis* publicis adscribi iubet Imp. cui & quantus aquæ modus a Principe indultus fuit, de quibus Principum commentariis multa Frontinus *de Aquaductib. art. 64. p. 112. 114.* &c. *Edit. Polen.*

Tertio, *Pœnam* imponit libræ auri per singulos obolos aquæ vltra licitum quid vsurpanti. Vbi obiter obseruandi modi seu moduli aquarum, ad *obolorum* mensuram, itemque vnciarum: vt *l. 3.* & *vlt. infr.*

Quarto, *Conceptacula* aquarum in tribus locis reparari iubentur omnium consensu. *Conceptacula* erant receptacula, in quibus aqua per formam Aquæductus ducta colligebatur, quorum mentio alibi nulla. *Castella* enim alibi dicuntur, & quidem tria illa conceptacula, quorum *hac leg.* mentio, apud Vitruuium *tria immissaria vocantur, lib. 8. cap. 7. Cum venerit*, inquit, (aqua) *ad mœnia, efficiatur castellum, & castello coniunctum ad recipiendum aquam triplex immissarium: collocenturque in castello tres fistulæ æqualiter diuisæ intra receptacula coniuncta, vt cum abundauerit, ab extremis in medium receptaculum redundet. Ita in medio ponentur fistulæ in omnes lacus, & salientes. Ex altero in balneas, ex tertio in domos priuatas.* Cæteri vocant *Castella*. Præter IC. in *l. 78. D. de contrah. empt. l. 1. §. 38. 39. 40. 41. D. de Aqu. quotid. & æst. l. 19. D. de seru. vrb. præd.* idem præter Frontinum *lib. de Aquaduct.* Festus; *Diuidicula*, inquit, *Antiqui dicebant, quæ nunc sunt Castella, ex quibus a riuo communi aquam quisque in suum fundum ducit.* Hesychius: Κάστελλος, ὄνομα τόπου ἄνω καὶ κάτω φέροντος καὶ μερίζοντος τὸ ὕδωρ.

Quinto obseruetur, quod *fine legis* dicitur, Ex ipso conceptaculo aquam ducendam, seu eliciendam, seu, quod idem est, & constituitur, *l. 5. & 6. infr.* ex ipsis castellis, non adtemptato cursu & soliditate fistularum, quas matrices vocant, *d. l. 5. infr.* non ex Aquæductu, *d. l. 6. infr.* non interruptis formæ lateribus, atque perfossis, vt loquitur *lex vltim.* non vulnere inflicto fistulis, τῷ τραύματι τοῖς κρουνοῖς: vt de Antiochenis aquis Libanius loquitur in *Antiochico, p. 383. Edit. Morell.* Sic sane & antiquo Senatusconsulto cautum, quod memorat Frontinus *p. 191. Edit. Polen.* vbi post alia, VTIQVE OMNES II, QVIBVS AQVÆ DVCENDÆ IVS ESSET DATVM, EX CASTELLIS DVCERENT, &c. Et subiicit Frontinus rationem; *In hoc Senatusconsulto dignum admiratione est, quod aquam non nisi ex castello duci permittit; ne aut riui, aut fistulæ publicæ frequenter lacerentur.* Quod confirmat manifestissime *lex 5. infr.* Et hoc ipsum Ius in Iurisprudentia receptum, & Edictum Prætorium, vt ostendit *d. lex 1. §. 38. 39. 40. 41. de Aqu. quotid. & d. l. 19. de seruit. vrb. præd. & d. l. 78. de contrah. empt.* Itaque Priuati his conceptaculis & castellis fistulas subiiciebant, seu admouebant, quibus aquam quisque in suum deriuabat, vt docet rursum *d. l. 78. & d. l. 19.*

Postremo obseruetur hic forma, quæ præscribitur, vt quis indultæ aquæ beneficio potiri possit: Nempe non prius accipere quem posse aquam sibi indultam, quam adierit *Rectorem* Syriæ (in spec. *huius leg.*) & ab eo quantitatis quam meruit accipiendæ facultatem ex ipso conceptaculo adeptus fuerit, id est modulus & locus ab eo adsignatus fuerit. Olim in Vrbe Roma, qui a Principe aquam impetrauerat, epistolam a Principe ad Curatorem adferre tenebatur: Curator deinde beneficio Principis præstabat maturitatem, & ad Procuratorem eiusdem officii libertus Cæsaris protinus scribebat: Procurator calicem eius moduli qui fuerat impetratus, adhibitis libratoribus signari faciebat, & diligenter intendebat, ne esset in arbitrio Libratorum interdum maioris luminis, interdum minoris, pro

*) Obseruauit hoc *CL. CASAVBONVS in not. ad Iul. Capitolin. M. Ant. Philos. c. 8.*

pro gratia personarum calicem probari. Sed neque liberum subiiciendi qualemcunque plumbeam fistulam permittebat arbitrium, verum eiusdem luminis, quo calix signatus erat, & eundem per pedes 50. prope dabat: vt testatur Frontinus *de Aquaeductibus*, *p. 190. Edit. Polen.* qui & SC. in id allegat. Theodosius Iun. & post eum Anastasius, indultum beneficium Præfecto Prætorio insinuari voluerunt, P. *l. 5. & vlt. Cod. Iust. eod.* Quare sedulo cautum, quod & *hac leg.* cauetur, ne fraus ea in re admitteretur, maioribus fistulis admotis, quod cautum & eo Senatusconsulto, quod memorat Frontinus: NE CVI EORVM, QVIBVS AQVA DARETVR PVBLICA, IVS ESSET INTRA QVINQVAGINTA PEDES EIVS CASTELLI, EX QVO AQVAM DVCERENT, LAXIOREM FISTVLAM SVBIICERE, QVAM QVINARIAM. Et Frontinus ipse; *Sed neque statim ab hoc liberum subiiciendi qualemcunque plumbeam fistulam permittat arbitrium: verum eiusdem luminis, quo calix signatus est, eundem per pedes L. prope det.*

De MODO EROGANDÆ *aquæ priuatorum vsibus ex Aquæductu Constantinop. Theod. M. constitutio.*

III. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AAA. Clearcho P. V. (b)

SVMMAS quidem domus, (c) si lauacris (d) lautioribus (e) præsententur, (f) binas non amplius aquæ vncias: aut si hoc amplius exegerit ratio dignitatis, supra ternas neutique (g) possidere: Mediocres vero & inferioris meriti domus, singulis & semis contentas esse decernimus: Si tamen huiuscemodi balneas, easdem habere claruerit. Cæteros vero, qui mansionem (h) spatio angustiore sustentantur, ad mediæ vnciæ vsum tantum gaudere præcipimus: neque obreptionem cuiquam patere: ita vt quod tibi paret Officium, (i) sex librarum auri multa feriatur, nisi prodiderit vsurpantes: & is qui fefellit, careat impetrato. Dat. X. Kalend. Iul. Constantinop. Antonio & Syagrio Coss. [382.]

N O T Æ.

(a) Abest & *hac lex a Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) Constantinopolitanæ. Huic vero *Clearcho* P. V. inscribitur pariter hoc ipso Anno 382. *lex 2. 3. supr. de sentent. ex pericul. recitat. lex 93. supr. de Decurionib.* Ex Anno prox. 383. *lex 1. vt dignit. ordo:* Anno 384. *lex 3. supr. de Senator. & glob. coll.* Hic idem & sub Valente P. V. fuerat Anno Domini 370. 372. de quo mox. Ergo sub Theodosio M. iterum Præfectus Vrbis factus. De hoc Socrates *lib. 4. cap. 8.* Hieronymus *Chronico, Ann.* 374. Ad eundem extant plures *Libanii* epistolæ. *ID.*

(c) Pro, *domos.* *ID.*

(d) Id est, Balneis, vt *vers. si tamen infr.* *ID.*

(e) An *latioribus?* Nil opus hac restitutione. *ID.*

(f) An scribendum, *pretendentur?* Huic contrarium, *qui mansionum spatio angustiore sustentantur.* Sed *præsententur*, rectum est. *Præsens* est ἐπιφανής, etiam in Glossis Philoxeni. *Præsentari* ergo est illustrari, illustrem esse, efferri, imo & offerri alicui rei. Eodem sensu *l. 109. supr. de Decurionib. & si præsentare nolunt*, & *l. 163. præsentari debitis patriæ muneribus.* Sic & *præsentari examini*, *l. 3. de bonis vac.* præsentari rei, id est, comprehendi, exhiberi: *l. 31. circa fin. de Episc.* *ID.*

(g) *Neutiquam.* *ID.*

(h) γρ. *Mansionum*, id est, domorum, vt & habet Edit. Quartan. *ID.*

(i) *Officium Præfecti Vrbis* Constantinopolitanæ nota. *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

EROGANDÆ priuatis, ex Aquæductu publico Constantinopolitano aquæ modum, hac constitutione Theodosius M. præscribit Anno D. 382. quo maiorem ne rescripto quidem Principis impetrare liceat: ne alioquin, vt loquitur idem Theodosius *l. 4. infr.* (quæ ad eandem vrbem pertinet) *florentissimæ vrbis commoda mutilentur.* Modus igitur hic statuitur *hac leg.* pro triplici videlicet domorum priuatorum differentia: puta vt *Summis* domibus balnea lautiora habentibus, duæ tantum vnciæ vel tres ad summum, si magna sit domini *Dignitas*, concedi possint; *Mediocribus* vero balneas itidem haben-

habeotibos, vna tontum vncia cum dimidia, & sic sesconcia: *cateris*, (balneas scilicet oon habentibus) nonoisi dimidia vnciæ, seu semuncia. Vbi quatuor notanda sunt. Primo, triplex *Domorum* differentia. Secundo, de *Balneis* priuatis Constantinopoli: Nempe, vt alibi passim, (de quo *l. 3. supr. de coulat. donatar.*) ac oominatim Romæ, ita Constantinopoli quoque, sicut pleræque domus loutiorum balneas haboere, ita lautissimas ibi extitisse nonnullas *hac lex* docet. De Romaois sane singularis est Olympiodori locus *apud Photium Cod. LXXX. p. 198. Edit. Schotti. & p. 14. Tom. I. Script. R. B. Edit. Reg.* ὅτι ἕκαστος τῶν μεγάλων οἴκων τῆς Ῥώμης ἅπαντα εἶχεν ἐν ἑαυτῷ, ὁπόσα πόλις σύμμετρος ἠδύνατο ἔχειν, ἱππόδρομον, καὶ φόρους, καὶ ναοὺς, καὶ πηγὰς καὶ λουτρὰ διάφορα, *quia e magnis Romanæ vrbis domibus omnia intra se vnaquaque habuit, quacunque mediocris vrbs etiam habere potuit, hippodromum, fora, delubra, fontes, varia balnea.* Tertio obseruandus venit *hac leg.* & *l. vltim.* Modulus aquæ od vncias: Frootinus *lib. de Aquæductib. articul. 24. pag. 79. Edit. Polen. Aquarum moduli, aut ad digitorum, aut ad vnciarum mensuram instituti sunt: Digiti in Campania, & in plerisque Italiæ locis. vncia in pupula*, (quid si legamus *in populo*, id est, io Vrbe Roma?) *ita hac obseruantur. Est autem digitus, vt conuenit, sextadecima pars pedis; vncia, duodecima*, &c. Denique obseruandum, ioscribi honc constitutionem *Clearcho Præfecto Vrbis*; cuius ipsius Clearchi opera sub Valente Imp. aote decennium circiter Aquæductus hic, quo de ounc agitur, Costaotinopolim inductus fuit: vt testator Hieronymus in *Chron. p. 187. Thes. Temp. Clearchus Præfectus Vrbis Constantinopolis agnoscitur: a quo necessaria & diu expectata votis aqua inducitur Ciuitati.* Item Socrates *lib. 4. c. 8.* Συνέβη δὲ μετὰ χρόνον, τὸν ὁλκὸν τοῦ ὕδατος ὑπὸ Οὐάλεντος κατασκευασθέντα, δαψιλὲς παρασχεῖν τῇ Κωνσταντίνου πόλει τὸ ὕδωρ. *Postea autem contigit, vt aquæductus a Valente adificatus, maximam aquarum copiam vrbi Constantinopolitanæ praberet.* Addit idem: τοῦ ὑδραγωγοῦ εἰσαχθέντος εἰς τὴν πόλιν ΚΛΕΑΡΧΟΣ ἔπαρχος τῆς πόλεως, ὑδρεῖον (id est, castellum) μέγιστον κατεσκεύασεν ἐν τῇ νῦν Θεοδοσίου ἀγορᾷ καλουμένῃ: ὃ ἐφημίσθη δαψιλὲς ὕδωρ, ἐφ' ᾧ ἑορτὴν ἱλαρὰν ἦγεν ἡ πόλις: *cum aquæductus ille in vrbem perductus esset, Clearchus Præfectus vrbi, in foro, quod nunc Theodosii dicitur, ingens lauacrum adificauit, quod* δαψιλὲς ὕδωρ, *id est, copiosa aqua appellatum fuit. Cuius rei gratia ciuitas festum diem summa hilaritate celebrauit.* Certe Clearchum huoc sub Valente quoque Imper. ante deceonium Præfectum Vrbi Constantioopol. iam fuisse, doceot Anoo Domini 370. *lex vnic. supr. de iure Italico Vrbis Constantinop.* & Anno 372. *lex 7. supr. de annonis ciuicis: lex 2. supr. de studiis lib. Vrb. Rom. lex 20. supr. de Prætoribus.* De hoc vero eodem Coostantinopolitano Aquæductu est quoque *lex 23. supr. de Operibus publicis:* Et Gregorii Nazianzeni locus, *orat. 5.* quem ad *eam l. 23. refero.* Eum aquæductum Theodosius postea iostaurauit, vt docet *d. l. 23.* p. 334

AQVAM *ex Aquæductu Constantinop. elicientis pœna.*

IV. (a) Imppp. Valentinianus, THEOD. & Arcad. AAA. Pancratio P. V. (b)

SI quis de cetero, (c) vetiti furoris (d) audacia florentissimæ (e) Vrbis commoda voluerit mutilare, aquam ad suum fundum ex Aquæductu (f) publico deriuando, sciat, eundem fundum fiscalis tituli proscribtione (g) signatum priuatis rebus nostris adgregandum. Dat. VIII. * Constantinop. Timasio & Promoto Coss. [389.]

NOTÆ.

(a) *Lex 2. Cod. I. eod. tit.* GOTHOFR.

(b) Constantinopolitanæ. *IDEM.*

(c) Deinceps, in posterum. Igitur id antea factum. *ID.*

(d) *Furoris* hac in re vocem obserua. *ID.*

(e) *Florentissima* Vrbs Constantinopolitana, *hac leg.* & *l. 14. supr. de Metatis.* *ID.*

(f) An quocunque? Minime. De *Valentiaco* tantum malim accipere, de quo *l. super.* Neque enim Theodosiacum hoc tempore adhuc excitatum puto: de quo dixi ad *l. 23. supr. de operib. publ.* *ID.*

(g) *Prescriptione*, Cod. Iust. Sed hoc probum. *ID.*

COMMENTARIVS.

ELICIENS aquam e forma Aquæductus publici (Constantinopolitani scilicet in specie *huius legis*,) in fuoduum suum eodem fuodo multari a Theodosio M. iubetur Anno D. 389. In fundum, inquam, suum, seu prædium rusticum. Reseruatus quippe Aquæductus Vrbis ipsius commodis erat: sic vt cioitatis tantum vsibus idque ex Principis beneficio, reseruatus esset, neque eum mutilare liceret furtiois meotibus ad agros irrigandos, vel hortorum delicias, vt ait *lex 7. infr. hoc tit.* vbi adhuc aliquid ootabo ex Cassiodoro *III. Var. 31.* perforatis & interruptis atque perfossis formæ lateribus,

ribus, *l. vltim. infr.* vbi dicam. Quo pertinent & quæ olim a Cœlio Rufo dicta in *ea concione*, cui *Titulus* erat *de Aquis*: vt memorat Frontinus *lib. de Aquaduct. articul. 76. pag. 144. 145. Edit. Polen.* vbi & ipse hæc præmittit: *Plerique Possessorum, e quorum agris aqua circumducitur fraude formas riuorum perforant; vnde fit vt ductus publici hominibus priuatis vel ad hortorum vsum subseruiant, vel ad itinera suspendant.* Eodemque pertinent *Cod. Inst.* Theodosii Iun. *lex 6. eodem tit.* & Zenonis *lex 9. & 10.*

Cæterum quantopere hanc rem ad curam suam animumque reuocauerit, atque adeo quam enixe circa Aquæductus commodis Vrbis Constantinop. Theodosius M. consultum hac parte voluerit, primo, verborum atrocitate testatum facit: ibi, *vetiti furoris audacia*: Non audacia scilicet tantum isthæc est, verum furoris species, publica patriæ suæ commoda priuatæ vtilitati posthabere: ac nominatim totius Orbis Imperiique regionam Vrbem de cætero *florentissimam*, aquarum & aquæductuum commodis, vtilitati simul & voluptati decorique seruientium priuare, eiusque adeo commoda mutilare. Secundo, pœnæ seueritate, ibi: *idem fundus fiscalis tituli proscriptione signatus priuatis rebus nostris adgregetur.* Passiua scilicet iam obseruatio est, fundis, qui confiscabantur, fiscoque sociabantur, titulos fiscales seu tabulas appositos, atque ita signatos fundos: de quo plene dixi ad *l. 1. supr. de incorporat. l. 11. & 20. supr. de bon. proscript.* Chrysostomi quoque de eo locus *orat. 13. num. 2. ad populum Antiochenum pag. 136. Tom. II. Oper. Edit. Benedict.* τὰς οὐσίας ἐδήμευον, καὶ σήμαντρα ἐν ταῖς θύραις ἁπάντων ἦν ἰδεῖν: *bona publicabant, & in omnium foribus signacula cernere licebat.* Cæterum pœna hæc iam *veterib. legib.* statuta, teste Frontino *lib. de Aquaductibus articul. 97. pag. 170. Edit. Polen. Agri*, inquit, *qui aqua publica contra legem essent irrigati, publicabantur.* Eademque continetur & Zenonis *l. 10. Cod. Iust. eod.*

V. (a) Idem AAA. Albino (b) P. V. Rom.

EOs qui aquæ copiam vel olim vel nunc per nostra indulta meruerunt, eius vsum aut ex castellis, vt ex ipsis formis iubemus elicere, neque earum fistularum, (c) quas *matrices* vocant, cursum ac soliditatem (d) adtemptare. Dat. V. Kalend. Sept. Rom. Timasio & Promoto Coss. [389.]

N O T Æ.

(a) *Lex 3. Cod. Iust. eod. tit.* ex *hac leg. & seq.* interpolata est. *GOTHOFR.*

(b) *Albino* huic P. V. Romæ inscribuntur hoc ipso anno *septem* insuper *leges*: & Anno prox. duæ: forte & Anno abhinc altero 39*·*. *lex 10. de Paganis.* Hunc Christianum fuisse, ex multis legibus ad eum datis colligimus. *IDEM.*

(c) De *Fistulis*, iam supr. *leg. 2.* *ID.*

(d) *Soliditas* fistularum in veteri Inscriptione, FISTVLAS SOLEDAS FECIT, apud Gruterum *CLXXI. 8.* *IDEM.*

COMMENTARIVS.

P. 335 VNDE, seu ex qua Aquæductus parte, aqua Romæ ab his qui copiam eius, Principis beneficio impetrarunt, elici seu duci debeat, definitur *hac Valentiniano-Theodosiana lege*: Nempe ex castellis vel formis, non ex fistulis matricibus: de quo, deque castellis his iam etiam aliquid dictum fuit ad *leg. 2. supr.* agitur & *l. 6. prox.* Certe Frontinus *de Aquaduct.* non vno loco horum castellorum meminit: imo & SC. Leges, Mandata, quæ de his aguot, memorat: ipseque inter alia de castellis his duo refert; Prohibitum Senatusconsulto, & mandatis Principum impetratam aquam ex alio castello, duci quam quo epistola Principis liceret. Secundo, impetratas aquas caducas, quæ ex castellis effluerent, etsi id parcissime tribui solitum. *Elici* inquam, quæ vox hic propria est: vnde & Elices, & Elicatores, ὑδροφύλακες, quam vocem non intellexerant Græci, *in l. 1. §. 9. D. de aqu. & aqu. pluu. arc.* De Castellis, & ratione *huius legis*, dictum iam est ad *d. l. 2. supr.* Illud obscurius est, quidnam *Formarum* appellatione *hac leg.* intelligendum sit: Nam cum alias Formæ sint ipsimet ductus aquæ, vt docuit *lex 1. supr.* Sane ex ipso Aquæductu non magis licuit vsum aquæ deriuare, quam ex fistulis matricibus: Atqui *hac leg.* ex ipsis formis elici iubetur aqua, pariter vt ex castellis, cum tamen *l. 6. prox.* ex castellis aquam deriuare, qui impetrarunt, iubeantur, ex aquæductu vero ipso prohibeantur. Et sane in *Cod. Iust.* quoque *l. 3. eod. tit.* (quæ alioquin ex *hac leg. & seq.* conflata est) aperta differentia constituitur inter Formas & Aquæductum, ex illis vid. eliciendam aquam, non etiam ab ipso Aquæductu. Sed & Græci quoque eo loco formam interpretantur δοχεῖον. Et Isidorus *lib. 19. Orig. cap. 10. in fin. Forma*, inquit, *per quas aqua per modulos certos diuiduntur.* Fuerit itaque forma *hac leg.* non iam ipse ductus, seu riuus Aquæductus, verum primum castellum, & conceptaculum, quo aqua, cum venerit ad mœnia, recipitur: & vt Glossa, vbi tota aqua a principio congregatur; vnde mox in alia tria castella minora (de quibus actum *l. 2. supr.*) in diuersas Vrbis partes per fistulas (quæ *hac leg. matrices* vocantur) diffunditur. Denique *Forma* hic fuerit primum & maximum conceptaculum, quo Aquæ ex Aquæductu excipiuntur.

Porro ex *hac* quoque *leg.* discimus; Theodosii Romæ nunc positi post deuictum Maximum Tyrannum, (de quo vide Chron. Theod.) studium inter cætera, in tuendis quoque Operibus publicis Romæ, quæ Theodosium Romam ingressum lustrasse nominatim testatur Pacatus *su. Panegyr.* qui & in aliis

complurimis eidem commodare instituit, & quidem constitutionibus ad eundem Albinum P. V. datis, quas repetere licet ex *Chronico huius Anni.* Imo extat & altera eiusdem Theodosii Romæ nunc positi ad eundem Albinum P. V. hoc ipso Anno constitutio: qua operibus publicis Vrbis Romæ consuluit, puta *lex vlt. Cod. Iust. de seruis fugitiuis:* quæ etiam *lex* iungenda est *legi 49. supr. de appellat.* qua id constituit, vt *si qui publicorum seruorum fabricis seu aliis Operibus publicis deputati, propriæ conditionis immemores domibus se alienis & priuatarum ancillarum consortiis adiunxerint, tam ipsi, quam vxores eorum, & liberi, confestim conditioni pristinæ laborique restituantur.* Quæ quidem etiam *lex* referri potest, imo meo iudicio debet, ad *seruos publicos opifices*, qui Romæ, fabricæ quoque tutelæque Aquæductuum deputati erant: de quibus Frontinus *de Aquaeductib. Romæ, articul. 116. 117. 118. pag. 200. seqq. Edit. Polen.* quique in varias ministeriorum species diducebantur, Villicos, Castellarios, Curatores, Silicarios, Tectores, aliosque opifices: Horum denique familia propria erat, quæ tueretur ductus, atque castella & lacus.

VI. (a) Impp. ARCAD. & Honor. AA. ad Africanum P. V. (b)

QVICVMQVE ex Aquæductu magis, quam ex castellis (c) aquæ vsum putauerit deriuandum, etiam id quod prius iure beneficii (d) fuerat consecutus, amittat. In eum vero pro condicione personæ conueniet seuerissimo supplicio vindicari, qui, aduersus statuta huius oraculi, auidæ (e) cupiditatis noluerit frena cohibere, vt priuatis indulti meatus mensura famuletur. (f) PP. IV. Kalend. Iun. Constantinop. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTÆ.

(a) Conflata est, vt dixi, ex *hac leg.* & superiore *lex 3. Cod. Iust. eod. tit.* quo fit vt vtraque subscriptio, tam huius, quam superioris legis illi legi subscripta sit. *GOTHOFR.*

(b) Constantinopolitanæ. *IDEM.*

(c) De *Castellis* agitur quoque *super. lege.* *ID.*

(d) De hac voce *Beneficii*, mox. *ID.*

(e) Vt *supr. l. 2. quorundam auiditate.* *ID.*

(f) Id est, sufficiat. *ID.*

COMMENTARIVS.

ELICI aquam non ex Aquæductu, verum ex castellis oportere, definit Arcadius sub pœna amittendi beneficii; imo & supplicii pro conditione personæ: de quo Interdicto iam *duabus legibus* actum; puta *leg. 2. & 5. supr.* Videri autem potest hæc *lex* accipienda de Aquæductu Theodosiaco, de quo agitur *l. 29. & 30. supr. de Prætor.* Imo & de Valentiaco, de quo *l. 3. 4. & 5. supr.* Et cum cætera *huius leg.* iam illustrata sint ad *d. leg. 2. & 5.* superest *Beneficii* vox *hac leg.* obseruanda, quæ hac in re propria est; vt ex compluribus Frontini locis liquet, his inter cætera *articul. 103. pag. 188. Edition. Polen. Sollicite subinde ductus [illegible] vrbem circumeundi ad recognoscenda beneficia* [illegible] 336 rursum *articul. 94. pag. 164. Edit. cit. Sequitur vt indicemus, quod ius ducendæ tuendaeque sit aquæ, (quaeue cura ductuum sit habenda.) quorum alterum ad cohibendos intra modum impetrati beneficii priuatos; alterum ad ipsorum ductuum tutelam pertinet.* Idem *articul. 88. pag. 157. Nec minus ad priuatos commodum, quod ex incremento beneficiorum eius diffunditur; illi quoque qui timidi illicitam aquam ducebant, securi nunc ex beneficiis fruuntur.*

ANTIQVVS MODVS *aquæ ex publico Aquæductu Vrbis alicuius municipi olim concessus, seruandus.*

VII. (a) Idem AA. Asterio Com. (b) Orient. (c) Post alia.

VSVM Aquæ veterem, longoque dominio constitutum, (d) singulis (e) quibusque manere censemus, (f) nec vlla nouatione turbari; Ita tamen, vt quantitate (g) singuli, quam vetere licentia (h) percipiunt, more vsque (i) in præsentem diem perdurante, percipiant. Mansura pœna in eos, qui ad irrigationes agrorum, vel hortorum delicias,

cias, (k) furtiuis aquarum meatibus abutuntur. Dat. Kalend. Nou. Cæsario & Attico Conss. [397?]

Ista lex *tam euidens est, vt expositione non indigeat.*

NOTÆ.

(a) *Lex 4. Cod. Iust. eod. tit.* & iungenda *huic* est *lex 36. supr. de operib. publ.* in qua fit pariter mentio Aquæductuum, & quidem reficiendorum. GOTHOFR.

(b) Ita recte editum in *Til. Edition. Cuiaciana*, & *Quartana*: male *Parisiensis* habet, CONS. vt docet *d. lex 36.* & proximo Anno 398. *lex vnic. supr. si secund. nup.* & Sozom. *lib. 8. cap. 8.* & Auctores *vitæ Chrysostomi* plures, qui huius Asterii Com. Orient. meminere. IDEM.

(c) Cuius sedes Antiochiæ, quare *Comes Antiochia* hic idem vocatur in ea ipsa historia, quam Sozomenus memorat *l. c.* & Palladius *in vita Chrysostomi cap. 5.* ID.

(d) Ait lex, *vsum aquæ constitutum*, vt Cic. *ad Quint. Fratr. lib. 3. ep. 1. aqua iure constituto*: & IC. non prorsus absimiliter, in *l. 41. D. de action. empt. Aquaductu constituto.* ID.

(e) *Singulis Ciuibus*, ita Cod. Iust. & in MS. Goth. Bene omnino. ID.

(f) *Consensimus neque*, MS. Goth. RITTER.

(g) *Quantitatem*, Cod. Iustin. & Edition. Sichard. Sed *quantitate* seruari quoque potest: id est, quantitate ea. GOTHOFR.

(h) De hac *licentia* voce mox dicam. ID.

(i) *More vsus*, Edit. Sichard. RITTER.

(k) De hac voce *deliciarum*, mox *in commentario.* GOTHOFR.

COMMENTARIVS.

VT Vetvstas in iure aquæ priuatæ ducendæ pro lege est, *l. 3. §. 4. D. de Aqu. quot. & æst.* & *l. vltim. D. de aqu. & aqu. pluu. arc.* ita & eandem, in iure aquæ e publico ducendæ obseruandam constituere videatur *hac legi* Arcadius Anno 397. Et potior tamen est Accursii inter alias sententia, quam & Cuiacius amplectitur, non agi *hac leg.* de nuda vetustate, vel præscriptione sine titulo, verum de vetusta Licentia (a Principe tributa) Constitvta, quibus duabus vocibus hæc *lex* vtitur: & sic de iis quibus aquæ publicæ vsum iamdiu Princeps nominatim conecsserat. Quæ sententia & mihi perplacet, abdicata priore, tum ipsa Iuris ratione suadente, tum peculiari Aquæductuum consideratione, tandem & perpensis probe pensiculatisque *huius leg.* verbis: *Iuris*, inquam, *ratione*; quia scilicet fieri non potest hodie, vti solo vsu & præscriptione aqua ex aquæductu publico adquiri possit: *l. 9. in fin Cod. Iust. eod. tit.* Nam (vt eleganter dicitur *l. 22. supr. tit. prox. de operib. publ.*) præscriptio temporis iuri publico non debet obsistere: Dixi Secundo *Aquaductuum consideratione*: ea enim Aquæductuum ratio fuit, vti ciuitatis commodis iugiter eorum vsus destinatus esset, neque ex iis quisquam quidquam præsumere vltro posset: imo ne maiorem quidem modum vsurpare licuit, quam quatenus indultum fuisset; quæ pleraturnque *hoc titulo* legum sententia & interdictio est, *l. 2. 3. 4. 5. 6. supr. l. 8. & l. vltim. infr.* Quibus profecto vsurpatio omnis, quamlibet *vetusta*, interdicitur. Et certe non id *hac leg.* quæritur, vtrum aqua publica præscribi possit? verum illud, vtrum *vsus aquæ vetus* alicui concessus, postea emergentibus nouis petitoribus, imminui aliqua possit, debeatue ratione? vt proinde hæc huius constitutionis sententia sit: Quantitatem aquæ seu modum iam olim concessum indultum longoque dominio constitutum, non esse postea cuiquam immiouendum. Et sic, nnn agitur *initio huius legis*, de *adquirendo* per solum vsum aquæ iure: verum de *conseruanda*, *tuenda* veteri concessione & *Licentia* a Principe facta *beneficio*, atque adeo firmando aquæ semel concessæ, constitutæ, vsu, aduersus nouas petitiones. Nouorum scilicet sæpe petitorum importunis precibus Princeps, vel etiam Comes Orientis Asterius stringebantur; qui cum modum aquæ quem vellent non possent ex publico consequi, vtpote nullo amplius modo aquæ vacuo seu vacante, & patrimonio eius erogato postulabant, vt his saltem, quibus olim modus aquæ concessus fuerat, aliquid detraheretur, seu modulus ille vetus arroderetur: Verum, rescribit Arcadius Asterio, vsum aquæ veterem longoque dominio constitutum, singulis quibuscunque manere oportere, nec vlla nouatione turbari.

Tandem dixi, & verba ipsa *huiusce legis* recte pensiculata communi sententiæ aduersari. Primo quidem Licentiæ vox, ibi, *Vt quantitatem singuli, quam VETERI LICENTIA percipiunt, more vsque in præsentem diem perdurante, percipiant.* Licentia scilicet hic non est vsus, auctoritas, vel vsurpatio aut licentia insolita: verum facultas tributa, seu attributio a Principe seu Imperiali largitate facta: vt dicitur *l. 2. supr.* (vbi pariter eodem sensu Licitvm dicitur: *& si vltra licitum aliquem vsurpare constiterit:*) Indulto Principis, vt *l. 5. & 6. supr.* Beneficio, *dict. l. 6.* Rescripto, *dict. l. 2. supr. l. 8. infr.* Secundo vox Constitvtvm bene[?]. 38 intellecta id ipsum quoque aperte indicat. Tertio & *Percipiendi* vox eodem pertinet: *percipere* enim est ex beneficio aliquid capere, pro quo *accipiendi*, & *accepta*, voces hac in re legitimæ. Tandem & *Quantitatis* vox idem ingerit, quæ certe de limitato a Principe, vel Iudice modo accipienda est. Ergo *vsus aquæ vetus*, hac lege est, Olim, vt ait *lex 5. supr.* impetratus: vetus licentia, *hac leg.* Et hæc quidem *huiusce leg.* sententia est. Omittere non possum, quæ tria hic summopere notanda obseruat Frontinus *articul 109. pag. 194. Edition. Polen.* Primo, cum vacare aliquæ aquæ cœpissent, adnunciatum id, & in commentarios redactum, qui postea respiciebantur, vt aquæ petitoribus ex vacuis

dari possent. Secundo, has aquas vacantes statim *interdici*, (vel *intercidi* ibi quoque legi possit) solitas, vt medio tempore venderentur aut possessoribus prædiorum, aut aliis. Postremo Traiano id humanius visum, ne prædia subito destituerentur, 30. dierum spatium indulgeri, intra quod ii, ad quos res pertinet, irrigarent.

Potuit & de eo dubitari, seu id allegari in spec. *huius leg.* ius hoc aquæ olim concessum personale fuisse: & mutato domino, quoque id ius intercidisse, Quandoquidem & IC. *l. 4. §. 43. D. de Aqu. quotid.* & Frontinus *lib. de Aquaduct. art. 107. p. 192. Edit. cit.* testantur, Ius impetratæ aquæ neque hæredem, neque emptorem, neque vllum nouum dominum prædiorum sequi, exceptis balneis, quæ publice lauarent; in his enim semel datam aquam perpetuo manere. Atque in id laudat Frontinus Senatusconsultum *pag. 193.* VTI IIS QVIBVS ATTRIBVTÆ ESSENT, QVOQVE MANERET ATTRIBVTIO AQVARVM (EXCEPTIS IIS QVÆ IN VSVM BALNEORVM ESSENT DATÆ, AVT AVGVSTI NOMINE) QVOAD IIDEM DOMINI POSSIDERENT ID SOLVM IN QVO ACCEPISSENT AQVAM. Hoc, inquam, allegari potuit; verum contra rescribitur *hac leg.* Nempe *vsum Aquæ veterem longoque dominio constitutum singulis quibusque manere oportere.* Manere, id est, ad nouos etiam dominos pertinere. Sic & idem ipse Frontinus scribit, *omnis aquæ beneficium cum possessore instaurari*, id est, solo, seu prædio, in quod aqua accepta, ad alium possessorem seu dominum perueniente, aquæ beneficium seu indultum quoque renouari, confirmari. Sed & Iurisconsultus non minus aperte, etsi distinctionem faciat in *l. 1. §. 43. D. de aqu. quotid. & æst.* inter aquam prædiis datam, quæ extincta persona non extinguitur; & inter datam personis, quæ cum personis amittitur, neque ad alium dominum prædiorum, neque ad hæredem, vel qualemcunque successorem transit. Attamen idem mox subiicit, *§. 44.* Plane ei, ad quem dominium transit, *impetrabile* est: Nam si docuerit prædiis suis aquam debitam, & sic nomine eius fluxisse, a quo dominium ad se transiit, indubitate impetrat Ius aquæ ducendæ; nec est hoc beneficium, sed iniuria, si quis forte non impetrauerit. Denique Frontini & Iurisconsulti cummaxime sententia est, iniuriam fieri successori, vel nouo possessori, si denegetur ei beneficium aquæ, quod prædecessori fuit concessum; licet personaliter in speciem: quia ex quo fuit concessum, *vetustas pro lege* habeatur: vel quia, etsi personæ in beneficio facta fuerit mentio, attamen reuera prædio factum fuerit. Quod Doctores vtiliter transferunt ad renouationem, confirmationem Emphyteuseos. Igitur iam *hac leg.* hæc sententia fuerit, mutata quamlibet persona, cui beneficium aquæ concessum est, penes nouos tamen dominos manere vsum aquæ veterem, & longo dominio constitutum, etiam citra instaurationem, seu renouationem beneficii: Nempe quia, vt horum temporum secta persuadet, & vt *huius tit.* leges ostendunt, ac maxime *lex 3. supr.* omne Ius & beneficium aquæ prædiale & reale censetur, sic vt beneficium semel concessum, penes quemcunque dominum prædii sit, duret.

Quæ cum ita sint, desinant deinceps Doctores ex *hac leg.* colligere, ius aquæ publicæ, e publico (& quidem Aquæductu) ducendæ præscribi posse, tempore, cuius memoria non extat: quod colligebat Glossa, & post eam, Interpretes alii & Cæpolla, *tit. de rust. præd. cap. 4. num. 24.* Balbus *de præscription. 4. part. 2. quæst. 4. & 5.* Imo inane eorum studium est, qui ad dominium Maris eiusque præscriptionem id extendunt.

Denique ex dictis omnibus ad *hanc leg.* colligamus, *Modum* aquæ certum ex aquæductu alicui a Principe concessum, & perpetuum esse: neque a Principe postea diminui posse: quod etiam ostendit *lex 17. D. de seruit. rustic.* Aliud sane fuerit, si simpliciter aquam alicui Princeps concesserit, modo nullo adscripto, nam alteri quoque ea concedi potest, dummodo sufficiat pro vsu illius, cui primo concessa fuit: de quo vid. Zoannetum, *Quotidianarum cap. 56.*

Hoc vti verum est, ita viceuersa (quæ secunda iam *huius leg.* sententia est) neque ipsi, qui modum aquæ veterem habet, eum excedere licet. Vno verbo, vt vetus ei modus seruandus est, ita & ipse eundem seruare debet. Non etiam aqua abuti *furtiuis meatibus*, a Principe scilicet non concessis, ad irrigationes hortorum, vel agrorum delicias, sub pœna proposita iam *l. 2.* vel sane *l. 4. supr.* quæ hic confirmatur: itemque *l. vltim. infr.* Ad agrorum inquam delicias, vt & *hic*, & in *Cod. Iustin.* recte habetur. Quare non audiendi qui hanc lectionem solicitant, & quidem Magius *Miscell. lib. 3. cap. 8.* qui hic ita legit: *Ad irrigationes agrorum, vel horreorum, deliciis furtiuis, aquarum meatibus abutuntur:* & quidem, vt ait, authoritate *Cod. Theod.* quod tamen in nulla *Editione* reperi, vt ita *delicia* sint deriuationes vel sulci aquarii: ita *deliciares tegulæ* Catoni *de re rustica, cap. 14.* quæ videntur tegulæ maiores in canaliculorum formam, quæ in tectis influentem aquam excipiunt, & deorsum eliciunt & perducunt, eumque præstant vsum, quem in agro elices, quos Columella *lib. 2. c. 8. Collicias* vocat vel *Colliquias:* easdem tegulas, etiam *Collicias* dictas testatur Festus his verbis: *Collicia, tegulæ, per quas aqua in vas defluere potest.* Verum recte omnino habet hic *delicias*, iunguntur enim agrorum irrigationes & hortorum deliciæ: ita Frontinus *loco* quem laudaui ad *leg. 4. supr.* *Vnde fit, vt & ductus publici hominibus priuatis vel ad hortorum vsum subseruiant:* Plinius *lib. 19. cap. 4. Iam quidem HORTORVM nomine in ipsa vrbe DELICIAS AGROS, villasque possident.* Κήπων ποικιλία Chrysostomo, ποικίλον enim & pro ornato, & delicioso. Porro Theodoricus quoque Rex, apud Cassiodorum *III. Var. 31.* Id Romæ factum suo tempore queritur simul & damnat: *Dicitur ergo, commodi cura priuati, aquam formarum, quam summo deceret studio communiri, ad aqua molas exercendas, vel HORTOS IRRIGANDOS fuisse deriuatam. Turpe hoc & miserabile in illa Vrbe fieri, quod per Agros vix deceret assumi.*

Tandem (vt ad historiam *huius leg.* descendam) obseruandum, *hanc constitutionem*, & *legem 30. supr. de operib. publ.* quæ *huic* coniungenda est, pertinere ad Aquas, & Aquæductus Vrbis *Antiochenæ*, in qua morabatur *Comes Orientis*, cui *hac lex* inscribitur, vt alibi ostensum: Ex hac scilicet aqua, 338
publicæ ciuibus Antiochiæ in lauacra seu domos priuatas fontes deriuati: de quibus vide quæ etiam Libanius *in Antiochico, pag. 382. Edit. Morell.* Cæterum cum sub Vrbe Antiochena essent, non tantum ΛΟΚΙ, PRATA, (de quibus *l. 3. supr. de pascuis*, quæ Anno proximo data est) sed etiam hortorum multorum deliciæ (quod præter *hanc leg.* docet Libanius *in Antiochico, pag. 379. Edit. Morell.* *Κήπων τε ποικιλία καὶ καταγωγῶν χάριτες, tum hortorum varietas, tum diuersoriorum amœnitas.*) ad huiusmodi etiam hortorum delicias nonnulli aquis

aquis abutebantur; quod *hac leg.* Arcadius prohibet: oc alioquin aqua omnibus municipibus seu ciuibus Antiochenis non sufficeret, hac præsertim tempestate, quo Antiochia plurimum aucta fuit. Vno itaque verbo, dicamus; *Neque modum aqua ex Aquæductu Vrbis ciui seu municipi alicui olim concessum vllatenus infringendum: neque ab ipso viceuersa excedendum.*

De AVGVSTEO *Aquæductu in Campania.*

VIII. (a) Idem AA. Messalæ PF. P. (b)

EX forma, (c) cui nomen *Augusta* est, quæ in Campania sumptu publico (d) reparata est, nihil priuatim singulorum (e) vsurpatio præsumat: neque cuiquam posthac diriuandæ (f) aquæ copia tribuatur. (g) Si quis autem meatum aquæ ausus fuerit auertere, quinque libras auri Ærario nostro inferre cogatur. Quidquid etiam ob eam fraudem ex Rescribto fuerit elicitum, vel qualibet arte temptatum, inritum habeatur. Dat. V. Kal. Ian. Med. Theodoro V.C. CONS. [399.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) *Messala* PP. Italiæ: in qua Præfectura Prætoriana, & quidem Italiæ Diœcesi, *Campania* fuit: vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) *Forma*, Aquæductu: dictum *l. 1. supr.* ID.

(d) An Collatione Campanorum? an sumptu publico, id est fiscali? Hoc verum. ID.

(e) Campanorum. ID.

(f) *Deriuanda.* ID.

(g) Nequidem Rescripto Principis, vt *fine leg.* ID.

COMMENTARIVS.

DE AVGVSTEO Aquæductu, qui io Campaoiam dirigebatur: de qua *Frontinus*, & veteres *Vrbis descriptiones*: voa *Victoris*; altera fixa *Notitia Imperii*: est hæc Honorii *lex*, cuius hæc sententia est; etsi ELICIENDÆ aquæ ex Aquæductu publico ius regulariter sit, vel ex diutina liccotia, vel ex nouo beneficio Priocipis, vt docuit *lex 2. 3. 5. 6. supr. hoc tit.* Attameo in Augusta aliud obseruaodum: (pariter vt in Claudia, *l. prox.*) Nempe, vt oequidem ex beneficio Principis, cuiquam priuato liceat ex Augusta aquam deriuare; cuius ratio hæc est, quia hæc aqua Vrbi Romæ in subsidium aliarum reposita seu *præsidiaria* & auxiliaris erat: Augusta scilicet aqua ad ipsam Vrbem Romam ooo perducebatur; verum in Mariam vel Claudiam deriuabatur, ad alterius supplementum; *paragogius* denique Aquæductus is erat, de quo mox: vt Frootinus *lib. de Aquaduct.* locis *duobus* docet *art. 12. p. 48. Ed. Polen.* *Idem Augustus in supplementum Marcia, quotiens siccitates egerent auxilio, aliam aquam eiusdem bonitatis opere subterraneo perduxit vsque ad Marcia rivum, qua ab inuentore appellatur Augusta. Nascitur vltra fontem Marcia, cuius ductus, donec Marcia accedat, efficit passus* DCCC. Et paulo post: *Augusta fons, quia Marciam sibi sufficere apparebat, in Claudiam deriuatus est, manente nihilominus præsidiario in Marciam, vt ita demum Claudiam aquam adiuuaret Augusta, si eam ductus Martia non caperet.* Ex quibus iam liquere potest, cur nequidem ex Rescripto Principis ex hoc Aquæductu aliqoid deriuari posset a priuatis; nempe quia, in supplementum & quoties siccitates egerent auxilio, velut sanctius quoddam aquæ ærarium & præsidium hic aquæductus repositus erat.

Cæterum in Campania hic Aquæductus erat, vt *hac lex* apertissime testatur: In Campania, ioquam, Latina, non Felice: de qua Campaniæ diuisione, in Latinam & Felicem, plenissime dixi ad *l. 12. supr. de Pœnis.*

Lata vero *lex hac*, hoc tempore, recentissime eo Aquæductu sumptu publico reparato, qui priuatorum antea deriuationibus corruptus fuerat; cui malo Honorio deinceps posthac occurrere visum fuerit.

Nunc in praxim *hac lex* deducatur: Igitur noo ex maioribus modo Aquæductibus, seu eorum formis aquam quandoque deriuare ooa licet: verum etiam ex minuscularis, seu *paragogiis*, (cuiusmodi fuit aqua Augusta,) vt docet etiam Zenoois *lex*, *penult. Cod. Iustin. eod. tit.* vbi Minuscularii Aquæductus seu *Paragogia*, παραγώγια dicuntur, minores Aquæductus, qui in maiores confluunt.

De CLAVDIA *aqua.*

IX. (a) Idem AA. ad Flauianum P. V. (b)

NE quis *Claudiam*, interruptis formæ (c) lateribus adque perfossis, (d) sibi fraude elicita

elicita (e) existimet vindicandam: Si quis contra fecerit, earum (f) protinus ædium & p. 339 locorum amissione multetur: Officium (g) præterea, cuius ad sollicitudinem operis huius custodia pertinebit, hac pœna constringimus, vt tot librarum auri inlatione multetur, quot vncias (h) Claudiæ nostra (i) cohibentia (k) eius vsurpatas fuisse constiterit. Dat. VI. Id. Nou. Med. Stilichone & Aureliano Coss. [400.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hec lex*, vtpote localis, a *Cod. Iustin.* *ID.*

(b) *Flauianus* P. V. Romæ. Eidem Flauiano P. V. inscribitur Anno superiore 399. *lex 3. supr. de habitu quo vti oportet*: & hoc ipso anno 400. *lex 61. supr. de appellat. lex 29. supr. de Nauicular.* Fit eiusdem mentio Anno 414. *l. 33. supr. de erogat. mil. ann.* De eodem est Inscriptio vetus apud Gruterum *CLXX. 5.* Meminit huius Præfecturæ Symmachus *lib. 7. epist. 50. & 95.* perstringit eandem *lib. 7. epist. 92. 103. & lib. 4. epist. 5. 7.* De eo plura in *Indice Personarum.* *ID.*

(c) *Formæ*: id est, Aquæductus: vid. *Gloss.* & dicta ad *leg. 1.* *ID.*

(d) Et perforatis. *ID.*

(e) γρ. *Illicita*, vel *elicitam.* *ID.*

(f) In quas elicuerit, seu deriuauerit. *ID.*

(g) Officii huius, ad cuius solicitudinem Aquæductuum *custodia* pertinebat, fit pariter mentio *l. 1. supr. hoc tit.* & *l. 2. supr. de diuers. offic.* huc pertinet etiam *familia*, quæ ad tutelam ductuum parata olim erat: de qua Frontinus *lib. de Aquaduct. art. 116. pag. 200. seqq. Edit. Polen.* ὑδροφύλακες seu Aquarii, de quibus *l. pen. Cod. Iust. eod. tit.* *ID.*

(h) Venciæ aquæ, *hac leg.* & *l. 3. supr.* vbi dixi. *ID.*

(i) Forte legendum *nostræ*, quam vocem vsurpatam sæpe reperio *hoc Cod.* in his, erga quæ Principes maximo affectu ducerentur: vid. *Glossar.* *ID.*

(k) Pro *conniuentia.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE CLAVDIA aqua, seu Claudio Aquæductu, est hæc Honorii constitutio data Anno Domini 400. qua is perfossis & interruptis formæ lateribus aquam exinde a priuatis in priuatos vsus elici pariter vetat, sub pœna loci vel ædium amissionis; quæ & ipsa pœna statuitur, *l. 4. supr.* vbi aduersus hanc fraudem plura. *Claudia aqua*, cuius *hac leg.* mentio fit, a C. Caligula regione Tiburti cœpta, a Claudio Imp. consummata, dedicataque fuit, (vnde illi nomen) Anno ab V. C. 803. Kalend. Aug. vt testatur Frontinus *lib. de Aquæd. art. 13. p. 51. Edit. Polen.* apud quem plura; & Suetonius *Gaio, c. 21.* & Inscriptio vetus apud Gruterum *CLXXVI. 1.*

TI. CLAVDIVS. &c. AQVAM. CLAVDIAM
EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR
CAERVLEVS. ET. CVRTIVS. A. MILIARIO
XXXXV. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM
PERDVCENDAS. CVRAVIT.

Et in eodem marmore *ibidem:*

IMP. CAES. VESPASIANVS. AQVAS
CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS
A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA. INTER
MISSAS. DILAPSASQVE. PER. ANNOS. NOVEM
SVA. IMPENSA. VRBI. RESTITVIT.

Ab hac Claudia diuersa est illa, quæ iam olim Romæ erat, aqua Appia (quæ & *Claudia* quoque dicta fuit, ab Appio videlicet Claudio inducta: cuius meminit Liuius *lib. 9. cap. 29.* Pomponius *l. 2. §. 36. D. de orig. iur.* Et Cassiodorus *VII. Variar. 6.* & in *Chronic. M. Valerio & P. Decio Coss.* & Victor. *de viris illustrib. c. 34.* Eutropius quoque *lib. 2. c. 4. Appius Claudius Censor Aquam Claudiam induxit.* Verum communius hæc Appia tantum dicta a Frontino & Plinio *lib. 36. cap. 15.*

Porro, cur nominatim de Claudia hac constitutione Honorius id constituat, vt ne videlicet interruptis formæ lateribus atque perfossis ex ea aqua a priuatis eliciatur, vindiceturque? in obscuro est: Haud absurde quis dixerit, non tantum ob balneatum vsum id ita constitutum, verum etiam forte propter vsum *Baptismatis* in baptisterio *Lateranensi*: qua ipsa etiam causa Hadrianus Papa diu post, formam huius aquæ Claudiæ refecit, renouauitque, quæ per mediam aream Lateranensem decurrit in Baptisterium Ecclesiæ S. Saluatoris, & in plures alias Ecclesias; vt testatur Anastasius *in eius vita, p. 210. Edit. Roman.* & ex eo Onuphr. Panuin. *de Basil. V. R. p. 192.* Quod si ita est, tum hæc constitutio in Annales Ecclesiasticos referenda fuerit.

Cæterum, vt hæc Honorii constitutio est data ad Flauianum P. V. Romæ super opere publico Aquæductus, ita pariter Inscriptio vetus occurrit Romæ, apud Gruterum *CLXX. 5.* de quodam opere ab hoc ipso Flauiano instituto, Secretario videlicet Senatus.

SALVIS. DOMINIS. NOSTRIS. HONORIO. ET THEODOSIO. VICTORIOSISSIMIS. PRINCIPIBVS. SECRETARIVM. AMPLISSIMI. SENATVS QVOD. VIR. INLVSTRIS. FLAVIANVS. INSTITVERAT. ET. FATALIS. IGNIS. ABSVMPSIT FLAVIVS. ANNIVS. EVCHARIVS. EPIFANIVS V. C. PRAEF. [fuit hic Epiphanius P. V. Anno 412. 414. vid. *Prosopogr.*] VICE. SACRA. IVD. REPARAVIT. ET. AD. PRISTINAM FACIEM. REDVXIT.

DE

P. 340

DE ITINERE MVNIENDO.*

TITVLVS III.

Titulus hic abest a *Cod. Iust.* Porro *lex 6. hoc tit.* ad ECCLESIASTICAM historiam pertinet.

* *Muniendi* vox hac in re propria: vid. *Gloſſar.* De *itinere* autem *muniendo*, id eſt, de neceſſitate itineris muniendi, neque vlli immunitate eius tribuenda, quod vnicum ferme eſt *huiuſce tituli* legum omnium argumentum.

PARATITLON.

ITINERVM, *Rubr. l. 1. 4. 6. h. t.* & *l. 10. ſupr. de extraord.* publicorum itinerum, *l. 3. ſupr. de curſ. publ.* Viarum, *l. 2. 3. 4. h. t.* & *l. 36. ſupr. de Oper. public.* Viarum publicarum, *l. 6. h. t.* Viarum militarium, *l. 3. ſupr. de curſu publico:* publici aggeris, *l. 4. 5. hoc tit.* & *l. 2. ſupr. Ne quis in Palat. man.* Canalium, *l. 15. ſupr. de curſ. public.* Canalium publicorum, *l. 2. ſupr. de curioſ.* Stratarum, *l. vltim. hoc tit.* munitio, *l. 3. h. t.* (vnde *Titulus*, *de itinere muniendo*; & *munire* itinera, vias, *l. 1. 2. h. t.*) quæ & inſtructum munitionis dicitur *l. 4. h. t.* ſeu inſtructio viæ publicæ, *l. 6. h. t.* eſt inſtauratio, reparatioque itinerum, *l. 4. 5. 6. hoc tit.* & *Nou. Valent.* inter *Theodoſ. 21.* reparatio publici aggeris, *d. l. 4.*

Huius rei (quia in commune omnibus profutura, *l. 1. hoc tit.*) onus, *l. 3. 4. h. t.* obſequium, *l. 1. hoc tit.* ſollicitudo, *l. 10. ſupr. de extraordin.* neceſſitas, *l. 7. ſupr. de Operibus publicis*, laudabilis titulus dicitur, *l. 6. h. t.* neque ſordidum munus, *d. l. 6. h. t.* imo titulis magnorum Principum dedicatum, *d. l. 6. h. t.* Ideoque ad huius oneris curationem, *l. 4. h. t.* cuncti poſſeſſores *d. l. 10. de extr.* omnes, *l. 6. h. t.* certatim ſua ſtudia conferre tenebantur, *l. 4. hoc tit.* nullo prorſus immuni, *l. 3. h. t.* nullo hominum genere, *l. 6. h. t.* nullius patrimonio, *l. 4. hoc tit.* nulla priuilegiorum contemplatione, *l. 3. hoc tit.* nulla dignitate aut priuatorum priuilegiorum vi, *l. 4. hoc tit.* nullo reſcripto perſonali vel adnotatione, *l. 5. h. t.* nullius dignitatis ac venerationis ſeu reuerentiæ meritis aut exceptione, *d. l. 6. h. t.* adde *Nouell. Valentin.* inter *Theodoſ. 21.* Ita quidem vt neque Emphyteuticarii poſſeſſores, *l. 1. hoc tit.* (qui alioquin ab extraordinariis immunes ſunt, *d. l. 1. h. t.*) non Inluſtrium dignitatum patrimonia, *l. 4. hoc tit.* non domus Principis, *l. 4. 6. h. t.* non Eccleſiæ, *l. 6 hoc tit.* ab hoc munere immunes ſint.

Erat autem hoc onus patrimonii, *l. 4. h. t.* pro iugerum numero, *l. 2. 5. h. t.* Triplicique ratione procurabatur: vel enim (qui antiquiſſimus & æquiſſimus modus eſt) a ſingulis loca ſarciebantur, quæ ſortiebantur, *l. 2. 5. 6. h. t.* vel operas conferebant ſeu obſequium, *l. 1. 4. h. t.* vel pecuniam; de quo in *D.* & *Cod. I.* Detrectantiſque pœna hæc erat, vt prædium confiſcaretur, *l. 3. h. t.*

Materia etiam aliquando huic rei de publico deſtinabatur, veluti ex demolitione Templorum, *l. 36. ſup. de Operib. publ.*

De PONTIVM inſtructione idem ſentiendum, quod de viarum munitione: quo pertinet etiam *lex vlt. hoc tit.* & *l. 36. ſupr. de operib. publ.* & *lex vlt. ſupr. ne operæ a conlator. l. 15.* & *18. ſupr. de extraord. muner.*

EMPHY-

EMPHYTEVTICARIOS *a viarum munitione* IMMVNES *non esse.*

I. (a) CONSTANTINVS A. ad Proculum (b) Proconf. Afric.

EMPHYTEVTICARII possessores, qui Mansuetudinis nostræ beneficio ad extraordinaria minime deuocentur, (c) sicut ceteri prouinciales, obsequium suum muniendis itineribus inpendant: Nulla enim ratione debent ab hoc, quod in commune omnibus profuturum est, esse (d) seiuncti. PP. Non. Maii, Karthagine, (e) Constantino A. V. & Licinio Cæs. Coss. [319.]

P. 341

NOTÆ.

(a) *Lex 1. Cod. Iust. de collat. fund. patrim.* Iungendæ quoque *huic legi* videntur *lex 1. Cod. Iust. de Mancip. & colon. patrimon.* itemque *lex 1. de fundis patrim. & salt.* vt & *lex 1. de fund. rei priu.* Sunt enim omnes de Emphyteuticariis possessoribus. *GOTHOFR.*

(b) *Proculus* PC. Africæ sub Constantino M. Eidem inscribitur hoc ipso Anno 319. *lex 2. supr. de priuil. eor. qui in S. Pal.* Carmen etiam vetus de Proculo. *Idem LYBIAE Proconsul.* In hunc est quoque Symmachi Patris carmen. Nisi ad Proculum illum, qui sub Constantio PC. Africæ fuit, vt docet *lex 21. supr. de appellat.* id potius pertineat. *ID.*

(c) *Deuocantur*: Cod. Iust. (vbi & vox *muneru* addita:) Et hoc tamen defendi potest. *ID.*

(d) *Seiungi*: ita *Cod. Iust.* vbi & subscriptio intercidit. *ID.*

(e) *Karthagine* PC. Africæ consistebat. *ID.*

COMMENTARIVS.

EMPHYTEVTICARII possessores ab extraordinariis equidem muneribus immunes sunt, *hac leg.* & *l. 2. 5. 9. 12. 13. 17. 20. supr. de extraordin. muner.* vid. & *l. 2. vltim. supr. de collat. fund.* at non & a viarum muniendarum onere, ex hac Constantini M. constitutione, non magis quam cæteri prouinciales. Nemo quippe a viarum munitione immunis est: de quibus plene ad *leg. 3. infr.* Ratio tantum quæ hic redditur, obseruetur. *Emphyteuticarii* porro possessores sunt, qui fundos patrimoniales ad patrimonium Principis pertinentes emphyteutico iure possident: de quo dixi suis titulis, *supr. de locat. fund. iur. emphyteut.* & *tit. de conlat. fund. patrimon. vel emphyteut.* Ergo neque Emphyteuticarii possessores ab itinere muniendo immunes sunt, obtentu rei priuatæ Principis; Quæ hoc æuo ab hoc onere immunis erat, vt argumento est; verum postea *lex 4. infr.* Domus Principis huic oneri & functioni subiacuit: *l. 4. & 6. infr.*

II. (a) Imp. IVLIANVS A. ad Auitianum (b) Vic. Afric. Post alia.

IN muniendis viis (c) iustissimum æquitatis cursum reliquit auctoritas. (d) Singuli (e) enim loca (f) debent quæque sortiri, vt sibi consulant, (g) vel neglegentia, vel labore. Igitur eos loca iuxta morem priscum (h) delegata (i) curare (k) oportebit, &c. Dat. VII. Kal. Nou. (l) Iuliano A. IV. & Salustio Coss. [363.]

NOTÆ.

(a) Iungenda *huic* est *lex 1. supr. de indulg. debitor. l. 15. supr. de curs. publ.* & *l. 7. Cod. Iustin. de adific. priuat.* forte & *lex 1. Cod. Iust. de diuers. prad.* *GOTHOFR.*

(b) *Auitianus* Vicarius Africæ sub Iuliano. Eius meminit & Ammianus Marcellinus *lib. 27. c. 7. Mamertinum Prafectum Pratorio ab Vrbe regressum, quo quadam peruenerat correcturus, Auitianus ex Vicario peculatus detulerat reum.* *IDEM.*

(c) Canalibus, *d. leg. 15. supr. de curs. publ.* quæ *huic* inter alias iungenda est: seu Canalibus publicis: *l. 2. supr. de curiosis.* *ID.*

(d) *Authoritas*, de hac voce mox. *ID.*

(e) Possessores scilicet. *ID.*

(f) *Loca*

(f) *Loca* hic, & mox, *loca delegata*, sunt spatis viarum singulis possessoribus attributa & assignata: certa spatia, vt ait Siculus Flaccus *loca, quem mox laudabo*. *ID.*

(g) Recte, *consulere sibi negligentia* quis dicitur. *Consulendi* scilicet verbum est ex τῶν μέσων: *Consulere sibi negligentia*, est male consulere: contra, *sibi consulere labore*, est bene consulere: male autem consulere, ideo, quia pœna his, qui id defugiunt, proposita est, & quidem actori, in spec. *l. 3. infr.* Proinde errant, qui hunc locum vitiosum putant. *ID.*

(h) Dicam mox, occasione vocis *Autheritas*. *ID.*

(i) *Sibi assignata*, vt loquitur Siculus Flaccus. *ID.*

(k) *Curare* loca: hinc Curatio in *leg. 4. infr.* *ID.*

(l) Supplendum hic ex *d. l. 1. supr. de indulg. debitor. Dat. VII. Kalend. Nou. Antiochia Acc. XV. Kalend. April. Carthag.* Ex quo apparet, quinto post mense, Antiochia *hanc leg.* perlatam Karthaginem. *ID.*

COMMENTARIVS.

IVLIANI hæc constitutio est, de Modo seu ratione itinerum muniendorum; Quæ quidem pars est prolixioris Iulianeæ constitutionis, vt ex iis *legibus* patet, quas *huic* coniungendas iam dixi, ad Diœcesin Africæ pertinens; quam ea constitutione variis rationibus subleuatum iuit: inter alia scilicet. Primo, viarum publicarum cura suscepta; *hac leg.* Secundo, vt & Cursus publici; *d. l. 15. sup. de Curs. publ.* Tertio, item ornatus publici, *d. l. 7. Cod. Iust. de ædif. priu.* Quarto, tandem & rei tributariæ: *d. l. 1. supr de indulg. debit.* Et hæc omnia subleuandis miseris Afris, qui nimiis oneribus tum prægrauati erant, quorumque patrimonia & fortunæ laceratæ fuerant; vt loquitur *d. lex 15.* Ergo Iulianus inter alia Remedia, *hac leg.* veterem in viis muniendis modum per Africam, *quam authoritas*, vt ait, *reliquit*, firmatum iuit, quo scil. possessoribus certa viæ spatia, pro modo & latitudine agrorum, & (vt loquitur *lex 5. infr.*) pro iugorum numero vel capitum, quæ possidebant, quæ suis impensis tuerentur, delegata seu assignata erant: *Iustissimumque* hunc *æquitatis cursum vocat*, aduersus prauam scilicet consuetudinem, qua miseri vltra hunc modum prouinciales atterebantur. Quod quidem ipsum probat etiam Siculus Flaccus, *de condit. agror. p. 11. Edit. Rigalt. & pag 9. Edit. Goes.* vbi ostendit, duplicem muniendarum viarum rationem olim fuisse: *Viæ*, inquit, *aliter atque aliter muniuntur, Per pagos, id est, per magistros pagorum, qui operas a possessoribus ad eas tuendas exigere soliti sunt. Aut, vt comperimus, vnicuique possessori per singulos agros certa spatia assignantur, quæ suis impensis tuentur: Etiam titulos finitis spatiis positos habent, qui indicent, cuius agri quis dominus, quod spatium tueatur.* Neque abludit *lex 14. in fin. D. quemadm. seruit. amitt.* vt & vetus illa XII. Tabb. lex, Tab. VIII. *Si via per Amsegetes immunita escit, qua volet iumentum agito*, vbi *Amsegetes*, sunt, quorum agri viam tangunt, vt Festus docet. Adde & *tit. D. de via publ. & itin. public. refic.* Ad eundem sane quoque modum in Vrbe secundum propriam domum quisque construere vias publicas tenetur, vt testatur Papinianus P. 348 *lib. singul. Astynomico, l. vnic. §. 3. D. de via publica: & si quid in ea fact. esse dic.* Alibi τέλος ὁδοστρωσίας, id est, *onus sternendæ viæ*, collatum, de qua collatione vide *l. 27. §. 3. D. de vsufr. l. 13. §. 6. D. de act. empt. l. 14. §. 2 D. de munerib. l. 11. D. de vacat. muner. l. 6. Cod. Iust. de pignor.* & *l. 2. §. 22, D. ne quid in loc. public.*

Tandem ait Iulianus, hunc iustissimum æquitatis cursum in muniendis viis reliquisse *Auctoritatem*. Vbi quæri potest quidnam Authoritatis voce intelligendum sit? An videlicet Proconsulis? quod suadere videatur *d. l. 15. supr. de curs. public.* vbi *forma Proconsulis* dicitur? An vero Vicarii Africæ, argumento inscriptionis *huius legis?* An Authoritas Iuris & Prudentum? Iuris enim authoritas Papiniano, *l. 36. D. de statu lib.* alibi Prudentum authoritas dicitur; & passim *hoc Cod.* Authoritates pro Constitutionibus: vid. *Paratitl. de constitut.* An tandem *Authoritas*, id est, vsus authoritas? arg. *huius leg. in fin.* ibi, *iuxta morem priscum*: & *l. vlt. infr. Antiquitas.* Quo etiam sensu Tertullianus *lib. 2. ad Nationes cap. 1. Institutiones Maiorum, Authoritates receptorum* dixit. Sane Iulianus identidem priscum morem in constitutionibus suis sequitur: qua de re plene dixi ad *leg. vn. supr. de longa consuet.* Et vero in hanc sententiam magis inclino.

III. (a) Imppp. Valentinianvs Theod. & Arcad. AAA. ad Eusignium PF. P. (b)

A Viarum munitione nullus habeatur immunis: & eorum prædiorum Actores, (c) qui forte iniuncto onere, (d) priuilegiorum (f) contemplatione, parere minime voluerint, nostræ Domui vindicentur. Dat. IV. Kalend. Mart. Valentiniano A. III. & Eutrop. Coss. [387.]

N O T Æ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustinianeo.* GOTHOFR.

(b) *Eusignio* huic PP. variæ Constitutiones Valentiniani Iun. inscriptæ occurrunt Anno 386. 387. quas repete ex *Indice personarum.* Ad eundem extant variæ Symmachi epistolæ *lib. 4.* & nouem quidem postremæ: ex quibus ferme

omnibus argumentum duci potest de Præfectura eius Pretoriana, & quidem Italiæ, cum maxime ex *epist.* 69, 70. & 73. *ID.*

(c) Senatorii, illustrium dignitatum. *ID.*

(d) Pro *oneri.* *ID.*

(e) Senatoriæ dignitatis, vel illustris. *ID.*

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Iun. hæc constitutio est, qua IMMVNITAS a viarum munitione omnibus præciditur. *A viarum*, inquam, *munitione*, id est, a collatione operarum sumptuumque ad viarum munitionem: quo sensu quoque *viarum munitio* accipitur apud Paulum V. *sentent. tit. 6. §. 6.* Alio enim sensu, *munitio viarum* accipitur pro cura muniendarum viarum, *l. 12. D. de munerib.* & munitio publicæ viæ, *l. 1. §. 2. d. tit.* id enim inter personalia munera est. Ergo a viarum munitione nemo excusatur ex *hac* Valentiniani Iun. *leg.* pariter vt Constantini *l. 1. supr.* & *tribus seqq.* puta Honorii, *l. 4.* Theodosii Iun. *leg. 5.* vide in id quoque *leg. 10. supr. de extraordin. muner.* Paulum, V. *sentent. tit. 6. l. 11. D. de vacat. & excusat. muner.* Nullius scilicet priuilegii habita ratione *hac leg.* seu nullo priuato priuilegio, nullo dignitatis priuilegio attento, *hac leg.* & *dictis ll.* Etsi alioquin ab extraordinariis muneribus immunes illi sint: (veluti Emphyteuticarii,) *d. l. 1.* Etsi Illustres *hac leg.* & *l. 4.* Etsi Principis domus, *l. 4. 6.* Etsi Ecclesia, *d. l. 6.* Etsi Veterani, *l. 4. D. de Veteran.* Hoc alioquin onus detrectantibus prædiorum possessoribus pœna proposita est, vt docuit *lex superior.* si videlicet ipsi detrectent: Nam si non ipsi, verum ACTORES eorum detrectent, nulla pœna domini tenentur; verum Actores ipsi (quo spectat peculiariter *hac lex:*) *Domui*, seu dominio Principis vindicari *hac leg.* iubentur. Sicuti scilicet æquum non est, contumaciam seu negligentiam Actorum in dominorum verti perniciem; ita neque ipsis Actoribus impune id cedere debet. Actoribus inquam, qui, vt cæteroquin (de quo dixi ad *l. 1. supr. de iurisdict.*) ita & hoc in genere contumaces sese præbebant, dominorum videlicet suorum, Senatorum forte vel Illustrium dignitate, prætumidi. Hic interim pœna hæc notetur; qua *actor* priuati, domui seu dominio Principis vindicatur.

Tandem notari cupio, sicut Eusignium PP. Italiæ cui *hac lex* inscribitur, (de quo ad inscriptionem) viarum munitioni incubuisse ex *hac leg.* colligi potest; ita & Basilicæ cuiusdam Pontisque consummationi institisse, docet Symmachus, *epist.* ad hunc ipsum Eusignium 71. *lib. 4.* indicatque idem & *lib. 5. epist. 76. in fin. ad Licinium.* Ad *huius leg.* quæstionem: v. quæ vltimum scripsit, *Le Prestre en ses Questions de droict cent. 1. ch. 32.*

IV. (a) Impp. Arcad. & HONOR. AA. Messalæ PF. P. (b)

DVDVM quidem fuerat constitutum, * *Vt Inlustrium patrimonia dignitatum ab instauratione itinerum haberentur excepta*: Verum, propter inmensas vastitates (c) viarum, certatim (d) studia cunctorum ad reparationem publici aggeris (e) conducibili (f) deuotione volumus festinare: nulla ad (g) instructum munitionis huiusce, dignitate, aut priuatorum (h) priuilegiorum in (i) qualibet, studiosius adpetita. Etiam istud adiungimus, vt P. 343 Domos etiam Clementiæ Nostræ, quas vetusta, & innumera ab huius oneris curatione (k) priuilegia vindicabant, par condicio & sollicitudo constringat. Ita tamen, vt in ceteris, quæ vel Inlustribus, vel patrimonio nostro, præcedentibus Edictis, beneficia fuerant adtributa, intemerata permaneant. Dat. III. Kalend. Maii, Med. Theodoro V. C. CONS. [399.]

N O T Æ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) Italiæ. *IDEM.*

* Constitutio hæc videtur esse *l. 18. supr. de extraord. muner.* *ID.*

(c) *Vastitates* viarum sunt immunitiones. *ID.*

(d) Certante studio. *Nou.* Valent. *int. Theodos.* 21. *ID.*

(e) *Agger publicus*, hic & *l. 5. infr.* & *l. 2. ne quis in Palat. man.* est via publica: Vsurpat eandem vocem inter cæteros Ammian. *lib.* 18. *c.* 8. (cui & Itinerarius agger, *lib.* 19. *cap.* 8. dicitur) Sidonius *lib.* 1. *epist.* 5. *lib.* 2. *epist.* 10, *vers.* 22. *lib.* 4. *epist.* 24. *lib.* 9. *epist.* 3. Sulpit. Seuerus *Dialog.* 2. *cap.* 3. Seruius *Æneid.* V. v. 273. & ex eo Isidor. *Orig. XV. cap. vlt.* *Agger* est media stratæ eminentia, coaggeratis lapidibus strata. Glossar. *Agger, strata, via publica.* Omitto alia innumera. *ID.*

(f) *Conducibilis* vid. Gloss. *ID.*

(g) Ad-

(g) Aduersus. *ID.*

(h) Personalia rescripta, *l. 5. prox.* *ID.*

(i) *γς. vi.* *ID.*

(k) *Curatio: vt supr. l. 2. Igitur eos loca iuxta morem priscum delegata curare oportebit.* *ID.*

COMMENTARIVS.

HONORII hæc constitutio est, contra eandem immunitatem, qua speciatim ILLVSTRES etiam (veluti Præfecti Prætorio, Præfecti Vrbis, Magistri militum, Comites S. L. & R. P. &c. de quibus *supr. lib. 6.*) imo & DOMVS Principis a viarum munitione immunes esse vetantur. Quod antea tamen aliter dudum vetustis & innumeris priuilegiis constitutum fuisse hæc *lex* diserte testatur; & inter alias quoque *lex 18. supr. de extraordin. muner.* quam hæc omnino innuere videtur. Huic porro *legi* ferendæ occasionem præbuit immensa viarum corruptarum tum vastitas seu immunitio per Italiæ Præfecturam: Imo, vt puto, per Italiam ipsam. Cui vastitati occasionem forte præbuit illa ipsa illustrium & Domorum Principis immunitas, quæ *hac leg.* antiquatur. Quod de domibus Principis (quas per Prouincias sparsas habebant, de quibus *suo tit. lib. 10. de domib. ad rem priu. pertin.*) hac *leg.* adiicitur, id etiam iteratur *l. vltim. infr. hoc tit.* Et hæc quidem de Immunitate a *viarum* tantum munitione, quam Honorius Imp. *hac leg.* & Illustribus & Domibus Principis hactenus competentem, ademptum it. Atenim cætera priuilegia his data *fine leg.* confirmat. Quænam vero illa sint, docet *titulus, supr. de extraord. muner.*

V. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Anthemio PF. P. (b)

ANTIQVATIS (c) omnibus, vel personalibus Rescribtis, vel per Adnotationes elicitis, per Bithyniam ceterasque prouincias, possessores & reparationi (d) publici aggeris, (e) & ceteris eiusmodi (f) muneribus, pro iugorum (g) numero, vel capitum, (h) quæ possidere noscuntur, adstringi (i) cogantur. Dat. VII. Kalend. Nou. Constantinop. Honor. IX. & Theod. V. AA. Coss. [412.]

NOTÆ.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. de immunit. nemini concedenda.* GOTHOFR.

(b) *Anthemius* PP. Orientis, sub Theodosio Iun. vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) Primus *huius leg.* versiculus, vtpote historicus, abest a *Cod. Iust.* *ID.*

(d) *In Reparatione:* ita *Cod. Iust.* *ID.*

(e) De *Aggere* hoc publico, dixi ad *leg. 4. supr.* *ID.*

(f) *Huiusmodi,* Cod. Iustin. Veluti non aliorum tantum operum publicorum refectioni, sed & aliorum quorumcunque munerum, quæ ex æquo ab omnibus sustineri debent. *ID.*

(g) *Iugerum,* Cod. Iust. male: vid. *Glossar. in voce Iuga.* *ID.*

(h) *Capitum,* vid. Glossar. *in Capita.* *ID.*

(i) *Dare cogantur (seu adstringantur)* ita *Cod. Iust.* Græci [illegible]. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. Constitutiones duæ sequuntur contra eandem Immunitatem a viarum munitione. Hac sane, cum principaliter aduersus Immunitates lata sit, duo tamen ea constituuntur: Primo quidem, RESCRIPTA personalia, imo & ADNOTATIONES speciales Principum huiusmodi Immunitates a viarum munitione aliisque muneribus scilicet patrimonialibus tribuentium reuocantur atque in irritum deducuntur; vt cæteroquin nulla priuilegia hic locum habent: de quo vid. *Paratitlon.* Secundo, modus muniendarum viarum hic præscribitur; nempe Possessores quilibet pro numero iugorum vel capitum (nam hic viarum muniendarum modus fuit, de quo dictum plene ad *leg. 2. supr.*) huic muneri generaliter adstringuntur: *Pro numero iugorum & capitum:* id est, pro modo possessionum: *Capita* scilicet eadem cum iugis *hac leg.* vnde & *capitationem iugorum,* & professiones: *leg. 1. supr. de immunit. concess.* & *l. 6. supr. de extraord.* Item capitatio aut iugatio, *leg. 1. supr. ne quid latit. publ.* &c. Quare ridicula hic interpretatio Accursii & sequacium, qui *capita* hic *animalia* interpretantur.

Illud ad historiam *huius leg.* notandum, eam pertinere nominatim ad Bithyniam, cæterasque *Pontica* videlicet Diœceseos (in qua Bithynia erat) Prouincias. Quod Tribonianus quoque in *suum Codicem* retulit; qui tamen alioquin localia & temporaria, quantum potuit, vbique expungere studuit P.344 : Verum id ideo factum illi hic, quod verba illa, quæ statim subiiciuntur, *cæterasque Prouincias,* generalem hanc constitutionem

tionem reddere videntur, quæ tamen historica veritate inspecta, ad summum, Prouincias, quæ per Præfecturam P. Orientis erant, indicant: Etsi quod secundo loco iam notaui, idem ius vbique obseruatum, & per omnes Imperii Romani Prouincias. Cætera ex *Paratitlo*, & *leg. 9. supr. de Annon. & tribut.* & iis quæ dicentur adhuc ad *leg. prox.* hanc ad rem repetenda.

VI. (a) Idem AA. Asclepiodoto PF. P. (b)

ABSIT, vt nos instructionem (c) viæ publicæ, & pontium, (d) stratarumque, (e) operam, (f) titulis Magnorum (g) Principum dedicatam, (h) inter sordida munera numeremus. Igitur ad instructiones reparationesque itinerum, pontiumque nullum genus hominum, nulliusque dignitatis ac venerationis (i) meritis, (k) cessare oportet. Domos (l) etiam diuinas, ac Venerandas Ecclesias, tam laudabili titulo libenter adscribimus. Quam Legem cunctarum Prouinciarum (m) Iudicibus intimari, (n) conueniet, vt nouerint, quæ viis publicis antiquitas (o) tribuenda decreuit, sine vllius vel reuerentiæ, (p) vel dignitatis (q) exceptione, præstanda, Dat. XV. Kalend. Mart. Constantinop. Asclepiodoto & Mariniano Coss. [423]

NOTÆ.

(a) *L. 4. Cod. Iust. de priu. dom. Aug.* & *l. 7. Cod. eod. de SS. Eccles.* hinc desumptæ sunt. Omittit porro *hanc leg.* Baronius. Iungenda autem *huic* est *lex 25. infr. de Iudæis*: & forte etiam *lex 35. supr. de erog. milit. annon.* GOTHOFR.

(b) Orientis. *ID.*

(c) Instructiones, *d. l. 4. ID.*

(d) De *Pontium* instructione seu structura, vide & *l. 36. supr. de Operib. public.* ac nominatim de ponte Liquentiæ, *l. vltim. supr. ne opera a conlat. exig. ID.*

(e) *Stratarum.* Glossar. *Agger strata via publica.* Virgil. 1. *Æneid. v. 426.* dixit, *strata viarum.* Seruius *Æneid. V. v. 273.* & ex eo Isidorus, *lib. XV. cap. 16. Agger est media strata eminentia, coaggeratis lapidibus strata.* Procopius *lib. 2. Belli Pers. c. 1. p. 88. Edit. Reg.* Στράτα ἡ ἐστρωμένη ὁδὸς τῇ Λατίνων καλεῖται φωνῇ, *Strata vocatur latina lingua via lapidibus munita.* Iuuencus *hist. Euangel. lib. 2. v. 542.*

En ego mitto meum stratas aptare Ministrum
Ante tuos vultus ———

Retinent hodie Itali, retinent & Germani. Vnde *Strateburgo* reuerendæ mihi ciuitati nomen, cuius iam mentio apud Gregorium Turonensem, *Histor. Francic. lib. 10. cap. 19.* Strata autem proprie lapidibus strata: cum alioqui duplex esset ratio vias sternendi: glarea, vel Silice: præter Liuium *lib. 41. cap. 27.* Tibullus ad *Messalam lib. 1. Eleg. 8. v. 59.*

Namque opibus congesta tuis, hic glarea dura
Sternitur, hic apta iungitur arte silex.

Postea cœpit quælibet via & platea *strata* dici. Glossæ *Cyrilli*, vt omittam alios, λεωφόρος, *Strata, itiner. ID.* Plura vide apud CL. DV FRESNE *in Glossar. voce. strata, strada.* RITTER.

(f) Opera, *d. l. 4.* GOTHOFR.

(g) Maiorum *Cod. Iust. d. l. 4.* Quod idem est. Ita *Magni* & *Maiores* Iudices iidem. *ID.*

(h) Dedicata Cod. Iust. *d. l. 4. ID.*

(i) Infr. *reuerentia. ID.*

(k) Id est, ob merita. *ID.*

(l) *Domus diuina*, id est Principis, *hac leg.* vt *l. 4. supr.* vid. *Glossar.* Quod etsi viderit Alciatus, idem tamen maluit hic *diuinas domus* explicare, quæ quoquomodo ad sacra pertinent, & Ecclesias, quæ pro congregatione fidelium constructæ sunt; Sed male omnino. Quod ostendit vel *Titulus Cod. Iust. de priuil. domus Augustæ*; sub quo *hæc lex* posita est. Ostendit & *lex l. 4. supr. ID.*

(m) Orientis. *ID.*

(n) A te, de hoc more intimandarum legum per PP. v. *Paratitl. de constit. Princip. ID.*

(o) De hoc notaui ad *l. 2. supr. ID.*

(p) Ecclesiasticæ. *ID.*

(q) Etiam Illustris, etiam principalis. *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

ALTERA hæc THEODOSII Iun. *hoc tit.* constitutio est: qua is itetum ab itinete mun endo nullum IMMVNEM esse iubet. Itemque (quod *hac leg.* adicitur) a Pootium instructione. Quod postremum ostendit quoque *lex vltim. supr. ne opera a tonlat.* Ac nominatim Theodosius Iun. *hac leg.* immunes esse vetat ab itinerum seu viarum publicorum pontiumque instructione; Tres alioquin præcipuæ dignationis: puta *Domos Diuinas*, id est Principis, pariter vt *d. l. 4. supr.* Item & *Dignitates* qualscunque, *hac leg.* pariter vt & *l. 3. 4. supr.* Denique *Ecclesias:* quod postremum voluit quoque Iulianus Imp. (vt existimo) *l. 10. supr. de extraordin. muneribus.* Valentinianus Tertius *Nouell. inter Theodos. 21.* in id expressa: *Neque domum diuinam, neque Ecclesiam, aut aliquam personam quolibet munere excusandam.* Iustinianus, non tentum recta hac *huius leg.* parte in *Codicem suum*, in *leg. 7. Cod. Iust. de sacros. Eccles.* posthabita *lege* contraria, puta *leg. 40. infr. de Episcop.* verum etiam propria *Nouell. 131.* Et ex inde Carolus M. *Capitularium lib. 6. cap. 107. Possessiones*, inquit, *ad Religiosa loca pertinentes nullam descriptionem agnoscant nisi ad constitutionem viarum vel pontium, si tamen intra eadem loca habuerint possessiones.* Et ita quoque frequentibus Senatusconsultis Parisiensibus iudicatum aduersus Ecclesiasticos & Monachos, secundum Curatores viarum & pontium, oempe Costumam, portorium, barragium, pædagium, gabellam, & similia viæ pontiumque instructioni destinata, ab omnibus, nulla immunitatis Ecclesiasticæ ratione habita, exolui debere; vt refert Chopinus *Monasticon lib. 2. tit. 2. pag. 238. 239.* & Robertus *rer. iudicat. lib. 2. cap. 3.* vid. & Guid. Pap. *quæst. 78.* De hac vero quæstione tractant Interpretes ad *dict. leg. 7. Cod. Iust. de sacrosanct. Eccles.* quæ hine desumpta est: Negusiotius inter alios *quæst. 375.* suauis est, qui hanc *legem* exorbitantem a iure
P. 345 diuino & humano esse pronounciat, & in nullo foro esse seruandam, & habendam pro irrita & cassa; imo nec Papam posse eam canonizare. Aliquando certe Honorio aliter visum, *l. 40. infr. de Episcop. Eccles. & Cler.* quam *legem* repudiauit Iustinianus vt dixi, prælata *hac leg.* Ad priuatam vero & vitroneam munificentiam magis pertinet, quam ad publicam legem, quod de se prædicat Theodoretus Episcopus Cyri, *Epistola ad Anatolium Patricium 79.* ὅτι δὲ καὶ πολλὰ τῆς ἐκκλησιαστικῆς προσόδου εἰς τὰ δημόσια ἀνηλώσαμεν οἰκοδομήματα, στοὰς ἐγείραντες καὶ λουτρά, καὶ γεφύρας κατασκευάζοντες, καὶ τῶν κοινῶν τῶν ἄλλων ἐπιμελήμενοι, οἶδεν ἡ ὑμετέρα μεγαλοψυΐα, id est. *Quod vero Ecclesiasticorum quoque redituum partem non exiguam in publica ædificia consumpserimus, porticus excitantes & lauacra, & PONTES extruentes, & publici vsus alia procurantes, Magnificentia Tua non ignorat.* Ergo noluit *hac leg.* Theodosius Iun. immunitatis Ecclesiasticæ obtentu, vtilitatem publicam hoc casu destitui: pariter vti noluit, sanctitatis obtentu Ecclesias in aliene iura inuolere, nequidem Iudæorum: *l. 25. infr. de Iudæis:* quæ *huic* nostræ, ceu eiusdem constitutionis pars, coassanda venit: qua in vniuersum Theodosius Iun. Ecclesiis Christianis modum quendam impo-suit.

Addit porro, imo præmittit verbis prægnantibus pro ratione *h. l.* Theodosius Iun. viarum munitionem non esse inter munera sordida censendam. Quo ipso ostendit, aliquando sordidis quodammodo fuisse adnumeratam; & confirmat *l. 4. supr.* Itemque *Nouell.* Valentiniani *inter Theod. 21.* Sed vt *d. Nouell.* ait, *contra rationem, & praua appellatione.* Imo manifestissime id ostendit *l. 15. & 18. supr. de extraord. muner.* Sed tantum abest, vt id fecet Theodosius Iun. hac constitutione, vt contra profitetur, Instructionem viarum & pontium, laudabilem maxime titulum esse, & titulis magnorum Principum fuisse dedicatum. Vt omittam, quod Herodotus *lib. 6. p. 349. Edit. Gronou.* scripsit, Regibus Spartanos hoc velut summum concessisse, vt de viis publicis cognoscerent. Sane lapides seu columnæ viarum instauratarum, inque his Inscriptiones id comprobant: quo hic etiam allusum voce *Tituli.* Vt omittam innumeras alias: huius generis est illa Inscriptio in Diœcesi Augustana, apud Gruterum *CLVII. 2.*

IMP. CAESAR. LVCIVS. SEPTIM
IVS. SEVERVS. PIVS. PERTIN
AX. AVG. ARABICVS. ADIAB
PARTHICVS. MAXIMVS
PONTIFEX. MAX. TRIB. POT
VIIII. IMP. XII. COS. II. P. P
PROCOS. ET. IMP. CAESAR
MARCVS. AVREL. ANTON
INVS. PIVS. AVG. TRIB
POT. IIII. PROCOS. ET. IMP
P. SEPTIM. GETA. ANTON
VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P. XXXXI

Eadem *Pagin. num. 3.*

VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P. XXXXII.

Et iterum *num. 4.*

VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P. XXXIII.

Eodem pertinet & hic locus Sidonii *in propempt. seu carm. vlt. v. 5. seqq.*

Antiquus tibi nec teratur agger,
Cuius per spatium satis vetustis
NOMEN CÆSAREVM viret columnis.

Eadem interim ratio Portus, & Aquæductus, *l. 23. supr. de operib. public.* itemque murorum: sed & putei publici: vide ad aliquid Guido Pap. *quæst. 444.* & Speculator. *de Censib. §. Nunc dicendum.*

DE IMAGINIBVS IMPERIALIBVS.

TITVLVS IV.

Concordat *Tit. Cod. Iust. de stat. & Imaginibus:* & *Tit. de his qui ad stat. confug.*

PARATITLON.

IMAGINES Imperiales, *Rubr.* & *l. vnic.* & *l. 44. supr. de operib. publ.* & *l 12. infr. de Scænic.* seu Statuæ, *hac leg.* & *l. vnic. supr. de his qui ad stat.* Simulacra, *l. vnic. hoc tit.* & *d. l. vnic.* Sacri denique vultus, *l. 4. supr. ne quid publ. lætit. l. vltim. supr. de excusat artific.* consecrari dicebantur, *d. l. 12. de Scænicis.* Erant vel locis publicis, veluti in porticibus publicis, aliisue ciuitatum locis consecrata: *l. 44. supr. de operib. public.* & *d. l. 12. infr. de Scænic.* quæ & *l. vnic. hoc tit.* indicantur. Quæ quidem erigebantur vel festis maxime diebus, sed & communibua, præsente Rectore Prouinciæ, *hac leg. vnic.* cum magno cultu atque adoratione, quod vetat Theodosius Iun. *l. vnic. hoc tit.* Ad eas vero confugere ius erat; de quo *supr. de his qui ad stat. confug.* Deponere denique eas labante ædificio licuit, inconsulto Principe: sic tamen vt instaurato ædificio, suo loco reponerentur: *d. l. 44. supr. de operib. public.* Aliæ vero ludis proponebantur, *l. vn. hoc tit.* Aliæ denique populis inhiantibus inferebantur: *d. l. 4. supr. ne quid public. lætit.* Hæ a pictoribus efficiebantur, seu effingebantur, vid. *l. 17. de Pœnis:* mercede accepta a Iudicibus, *l. vlt. supr. de excus. artific.*

---

p.346 *Aduersus immodicum statuarum* CVLTVM *in erigendis vel ludo proponendis iis: Theodosii M.* lex.

I. (a) Impp. THEOD. A. & Valentinianus Cæs. Ætio P. F. (b)

SI quando nostræ statuæ, vel imagines, eriguntur, (c) seu diebus (vt adsolet) festis, siue communibus, (d) adsit Iudex, (e) sine adorationis ambitioso fastigio, (f) vt ornamentum, diei, vel (g) loco, & nostræ (h) recordationi, sui probet accessisse præsentiam. (i) *Ludis* quoque simulacra proposita, tantum, in animis concurrentum (k) mentisque secretis, nostrum numen (l) & laudes (m) vigere demonstret: excedens cultura hominum dignitatum (n) superno Numine (o) reseruetur. Dat. III. Non. Maii, Theod. A. XI. & Valentin. Cæs. Coss. [425.]

NOTÆ.

(a) *Lex 2. Cod. Iustin. de stat. & Imagin.* GOTHOFR.

(b) *Aëtius* hic ille est, qui Anno D. 419. P. V. Constantinopol. fuit: teste Chronic. Alexandr. *pag. 710. 722. Edit. Rader.* & *l. 5. supr. de calc. coctor.* & cuius cisterna constructa Constantinop. Anno D. 421. teste Marcellino, *Chronico:* quique Anno 432. Cos. fuit. Alius vero ab hoc est Aëtius ille, Occidentalis Imperii salus, sub Valentin. Iun. qui & hoc Anno ipso 425. curam Palatii Ioannis Tyranni agebat, vt testatur Renatus Profuturus Frigeridus, apud Gregor. Turon. *lib. 2. cap. 8.* & deinceps Comes rei militaris, mox Magister militum factus est. *ID.*

(c) *Eriguntur*, id est, excitantur in publico, consecrantur: *l. 12. infr. de Scænicis.* *ID.*

(d) *Communes* dies festis opponuntur: sunt igitur profesti. *ID.*

(e) *Iudex*, id est, Rector Prouinciæ: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

(f) *Fasti-*

(f) *Fastidio:* Cod. Iust. Sed rectum est hic *fastigio:* Ita Sueton. *in Iulio cap.* 76. *Sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est*, &c. *ID.*

(g) *Et* Cod. Iust. Sed nil muto: *vel*, pro *Et*. vid. *Glossar.* *ID.*

(h) Ita quoque *Cod. Iust.* Neque necesse mutare in *nostri*. *ID.* Locum aliter emendat GVIL. BEST. *Rat. emend. leg. c.* 27. *pag.* 291. cuius hæc verba sunt. Hæc ego puto ita quam facillime luce posse redonari: *Fastigio, vt ornamentum diei vel loco ex nostra, recordationis vi, probet accessisse præsentia.* Sensus est. Iudex debet adesse erectioni statuarum, vt ita probet nostram præsentiam, quæ per vim recordationis ex ipso statuarum conspectu adesse potest censeri, aliquid pompæ atque ornamenti diei & loco, quo ponuntur, adiecisse. *Præsentiæ* iam reperitur in aliis codicibus, vti ad marginem Cod. Iust. est adnotatum: sic vt effectu nihil aliud mutetur, quam quod & *nostra* transeat in *ex nostra*. Quod si magis placeat; *vt ornamentum dies vel locus ex nostra recordationis sibi probet accessisse præsentia*, non valde repugnabo: quin imo lætus accipiam, si quis longe meliora attulerit. Interim eligat aut coniecturam nostram, aut I. Gothofredi emendationem, qua is reposuit *nostri*, cætera relinquens intentata. Necesse autem est, vt reponas *præsentia*, etiamsi omnia reliqua explicatione duriori conseruari posse putares. Hactenus ille. Ego viro docto non assentior, cum sensum vix commodum admittant illa, *ex nostra recordationis vi*. Id enim vult Theodos. A. *Vt probet* Iudex, *sui præsentia, accessisse ornamentum diei, vel loco, & nostra recordationi*, id est, diei, quo *recordatio* siue memoria nostra, (Theodos. A.) recolitur. Imo *accessisse præsentiam* tolerari potest, ita, *sui præsentiam accessisse ornamentum:* quamuis enim durum sit, his tamen temporibus non est insolens. RITTER.

(i) *Præsentia:* Sed tamen illud non ideo muto. GOTHOFR.

(k) *Concurrentum*, id est eorum, qui ad ludos concurrunt. *ID.*

(l) Malim hic *Nomen*: non tantum, quia hæc imitatio Virgiliana est; verum & quia *hæc lex* eo spectat, vt superna *numini* (vt *f. l.* dicitur) suus cultus, vt re, ita & verbis proculdubio seruetur. *ID.*

(m) Aperta imitatio Virgiliana, *Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.* *ID.*

(n) γϱ. *dignitatem*, id est, fastigium, vt *supr.* & in Suetonii *loco*. *ID.*

(o) γϱ. *Numini.* *ID.*

COMMENTARIVS.

IMMODICO cultui atque ADORATIONI Statuarum vel Imaginum Imperatoriarum, quo tempore partim erigebantur, partim vero ludis proponebantur, (hæc enim duo sunt *huius leg.* capita) occurrit hac constitutione Theodosius Iun. Anno D. 425. Scilicet hoc illud sæculum fuit, quo Statuæ (in Oriente maxime) Imperatorum ingenti passim vt sumptu, ita & adulatione erigebantur: Ita, (ne retrosiora repetam) Theodosii M. statua argentea in columna haud longe ab Ecclesia posita, Anno D. 390. teste Marcellino *in Chronico*. Ita statua eiusdem Theodosii M. in foro Theodosiano posita, vt scribit Auctor *Chronic. Alexandr. Anno D.* 394. *pag.* 710. 711. *Edit. Rader.* cuius meminisse videtur Cedrenus *in Theodos. M. p.* 323. & in *Zenon. p.* 353. *Edit. Reg.* Ita Arcadium ait Zonaras *in Iustiniano pagina* 63. *Edit. Reg.* Statuam Theodosio M. argenteam fecisse pondere 7400. librarum. Ita Eudoxiæ Arcadii vxoris super Porphyreticam columnam argentea statua iuxta Ecclesiam posita Anno D. 403. vt Auctor est Marcellinus *Chronica:* Socrates *lib.* 6. *cap.* 18. Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 20. Ita sub Theodosio Iun. *huius leg.* Auctore, Anno D. 414. tria στηθάρια, id est, imagines pectore tenus, thoracides, (vt olim vocabantur) προτομαὶ, Honorii scilicet & Theodosii AA. & Pulcheriæ A. dedicatæ in Senatu ab Aureliano iterum PP. & Patricio. *Chronic. Alexandr. pag.* 716. 717. *Edit. Rader.* Ita Anno D. 415. dedicata statua aurea in Senatu Theodos. Imp. ab Aureliano iterum P. P. & Patricio, eodem teste, *pag.* 718. 719. Ita quoque Anno 421. statua Arcadii in foro Arcadiano super immanem columnam cochlidem (cuiusmodi duæ Romæ apud P. Victorem memorantur: sed & apud Marcellinum *in Chronic.* scriptum *in Basilio solo Cons. Statua Theodosii M, in foro Traiani super columnam cochlidem posita corruit*) loco dicto *Xerolopho* dedicata; teste vtroque & *Marcellino in Eustath. & Agricol. Coss.* & *Chronico Alexandrino pag.* 726. 727. *Edit. Rader.* Neque hic statuarum immodicus vsus Constantinopoli modo constitit, verum & Prouincias peruagatus est; quo pertinet quoque *hæc lex*. Sed neque insania eo hactenus processit, vt ingenti numero sumptuque hæ Statuæ excitarentur, verum (quo pertinet hæc *lex*) & cum Adorationis seu προσκυνήσεως fastigio erigerentur, exciperenturque; quomodo & alias hoc æuo diuini pleraque Imperatoribus tribuebantur, quæ huius æui labea fuit. De quo alibi. Mitto nunc ritus Gentilitios, in statuarum consecrationibus olim adhibitos, quæ huc non pertinent, veluti quod coronis adornatæ, adoratioque ad eas vino, thure, velatoque capite, & circumactione, haud aliter atque ad Numinia occursum, peracta; de quo adorationis genere Caselius *II. Var.* 16. hanc quoque *leg.* accipiebat, sed perperam: hæc enim ritus Gentilitii fuerunt, quæ Christiana Religio, quantacunque tandem in Principes adulatio sese vnquam effuderit, auersata semper est. Quanquam reperio Philostorgium Aetianum seu Eunomianum *lib.* 2 *histor. cap.* 18. sub hoc ipso Theodosio Iun. *Imper.* Christiana, id est Orthodoxis obiicientem, quod Constantini M. imaginem in Porphyretica columna stantem sacrificiis propitiarent, lucernis & incensis colerent, precesque velut Deo allegarent, & auertuncatorias malorum supplicationes peragerent: καὶ τὴν Κωνσταν- P. 342 τίνε εἰκόνα τὴν ἐπὶ τῦ πορφυρῦ κίονος ἱσταμένην, θυσίαις τε ἱλάσκεσθαι καὶ λυχνοκαΐαις καὶ θυμιάμασι τιμᾶν, καὶ εὐχὰς προσάγειν ὡς θεῷ, καὶ ἀποτροπαίες ἱκετηρίας τῶν δεινῶν ἐπιτελεῖν τὺς χριστιανὺς κατηγορεῖ: *Christianos accusat*, quasi

quaſi Conſtantini imaginem in porphyretica columna ſtantem ſacrificiis propitiarent, luceruis & incenſis colerent, preceſque velut Deo allegarent, & auerruncatorias malorum ſupplicationes peragerent. De quo ad *eum locum.* Quid igitur? Adclamationibus hactenus, ſed & feſtiuitatibus ludicriſque hæc peracta: non ſine aliquo Adorationis cultuſque faſtigio ſignoque. Quod oſtendunt Socrates & Sozomenus *dictis locis:* κρότοι δὲ καὶ δημώδεις θέαι ὀρχηστῶν τε καὶ μίμων ἐνθάδε ἐπετελοῦντο, ὡς ἔθος ἦν τότε ἐπὶ τῇ ἀνακλήσει τῶν βασιλικῶν εἰκόνων, *plauſus illic, & ſaltatorum ac mimorum publica ſpectacula edebantur, ſicuti tunc mos erat in dedicatione imperialium imaginum,* inquit Sozomenus. Et Socrates, ἐπὶ τούτῳ συνήθως δημώδεις ἤγοντο παιδιαί, *ad eam ſtatuam popularium luſus celebrari conſueuerant.* Quæ eadem adoratio & feſtiuitas adhibitæ, cum Imagines Imperatorum in Prouincias populo inferrentur, ludiſque proponerentur; de quo dictum ad *l. 4. ſupr. ne quid public. latit.* Locus eſt apud Joan. Damaſcenum *orat. 3. de imaginib.* (inter Patrum veterum teſtimonia ex orat. 4. Seueriani Gabalorum εἰς τὸν σταυρὸν) *pag. 385. Edit. Parit. Mich. Lequien* Εἰ γὰρ βασιλέως ἀπόντος εἰκὼν ἀναπληροῖ χώραν βασιλέως, καὶ προσκυνοῦσιν ἄρχοντες, καὶ ἑορτὰς ἐπιτελοῦνται, καὶ ἄρχοντες ὑπαντῶσι, καὶ δῆμοι προσκυνοῦσιν, οὐ πρὸς τὴν σανίδα βλέποντες, ἀλλὰ πρὸς τὸν χαρακτῆρα τοῦ βασιλέως, οὐκ ἐν τῇ φύσει θεωρουμένου, ἀλλ' ἐν γραφῇ παραδεικνυμένου. *Nam ſi abſente Imperatore eiuſdem imago locum ſupplet Imperatoris, eamque proceres adorant, dies feſtiui aguntur, obuiam procedunt magiſtratus, & adorant populi; non quidem in tabulam reſpicientes, ſed ad dignitatem imperatoris, non qui in ſua natura conſpiciatur, ſed in pictura proponatur.* * Exſtat & alter apud Chryſoſtomum *Orat. 7. de Laudib. S. Apoſtol. Pauli. Tom. VIII. Sauilian. pag. 57.* & *Tom. II. Edit. Benedictin. pag 512.* quem retuli ad *dict. leg. 4. ſupr.* Sed & in Actis Secundæ Nicænæ Synodi, *Actiua. I, pag. 46. Tom IV. Concil. Edit. Harduin. Labrata & Icones, quæ mittuntur ad Ciuitates vel Regiones, obuiam adeunt populi cum cereis & incenſis, non cera perfuſam tabulam, ſed Imperatorem honorantes.* Quem locum tanquam ex Optato Mileuitano laudare ſolent etiam huius æui Viri docti, ſed perperam. Ergo immodicus cultus delatus hac tempeſtate his Imperatorum Imaginibus, ſiue cum eæ erigerentur, ſiue cum proponerentur Ludis: & quidem a *Iudicibus*, ſeu Magiſtratibus, quod hæc *lex* reſtatur, & ſuperior ille *ex Damaſceno* locus, ibi, καὶ προσκυνοῦσιν ἄρχοντες: ſed & hic Hieronymi locus *in cap. 3. Danielis pag. 487. Tom. V. Oper. Edit. Francſ. apud Chriſt. Genſch.* vbi de ſtatua Nabuchodonoſoris. *Siue ſtatuam vt Symmachus ſiue imaginem auream,* &c. *cultores Dei eam adorare non debent: Ergo IVDICES & Principes ſaeculi qui Imperatorum ſtatuas adorant & imagines, hoc ſe facere intelligant, quod Tres Pueri facere nolentes placuerunt Deo.* Quem cultum vt Patres ea tempeſtate damnauere, in quibus Chryſoſtomus, vnde etiam illi conflata inuidia; de quo ad *l. 37. ſupr. de operibus publicis:* ita & *hac lege* damnat Theodoſius Iun. Ciuilis Princeps, velut (quod Velleius dicebat) *vltra ciuilis dignitatis modum* exiſtentem, damnatque ambitioſum hoc adorationis faſtigium: ſatis ſcilicet habens, ſi concurrentes in animis ſuis, mentiſque ſecretis, recordatione ſui, nomen & laudes ſuas vigere demonſtrarent, damnato ambitioſo adorationis faſtigio & cultura excedente hominum dignitatem, quam ſuperno Numini reſeruari iubet: quæ omnia vt eleganter, ita & ſumma ciuilitate Theodoſius Iun. ipſe hac conſtitutione ſua complectitur: cui haud abſimilis eiuſdem ciuilitas continetur *l. dominico, infr. de ſpectaculis.* Quid igitur? Iudicem eo tantum procedere vult, *vt probet ſui præſentiam atteſtiſſe velut ORNAMENTVM his Tribus; & Dei, & Loco, & Imperatoris recordationi.* Ornamentum, inquam, non cultum: ſcilicet præſentia Iudicis *ornamento* eſt rei, actuique qui coram eo celebratur: Error enim eſt Petiti *ad leges Atticas, pag. 231* qui id ad ornamenta ſtatuarum referebat; nullo ſenſu.

Interim in *hac leg.* complurima notanda veniunt ad ſtatuas & Imagines Imperatorum pertinentia. Primo quidem, Imperatorum ſtatuas vel Imagines nonnullas *certo loco* poſitas fuiſſe, dedicataſque, & (vt loquebantur) conſecratas; veluti in columnis, foris, Senatu, quod docuerunt tam loca ſuperius laudata ex *Marcellino, Chronico Alexandrino, Socrate, Sozomeno:* Itemque in porticibus, *l. 44. ſupr. de operibus publicis.* Sed & nonnullæ haud longe ab Eccleſia, vt ex ſuperioribus liquet. Quod & ipſum nimium viſum, & vero Chryſoſtomo inuehendi aliquando occaſionem præbuit.

Et quidem (quod Secundo obſeruandum) erectas has ſtatuas diebus ferme feſtis. * *

Alias vero (quod Tertium,) non erectas certo loco, verum *propoſitas*, id eſt circumlatas, populoque inhianti exhibitas: de quo eſt *d. l. 4. ſupr. ne quid public. latit.* vbi plene dixi; quo pertinent ſuperiora illa duo Chryſoſtomi & Ioan. Damaſceni loca: & tertius inſuper ex Nicæna ſecunda Synodo locus: vnde & φόροι dictæ, de quo eſt ſub hoc ipſo Theodoſio, etiam Iſidori locus, *l. epiſt. 337.*

Et quidem (quod Quartum) Ludis etiam propoſitas: populo ſcilicet in Circo vel Theatro, vbi adclamationibus ſeu κρότοις, ex excipiebantur: pariter vt in erigendis Imaginibus Ludos adhibitos iam oſtendi.

Poſtremo obſeruandum, haſce Imagines, quæ ludis proponerentur, ſeu populo inhianti inferrentur, *ſimulacra* proprie hic dici, σημεῖα, cum priores illæ *Statuæ* & *Imagines* dicerentur: nempe quia vultus tantum ſimulacra eſſent, faciemque Imperatoris ſimularent ſeu aſſimilarent. De cuiuſmodi ſimulacris eſt & hic Ambroſii locus, *lib. 6. Hexaem. cap. 9. Sola,* inquit, *are fuſa Principum capita, & ducti vultus de are, vel de marmore ab hominibus adorantur:* de quo plenius dixi ad *d. l. 4.*

Ex ſuperioribus in ſummam colligere licet, quibuſnam temporibus quanique variis occaſionibus Imagines Imperatorum erectæ propoſitæque fuerint, quam varia denique forma. 1. Quibus, inquam,

* Hunc locum Noſter *ad d. l. 4.* ad *hanc leg.* & *in Obſeruat. ad Philoſtorg. loc. cit.* laudauit e Chryſoſtomi *Oratione* εἰς σταυρόν. Eum olim & iam fruſtra quæro in orationibus variis S. Patris, quas de cruce reliquit. Non dubito Gothofredum memoria lapſum, male citaſſe. Vide quæ ſcripſi ad *d. l. 4. ſupr.* & in *Addend. ad Tom. II.*

* * *ANTON. PAGIVS in Critic. ad Annal. Baron. ad an. 414. num. 14.* probat, ſtatuas non diebus feſtis, ſed aliis plerumque collocatas, nuncupationeſque Imperatorum aut Cæſarum diebus dominicis hoc tempore nondum fieri ſolitas.

quam, *Temporibus:* quandoque scilicet, & frequentissime quidem festis; quandoque communibus diebus. 2. Quibus rursum, quamque variis *Occasionibus*, non modo scilicet Principum in Principes, vel Senatus aut Magistratuum, adulatione, verum & Principum ipsorum erga subditos studio & affectu, puta cum eas vel ludis exhiberent, vel in Prouincias inhiantibus populis mitterent. Quibus adde, & cum sui Imperii vim insinuare vellent: Vt cum adsumpto Imperio Statuas Romam, aliove mitterent: de quo videndus est Zosimus, vbi nominatim de Constantio, & de Maxentio. 3. Varia denique *Forma*; Nempe erectæ eæ locis publicis integra statura; propositæ vero ludis & populo inhianti, vel vultu, vel thorace tenus: quæ illa *Labrata* sunt, & στηθάρια, seu προτομαὶ, θωρακίδες, Clypei, (totidem enim appellationibus eæ nuncupatæ:) Et quidem *Labrata*, de quibus dixi plenius ad *d. l. 4.*



P. 348

DE SPECTACVLIS.

TITVLVS V.

Lib. XI. Cod. Ivstin. Tit. XL.

De Spectaculis, & Scænicis & Lenonibus: atque ita ex *trib. huius Cod. tit.* conflatus est vnicus in *C Iust.*

PARATITLON.

Spectacvla, *Rubr. l. 2. 4.* & *l. vltim. h. t. l. 2. infr. de Maiuma: l. 4. infr. de Scænicis: l. 2. supr. de Offic. Rect. prou.* Dicuntur & Spectacula solemnia, *l. 4. h. t.* Ludi, *l. 2. h. t.* & *l. vnic. supr. de Imagin.* Munus, *l. 4. 18. vltim. supr. de Prætor.* ludicræ Artes, *l. 2. infr. de Maiuma:* ludicra, *d. l. 2. supr. de offic. Rect. prou.* (vnde & ludicra ministeria, *l. 4. infr. de Scænicis:*) Editiones, *l. 1. hoc tit.* Solennitas, *l. 2. h. t.* solitæ deuotionis Officia, *l. 4. h. t.* Festiuitas, *l. 3. h. t.* & *l. 30. supr. de Prætor.* Lætitia, *l. 1. infr. de Maiuma:* Voluptates, *l. vltim. h. t.* & *l. 17. infr. de Pagan. l. 3. 5. 6. 7. 13. de Scænicis: l. 29. 32. de Prætor.* (vnde & Tribunus voluptatum, *l. vltim. infr. de Scænicis:* Theatrorum, Circensium voluptas, *l. 5. hoc tit.*) studia felicis populi, *l. 3. infr. de Scænicis*, populi studia & voluptates, *d. l. 3. infr. de Scænic.* Theatrales ludi, *l. 2. hoc tit.* Theatrale spectaculum, *l. 1. infr. de Scænic.*

Horum porro Spectaculorum numero erant. 1. Maiuma, de quo *infr. tit. 6. prox.* 2. Scænici ludi, de quibus *infr. tit. de Scænic. 7.* & *d. l. 29. supr. de Prætor.* 3. Circense certamen, *l. 2. hoc tit.* & *l. 7. infr. de Scænicis*, (seu Circensium voluptas, *d. l. 5. h. t.* Circenses ludi, *l. 2. 4.* & *l. vltim. supr. de Prætor.*) ad quæ Equi Curules erant, de quibus *l. 3. h. t.* & *l. 6. infr. de Scænic.* & suo *tit. de Equis Curulib. 10. infr.* item Aurigæ, *l. 3. hoc tit.* seu Agitatores, *l. 12. infr. de Scænic.* Agitandique munus exercentes, *l. 7. d tit. de Scænic.* 4. Theatralis dependio, *l. 29. supr. de Prætor.* Theatralis functio Symmacho, vnde Theatrales ludi & Circenses iunguntur, *l. vltim. supr. de Prætor.* 5. Ferarum cursus, *l. 2. hoc tit.* seu ferarum venatio: de quo *suo tit. 11. infr.* 6. Gladiatores denique, de quibus *suo tit. 12. infr.* Ambrosius, *l 1. Offic. 21.* *Quod faciunt qui ludis Circensibus vel etiam Theatralibus & Muneribus Gladiatoriis, vel etiam venationibus patrimonium dilapidant suum.*

Edebantur autem spectacula vel a Magistratibus, *l. 1. hoc tit.* 1. Duumuiris, vid. & *l. 103. 109. supr. de Decurion.* seu a Curiarum Primatibus viris, *l. 3. infr. de Scænic.* 2. Vel a Sacerdotibus Prouinciarum, *l. 1. hoc tit.* & *l. 2. infr. de exp. ludor. l. 1. supr. de præd. Senator. l. 145. 176. supr. de Decurionibus: l. 20. infr. de Pagan.* 3. Vel a Prætoribus,

l. 1. 2. 4. 5. 6. 11. 13. 14. 15. 18. 19. 20. 21. 22. 25. 29. 31. 32. supr. de Prætor. vbi dictum: vnde & editores dicti, *d. l. 5. 7. 18. 31. supr. de Prætor.* 4. Vel denique a Iudicibus, *l. 2. hoc tit.* Horum scilicet omnium expensis & sumptibus, *l. 1. 3. h. t.* pro patrimonii sui viribus, *l. 4. h. t.* (de quibus, *infr. suo tit. de expens. ludor.*) & pro arbitrio, *d. l. 3. de Scænic.* & *l. 103. 109. supr. de Decurion.* Spectacula edebantur.

Idque festis ac legitimis diebus, *d. l. 176.* puta Natali Principis, a Iudicibus; *l. 2. h. t.* (excepto *Solis* die, *d. l. 2.* seu *Dominico*, itemque *Natalis Domini*, *Epiphaniarum*, *Paschæ*, *Quinquagesimæ*, his namque diebus, non edebantur: *l. vltim. hoc tit.*) Ita tamen, vt Iudices ante meridiem tantum his vacare possent, non post epulas: *l. 2. h. t.* Item competenti loco, & in locis antiquitus consuetis, non alio traductis auctoritate Iudicum Editoribus, Equis, Aurigis, *l. 1. 3. 4. h. t.*

In his tandem ludis, 1. A populo plausus editi (vnde populares plausus, *l. 1. 3. h. t.* & popularitas, *l. 2. supr. de offic. Rect. prou.*) 2. A Principe Imagines Imperiales exhibitæ, *l. vnic. supr. de Imag.* 3. Præmia ab Editoribus data, sic tamen vt nonnisi a Consulibus aurum pro præmio dari posset: *l. 2. h. t.*

I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens, & Gratianus AAA. ad Probum PF. P. (b)

MAGISTRATVS (c) & Sacerdotiorum (d) editiones, quæ aut in Ciuitatibus, (e) aut certe in his (f) debent exigi, (g) quas delegit antiquitas, (h) non in potestate Iudi-
p. 349 cum (i) sint: qui plerumque, dum popularem (k) plausum alienis (l) spoliationibus (m) aucupantur, ea quæ in competenti loco sollers (n) diligentia præparauit, ad alteram Vrbem transferri præcipiunt: sed in eorum arbitrio maneant, quorum (o) expensis ac sumptibus procurandæ (p) sunt. Dat. VII. Kalend. Maii, Triu. Modesto & Arintheo Coss. [372]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iustin.* Concordant huic *lex 3. & 4. infr.* GOTHOFR.

(b) *Probus* PP. Italiæ, Illyrici, & Africæ: de quo ad alias *leges*: vid. & Ammianum Marcellinum *lib. 27. c. 11.* & *Prosopogr.* IDEM.

(c) *De Magistratuum*, id est, Duumuirorum editionibus, vid. *supr. l. 29. & 169. de Decurion.* & *l. 4. infr. hoc tit.* IDEM.

(d) *Sacerdotiorum*, id est Sacerdotum. *ID.*

(e) *Ciuitates* hic vocantur Metropolitanæ. *ID.*

(f) Id est vrbibus, Municiplis & Ciuitatibus aliis, præter Metropolitanas. Quid si ita hic legamus, *aut certe in locis debent exigi, quos, &c. vt infr. in competenti loco?* vel, *aut certe vrbib.* *ID.*

(g) A Ciuibus vel Iudicibus, vt *l. 3. & 4. infr.* & mox, *versiculo*, *Non in potestate*, &c. *ID.*

(h) *Mos* fidelissimæ vetustatis retinendus, *l. 3. supr. de Testamentis.* *ID.*

(i) *Iudicum*, id est, Rectorum Prouinciarum, vid. *Gloss.* *ID.*

(k) *Popularem* plausum vocat, vt *l. 2. infr. de exp. ludor.* oblectamentis fauorem elicere popularem, & *l. 3. infr. hoc tit.* Popularibus plausibus seruire. Popularitati & Spectaculorum editionibus Iudex mancipatus, *l. 2. in fin. supr. de offic. Rect. prou.* Populares auras captare. Symmach. *lib. 4. epist. 59.* vide plura apud Symmachi Interpretem, *lib. 6. epist. 42.* In hos plausus est Libanii *oratio πρὸς Τιμοκράτην.* *ID.*

(l) Id est, aliarum Ciuitatum. *ID.*

(m) Traductionibus, vt *l. 3. infr.* traduci. *ID.*

(n) Quoad loci rationem. *ID.*

(o) Magistratuum scilicet & Sacerdotum. *ID.*

(p) Editiones: vt *initio legis.* *ID.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

VALENTINIANI Sen. hæc de Spectaculis constitutio est: qua, Locis solitis & consuetis Spectacula exigi edique iubet: Ann. D. 372. Locis, inquam, solitis, quæ antiquitas delegit. Mos scilicet fidelissimæ vetustatis retinendus etiam in his est, quæ voluptatem publicam & lætitiam communem spectant; non etiam e solito loco in alium & alienum transferri: vnius denique Ciuitatis lætitia seu voluptas, alterius tristitia seu mœstitia redimenda non est, neque eam conturbari oportet, συνταράττειν τὸν περὶ τὰς πόλεις κόσμον, vt in hac re ipsa loquitur Libanius, loco quem mox consignabo. Quæ & ipsa sententia fuit eius Imp. cuius lex abrogatur ab Honorio, *l. 145. & l. 176. supr. de Decurionib.* & Theodosii Iun. *l. 3. & 4. hoc tit.* Eademque sententia & querela fuit Libanii, sub Theodosio M. quod Beroenses munerum editores & editiones Antiochiam transferrentur a Tisameno, *pag. 449. 450. Edit. Morell.* siue vt meliores Artifices ludorum Antiochiæ ostentaret, e Beroea petitos, quam qui Antiochiæ erant: & sic in contemptum Vrbis Antiochenæ: siue dum suis voluptatibus Beroeam spoliaret. Quæ vltima ratio *huic leg.* conuenit. Ἐξεῦρε μὲν οὖν, ἃ μηδεὶς ἂν ἕτερος ἐνεθυμήθη· τὸν ἐν Βεῤῥοίᾳ ταύτῃ δεῦρο καλέσας, μετά γε τῶν ὑπ' αὐτῷ τρεφομένων θηρίων, καὶ τῶν ἐπ' αὐτὰ μεμισθωμένων ἀνδρῶν· καὶ ἧκεν ἄγων ἄρκτους τε καὶ παρδάλεις καὶ τοὺς τούτων, ποτὲ μὲν ἡττωμένους, ποτὲ δὲ κεκρατηκότας· καὶ ἦν μέγας τῇ βραχυτέρᾳ τὴν μείζω νικῶν πόλιν· καὶ γὰρ εἰ τίμιον ἐν τῇ Βεῤῥοίᾳ τὸ χρῆμα τῶν λόγων, (γρ. ἀλόγων) ἀλλ' οὐκ ἴσον ἤδη κἀκείνῃ· ἐβούλετ' οὖν ἐκείνην ἐνταῦθα κατὰ τῆς δε κομίζειν· καὶ τὴν βουλὴν τῆς βουλῆς εἶναι βελτίω δοκεῖν· καὶ τῇ μὲν εἶναι μέγα φρονεῖν· τὴν δέ, τεταπεινῶσθαι, καὶ γεγονέναι μικράν· καὶ ἐξεληλέχθαι, καὶ μηδὲ ἐλεύθερον ἔχειν βλέπειν· ὅστις οὖν τὴν μὲν πρώτην καθαιρεῖ· τὴν δέ, οὐ δευτέραν, ἐπαίρει καὶ παρέχει προπηλακίζειν τὴν ἑαυτῆς βελτίω, τὸν σὸν οὐδὲν ἧττον οἶκον ἀδικεῖ. τὰ μέγιστα μὲν οὖν εἴ τις ἀκριβῶς λογίζοιτο· ἐπέμφθη γὰρ οὐ συνταράξων, ὦ Βασιλεῦ, τὸν περὶ τὰς πόλεις κόσμον, οὐδὲ ταῖς μὲν, τὸ ὂν σφίσιν ἀξίωμα λυμανούμενος, τὰς δὲ ἐλάττους ἐπάξων ταῖς μείζοσιν· ἀλλὰ τὰ μὲν, ὡς εἶχε διατηρήσων, ἑκάστης δὲ ᾗ προσῆκεν ἐπιμελησόμενος, καὶ ποιήσων εὐδαιμονεστέραν προνοίᾳ. ὁ δ' ἐν τῷ δεῦρο τὸν ἐκ Βεῤῥοίας ἐφ' οἷς περιήγαγεν, ἄγειν ἐβόα πρὸς ἅπαντας· ὅτι τὴν δε τὴν πόλιν ὑπ' ἐκείνῃ κεῖσθαι δεῖ· καὶ τῷ τῆς μητροπόλεως ὀνόματος ἀποστατέον αὐτῇ· καὶ τῇ βουλῇ τὴν βουλὴν ὑπεικτέον, καὶ ἄνδρα ἀνδρί, καὶ γνωστέον τοὺς ἀμείνονας· γνώσῃ δὲ ὅτι ταῦθ' ὕβρις ἦν ἔκ τε ἡδονῆς καὶ λύπης, ὧν ἡ μὲν, ἡ πρὸς ἡμᾶς εὐνοϊκῶς ἐχόντων· ἡ δὲ ἡδονὴ, τῶν οὐχ οὕτως· ὑβρίζεσθαι δὲ οὐκ ἂν βούλοιο τὰς πόλεις· ἀλλ' οὗτος ὑβρίζειν βούλοιτ' ἄν· πῶς ἂν οὖν ὁ τοιοῦτος εἰκότως ἄρχοι; ἀλλὰ σὺ μὲν ὁ τῶν ὅλων κύριος· καὶ παρ' ὅτου καὶ παθεῖν τι τοιοῦτον οὐ λίαν ἀφόρητον· ἡμᾶς ἡμῶν τὴν πόλιν· ἐν τοῖς εἰς τοὺς πρέσβεις καὶ πραττομένοις καὶ λεγομένοις· καὶ γίνεται καθ' ἑκάστην ἡ πόλις ἡμῖν λαμπροτέρα. Τισάμενος δὲ κάθηται σκοπῶν, καὶ ζητῶν ἐξ ὅτου γένοιτ' ἂν ἀδοξοτέρα· εἶτα πονηροὺς μὲν ποιμένας ἀπελαύνουσι τῶν ποιμνίων, οἱ τούτων κύριοι· καὶ παύσαντες ἐκείνους, ἑτέροις παρέδωκαν τοῖς λυσιτελεστέροις· σὺ δ' ἐκείνους ἐπὶ πόλεως τοιαύτης, οὐ μιμήσῃ; ἢ τοιαῦτα μὲν τἀρχαῖα. Τοιαῦτα δὲ τὰ μετ' ἐκεῖνα. Τοιαῦτα δὲ τὰ νῦν· ἢ πλὴν δυεῖν πόλεων· ἔνι τι πρὸς ἁπάσας εἰπεῖν περὶ αὐτῆς· νόμιζε δὲ καὶ τὰς ἄλλας ἀπὸ τῶν αὐτῶν διασώσειν, ὡς χείρω τὰ πράγματα, διὰ τὴν τοῦδε κακίαν· ἐπεὶ καὶ αὐτὴν ταύτην, ᾗ κεχαρίσθαι φησὶν, ἐν αὐτοῖς κατέβλαψε, μετενεγκὼν εἰς τὴν ἡμετέραν δαπάνην, ἐκείνοις ὀφειλομένην· ὥστε ἢ πένητα αὐτῇ ποιήσει τὸν πολιτευόμενον τῇ κατ' ἄμφω δαπάνῃ, ἢ τῇ παρ' ἡμῖν ἐκείνην ὧν εἶχεν ἂν ἀποστερήσει: id est, *Excogitauit vero ea quæ nemini alteri in mentem venissent: Eum scilicet* (Curialem) *qui Beroeæ erat huc* (Antiochiam) *vocauit, cum feris quas alebat, earumque curatoribus: Et venit is adducens vrsos & pardos, & eos qui ab his quandoque victi, quandoque eorum victores fuerant: Eratque magnus, minore maiorem ciuitatem vincens. Nam vt maxime pretiosa possessio animalium Beroeæ sit, non tamen ea quoque illi par est. Voluit igitur eam hac ratione supra istam euehere, Curiamque illius, istius Curia præstantiorem videri: & illi quidem licere esse magnificæ, hanc vero humilem & paruam fieri, & reprehendi, neque liberum quid habere quod videat. Quisquis igitur primam adsolat, eam vero, quæ secunda quidem est, attollit, & occasionem præbet vituperandæ eius quæ potior est, tuam is domum nulla in re iniuria afficit? Imo plurimum, si quis accurate perpendat. Missus quippe est non perturbaturus, o Imperator, vrbium ornatum, neque dignitatem earum fœdaturus, minoresque supra maiores elaturus: verum ea prout sese habent seruaturus, & cuiusque prout par esset, curam habiturus, & feliciorem prouidentia sua facturus. Atenim hic cum illum e Beroea* (ornatum) *huc adducens circumduceret, proclamabat, ad omnes sese eum ducere, ideo quod hanc vrbem illi subiici oporteret, & quod a Metropo-* P. 350 *leos nomine illi desistendum esset, & Curiam Curiæ subueniendam, & virum viro, breuiter potiores censendos. Noueris autem quod hæc contumelia erat ex voluptate & dolore coniuncta: e quibus hæc quidem fuit eorum qui nobis beneuolebant, illa vero eorum qui non ita comparati sunt. Atquin, Tu quidem vrbes iniuria affici haud velles, ille iniuria afficere vellet. Quonam igitur modo talis iure Magistratum obtineret? Imo tu, qui omnium Dominus es, non pateris a quocunque ciuitatem nostram aliquid tale etiam haud adeo intolerabile pati, si quando Legati* (nostri) *quid apud te postulent, vel dicant; & quotidie Vrbs nostra illustrior fit: Tisamenus vero sedet speculans & quærens, vnde ignobilior ea fieri possit. Quare cum prauos pastores a gregibus arceant eorum Domini, illisque submotis, alios præficere soleant conducibiliores, cur tu illos non in huius ciuitatis gratiam imitaberis? cui talia sunt ab antiquo decora, talia deinceps; talia vero nunc, post duas tantum vrbes: & a qua exemplum in omnes alias: sic enim habeto, & alias quoque iisdem modis conseruandas, quarum res inferiore loco sunt per hanc huius iniuriam: Quandoquidem & eam ipsam, cui gratificari sese ait, eo ipso grauiter afflixit, transferendo sumptum in nostram illi debitum: sic vt vel pauperem ei faciat ciuem sumptus in vtroque facto, vel illam iis quæ habebat nobis tribuendo defraudet.* Hactenus Libanius. Sic sane & ornatus Ciuitatis vnius ad alteram transferri vetitus est *l. 1. 14. 37 supr. de operibus publicis.* Et sic hac parte publici decoris & ornatus ac lætitiæ par ratio est.

Cæterum prohibitioni huic occasionem præbuerunt Iudices, vt ex *hac leg.* & *l. 3. & 4. hoc ipso tit.* ex *Libanio* liquet. Scilicet Iudices seu Rectores

Prouinciarum, huius vel illius Ciuitatis gratiam plausumque (vt *hac leg.* expresse dicitur) aucupantes aliarum etiam Ciuitatum editiones eo transferre satagebant, pariter vt aliarum vrbium ornamenta; id quod haud semel, *tribus* videlicet *huius tit. legibus* Iudices facere prohibiti: Neque tantum Iudices ordinarii, id est, Rectores singularum Prouinciarum, verum & diœceseon integrarum, ipsimet, inquam, Præfecti Prætorio Amplissimi; ac multo magis Vicarii, vel etiam Proconsules: Quo pertinet *lex 3. infr.* ibi: *Nemo Iudicum ex Prouincia solo equos Curules, Aurigas, Ciues tempt et traducere.* Vicarii quippe Præfectorum Prætorio pluribus Prouinciis præfuere, sicut & Proconsules Asiæ & Achaiæ, de quo ad eam *legem*. Non absimilis sane querela est Iuliani *epist. 35.* de Argiuis, qui tum recenti decreto ad *κυνηγέσια*, id est, *munera ferarum*, quæ Corinthi exhibebantur, & sic ad *ξενικὴν θέαν*, conferre, cogebantur; cum interea Argiui ipsi annis quaternis quaternos ludos ederent: videnda est *ea Epistola:* de quo dicam adhuc ad *l. 4. infr.*

Illud obiter obseruandum, duo *Editorum* genera *hac leg.* memorari, Magistratus scilicet & Sacerdotes, quorum expensis ac sumptibus editiones ludorum procurandæ erant. De *Magistratuum* seu Duumuirorum editionibus videndæ quoque *lex 16. 29. 169. supr. de Decurion.* & *l. 4. infr. hoc tit.* De editionibus vero *Sacerdotum* sunt *hoc Cod.* complures *leges*; præter hanc scilicet legem, *lex 2. infr. de exp. ludor. lex 1. supr. de præd. Senat. l. 145.* & *176. supr. de Decurion.* Ad horum scilicet Sacerdotum curam & expensas inter alia pertinebat ludorum editio; erantque Sacerdotes hi Agonothetæ, seu votiua festiuitatis solennitas eorum nomen dedicauerat, vt loquitur *d. lex 2. de exp. ludor.* Ita quidem, vt in Metropolitanis ciuitatibus ferme Sacerdotes huiusmodi ludos ederent, ibi, *aut in ciuitatibus*, vt etiam *hac lex* ostendit, itemque *lex 20. infr. de Pagan.* & *d. l. 145. 176. supr. de Decurion.* veluti Carthagine in Africa, quo pertinent *dd. ll.* tres. Horum munerum Sacerdotalium alibi quoque frequens mentio & vestigia, vt apud Tertull. *lib. de Spectacul.* itemque in *Actis Martyrum*, quæ apud Surium. De his tandem vide quæ dixi plura ad *dict. leg. 1. supr. de præd. Senator.*

II. (a) Imppp. Gratianus, Valentinianus & THEOD. AAA. Rufino PF. P. (b)

NVLLVS (c) omnino Iudicum, aut Theatralibus (d) ludis, aut Circensium certaminibus, aut Ferarum (e) cursibus (f) vacet, nisi illis tantum diebus, quibus vel in lucem editi, vel (g) Imperii sumus sceptra sortiti: hisque, vt ante meridiem tantum sollemnitati (h) pareant, post epulas vero ad spectaculum redire desistant. (In quo tamen omnes siue Iudices, siue priuati, nihil penitus aut præmio dandum esse cognoscent: quod solis licet Consulibus, quibus erogandi moderationem (i) vitæ (k) meritis permisimus.) Illud etiam præmonemus, ne quis in Legem nostram, (l) quam dudum (m) tulimus, committat: Nullus (n) Solis die populo spectaculum præbeat, nec (o) diuinam venerationem (p) confecta sollemnitate confundat. Dat. XIII. Kalend. Iun. Heracliæ, Honor. NB. P. & Euod. V. C. Coss. [386.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iust.* vt & ab Annalibus Ecclesiasticis Baronii, quo eam referri oportuit. GOTHOFR.

(b) *Rufinus* PP. Orientis scilicet, quanquam *Cynegii* potius nomen hic reponendum videatur, ex ipsa temporum ratione: *Rufinus* quippe demum sub Theodosio & Arcadio Anno 392. Præfectus Prætorio factus fuit: vide *Chronolog. Theodos.* Nisi huic constitutioni alii Consules subscribantur: & quidem *Arcadius tertium & Honorius II. Consules*, vt suadere videantur *lex 13. supr. de cohortal.* & *l. 12. infr. de Scenic.* quæ *Heracleæ* pariter datæ, eidemque Rufino inscriptæ: tandem, eodem mense Maio & Iunio. Quin & sicut *hæc lex* venerationi Christianæ Religionis consulit, ita pariter *d. lex 12. infr. de Scenicis.* Tandem, nisi hic alium Rufinum putemus: forte etiam idem ille, cui inscribitur *lex 3. Cod. Iust. de off. P. V.* quæ adnotatum habet Ann. 376. IDEM.

(c) Quamlibet Spectabilis, veluti Vicarius aut Proconsul. ID.

(d) Obserua tria ludorum genera, Ludos Theatrales, Circenses, & Venationes. Illi ludi sunt Scænici & Gymnici: Secundi, Equestres: Tertii, Ferarum, quibus Feræ exhibentur. Quæ & ipsa tria Spectaculorum genera Iudicibus vsurpata memorat Libanius, *κατὰ τῶν εἰσιόντων*, *p. 431. 432. Oper. Gothofr. minor. Ed. Trotz.* Alioquin Theatrales ludi & Circenses, seu Theatrorum & Circensium voluptas coniunguntur, *l. vlt. infr. hoc tit.* & *l. vlt. supr. de Prætor.* & cum Theatri, & Theatralium ludorum nomine veniunt Ferarum cursus. ID.

(e) Ferarum, veluti Vrsorum, Leonum, Pardorum, vt docet quoque Claudianus *fine Panegyrici in Theodor.* COS. vide & Symmachum passim. ID.

P. 351 (f) *ys. Incursibus*, vox hæc ferarum pugnis & dimissionibus, commissionibus propria. ID.

(g) *Natā-*

(g) *Natalem* duplicem Imperatorum hic nota: de quo dixi plene ad *l. 1. in fin. supr. de Feriis.* *ID.*

(h) *Solemnitatem* hic, & *infr. in fin. leg.* vocat Ludos: de quo dicitur *l. 5. infr. de exp. ludor.* *ID.*

(i) *Moderationis* vox sæpe *hoc Cod.* pro moderata ratione accipitur: vt *l. 149. de Decurionib.* vid. *l. 5. infr. de exp. ludor.* vbi dicetur. *ID.*

(k) *Vitæ*, id est, dignitatis & honoris. *ID.*

(l) Non extat *hæc lex.* *ID.*

(m) Et hæc vocula persuadet, ad annum aliquem citeriorem hanc *leg.* referendam. *ID.*

(o) Tilii Editio, & quæ in Quarto prodiit, habebat: *Nullum Solis diei populo spectaculo præbeat.* Vnde conficias *nullum Solis die populo spectaculum præbeat.* *ID.*

(o) *Ne.* *ID.*

(p) Similiter *l. 1. supr. de Feriis. Diem Solis veneratione sui celebrem.* *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII M. hæc vnica *hoc titulo* lex *de Spectaculis* est; qua is immoderato atque effuso IVDICVM in spectacula studio, multiplici ratione occurrit, Anno D. 386. definitis partim temporibus ludorum, coarctato passim immoderato in ludos sumptu. *Temporibus*, inquam, definitis, ne alioquin Iudices popularitati & spectaculorum editionibus mancipati plus ludicris curæ tribuant, quam seriis actibus, vt loquitur Valentinianus, immoderatum hoc studium pariter coërcens, *l. 2. supr. de offic. Rect. prou.* vel, vt loquitur Theodos. Iun. *l. 3. infr.* ne Iudices popularibus plausibus intemperate seruiant. Tria igitur Theodosius M. de tempore, quo Iudices ludis vacare possint, statuit.

Primo, vt *Natalibus* tantum Principum, ludis vacare possint: Natalibus, inquam, geminis, genuino videlicet quo nati sunt, alteroque Imperii Natali, quo sceptra sunt sortiti; de quo duplici Principum Natali agitur quoque *l. 2. de Feriis*, vbi dixi. Similis sane apud Dionem *lib. 54. initio:* Augusti interdicto occurrit, *τοῖς στρατηγοῖς προσταττῶν μήτ' πλεονάκις ὁπλομαχίαν ἢ δὶς ἐν ἑκάστῳ ἔτει, prætoribus iniungens, ne sæpius munus gladiatorium quam duabus quotannis vicibus exhiberent.* De γενεθλίοις natalitiis his alioquin Principum in honorem ludis, vt antiquiora omittam (quæ P. Faber *III. Semest. 29.* congessit) est & hic Diui Ambrosii locus, *in oratione de Valentiniani Iun. obitu pag. 307. Tom. V. Oper. Edit. Paris. 1614. Ferebatur,* inquit, *primo ludis Circensibus delectari, sic istud abstersit, vt ne solennibus quidem Principum Natalibus, vel Imperialis honoris gratia Circenses putaret esse celebrandos.* Addatur & *lex vlt. Cod. Iustin. de Feriis.* Ex quo pariter loco, vt ex *hac leg.* patet, solemnes Principum Natales peculiari iure imo cultu habitos, qui absque publica lætitia non transmitterentur, quosque adeo omnes celebrarent: imo & Iudices ad id necessitate quadam teneri sese ferme obtendebant, ne forte indeuotionis erga Principem accusarentur, quod docebit quoque *lex dominico, vltim. infr.* & Libanius *orat. περὶ δεσμωτῶν, num. 9. pag. 405. 406. inter l. Gothofred. Oper. Iurid. minor. Edit. Trotz.* τὴν ἀνάγκην δὲ ἂν λέγωσι, καὶ τὸν φόβον, τὸν ἀπὸ τῆς ζημίας, ἐξαπατῶσιν: ἥτε γὰρ δείλη, καθαρὰ τοῦδε τοῦ φόβου: ἥτε ἀνάγκη τῆς θέας, ἡμερῶν τινῶν ἐστιν, ἀλλ' οὐχ ἁπάσης, οἱ δὲ ἐπὶ πάσης ἔρχονται, &c. id est, *Necessitatem vero si obtendant, metumque pœna, fallunt: tempus quippe pomeridianum ab hoc metu liberum est: Necessitas vero spectandi, quorundam tantum dierum est, non cuiuslibet: hi vero veniunt,* &c. Secundo, *Ante meridiem* tantum Iudices spectaculis operam dare Theodosius M. iubet, non etiam post epulas ad Spectacula redire. Olim sane quoque cum Spectacula a summo mane ad vesperam exhiberentur plerumque, producerenturque, aliusque esset meridianus ludus, alius matutinus: meridiani, Gladiatores: matutini bestiarii: nimio in ea studio deputatum legimus, si quis etiam post meridiem his interesset, si ante meridiem interfuisset; vt discere est ex aliquot Suetonii locis, *Augusto, cap. 45. Caio, cap. 34.* Itemque ex Dione. Verum Theodosius M. *hac leg.* abscise Iudicibus ad Spectacula redeundi post epulas facultatem adimit. Quod & ipsum Libanius *dicta oratione περὶ τῶν δεσμωτῶν loc. cit.* ingerit: ἥτε γὰρ δείλη καθαρὰ τοῦδε τοῦ φόβου: οἱ δὲ ἐπὶ πάσης ἔρχονται τῆς ἡμέρας μερίδος, id est, *tempus quippe pomeridianum ab hoc metu liberum est: hi vero quacunque diei parte veniunt.* Et quidem eodem fine (vt rationem inculcem) nempe ne a seriis actibus Iudices abducerentur, Et certe nisi mens male augurat, videtur Theodosius *hanc leg.* ex parte sanxisse ad illam Libanii Orationem qua repræsentat immodicum Iudicum studium circa Ludos: dum & quibuslibet diebus, & quauis diei parte his vacarent: ad quæ prohibenda Theodosium hortatur. Quam quidem Orationem non inanibus iam argumentis scriptam censeo circa Annum Domini 380. vel ipso Anno 386. qui & *huic leg.* subscriptus est. Forte an & seditionibus popularibus vitandis id quoque constitutum fuerit: Nam & idem Libanius nominatim, ad Theodosium M. *huius legis* Auctorem *περὶ τῆς στάσεως orat. 12. pag. 391. Edit. Morell.* de Alexandrinis agens: εἰς τὸ θέατρον, inquit, τοῦ πρὸς τοὺς ἄρχοντας αὐτῶν πολέμου χωρίον, *quibus theatrum est locus belli aduersus rectores suos.*

Tertio, *Solis* die, id est, Dominica, (qua de appellatione dixi ad *l. 1. supr. de Feriis.*). Spectacula hac iterata iussione præberi Theodosius M. vetat: iterata, inquam, quod *hac lex* indicat. Vt maxime scilicet votiua, die Dominico compleri possint, vt sunt Emancipationes, Manumissiones, *l. 5. supr. de Feriis*, non tamen Spectacula edi: quod & tertia constitutione Theodosii Iun. prohibitum: puta *l. 5. infr.* vbi plenius. Quinimo & in Occidente, ac nominatim in Africa id ab Honorio Imp. sanciri, Patres Africani Anno 401. aliquando petiere, vt docet *Can. 61. Cod. Afric. pag. 897. 898. Tom. I. Concil. Edition. Harduin.* Et hæc de tempore ludorum edendorum; & sic de priore *huius leg.* parte. Ex quibus apparet quam male hanc *leg.* Vir doctus committat, cum eo quod Ambrosius de Valentiniano Iun. ait, cum ne Valentinia-

num

num quidem *hac lex* Auctorem habet, sed Theodosium.

Secundo capite EXPENSIS Iudicum & priuatorum simul, hac constitutione Theodosius M. modum imposuit, de quo erit peculiaris *tit. de exp. ludor.* Huius interim constitutionis hæc sententia est; Aurum pro præmio, solis Consulibus exceptis, & his quidem nonnisi moderate, nulli erogare licere: de quo ad *l. 1. d. tit. de exp. ludor.*

P. 352 III. (a) Impp. Honor. & THEOD. AA. Anthemio PF. P. (b)

NEMO Iudicum (c) ex quacumque Ciuitate (d) in aliud oppidum, vel ex (e) Prouinciæ solo, (f) equos curules, aurigas ciues, (g) temptet traducere, ne dum popularibus plausibus (h) intemerate (i) seruiunt, & publicarum (k) rerum statum fatigent, & festiuitatem impediant in cunctis (l) oppidis celebrandam: Ita vt si quis hanc violauerit iussionem, pœna teneatur ea, quæ (m) legum violatores persequitur. Dat. VIII. Id. Aug. Constp. Honorio VIII. & Theod. III. AA. Coss. [409.]

N O T Æ.

(a) *Lex 5. Cod. Iust. hoc tit.* Et concordat huic legi *lex 1. supr.* & *lex 4. infr. prox.* GOTHOFR.

(b) Orientis scilicet. *ID.*

(c) Etiam Spectabilis. *ID.*

(d) Etiam abdita, vt in simili dicitur *l. 14. supr. de Operib. public.* *ID.*

(e) In aliam Prouinciam: & sic istud pertinet ad Vicarios & Proconsules, quibus plures Prouinciæ (id est, integræ Diœceses) parebant. *ID.*

(f) Prouinciæ solum, *hac leg.* vt Africanum solum, *l. 52. infr. de Hæretis.* Italiæ & Vrbis solum, *l. 20. supr. de Tyronib.* *ID.*

(g) Cuiusque Ciuitatis vel Prouinciæ: Additum interim hic in Cod. Iust. *Bestias, Histriones.* *ID.*

(h) Dixi ad *l. 1. supr.* & dicam plenius ad *l. 2. infr. de expensis ludorum.* *ID.*

(i) *Intemperanter*: Cod. Iust. vt *l. 19. supr. de Decurionib.* & sane *intemerate* hic retineri non potest, itaque legendum *intemperate.* *ID.*

(k) Rerumpublicarum. *ID.*

(l) Etiam abditis. *ID.*

(m) Id est, Sacrilegii pœna. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. tres ordine de Spectaculis constitutiones sequuntur. Hac sane *leg.* LOCIS suis solitisque spectacula exhiberi iubet; pariter vt Valentinianus *l. 1. supr.* (vbi plura, etiam ex Libanio, & Iuliano dixi) idemque Theodosius Iun. rursum *l. 4. prox.* neque alio ad id destinatos equos, aurigas, TRADVCI: id est, non vt quidam Interpretum olim accepere, transuehi, & sic turbari alicuius loci festiuitatem transductione: verum transferri, in alterius loci festiuitatem, qua voce *transferendi* vtitur *dict. lex 1. supr.* Idque intentum, vt omnibus Iudicibus, id est, non tantum Præsidibus, seu Rectoribus singularum Prouinciarum, verum etiam Vicariis & Proconsulibus id interdicat, ne ex vna Ciuitate in aliam, vel ex vna Prouincia in aliam equos Circenses, aut agitatores transtulisse, sed suam cuique, festiuitatem reliquisse velint; idque sub pœna sacrilegii. Addita duplici ratione, seu notatu duplici malo, quod ex hac Translatione sequebatur: Nempe ea re non tantum festiuitates impediebantur in cunctis oppidis celebrandæ, *sed & publicarum rerum status fatigabatur:* quia in huiusmodi translatione sumptus fiebant, & alios equos, aurigas, vrbes quæ suis defraudatæ fuerant, postea comparare ad ludos suos tenebantur.

Ait autem lex, *Equos Curules, aurigas ciues:* Ciues, id est, vnius ciuitatis, vel Prouinciæ, Equos, vel aurigas: scilicet quia Equos Curules & aurigas suos peculiares Ciuitates habuere, quod etiam ostendit *lex 6. infr. de Scan.* & *lex 2. infr. de equ. curul.* & nonnulli in ciuitatibus erant, qui his equis alendis destinati erant, vt docet vel Iulianus, *in Misopogone, circa fin.* vbi de Antiochia nominatim: *καὶ νῦν ἀτελεῖς ἔχουσιν οἱ καθ' ἕκαστον ὑμῶν ἐνιαυτὸν ἱπποτροφοῦντες, γῆς κλήρους ἐγγὺς τρισχιλίους, ἐπινοίᾳ μὲν καὶ οἰκονομίᾳ τοῦ θείου τοῦ ἐμοῦ καὶ ὁμωνύμου, χάριτι δ' ἐμῇ: & nunc, qui apud vos quotannis equos alunt, habent immunia tria prope millia iugerum, partim patrii & cognominis mei prudentia & diligentia, partim meo beneficio.* Sane in ipsamet Vrbe Roma vt diuersæ aurigarum factiones fuere, ita & stabula publica equorum Circensium; vt docet etiam *lex 2. infr. de equ. curul.* iuncta *l. 6. infr. de Scenic.* itemque Constantinopoli; sic vt Actuarii huiusmodi equorum Curulium essent per omnes Regiones Vrbis, vt docuit *lex 21. & 22. supra de diuers. offic.*

IV.

IV. (a) Imp. THEOD. A. Isidoro (b) PF. P. Illyrici. (c)

DELFORVM Curiæ (d) facultates nouis (e) damnis frequenter âdtritas Relatio Tui Culminis (f) intimauit. Ideoque præceptis (g) ad vniuersas (h) Illyrici (i) Ciuitates Iudicesque transmissis, notum omnibus faciat, nullum penitus spectacula oportere solemnia Vrbis (k) æternæ populis exhibere: sed vnumquemque ciuium intra propriam ciuitatem debere solitæ deuotionis (l) officia, (prout patrimonii sui vires patiuntur,) implere: Grauissimæ pœnæ interminatione proposita, non solum contra eos, qui huiusmodi functiones crediderint exigendas, (m) sed etiam contra Ordinarios (n) vbique Rectores. Dat. X. Kalend. Mai. Constantinop. Victore V. C. Cos. [424.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* velut localis & temporaria. *GOTHOFR.*

(b) *Isidorus* PP. Illyrici sub Theodosio Iun. vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) Orientalis: Sub quo Macedonia Diœcesis erat, cuius Diœceseos Prouincia fuit *Achaia*, & in ea *Delphoi*. Hinc igitur quoque apparet, Achaiam in Præfectura Prætoriana Illyrici fuisse: quod ostendit quoque *Notitia Imperii* hoc ipso tempore conscripta. *ID.*

P. 353

(d) Id est, Curialium. *ID.*

(e) Exactis videlicet ab iis spectaculis intra Vrbem Constantinopolitanam: Quod *huius legis* contextus indicat. *IDEM.*

(f) *Culmen* tuum Præfecto Prætorio tributum: vid. *Notitiam Dignitatum.* *ID.*

(g) Sub dispositione Præf. Præt. erant Rectores Prouinciarum. *ID.*

(h) Non tantum Delphorum ciuitatem; quæ & ipsa in Illyrico erat. *ID.*

(i) Cuius duæ Diœceses erant, Macedonia & Dacia: in Macedonia vero septem Prouinciæ; in Dacia quinque. *IDEM.*

(k) Id est, Vrbis Constantinopolitanæ: ad exemplum Vrbis Romæ. *ID.*

(l) *Deuotionis* appellatio ad officia, quæ patriæ debentur, pertinet: vid. *Gloss.* *ID.*

(m) *Exactores* missi per Prouincias ad colligendas pecunias ad ludos Vrbis Constantinop. *ID.*

(n) Qui scilicet hoc fieri passi fuerint. Ordinarii autem *Rectores*, sunt Rectores Prouinciarum, Præsides, Consulares, &c. Imo & Spectabiles. vid. *Notitiam.* *ID.*

COMMENTARIVS.

LOco alio, quam in Patria sua, Curiales (& in his Duumuiros) ludos exhibere (quos sane exhibere solitos docet *lex 1. supr. hoc tit.* & *lex 29.169. supr. de Decurion.* & *lex 3. infr. de Scænic.*) cogi vetat hac Constitutione Theodosius Iun. Anno D. 424. ac nominatim in Vrbe Constantinopolitana. Nempe, vt ex *hac lege* discere licet, hac tempestate ad Vrbis Constantinopolitanæ festiuitatem decusque coacti Curiales, & in his Magistratus seu Duumuiri, etiam per Præfecturam Prætorianam Illyrici, id est, in Macedonia vel Dacia constituti, (ex his enim duabus Diœcesibus constabat Præfectura Prætoriana Illyrici) Coacti, inquam, Magistratus seu Duumuiri municipales spectacula in Vrbe Constantinopolitana edere, pecuniamque ad id conferre. Qua caussa nonnullarum Curiarum, seu Curialium facultates, tum attritæ fuerunt, & in his quidem *Delphorum*, qui in Achaia erant. Eo scilicet siue Maiestas, siue luxuria seu τρυφὴ Vrbis Constantinopolitanæ processerat, vt aliarum, etiam remotissimarum, veluti Illyricarum vrbium, & in his Achaiæ quoque, nuditate suam τέρψιν redimeret. Et vt in eadem re loquitur Iulianus, *epist. 35.* aliis ciuitatibus conferentibus ὠνοῦνται τὴν τέρψιν τοῦ φρονήματος: vbi τέρψιν τοῦ φρονήματος vocat, *sensus*, seu *animi voluptates*; non vt versum, *voluptatem suæ fraudis*. Quod vtique velut inuidiosum & graue nimis hac Theodosii Iun. constitutione aboletur. Nam vt maxime sui Orbis Regina, & Metropolis esset Constantinopolis, aliarum tamen Ciuitatum Ciues hoc obtentu, eorumque facultates atteri non oportuit; verum hæc fuit illius vrbis præceps ambitio, sibi nihil non vindicantis; atque eius etiam obtentu, eorum simul, qui in ea potiores erant, ob potentiorem vrbis principalitatem: De quo vid. quæ dicam plene ad *l. 45. infr. de Episcop.* Similiter sane & Karthagine, totius Africæ Metropoli, omnium Africæ Prouinciarum Sacerdotes ludos edere coacti, vt docet *lex 145.176. supr. de Decurionibus.* Sic & Argiui aliquando Corinthiacæ Vrbi (ceu Metropolitanæ) ad κυνηγέσια munera ferarum conferre coacti. De qua συντελείᾳ est (vt dixi ad *l. 1. supr.*) Iuliani bene longa & accurata querela, *epist. 35.* Argiui inquam, qui in eadem Achaia positi erant, in qua & Delphorum Ciuitas erat: quæ tamen ipsa nihil tum Vrbi Constantinopol. ad voluptates conferre tenebatur; vt Iulianus testatur *eadem epistola*; quod postea, vt *hac lex* docet, immutatum. Nam, & hæc Constantinopolitanæ Vrbi attributa fuit, & ad eius voluptates conferre coacta, & ad συντέλειαν adacta, quod *hac leg.* aboletur. Obiter vero notandum, in ea Delphorum Ciuitate, Pythiorum ludos celebratos, vt Argis Nemea.

V. (a) Idem A. & Valentinianus Cæſ. Aſclepiodoto PF. P. (b)

DOMINICO (c) (qui Septimanæ totius ptimus (d) eſt dies,) & Natale, (e) adque Epiphaniorum Chriſti, Paſchæ etiam, & Quinquageſimæ (f) diebus (quamdiu (g) cœleſtis lumen lauacri, imitantia nouam ſancti baptiſmatis (h) lucem veſtimenta (i) teſtantur: quo tempore & commemoratio Apoſtolicæ Paſſionis, totius Chriſtianitatis magiſtræ, a cunctis iure celebratur) omni Theatrorum adque Circenſium voluptate, per vniuerſas Vrbes, earundem populis denegata, totæ Chriſtianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupantur. (k) Si qui etiam (l) nunc vel Iudæi (m) impietatis amentia, vel ſtolidæ Paganitatis (n) errore adque inſania detinentur, aliud eſſe ſupplicationum nouerint tempus, aliud voluptatum. Ac ne quis exiſtimet, in honorem Numinis Noſtri, veluti maiore quadam Imperialis officii neceſſitate compelli, (o) & niſi diuina religione contempta ſpectaculis operam præſtat, (p) ſubeundam forſitan ſibi Noſtræ Serenitatis offenſam, ſi minus circa nos deuotionis oſtenderit, quam ſolebat, Nemo ambigat, quod tunc maxime Manſuetudini noſtræ ab humano genere defertur, cum virtutibus Dei Omnipotentis ac meritis vniuerſis (q) obſequium Orbis impenditur. Dat. Kalend. Feb. Conſtantinop. Theod. XI. & Valentiniano Cæſ. Coss. [425.]

NOTÆ.

(a) *Lex* hæc abeſt a *Cod. Iuſt.* Inſeruit eam recte Annalibus ſuis Baronius *Anno D.* 425. *n.* 5. 6. Ad eam ſcripſit ſingularem & accuratum commentarium *Briſſonius*. *GOTHOFR.*

(b) *Aſclepiodotus* PP. ſub Theodoſio Iun. Orientis ſcilicet; vid. *Proſopogr.* *IDEM.*

(c) De die *Dominico* dixi affatim ad *leg.* 1. *ſupr. de Feriis*: neque hic ea repetenda. *ID.*

(d) Auſonius *de nominib. ſeptem dier.* v. 5.

Primum ſupremumque diem radiatus habet Sol:

Et mox *v. vlt.*

Octauum inſtaurat reuolubilis orbita ſolem.

Iſidorus quoque *lib.* 5. *Origin. cap.* 30. eum vocat, *Caput cunctorum dierum*, itaque & *Actor.* 20. *verſ.* 7. & 1. *Cor.* 16.
P. 354 *verſ.* 2. dicitur μία σαββάτων. Hieronym. *aduerſus Vigilantium pag.* 86. *Tom. II. Oper. Edit. Francf. apud Chriſt. Genſch.* per *vnam Sabbati*, *hoc eſt in die Dominico*. Inde & Græci Chriſtiani dixere Annum ἑβδομαδικῶς κανονίζειν, pro eo quod eſt a Solis die incipere: Maximus martyr *in computo Eccleſiaſtico*, *part.* 1. *cap.* 23. *IDEM.*

(e) Pro, *Natali*. *ID.*

(f) Id eſt, Pentecoſtes. *ID.*

(g) Id eſt, quibus diebus. *ID.*

(h) Hinc liquet quoque, adminiſtrandi Baptiſmi ſtatos fuiſſe hos duos dies, Paſcha & Pentecoſten, quæ obſeruatio iam paſſim eſt & nota. *ID.*

(i) Hinc quoque liquet, *Albatos* fuiſſe, qui Baptiſmo initiarentur, quod & ipſum notius eſt, quam vt firmari aliis teſtimoniis opus ſit. *ID.*

(k) γρ. *Occupentur*. *ID.*

(l) Vide *leg.* 22. 23. *infr. de Paganis*. *ID.*

(m) De Iudæis erit *tit. infr.* & forte hic legendum *Iudæa*, vt infr. *Paganitatis*. *ID.*

(n) De *Paganis* erit quoque *infr. tit.* peculiaris. *ID.*

(o) *Se compelli*. *ID.*

(p) *Præſtet*. *ID.*

(q) Suſtineri poteſt: ſed malim *vniuerſi*: ita ſupr. *per vniuerſas vrbes earundem populis*. *ID.*

COMMENTARIVS.

FESTIS Chriſtianorum diebus ſpectacula exhiberi inhibet Theodoſius Iun. hac conſtitutione, Anno D. 425. de qua prohibitione iam plenius dictum fuit *l.* 2. *ſupr.* In qua *leg.* interpretanda eo breuiores nos erimus, quo doctior & prolixior in eam extat Briſſonii commentarius. Nos ea nunc ſaltem, nouem ferme numero, ſublegemus, quæ magnam partem ab aliis ad hanc legem intacta neglectaue ſcimus, & tamen monitis & notatis nihilo inferiora ducimus.

I. Pri-

I. Primum, obseruandus hac parte iuris istius & interdictionis Processus. Solo scilicet *Dominico* primum die spectacula prohibita a Theodosio M. & quidem iterata iussione, quod docuit *d. lex 2. supr. hoc tit.* Atenim vlterius paulatim processum. Sane in vniuersum omnibus festis Christianorum diebus spectacula prohiberi ab Honorio Patres Africani petiere iam Anno D. 401. Concilio Carthagin. 5. vt habetur *Codic. African. canone 61. pag. 898. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* cuius verba hic apponere iuuat, quia etiam *huic legi* conueniunt: *Nec non & illud petendum; vt spectacula theatrorum, caeterorumque ludorum, die DOMINICA, vel CETERIS Religionis Christianæ DIEBVS celeberrimis amoueantur: maxime, quia Sancti PASCHÆ Octauarum die populi ad Circum magis, quam ad Ecclesiam conueniunt, debere transferri deuotionis eorum dies, si quando occurrerint, nec oportere etiam quenquam Christianorum COGI ad hæc spectacula: maxime*, &c. Itaque & Theodosius Iun. *hac leg.* iam non Dominico tantum die, etsi hunc primum nominet, verum omnibus festis supplicationumque Christianarum diebus spectacula edi vetat: In quibus certe ieiuniorum dies nonnulli fuere, quibus proinde spectacula prohibita *hac leg.* quomodo etiam Gregorius Nazianzenus *epistola 74.* aliis 71. Celeusium Præsidem eo nomine reprehendit, quod ieiunii diebus spectacula ederet: *παρανομεῖς ὦ δικαστὴς οὐ νηστεύων: καὶ πῶς φυλάξεις τοὺς ἀνθρωπίνους νόμους, τοὺς θείους περιφρονῶν; καθάρευσον τὸ δικαστήριον, ἵνα μὴ δυοῖν ἓν ἢ γένῃ κακὸς, ἢ νομίζῃ: τὰ προτιθέναι θέας αἰσχρὰς, ἑαυτόν ἐστι θεατρίζειν· κεφάλαιον τοῦ λόγου, ἴσθι κρινόμενος ὁ δικαστὴς, καὶ ἧττον ἁμαρτήσεις. Iniquum agis, o Iudex, qui non ieiunes, & quo modo leges humanas seruabis, qui diuinas contemnis & pro nihilo ducis? Purga tribunal tuum, ne duorum alterum tibi accidat, vt aut malus fias, aut existimeris. Fœda spectacula proponere, seipsum traducere est. In summa, o Iudex, te iudicium subiturum esse scito, & minus peccabis.* Eodemque pertinet vehemens Ioannis Chrysostomi increpatio *homilia 6. initio in cap. 1. Geneseos pag 39 & 40. Tom. IV. Oper. Edit. Benedictin.* quod Quadragesimæ & ieiuniorum diebus, populus ad Circensia certamina sese contulisset. Vt & eodem fine eiusdem exhortatio *homilia 5. in fin.*

II. Secundo, ex *hac leg.* liquet, intra quem Numerum tum temporis, & quidem in Oriente, hoc Anno D. 425. sub Theodosio Iun. Diuinæ Christianorum feriæ Religiosæ, & deuotionum constiterint: (de aliis quippe feriis iudicialibus agitur, *l. 2. supr. de feriis:*) puta, præter diem Dominicum solemnem & ordinarium, intra numerum quaternarium; *Natalis* inquam, *Epiphaniarum, Paschatis, & Quinquagesimæ.* Quare ferendi non sunt, qui præcipuos rantum festos dies apud Christianos, & celebriori honore receptos, a Theodosio Iun. *hac leg.* recenseri aiont: Quos sane generalis ratio *huiusce legis* refutat, & Theodosii Iun. adeo institutum, vindicare in genere instituentis tempus sopplicationum a voluptatum tempore; seu Diuinam Religionem a contemptu Spectaculorum; vel celebritatem Christianam, qua totæ Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupantur, a ludicra solemnitate; denique dies, quibus virtutibus Dei omnipotentis, ac meritis vniuersi obsequium orbis impenditur, a deuotione in se Principem. Asterius quoque (Amaseæ in Cappadocia Episcopus) *homilia in festum Kalendarum 4. pag. 53. Ed. Rubenii.* etsi non omnes sigillatim, plerosque tamen festos dies perstringit, eorumque rationem reddit, nempe, Natalem Domini, Festum Luminum (*φῶτα πανήγυριν*) diem Resurrectionis. Chrysostomus denique *orat. 1. in Pentecosten, tomo 5. p. 602. 603. 609. Edit. Sauil.* & *pag. 458. 459.* & *468. Tom. II. Oper. Edit. Benedictin.* tria tantum hæc festa quoque commemorat, *Epiphaniam, Pascha, & Pentecosten.* Præter Dominicam videlicet diem: quanquam & ipsum Pascha Domioico die agitabatur. Imo ne initio quidem, nisi dies Dominica, Pascha, & Pentecostes festi dies erant: vide Origenem *lib. 8. contra Celsum. pag. 404. Edit. Moeschel.*

III. Tertio notandum, *Natalem & Epiphania* Christi hic separari, qui sane dies initio pro iisdem habiti fuerant. Nempe *Epiphania*, (traducto e Paganorum Theologia vocabulo, vbi apparitiones Deorum, qui suæ præsentiæ signa dedissent, *ἐπιφάνεια* dicebantur, vt videre est apud Diodorum Siculum, *lib. 1. p. 20. Ed. Rhodom.* Dionys. Halicarnass. *lib. 6. c. 11. p. 351. Ed. Sylburg.* Imo & dies ipsi festi in huius rei memoriam *ἐπιφάνεια* apud Athenæum *lib. 12. c. 11. p. 530.* Vid. etiam ibi Casaubon.) priscis Ecclesiæ temporibus idem etiam cum *Natali* Christi erat, quo scilicet Saluator noster Filius Dei mortalibus conspiciendum sese præbuit, & propriæ diuinitatis ac præsentiæ expressa indicia ostendit. Et sic non aduentum modo Magorum, Christique Baptismum, sed & ipsum Christi Natalem Epiphania signarunt. Suidas, *Ἐπιφάνεια ἡ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔνσαρκος οἰκονομία, Epiphania dicitur Seruatoris nostri Iesu Christi apparitio in carne, vel eius natiuitas.* Eusebius quoque *lib. 1. Historia c. 5.* ait, se ordiri suam scriptiooem, *ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἐπιφανίας, a Seruatoris nostri apparitione in carne*, Epiphanius *lib. 3. heresi 53.* *ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν Ἐπιφανιῶν, ὅτε ἐγεννήθη ἐν σαρκὶ κύριος. In die Epiphaniorum, quo apparuit in carne Dominus.* Item, *ἡ ἡμέρα τῶν Ἐπιφανιῶν ἐστὶν ἡμέρα τῆς Χριστοῦ γεννήσεως κατὰ σάρκα. Dies Epiphaniorum est dies apparitionis Christi secundum carnem.* Gregorius Nazianzeous *orat. 20.* obiter meminit Epiphaniorum; at *in 38.* quæ dicta est *in Natali Theophania*, semper illum diem, aut *γενέθλια* nominat, & caussa earum appellationum explicat, quia tunc apparuit nascendo, *ἐφάνη Θεὸς ἀνθρώποις, διὰ γεννήσεως.* Chrysostomus *orat. 1. in Pentecosten, p. 602. t. 5. Edit. Sauil.* & *pag. 458. Tom. II. Edition. Benedictin.* *τούτων παρ' ἡμῖν ἑορτὴ πρώτη τὰ ἐπιφάνια: τίς οὖν* 355
ἡ ὑπόθεσις τῆς ἑορτῆς; ἐπειδὴ Θεὸς ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη, ἐπειδὴ ὁ Θεὸς ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ παῖς μεθ' ἡμῶν ἦν. Itaque prima festiuitas apud nos sunt Epiphania: quæ porro festi est occasio. Quoniam Deus in terris visus est & cum hominibus conuersatus est, quandoquidem vnigenitus Dei filius Deus nobiscum fuit. Quæ Isidorus Pelusiota *lib. 3. Epist. 110.* *τὰ Θεοφάνια, ἡ τοῦ Σωτῆρος κατὰ σάρκα γέννησις. Ἐν σαρκὶ Θεοφάνια* Asterio *homilia in Festum Kalendarum, 4. p. 53. Edit. Rubenii.* Epiphania ergo dies *ἐπιφανείας*, & quidem *ἐνσαρκώσεως* Christi: Hinc & Natalis, & Magorum Aduentus, & Christi Baptisma non distinctis diebus, sed vno eodemque Epiphaniorum scilicet die a Græcis, maxime Ægyptum incolentibos fuit antiquitus celebrata. Id quod a Theophilo *in proœmio Paschal. epist.* & Cassiano *collat. lib. 10. cap. 2.* memoriæ proditum est. Qund vero ex hoc factum putat Ferrarius, *de ritu sacrarum concionum lib. 1. pag. 67.* vt hic vnus dies fuerit *τὰ Ἐπιφάνεια* dictus, numero multitudinis, eo quod in vno eo die multiplex suæ præsentiæ ac diuinitatis Christus dederit signum, & plures in eo agerentur in Ecclesia celebritates; inane est: Ita enim Græci festa quæcunque

cunque numero multitudinis extulere. Quod notissimum. Sane Epiphaniorum quoque fit mentio *in gestis Anni 360.* idque per Gallias, apud Ammianum Marcellioum Scriptorem Gentilem *lib. 21. cap. 2.* celebratorum mense Ianuario: *Feriarum*, inquit, *die, quem celebrantes mense Ianuario Christiani Epiphania dictitant, progressus in earum Ecclesiam solemniter Numine orato discessit.* Cui similia scribens Zonoras *in rebus Constantii num. 11. pag. 22. Tom. II. Annal. Edit. Reg.* γενέθλιον τῦ Σωτῆρος ἡμέραν vocat diserte, quæ *Epiphania* vocat Ammianus: & Valentis tempestate, apud Gregorium Nazianzenum *in Monodia Basil. Orat. 20. pag. 351. Tom. I. Oper. Edit. Morell. Coloniens.* Cæterum cum initio Natalis seu Epiphaniorum dies in plurimis Ecclesiis Orientis, Asiaticis, Græcis, sexto Ianuarii celebraretur, vt testis est Epiphanius *lib. 2. hæres. 31. num. 24. pag. 446. Tom. I. Oper. Edit. Morell. Coloniens.* Cassianus *collat. lib. 10. cap. 2.* Atque adeo vt ex superioribus liquet, Epiphanii adhuc ætate, vt & eo tempore quo Chrysostom. *prædictam orat. 1. in Pentecosten* habuit, Epiphania seu Theophania causam haberent Domini Natalem: atque adeo Tres tantum præter diem Solis dies feriati deuotionum essent: vt docet Chrysostomus *d. orat. 1. pag. 458. 459. Tom. II. Oper. Edit. Benedictin.* non multo post Θεοφάνεια seu γενέθλια, & ἐπιφάνεια distingui cœpere, sic vt illa Natalem Domini significarent, hæc Baptismum; vt Chrysostomus diserte tradit *homilia de Christi Baptismo; tom. 5. Savil. p. 524. 525. & Paris. Edit. tom. 1. pag. 278. & pag. 369. Tom. II. Oper. Ed. Benedict.* in qua est & *orat. Gregorii 39.* εἰς τὰ ἅγια Φῶτα τῶν ἐπιφανίων. Edocti scilicet Constantinopolitani a Romanis, Natalem celebrare cœperunt die 25. Decembris: Chrysostomus *in homilia de die Natali, tom. 5. Savil. p. 511. & pag. 354. Tom. II. Edit. Benedictin.* auctor est, quando illam concionem habebat, nondum fuisse decem annos elapsos, ex quo primum is dies illi Ecclesiæ, ex Occidente seu per Romanos innotuerit. Ab illo tempore & Natalis mense Decembri festiuitatibus additus, remanente tamen pristina, Ianuario mense, Epiphaniorum solemnitate: Sed aliæ iam causæ illius appellationis & festiuitatis reddi cœpere: nam qui dies prius colebatur, vel celebrabatur vt Natalis Christi, iam cultus est, vt Baptismum eius repræsentans, & Magorum aduentum; v. Chrysostom. *in dicta orat. de Baptismo Christi:* & Hieronymum *lib. 1. commentar. in Ezechielem c. 1.* Sic & auctus festiuitatum numerus, & a proprio appellationis Epiphaniorum significatu recessum. Hinc adeo & Asterius Natalem Domini, & Festum Luminum, Φῶτα πανήγυριν distinxit; & hac Theodosii Iun. constitutione, quæ Constantinopoli data est, Natalis Christi ab Epiphaniis Christi seiungitur.

Illud omittere non possum, quod memorat Chrysostomus, *dict. orat. in Baptism. Christi, p. 524. 525. & pag. 369. Edit. Benedictin. Tom. II.* Epiphaniorum istorum media nocte omnes passim aquas hausisse, tanquam tum sacratas, & domum adsportasse, atque in annum seruasse: vbi incorruptæ manserint, non anno tantum, verum biennio, & triennio.

IV. Quarto obseruandum, hisce verbis, *Pascha etiam & Quinquagesima diebus, quamdiu*, &c. veterum illum Ecclesiæ morem indicari, quo Baptismus Paschæ & Pentecostes diebus conferebatur: de quo vid. Tertull. *de Baptism. cap. 19.* Chrysostomum non *uno loco*, inter alia εἰς τὴν ἁγίαν Πεντηκοστήν: *t. 5. f. 605.* & *pag. 463. Tom. II. Edit. Benedictin.* Socratem *lib. 5. cap. 22.* & alios de quo plenissime Ioannes Vicecomes de antiquis Baptismi ritibus *volum. 1. obseru. Eccles. lib. 1. cap. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.* Ait autem *hæc lex* Quinquagesimæ diebus QVAMDIV, &c. & mox, QVO TEMPORE, nempe quod Viues recte notauit, moris fuit, vt toto illo temporis decursu a Pascha ad Pentecosten Baptismo conferretur: quod tamen Vicecomes negabat *lib. 1. cap. 25.* Author quoque Tertullianus *de Baptismo c. 19. Diem Baptismo solenniorem Pascha præstat, exinde Pentecoste ordinandis lauacris LATISSIMVM SPATIVM est: quo & Domini Resurrectio inter Discipulos frequentata est, & gratia Spiritus sancti dedicata.* Imo ex eo idem intelligitur *lib. de Idololatr. c. 14.* Quinquaginta dies a Pascha in Pentecosten vsque festos hac scilicet ratione fuisse, *Et si singula*, inquit, *Gentium solemnitates numerentur, non possent implere nostram Pentecostem*, hoc est, quinquaginta illos dies festos intra Pascha & Pentecostem. Vnde apparet Pentecostem dictam, spatium illud integrum 50. dictum. Sic & Canone Niceno 20. vetantur genua flecti ἐν ταῖς τῆς Πεντηκοστῆς ἡμέραις. Imo ita quoque *Actor. c. 2. v. 1.* ἐν τῷ συμπληρῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοστῆς, vbi Syrus & Latinus interpretes legerant vel interpretabantur τὰς ἡμέρας.

V. Quinto obseruanda illa, *Pascha etiam & Quinquagesima diebus QVAMDIV cælestis lumen lauacri imitantia nouam sancti Baptismatis lucem vestimenta testantur:* non ad eam generalem tantum obseruationem, qua Baptizati Albati fuisse indicantur; quod infinitis testimoniis comprobatur, verum tempus per quod Albati esse perseuerabant: nempe post peruigilium Paschale & Pentecostale, seu post Baptismum susceptum, Baptizati in Albis perseuerabant, teste etiam Chrysostomo, *Serm. 2. in Pentecost. pag. 474. Tom. II. Oper. Edit. Benedict.* ad octauum vsque diem, seu ad Dominicam sequentem: vnde Octaua post Pascha *in Albis* postea dicta: Eodemque tempore Episcopi & Presbyteri frequentibus & quotidianis admonitionibus τὰς παρὰ τῆς χάριτος ἀξιωθέντας, eos qui nuper Baptismi gratiam acceperant, exhortari, prosequi solebant: vt apparet ex Chrysostomo *homilia 33. in cap. 13. Genes. in princ. p. 479. Edit. Paris.* & *pag. 331. Tom. IV. Oper. Edit. Benedictin.* quo etiam die vestem albam deponebant. Teste Augustino *Sermon. 157. de Domin. in octaua Pascha.* Amalario Fortunato, *1. de Eccles. offic. cap. 28. & 29.* & *lib. 4. cap. 23.* Iacobo Diacono *in Rit. S. Eccles.* Ord. Roman. *tit. de die Paschatis.* Albino Flacco: *lib. de Diuin. Offic. cap. de Domin. in Albis;* & *cap. de Septuag.* Rabano Mauro, *2. de Instit. Cleric. cap. 39.* Bern. Augiens. *lib. de quibusd. reb. ad Miss. spectant. cap. 3.* Abbate Ruperto, *lib. 7. de Diuin. Offic. cap. 11.* Iuone Carnotens. *Serm. in diem Pasch.* vide Vicecomit. *de Rit. Baptism. lib. 5. cap. 12. 13. 14.*

VI. Sexto inquirendum, in horum verborum sensum, & *Quinquagesimæ dieb.* &c. *quo tempore & commemoratio Apostolicæ passionis, totius Christianitatis magistra, a cunctis iure celebratur.* Græci vertunt; P. 356
ὅτε μνήμη τῦ πάθυς τῶν ἁγίων Ἀποςόλων γίνεται. Ex quibus illud in genere liquet, diebus Pentecostalibus commemorationem Apostolicæ passionis celebratam. Quænam autem hæc *Passio Apostolica?* Putet quis non aliam Apostolicam passionem accipi oportere, quam D. Pauli: Cuius sane passionis initium incidit in Pentecosten, vt docet *Actor. cap. 21.* Sic vt post diem Pentecostes aliquos diebus deinceps Ecclesia Christiana passionis huius Apostolicæ commemorationem instituerit, velut magistræ totius Christianitatis, vt quæ veri Martyrii, & veri Confessoris luculentissimum specimen & exemplum foret. Certe apud Græcos postea Ἀπόςολος proprie Paulus, & διδάσκαλος Ἀποςόλων apud Codinum *cap. 1. de offic. Eccl. Const.* Doctor singularis

Episto-

Epistolis Pauli explicandis, quam interpretationem non admitto. Item nolo, *Apostolicam passionem* hic dici, pro infusa cœlitus in Apostolos Spiritus Diuini gratia, & spiritali Baptismo; quomodo aliqui de Deo pati dicebantur, Numinis pleni, ἔνθεοι, θεοφορούμενοι, θεόληπτοι, θεοκάτοχοι, &c. Tertull. *Apolog. c. 23. Æque producatur aliquis ex iis, qui de DEO PATI existimantur, qui aris inhalantes, numen de nidore concipiunt*, &c. Virgil. *lib. VI. Æneid. v. 77.*

At Phœbi nondum PATIENS immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Vbi Seruius, *nondum Patiens*, interpretatur, *qua nondum posset implere Oraculorum sermones.* Ex Ambrosii *sermone 59. de Pentecoste*, & apud Gratianum *de consecrat. distinct. 4. can. 90.* quoque liquet, in Pentecoste lectionem solemnem fuisse de Aduentu Spiritus sancti in Apostolos: *Sequitur spiritale signaculum, quod audisti hodie legi*, &c. vbi Gloss. *Hodie*, scilicet *in die Pentecostes: quia lecta fuerat Epistola de Aduentu Spiritus sancti in Apostolos.* Non, inquam, duas superiores Interpretationes hic admitto, quia *omnibus Pentecostes diebus* hanc commemorationem factam *hac lex* indicat. Quid igitur? Ioan. Chrysostomus, & Augustinus, veram nobis interpretationem & indubitatam suggerunt. Nempe ex veteri Patrum instituto in tota Pentecoste lectum esse in Ecclesia Librum *Actuum Apostolicorum*, de quo expressa extat illius *hom. 63. tom. 5. p. 831. edit. Paris.* & *Tom. III. Edit. Benedictin. pag. 81.* τίνος ἕνεκεν αἱ πράξεις ἐν τῇ Πεντηκοστῇ ἀναγινώσκονται, *cur in Pentecoste Acta legantur*: vbi rationem reddit istius instituti, cum alioquin Acta Apostolorum post Pentecosten initium ducant: & alias in Ecclesia, sua quaque die, ea legerentur, quæ ea euenerant: veluti in die *Crucis*, omnia legerentur quæ ad Crucem pertinent; & in Magno Sabbatho, quæ & ea die euenerunt: & hanc quidem, quod quemadmodum statim post Crucem Resurrectio Christi annuntiatur, ita statim post Crucem & Resurrectionem Patres Acta seu miracula Apostolorum legi voluerunt, quod miracula Apostolica sint demonstratio Resurrectionis Dominicæ; Liber vero *Actorum*, nihil aliud sit quam doctrina miraculorum Apostolicorum. Eundemque morem perstringit idem Chrysostomus, *initio homilia 33. in cap. 12. Geneseos, p. 478. edit. Paris.* & *pag. 331. Tom. IV. Oper. Edit. Benedictin.* Quinimo & ex Gregorio Nazianzeno *orat. 43.* in καινὴν κυριακὴν, *in fin.* disco, Martyrum quoque aliorum martyria tum publice commemorata. Augustini locus hic est, *tract. 6. in Euangel Ioan. num. 18. Actus Apostolorum testes sunt: ille Liber Canonicus omni anno in Ecclesia recitandus. Anniuersaria solemnitate post Passionem Domini nostis illum Librum recitari.* In genere notum iam aliunde vel ex Ambrosio, & Augustino, Lectiones ex vtroque Testamento solemnes in Ecclesia olim fuisse, & quidem statas, ex orbe, ac nominatim ex Nouo Testamento, quæ ἀποστολοευάγγελα postea dicta, & εὐαγγελιστάρια: cuius rei luculentum testimonium in Hippolyti Episcopi *Paschali* occurrit, vbi Lectiones huiusmodi designantur in cellulis arcæ laterculi; vt ecce, γένεσις Χριστοῦ, quotannis ex primo Matthæi, ἐν προδιανυκτερεύσι, siue παραμονῆς Natalis Christi legebatur XI. Pharmuthi, quo tempore quidam natum Dominum putabant, vt scribit Clemens Alexandrinus. Ita πάθος Χριστοῦ, die Passionis Dominicæ; id est, ex quorundam sententia, 25. Martii, aliaque quæ in *eo Canone* videre est, & Scaliger explicauit. Sic certum, Passionem Christi recitatam olim proxime antequam concio haberetur de ea: testis Augustinus *sermon. 144. 146.* siu. *232. 239. Ed. Ben.* Leo Magnus non *vno loco*: sic quidem vt in Africanis Ecclesiis ex Matthæi dumtaxat Euangelio ea recitaretur, *d. serm. 144.* siu. *232.* Quomodo & Passiones Martyrum ante concionem publice recitatæ cum Anniuersarii eorum dies celebrabantur. Ergo *Passio Apostolica* hic, pro Actibus Apostolorum dicta fuerit: quo sensu certe *Passiones* passim Sanctorum dicuntur pro Actibus eorum & vita omni. Sic igitur Liber Actuum Apostolicorum πραξαποστόλων fuit τὸ πεντηκοστάριον, quomodo recentioribus Græcis πεντηκοστάριον dictum Officium ab ipsa die Paschatis ad Octauam Pentecostes, quæ Dominica ab iis Omnium Sanctorum appellatur: de quo vid. dissertat. 1. Allatii *de libris Eccl. Græcorum, p. 77. 78.*

VII. Septimo obseruandum, *Apostolicam Passionem Christianitatis magistram*, *hac leg.* vocari; nempe posteaquam infusa cœlitus Spiritus sancti gratia, Apostoli sparsi Christianam fidem magisterio suo propagauerunt. Sane & ita Apostolos τῆς οἰκουμένης, seu τοῦ κόσμου παιδευτὰς etiam Ioannes Chrysostomus, tum alibi, tum in eadem re versans, λογ.' ξδ. *in sanctam Pentecosten* vocat, *tom. 5. Sauilian. p. 980.* & *seq.* λογ. ξε. *p. 982.* siu. *serm. 2. & 3. in Pentecost. p. 791. seqq. T. III. Ed. Ben.*

VIII. Octauo obseruanda plurimum vltima *huius leg.* sententia, quæ Ampliationem quandam continet inde, *Ac ne quis existimet*, &c. qua sane sententia haud postrema huiusce *legis* ferendæ occasio continetur. Nempe ea Theodosius Iun. indicat, adeo festis diebus Spectacula se vetare, vt etsi Natalis aliquis Imperatorum in aliquem ex prædictis diebus inciderit, Spectacula iis edi nolit. Quem vtique scrupulum, si Theodosius Iun. populorum animis non eruisset, futurum erat, vt indeuotionis in Principem notam deinceps nonnulli subuererentur, si Natalem forte aliquem Principis, vel aliam solemnitatem Imperialis honoris gratia (vt Ambrosius *in Valent. obitu p. 107. T. V. Op. Ed. Par. 1614.* loquitur) in diem Deo etiam festum incidentem, solita deuotione & solennibus spectaculis, veluti ludis Circensibus prosequuti non fuissent: *Existimantes* (vt hæc *lex* ait) *in honorem Principis, veluti maiore quadam Imperialis officii necessitate se compelli*, &c. Sane & Libanius, *orat.* περὶ τῶν δεσμωτῶν, *de vinctis, pag. 405. Edit. Oper. Gothofred. minor. Cl. Trotz.* hunc ipsum Iudicum seu Magistratuum scrupulum metumque repræsentat, ad spectacula in honorem Principis obeunda, necessitate quadam ἀνάγκῃ teneri se aientium, seriusque adeo actus eo obtentu negligentium: vbi & hanc necessitatem paucorum dierum esse ait: quod lucem accipit ex *l. 2. supr. hoc tit.* Ad quem locum *hanc leg.* iam notaui. Quare & eo nomine Ambrosius Valentinianum Iun. commendat, *d. p. 107.* quod cum antea P. 157
ludis Circensibus delectari ferretur, sic illud abstersit, Vtnec solemnibus quidem Principum Natalibus, vel Imperialis honoris gratia, Circenses putaret celebrandos. Verum Theodosius Iun. superiori scrupulo hanc religiosissimam sententiam & rationem opponit; *Quod tunc maxime Mansuetudini Nostra* (Imperatoriæ) *ab humano genere defertur, cum virtutibus Dei omnipotentis ac meritis vniuersi obsequium Orbis impenditur.* Honor scilicet Principis infra diuinæ Religionis contemptum consistere debet. Et ita quidem hæc postrema pars *huiusce legis* intelligenda est; non, vt perperam Vir doctus fecit, de Imaginibus Imperatorum coronari, faustisque acclamationibus excipi in solemnibus Spectaculis

solitis; verum de Spectaculis, quæ in honorem Principis eiusque Natalibus specialiter exhiberi consueuerant. Eadem plane ratione Constantinus M. ad Instrorum quoque sacrificia Christianos adigi noluit, *l. 5. infr. de Episcop.* vbi vid. quæ dixi plene.

IX. Nono obseruandum, non Christianis tantùm *hac leg.* interdici Spectaculorum celebritate his festis diebus, verum etiam Iudæis & Paganis: Nempe nil interest, a quo dierum horum celebritas & veneratio publicis, de fœdis, imo sæpe impiis voluptatibus confundatur: Nam & viceuersa eadem ratione Iudæi quoque & Pagani die Dominico exigi vetiti.

X. Postremo, cum primis obseruanda illa, *cum virtutibus Dei omnipotentis ac meritis vniuersi obsequium Orbis impenditur:* quibus ostenditur causa dierum festorum, & quo vnice respexerint; nempe vt virtutibus Dei & meritis obsequium orbis impenderetur; qua causa & *Supplicationum dies* dicuntur; vnde etiam apparet, nullos dum festos dies institutos, per quos virtutibus aut meritis hominum, Sanctorum obsequium orbis impenderetur, iisque supplicaretur: Etsi verum illud, non magis in honorem Martyrum, quam ad Christianorum magisterium & profectum, Martyrum Natales Synaxi seu conuentu in Ecclesiam celebratos: zelo pietatis, vt publici isti solemnesque conuentus essent velut ludi quidam, & Pædagogi animarum, vt Martyres colentes, insignem eorum pietatem imitarentur, & Doctoribus ea occasione congregatis aurem præbentes, profuturum aliquid ignoratumque antea discerent, quod ad dogma confirmandum, aut ad ambiguum obscurumue scripturæ locum explicandum, aut ad morum & vitæ emendationem pertinet: vt diserte hac tempestate scribebat Gregorius Nazianzenus, & Asterius Amaseæ in Cappadocia Episcopus, *homilia 3. aduersus auaritiam, pag. 31. Edit. Rubenii.* Nondum igitur Martyrum Natales festi, supplicationumque dies, sed *stationum* tantum & *συνάξεων* in Ecclesia dies fuere.

DE MAIVMA.

TITVLVS VI.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. XLV.

Porro post *Titulum* generalem *de spectaculis*, sequuntur quinque species Spectaculorum seu ludorum. Primo, *Maiuma*, (quæ festiuitas est populi:) de qua *hoc tit. 6.* Secundo, *Scænici tit. 7.* (cuius *tituli* appendix est quoque *tit. 8. de Lenonib.* & *tit. 9. de expens. ludor.*) Tertio, *Circenses, titulo decimo, de equis curulibus.* Quarto, *Venatio, tit. 11. de venatione ferarum.* Quinto, *Gladiatores, tit. 12. de Gladiatoribus.*

PARATITLON.

MAIVMA, *Rubr.* & *l. 1.* & *2. hoc tit.* Spectaculum erat, *l. 2.* (seu lætitiæ genus, *l. 1. h. t.*) fœdum atque indecorum, *d l. 2. h. t.* procaci licentia, *d. l. 2. h. t.* Hoc prohibitum aliquando per Orientem, ab Arcadio restitutum: Sic tamen vt honestas & verecundia in hoc seruaretur, *l. 1. h. t.* verum, cum honestas non seruaretur, idem mox triennio post rursum id prorsus inhibuit: *l. 2. h. t.*

I. (a) Impp. ARCAD. & Honorius AA. Cæsario PF. P. (b)

CLEMENTIÆ Nostræ placuit, vt Maiumæ prouincialibus (c) lætitia (d) redderetur: (e) Ita tamen, vt seruetur honestas, & verecundia castis moribus perseueret. Dat. VII. Kalend. Mai. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. Coss. [396.]

NOTÆ.

(a) *Lex vnic. Cod. Iustin. hoc tit.* GOTHOFR. De *Ma[illegible], Maicampis & Roncaliis* prodiit Lips. 1651. Dissertatio Andreæ Riuini, quam Syntagmati dissert. rariorum. I. Georg. Græuius inseruit, Vltraiecti 1702. *KITTER.*

(b) *Cæsa*

(b) *Cæsarius* PP. ORIENTIS scilicet sub Arcadio: vid. *Prosopogr.* *GOTHOFR.*

(c) Quibus? An certæ cuiusdam Prouinciæ, veluti Syriæ Cæles? an vero cuiuscunque tandem Prouinciæ, sub PP.
P. 358 Orientis, vt ita hoc spectaculum io omoibus Orientis Prouinciis celebrari solitum fuerit, noo in vna tantum ac multo minus Romæ. *IDEM.*

(d) *Lætitia* de spectaculis & ludis: vid. & Cassiodor. II. *Var. 9.* *ID.*

(e) In Cod. Iust. *reddatur*. Hinc apparet, ademptum fuisse aliquando hoc spectaculi genus; &, vt existimo, a Constantio, rursum a Theodosio M. *ID.*

II. (a) Idem AA. Aureliano PF. P. (b) Post alia. (c)

LVDICRAS artes concedimus agitari, ne ex nimia harum restrictione tristitia (d) generetur. Illud vero, quod sibi nomen procax (e) licentia vindicabit, (f) *Maiumam*, (g) fœdum adque indecorum spectaculum, denegamus. Dat. VI. Non. Octobr. Constantinop. Theodoro V. C. Coss. [399.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* prælata *l. 1.* *GOTHOFR.*

(b) Orientis sub Arcadio: vid. *Prosopogr.* *IDEM.*

(c) Quæ exciderunt, & quæ si ad manum haberemus, forte haud adeo Incertum foret, quidnam Maiuma esset, vndeue ea dicta fuerit, & vbi & quando celebrata. *ID.*

(d) Similis vox eadem in re vsurpata, *l. 169. supr. de Decurionib.* *ID.*

(e) Id est, fœda & inhonesta. *ID.*

(f) *Vindicabit*, pro *vindicauit*. *ID.*

(g) Forte locus hic ita legendus: *Illud vero, quod sibi nomen procax licentia vindicauit, Maiume, fœdum atque indecorum spectaculum denegamus.* Sed nil temere muto. *ID.*

COMMENTARIVS.

ARCADII Imperatoris vtraque hæc *lex* est: quibus Maiumæ, (quam vocem superiorum sæculorum Barbaries in *mimiam*, quasi primorum ludum mutabat:) Spectaculum, seu Maiumæ lætitia, per eandem Præfecturam Prætorianam Orientis, Prouincialibus sub certa lege antea adempta, redditur *l. 1.* Anoo 396. mox absolute denegatur, Anno D. 399. *hac leg a.* Idque intra quatuor ferme annorum spatium: Redditur, ioquam, *l. 1.* cum aotea (vt puto a Constantio Imp. rursus a Theodosio M. patre, castissimo Principe) prohibita fuisset: Sub hac tameo conditione redditur, vt honestas & verecundia, castis moribus perseuerarer, id est, vt fœditas omnis & procacia ab ea abesset. Hoc scilicet temperamentum Arcadio *clementia* titulo seu clementer adhibere primum visum fuit Anno D. 396. Atenim, cum rebus ipsis postea comperisset, procacem hanc licentiam & fœditatem ab ipsa Maiumæ celebritate seu spectaculo seiugari non posse, triennio, & quod excurrit, post, ad superiorum Principum Christianorum ingenium rediit, ea penitus denegata *l. a. hoc tit.* aliis vero ludictis & honestis artibus concessis, quibus abuode Prouinciales tristitia sua consolari possent; vbi amplector Arcadii sententiam, ludicras Artes aliquas in Republ. Christiana aliquaodo recte concedi. *Ne ex nimia harum restrictione tristitia generetur.* Cui accedit Gratiani senteotia de Gymnico agone agentis, *l. 3. infr. de Scænicis*, (quæ *Cod. Iust.* est *lex 1. de Spectaculis*:) *Non inuidemus, sed potius cohortamur* (ad) *amplectenda felicis populi studia.* Valeant igitur per me tetrici, quibus populi non placent, nisi ab omni semoti lætitia. Ad rem. Et hæc quidem aperta est harum duarum Arcadii *legum* sententia. Verum quidnam Maiuma, & vnde ea dicta fuerit, ioquirendum nobis est, quando etiam Alciato *V. Parerg. 5.* aliisque deinceps hac parte aqua hæsit. Primum, obseruandum est, per Præfecturam Prætorianam Orientis taotum, eius mentionem *hoc Cod.* fieri, quandoquidem duæ hæ *hoc tit.* leges, & Constantinopoli datæ (ab Arcadio scilicet Orieotis Imp.) dicuntur, & Præfectis Prætorio Orientis inscribuntur. Sed & Iulianus Apostata, *in Misopogone aduersus Antiochenas pag. 362. Edit. Lips. Spanhem.* qui scriptus Aono D. 363. (triginta paulo plus ante has constitutiones annis) testatur, ab Antiochenis in suburbio Daphnensi prope Antiochiam in Syria, τὰς ἑορτὰς τοῦ Μαϊουμᾶ, id est, *festiuitates Maiuma*, agitatas. Secundo, idem Iulianus ostendit, magnos sumptus in hanc Maiumam a priuatis factos, & quidem in conuiuia Maiumæ: & nulli rei vtilem eam fuisse innuit: haud aliter ac *l. 2. hoc tit.* artes ludicræ, procaci licentiæ Maiumæ, opponuntur: ὑμῶν δὲ ἕκαστος, ἰδίᾳ μὲν εἰς τὰ δεῖπνα, καὶ τὰς ἑορτὰς χαίρει δαπανώμενος. καὶ εὖ οἶδα πολλοὺς ὑμῶν πλεῖστα εἰς τὰ δεῖπνα τοῦ Μαϊουμᾶ χρήματα ἀπολέσαντες, ὑπὲρ δ' ὑμῶν αὐτῶν καὶ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως οὐδεὶς θύει, οὔτε ἰδίᾳ τῶν πολιτῶν, οὔτε ἡ πόλις κοινῇ: *vnusquisque vestrum priuatim in conuiuia & festa libens sumptus facis, sed & plerosque scio in conuiuia Maiuma pecuniam effundere, pro vobis autem ipsis & communi salute, neque priuatim neque publice satrificatis.* Tertio obseruandum, fœdum, atque indecorum hoc spectaculum ferme fuisse procacis licentiæ; sic vt in eo honestas & verecundia castis moribus non perseueraret, seu, non seruaretur: de quo postea plura, ex Libanio, & Chrysostomo. Quarto notandum, Maiumæ mentionem nobis non

occurrere,

occurrere, nisi ab eo tempore, ex quo Christiani Imperatores exitiere. Postremo ex hisce duabus legibus, vel etiam ex Iuliano, colligi non potest, quando hoc spectaculum, seu quo tempore anni edi solitum fuerit. Nam etsi *prima lex*, *hoc tit.* data sit *7. Kalend. Maii*, & sic appetente iam mense Maio (vnde *Maiuma* nomen Suidas deriuabat) attamen non exinde satis definiri potest, Maiumam mense Maio celebratam. Nam & *lex 2.* quæ de eadem Maiuma agit, data est *6. Non. Octobr.* Ac præterea, cum *l. 1.* Maiumæ celebrandæ potestas fiat Prouincialibus, sane tempore opus fuit, ad id Prouincialibus intimandum seu insinuandum a Cæsario Præf. Prætor. ac proinde exinde contra rectius colligatur, non mense Maio fuisse hanc solemnitatem habitam. Et vero eam mense *Loin*, id est, Augusti, agitatam ex Iuliano, *in Misopogone p. 361. Ed. Lips. Spanhem.* discimus: & quidem per septem dies, ex Theodoreto, *lib. 3. cap. 10.* & ex *tertio* Libanii *loco*, quem mox laudabo, pariter, *διὰ πέντε ἢ καὶ πλείους ἡμέρας*: Vide & Palladium, *in Dialogo cap. 15. pag. 145. Ed. Bigotii.* Et Suidas tamen, vbi dixi, mense Maio Maiumam celebratam vult: & quidem, (quod secundum,) Romæ, Ostiaque. Verba Suidæ hæc sunt: *Μαϊουμᾶς πανήγυρις ἐγένετο ἐν τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν Μαΐον μῆνα· τὴν παράλιον καταλαμ-*
P.359 *βάνοντες πόλιν, τὴν λεγομένην Ὠστίαν, οἱ τὰ πρῶτα τῆς πόλεως τελοῦντες, ἡδυπαθεῖν ἠνείχοντο ἐν τοῖς θαλαττίοις ὕδασιν ἀλλήλους ἐμβάλλοντες· ὅθεν καὶ Μαϊουμᾶς ὁ τῆς τοιαύτης ἑορτῆς καιρὸς ὠνομάζετο.* *Maiumas festiuitas fuit Romæ, Maio mense celebrari solita, quo principes ciuitatis Ostiam vrbem maritimam se conferentes, voluptatibus & deliciis indulgebant, alter alterum in aquam marinam conicientes. Vnde & festi illius tempus Maiumas vocatum fuit.* Eadem ferme & Glossæ Basilicorum, vbi & id amplius, (quod tertium,) additur, in honorem *Maiæ* id celebrari solitum: *Μαϊουμᾶς ἑορτὴ ἐτελεῖτο ἐν Ῥώμῃ.* Et statim post: *Μαϊουμᾶς τοῦτον τὸν λεγόμενον Μαϊουμᾶν ἐπετέλεσαν οἱ Ῥωμαῖοι Μαΐου μηνὸς εἰς τιμὴν τῆς Μαίας.* Hæc quidem Suidas & Glossæ Basilicorum: Quibus si credimus, Romæ vel Ostiæ Maio mense Maiuma celebrata; in Maiæ honorem, atque exinde nomen.

Verum in id accuratius nunc inquiramus. Certum equidem est, quod Suidas narrat, de iucunda illa solemnitate Romæ vel Ostiæ celebrari solita: Cuius etiam meminit Æthicus *in Cosmographia pag. 716. Edit. Gronou. ad calcem Pompon. Melæ: Tiberis*, inquit, *insulam facit inter Portum Vrbis, & Ostiam Ciuitatem, vbi Populus Romanus cum Vrbis Præfecto vel Consule Castorum *) celebrandorum causa egreditur SOLEMNITATE IVCVNDA.* De eadem solemnitate iucunda Ostiæ celebrari solita, per certamina, est & hoc vetus Epigramma, de Tatio P. V. apud Gruterum *Inscript. pag. XCIX. 2.* qui faciem, id est, picturam huius certaminis pro æde Castoris & Pollucis locauerat.

LITORIBVS. NOSTRIS. QVONIAM. CERTAMINA. LAETVM
EXHIBVISSE. IVVAT. CASTOR. VENERANDEQVE. POLLVX
MVNERE. PRO. TANTO. FACIEM. CERTAMINIS. HVIVS
MAGNA. IOVIS. PROLES. VESTRA. PRO. SEDE. LOCAVI
VRBANIS. TATIVS. GAVDENS. ME. FASCIBVS. AVCTVM
NEPTVNOQVE. PATRI. LVDOS. FECISSE. SABINOS.

Cum hac tamen iucunda festiuitate perperam commiscetur id quod Ammianus Marcellinus notat *lib. 19. cap. 10.* vbi Tertullus Præfectus Vrbis notatur, *in difficultate annonæ Vrbis Romæ Ostiam profectus, atque ibi in æde Castorum sacrificasse*: (quod numen ibi cultum ventorum marisque causa) scilicet tranquillitati maritimæ impetrandæ, quo naues frumentariæ plena velificatione Portum Vrbis Romæ frumentis onustæ intrarent. Id enim extraordinarium sacrum fuit, necessitate vrgente, non etiam solemnis quædam festiuitas, & Castorum solemne, quod memorat Æthicus. Cui propius accedit Tiberina decursio,

*) *Castrorum celebrandorum causa*, Riuino placet *de Maium. c. 7. §. 18.* quam lectionem in vno exemplari disertim exaratam fuisse scripsit Simlerus. „ Si namque *castra*, inquit laudatus Riuinus, sunt e variis casis siue scenis ad breuem & temporarium vsum constantes mansiones, vbi milites sub tentoriis aliquantisper in loco fossa circumdato subsistunt; cum profecto in hac insula prope Ostiam Tibride circumfusa recte *castra* veteres dixerunt, cum iuxta illa quoque pugna quasi naualis haberetur, & frondibus atque scenis virentibus omnia condecorarentur. Ne vero sine omni exemplo, & vlla auctoritate ista nostra correctio audacior paullo, quam verior doctis appareat, ipseque auctor noster ceu spurius testis & illegitimus videatur, en ad ipsum Oratorum & scriptorum omnium tersissimum & facundissimum principem prouocamus, qui *lib. V. in Verrem, cap. 12. 13.* multa eius luxuriose facta incessens inter alia culpat. *Quod cum æstas iam esse cœpisset, iste nouo quodam genere Imperator pulcherrimo, Syracusarum loco statiua sibi castra fecisset, in ipso aditu atque ore portus, vbi primum ex alto sinus ad vrbem ab littore inflectitur, tabernacula carbaseis intenta velis collocans. In eum autem ipsum locum aditus erat nemini, nisi qui aut socius, aut minister libidinis esse posset. Huc omnes mulieres, quibuscum consueuerat, conueniebant, quarum incredibile est, quanta multitudo fuerit Syracusis. Huc homines digni istius amicitia, digni vita illa conuiuiisque veniebant. Ac per eos dies, cum iste cum pallio purpureo, talarique tunica versaretur in conuiuiis muliebribus, non offendebantur homines, locum illum littoris percrepare totum mulierum vocibus, cantuque symphoniæ, in foro silentium esse summum causarum atque iuris, &c.* Mox denuo stomachatur *c. 31.* *Quod quo tempore, ceteri nauigare & prouincias obire consueuissent Prætores, Verres tabernacula quemadmodum æstiuis temporibus fieri soleret, carbaseis intenta velis in insula Syracusis post Arethusæ fontem, propter ipsum introitum atque ostium portus, amœno sane & ab arbitris remoto loco dies æstiuos LX.* *c. 37.* *hic Prætor populi Romani, custos defensorque prouinciæ sic vixisset, vt muliebria quotidie conuiuia essent.* Denique piratas ad illa æstiua Prætoris accessisse, Cicero dicit, *ipsum illum ad partem littoris, vbi iste per eos dies tabernaculis positis, CASTRA LVXVRIAE collocasset.*

decursio, cuius meminit Cicero *lib. 5. de Finib. c. 24.* *Quonam gaudio*, inquit, *complerentur, cum tantopere eius adumbrata opinione laetentur? Quem enim Tiberina discursio, festo illo die, tanto gaudio affecit, quanto L. Paulum, cum Regem Persen captum adduceret, eodem flumine inuectum.* Ausonius *de Feriis Romanis. v. 1.*

Nunc & Apollineos Tiberina per ostia ludos.

In Kalendario Constantiniano Heruagiano: *Ludi Tiberini.* Sed neque eo pertinet festiuitas, quam dimouit Synodus *in Trullo, can. 62. init. pag. 1683. 1684. Tom. III. Concil. Edit. Harduin.* his verbis: Καλάνδας, καὶ βοτὰ καὶ βρυμάλια, καὶ ἡ τῇ πρώτῃ τοῦ Μαΐου πανήγυρις, ἐκ τῆς τῶν πιστῶν πολιτείας περιαιρεῖσθαι: *Kalendas & vota, & qui primo Maii die fit conuentus, ex fidelium uniuersitate sublata sunto.* **) Nihil enim commune habuit solemnitas illa cum Roma, vel Ostia, vel Tiberina discursione, vt quae in Oriente celebrari solita. Haec, inquam, vt certa sunt, & recte apud Suidam habent, quae de Tiberina & Ostiensi solemnitate memorat, ita vnum ex iis, quae memorat, incertum est, alterum vero falsum. Incertum, vtrum Tiberina illa solemnitas vnquam *Maiuma* dicta fuerit; etsi dici potuisse non negarim; quia & haec Maiumae, (id est, aquarum) solemnitas erat: Sed falsum est, Maiumam, qua de *hoc sit.* agitur, cum ea Ostiensi vel Tiberina festiuitate quicquam commune habere. Fuit enim decursio illa, iucunda tantum festiuitas & solemnitas, vt Aethicus ait; seu vt Suidas, ἡδυπάθεια; item coniuncta sacro solemni, gentili: item in Tiberi & prope Romam ea agitata. Atqui Maiuma, qua de *hoc sit.* agitur, fuit foedum & indecorum Spectaculum, & procacis licentiae. Deinde in Syria, (cuius τρυφὴ notissima) ea laetitia agitata; vt superius ostendimus. Tandem non fuit sacro alicui gentilitio laetitia haec Maiumae coniuncta; alioquin Christiani Principes, post cultus ritusque Paganorum abolitos, nunquam eam permissuri fuissent, vel sane eam quoque caussam addidissent eius prohibendae; non foeditatem modo.

Baronius ad A. C. *399. n. 30.* censet *Maiumam* dictam, a ciuitate maritima *Maiuma*, in littore Syriae Palaestinae (primae) vbi erat nauale Vrbis Gazae: ***) Quod verosimile: vel saltem, (quod mihi verosimilius videtur) eodem exemplo. Spectaculum illud Maiumam dictum, quo littus illud. Primum id persuadet mihi, quod, vt antea ostensum est, per Orientem & Syriam quidem, speciatim haec laetitia agitata fuerit. Persuadet Secundo, nomen ipsum *Maiuma*, quae vtique Syriace *Aquam* significat. Persuadet tertio, quod Maiuma Gazae nauale non tantum superstitioni deditissimum fuerit (quod memorant Scriptores Ecclesiastici) verum etiam ac nominatim (vt Auctor est Marcus Diaconus, *in reb. gestis Porphyrii Gazensis Episcopi*) hoc adhuc tempore simulacrum impudicum Veneris, quod eo loci cultum, exstiterit.

In Syria igitur agitata haec Maiumae festiuitas, cuius caput fuit Antiochia ad Daphnen, ac nominatim in locis, qui aquis luxuriabant: cuiusmodi sane fuit Daphne prope Antiochiam, Cuius δαφνικοὺς ἀγῶνας Protagorides Cyzicenus olim descripserat: ideoque περὶ τῶν ἐν Δάφνῃ πανηγύρεων scripserat, teste Athenaeo *lib. 4. c. 11. p. 150. & c. 23. p. 176. & c. 25 p. 183.* Quorum panegyreon meminit & Strabo *lib. 16. p. 516. & 1090. Ed. Almeloueen.* Et sane hoc illud festum & ludicrum (Daphnense) mihi omnino videtur, quod Libanius *tribus orationibus* describit & proscribit, etsi Maiumae nomine nullibi id designet. Primum, *oratione* περὶ δεσμωτῶν §. 10. *pag. 407. 408. Oper. minor Gothofred. Edit. Troiz.* ἃ (πράγματα) δίδωσιν ἐν Δάφνῃ καθημένοις τέρπειν τε καὶ τέρπεσθαι κακῶς, ἢ καὶ τότε φήσετε τοὺς ὀφείλοντας εἰσπράττειν: ἀλλ' αὐτῷ τούτῳ πρώτῳ τιμᾶτε τὴν εἰς ἅπαντα ἐκείνην ἐξουσίαν τὴν ἐν Δάφνῃ: τοῦτο γάρ ἐστιν ἡ ἑορτὴ, τὸ μηδενὸς ἀπέχεσθαι τῶν αἰσχρῶν: καὶ τοῦτο τοίνυν αὐτῇ χαρίζονται, ὦ Βασιλεῦ, τὸ μὴ πάνυ τότε μεμνῆσθαι τινὰ τῶν τοῖς σοῖς θησαυροῖς ὀφειλομένων χρημάτων, id est, *Quae* (negotia) *dant sedentibus in Daphne & delectare & delectari male: quamlibet & tunc dicatis, debitores exigi oportere. Sed in hoc ante omnia honorate illam ad omnia licentiam in Daphne; hoc scilicet est festum illud, a nulla turpidinis specie abstinere: idque ei etiam tribuunt, o Imperator, ne quis omnino tunc mentionem pecuniarum faciat Thesauris tuis debitarum.* Secundus Libanii locus est *oratione* περὶ τῶν ἀγγαρειῶν, *§. 7. pag. 384. 385. Oper. minor. Gothofr. Edit. cit.* Ἦσαν τινες οἱ πονηρὰν ἑορτὴν εἰσήγαγον εἰς τὴν Δάφνην: ἦν δὲ τὸ πάντα τρόπον ἀσχημονεῖν, ἑορτὴν ποιεῖν. Τοῦτο τὶς κατιδὼν Βασιλεὺς ἐπιεικὴς καὶ σώφρων, αἰσχυνθεὶς μὲν τοῖς πραττομένοις, ἀλγήσας δ' ὑπὲρ τοῦ χωρίου, παύει τὴν ἐπὶ τούτοις σύνοδον, καὶ παύσας εὐδοκιμεῖ, καὶ οὐδεὶς πρὸς αὐτὸν τὰ τῆς ἑορτῆς ἔλεγεν ἔτη, οὐδ' ὡς τὰ κεκρατηκότα δεῖ κρατεῖν διὰ τέλους, ἀλλ' ἐξεβέβλητο τοῦτο τῆς Δάφνης τὸ νόσημα χρόνον πολύν: ἕως αὐτὸ πάλιν ἄνδρες ἀξίως τοιούτων ἑορτῶν βεβιωκότες εἰσήγαγον, id est, *Erant quidam qui prauum festum inuexerant in Daphnen: festum illud celebre erat omni modo se indecenter gerere: hoc cum audiuisset quidam aquus ac temperans Imperator, cum ipsum factorum puderet, dolensque ob regionem seu locum, conuentum hunc abolenit, eoque abolito bene audinit, neque quisquam ipsi consuetudinem festi obiecit, neque quod necesse sit ea quae aliquando valuerunt, ad finem vsque valere: verum eiectus fuit hic Daphnes morbus longo tempore,* P. 360 *donec illum iterum viri his festis digne viuentes, introduxerunt.* Tertius Libanii locus est *Oratione hactenus inedita,* πρὸς Τιμοκράτην; vbi in populares plausus iuuenum in Theatris inuehens, inter alia haec ait: ὁ γὰρ δὴ τῆς βοῆς ἔρως πάντα ὑπηρετεῖν ἀναγκάζει, τότε ἄλλα καὶ τρέχειν εἰς τὴν Δάφνην, καὶ ποιεῖν τὴν μύρια κακὰ τῇ πόλει (Antiochiae) φέρουσαν ἑορτήν: ἐπεὶ καὶ νέοι (νῦν) μετὰ σωφροσύνης ἀναβάντες ἐκεῖσε ταύτην ἀποβαλόντες κατέβησαν: εἰς ἃ μοι δοκεῖ Βασιλεύς τις

**) In Canonis textu vulgato legitur, καὶ τὴν ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ Μαρτίου μηνὸς ἡμέρᾳ. Et Balsamo etiam its legit ad hunc can. *pag. 231. Tom I. Pandect. Canon. Guilielm. Beuereg.* βρῦμος γὰρ ἦν ἐπίθετον τοῦ Διονύσου. κατὰ δὲ τὸν Μάρτιον μῆνα ἐτελεῖτο πανήγυρις. Sed *Maiu* placuit praeter Nostrum, Meursio *in Glossar.* Grotio *in Flor. Sparf. ad Ius Iustin. p. 329.*

***) Idem sensit etiam Ludou. de la Cerda *Aduersar. sacr. c. 80.* qui simul cum Baronio sua sublegit e Rud. Hospiniano *de Origin. Festor. Ethnicor. c. 30.*

V. (a) Idem A. & Valentinianus Cæſ. Aſclepiodoto PF. P. (b)

Dominico (c) (qui Septimanæ totius primus (d) eſt dies,) & Natale, (e) adque Epiphaniorum Chriſti, Paſchæ etiam, & Quinquageſimæ (f) diebus (quamdiu (g) cœleſtis lumen lauacri, imitantia nouam ſancti baptiſmatis (h) lucem veſtimenta (i) teſtantur: quo tempore & commemoratio Apoſtolicæ Paſſionis, totius Chriſtianitatis magiſtræ, a cunctis iure celebratur) omni Theatrorum adque Circenſium voluptate, per vniuerſas Vrbes, earundem populis denegata, totæ Chriſtianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupantur. (k) Si qui etiam (l) nunc vel Iudæi (m) impietatis amentia, vel ſtolidæ Paganitatis (n) errore adque inſania detinentur, aliud eſſe ſupplicationum nnuerint tempus, aliud voluptatum. Ac ne quis exiſtimet, in honorem Numinis Noſtri, veluti maiore quadam Imperialis officii neceſſitate compelli, (o) & niſi diuina religione contempta ſpectaculis operam præſtat, (p) ſubeundam forſitan ſibi Noſtræ Serenitatis offenſam, ſi minus circa nos deuotionis oſtenderit, quam ſolebat, Nemo ambigat, quod tunc maxime Manſuetudini noſtræ ab humano genere defertur, cum virtutibus Dei Omnipotentis ac meritis vniuerſis (q) obſequium Orbis impenditur. Dat. Kalend. Feb. Conſtantinop. Theod. XI. & Valentiniano Cæſ. Coss. [425.]

NOTÆ.

(a) *Lex* hæc abeſt a *Cod. Iuſt.* Inſeruit eam recte Annalibus ſuis Baronius *Anno D.* 425. *n.* 5. 6. Ad eam ſcripſit ſingularem & accuratum commentarium *Briſſonius*. GOTHOFR.

(b) *Aſclepiodotus* PP. ſub Theodoſio Iun. Orientis ſcilicet; vid. *Proſopogr.* IDEM.

(c) De die *Dominico* dixi affatim ad *leg.* 1. *ſupr. de Feriis*: neque hic ea repetenda. ID.

(d) Auſonius *de nominib. ſeptem dier.* v. 5.

Primum ſupremumque diem radiatus habet Sol:

Et mox *v. vlt.*

Octauum inſtaurat reuolubilis orbita ſolem.

Iſidorus quoque *lib.* 5. *Origin. cap.* 30. eum vocat, *Caput cunctorum dierum*, itaque & *Actor.* 20. *verſ.* 7. & 1. *Cor.* 16.
R. 354 *verſ.* 2. dicitur μία Σαββάτων. Hieronym. *aduerſus Vigilantium pag.* 86. *Tom. II. Oper. Edit. Francf. apud Chriſt. Genſch.* per *vnam Sabbati*, *hoc eſt in die Dominico.* Inde & Græci Chriſtiani dixere Annum ἑβδομαδικῶς κυκλίζειν, pro eo quod eſt a Solis die incipere: Maximus martyr *in computo Eccleſiaſtico*, *part.* 1. *cap.* 23. IDEM.

(e) Pro, *Natali.* ID.

(f) Id eſt, Pentecoſtes. ID.

(g) Id eſt, quibus diebus. ID.

(h) Hinc liquet quoque, adminiſtrandi Baptiſmi ſtatos fuiſſe hos duos dies, Paſchæ & Pentecoſten, quæ obſeruatio iam paſſiua eſt & nota. ID.

(i) Hinc quoque liquet, *Albatos* fuiſſe, qui Baptiſmo initiarentur, quod & ipſum notius eſt, quam vt firmari aliis teſtimoniis opus ſit. ID.

(k) γρ. *Occupentur.* ID.

(l) Vide *leg.* 22. 23. *infr. de Paganis.* ID.

(m) De Iudæis erit *tit. infr.* & forte hic legendum *Iudaea*, vt infr. *Paganitatis.* ID.

(n) De *Paganis* erit quoque *infr. tit.* peculiaris. ID.

(o) *Se compelli.* ID.

(p) *Præſtet.* ID.

(q) Suſtineri poteſt; ſed malim *vniuerſi*: ita ſupr. *per vniuerſas vrbes earundem populis.* ID.

COMMENTARIVS.

Festis Chriſtianorum diebus ſpectacula exhiberi inhibet Theodoſius Iun. hac conſtitutione, Anno D. 425. de qua prohibitione iam plenius dictum fuit *l.* 2. *ſupr.* In qua *leg.* interpretanda eo breuiores nos erimus, quo doctior & prolixior in eam extat Briſſonii commentarius. Nos ea nunc ſaltem, nouem ferme numero, ſublegemus, quæ magnam partem ab aliis ad hanc legem intacta neglectaue ſcimus, & tamen monitis & notatis nihilo inferiora ducimus.

I. Pri-

I. Primum, obseruandus hac parte iuris istius & interdictionis Processus. Solo scilicet *Dominico* primum die spectacula prohibita a Theodosio M. & quidem iterata iussione, quod docuit *l. lex 2. supr. hoc tit.* Atenim vlterius paulatim processum. Sane io voiuersum omnibus festis Christianorum diebus spectacula prohiberi ab Honorio Patres Africani petiere iam Anno D. 401. Concilio Carthagin. 5. vt habetur *Codic. African. canone 61. pag. 898. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* cuius verba hic apponere iuuat, quia etiam *huic legi* conueniunt: *Nec non & illud petendum; vt spectacula theatrorum, ceterorumque ludorum, die DOMINICA, vel CETERIS Religionis Christianæ DIEBVS celeberrimis amoueantur: maxime, quia Sancti PASCHÆ Octauarum die populi ad Circum magis, quam ad Ecclesiam conueniunt, debere transferri deuotionis eorum dies, si quando occurrerint, nec oportere etiam quenquam Christianorum COGI ad hac spectacula: maxime*, &c. Itaque & Theodosius Iun. *hac leg.* iam non Dominico tantum die, etsi hunc primum nominet, verum omnibus festis supplicationumque Christianarum diebus spectacula edi vetat: In quibus certe ieiuniorum dies nonnulli fuere, quibus proinde spectacula prohibita *hac leg.* quomodo etiam Gregorius Nazianzenus *epistola 74.* aliis 71. Celeusium Præsidem eo nomine reprehendit, quod ieiunii diebus spectacula ederet: παρανομεῖς ὦ δικαστὴς ὢ νηστεύων· καὶ πῶς φυλάξεις τοὺς ἀνθρωπίνους νόμους, τοὺς θείους περιφρονῶν; καθάρευσον τὸ δικαστήριον, ἵνα μὴ δυοῖν ἓν ἢ γίνῃ κακὸς, ἢ νομίζῃ· τὸ προτιθέναι θέας αἰσχρὰς, ἑαυτὸν ἐστὶ θεατρίζειν κεφάλαιον τοῦ λόγου, ἴσθι κρινόμενος ὁ δικαστὴς, καὶ ἧττον ἁμαρτήσεις. *Iniquum agis, o Iudex, qui non ieiunes, & quo modo leges humanas seruabis, qui diuinas contemnis & pro nihilo ducis? Purga tribunal tuum, ne duorum alterum tibi accidat, vt aut malus fias, aut existimerit. Fœda spectacula proponere, seipsum traducere est. In summa, o Iudex, te iudicium subiturum esse scito, & minus peccabis.* Eodemque pertinet vehemens Ioannis Chrysostomi increpatio *homilia 6. initio in cap. 1. Geneseos pag 39 & 40. Tom. IV. Oper. Edit. Benedictin.* quod Quadragesimæ & ieiuniorum diebus, populus ad Circensia certamina sese contulisset. Vt & eodem fine eiusdem exhortatio *homilia 5. in fin.*

II. Secundo, ex *hac leg.* liquet, intra quem Numerum tum temporis, & quidem in Oriente, hoc Anno D. 425. sub Theodosio Iun. Diuinæ Christianorum feriæ Religiosæ, & deuotionum constiterint: (de aliis quippe feriis iudicialibus agitur, *l. 2. supr. de feriis:*) puta, præter diem Dominicum solemnem & ordinarium, intra numerum quaternarium; *Natalis* inquam, *Epiphaniorum, Paschatis, & Quinquagesimæ*. Quare ferendi non sunt, qui præcipuus tantum festos dies apud Christianos, & celebriori honore receptos, a Theodosio Iun. *hac leg.* recenseri aiunt: Quos sane generalis ratio *huiusce legis* refutat, & Theodosii Iun. adeo institutum, vindicare in genere instituentis tempus supplicationum a voluptatum tempore; seu Diuinam Religionem a contemptu Spectaculorum; vel celebritatem Christianam, qua totæ Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupantur, a ludicra solemnitate; denique dies, quibus virtutibus Dei omnipotentis, ac meritis vniuersi obsequium orbis impenditur, a deuotione in se Principem, Astecius quoque (Amasæ in Cappadocia Episcopus) *homilia in festum Kalendarum 4. pag.53. Ed. Rubenii.* etsi non omnes sigillatim, plerosque tamen festos dies perstringit, eorumque rationem reddit, nempe, Natalem Domini, Festum Luminum (φῶτα ταιη-

γυριν) diem Resurrectionis. Chrysostomos denique *orat. 1. in Pentecosten, tomo 5. p. 602. 603. 609. Edit. Savil.* & *pag. 458. 459.* & *468. Tom. II. Oper. Edit. Benedictin.* tria tantum hæc festa quoque commemorat, *Epiphaniam, Pascha, & Pentecosten.* Præter Dominicam videlicet diem: quanquam & ipsum Pascha Dominico die agitabatur. Imo ne initio quidem, nisi dies Dominica, Pascha, & Pentecostes festi dies erant: vide Origenem *lib. 8. contra Celsum. pag. 404. Edit. Moesche.*

III. Tertio notandum, *Natalem & Epiphania* Christi hic separari, qui sane dies initio pro iisdem habiti fuerant. Nempe *Epiphania*, (traducto e Paganorum Theologia vocabulo, vbi apparitiones Deorum, qui suæ præsentiæ signa dedissent, ἐπιφάνεια dicebantur, vt videre est apud Diodorum Siculum, *lib. 1. p. 20. Ed. Rhodom.* Dionys. Halicarnass. *lib. 6. c. 11. p. 351. Ed. Sylburg* Imo & dies ipsi festi in huius rei memoriam ἐπιφάνεια apud Athenæum *lib. 12. c. 11. p. 530.* Vid. etiam ibi Casaubon.) priscis Ecclesiæ temporibus idem etiam cum *Natali* Christi erat, quo scilicet Saluator noster Filius Dei mortalibus conspiciendum sese præbuit, & propriæ diuinitatis ac præsentiæ expressa indicia ostendit. Et sic non aduentum modo Magorum, Christique Baptismum, sed & ipsum Christi Natalem Epiphania signarunt. Suidas, Ἐπιφάνεια ἡ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔνσαρκος οἰκονομία, *Epiphania dicitur Seruatoris nostri Iesu Christi apparitio in carne, vel eius natiuitas.* Eusebius quoque *lib. 1. Historia c. 5.* ait, se ordiri suam scriptionem, ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἐπιφανείας, *a Seruatoris nostri apparitione in carne*, Epiphanius *lib. 3. hæresi 53.* ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν Ἐπιφανιῶν, ὅτε ἐγεννήθη ἐν σαρκὶ κύριος. *In die Epiphaniorum, quo apparuit in carne Dominus.* Item, ἡ ἡμέρα τῶν Ἐπιφανιῶν ἐστὶν ἡμέρα τῆς Χριστοῦ γεννήσεως κατὰ σάρκα. *Dies Epiphaniorum est dies apparitionis Christi secundum carnem.* Gregorius Nazianzenus *orat. 20.* obiter meminit Epiphaniorum; at *in 38.* quæ dicta est *in Natali Theophania*, semper illum diem, aut γενέθλια nominat, & causam earum appellationum explicat, quia tunc apparuit nascendo, ἐφάνη Θεὸς ἀνθρώποις, διὰ γεννήσεως. Chrysostomus *orat. 1. in Pentecosten, p. 602. t. 5. Edit. Savil.* & *pag. 458. Tom. II. Edition. Benedictin.* τοίνυν παρ' ἡμῖν ἑορτὴ πρώτη τὰ ἐπιφάνια· τίς [p.] 358 οὖν ὑπόθεσις τῆς ἑορτῆς; ἐπειδὴ Θεὸς ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη, ἐπειδὴ ὁ Θεὸς ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ παῖς μεθ' ἡμῶν ἦν. *Itaque prima festiuitas apud nos sunt Epiphania: quæ porro festi est occasio. Quoniam Deus in terris visus est & cum hominibus conuersatus est, quandoquidem vnigenitus Dei filius Deus nobiscum fuit.* Quæ Isidorus Pelusiota *lib. 3. Epist. 110.* τὰ Θεοφάνια, ἡ τοῦ Σωτῆρος κατὰ σάρκα γέννησις. Ἐν σαρκὶ Θεοφάνια Asterio *homilia in Festum Kalendarum, 4. p. 53. Edit. Rubenii.* Epiphania ergo dies ἐπιφανείας, & quidem ἐνσαρκώσεως Christi: Hinc & Natalis, & Magorum Aduentus, & Christi Baptisma non distinctis diebus, sed vno eodemque Epiphaniorum scilicet die a Græcis, maxime Ægyptum incolentibus fuit antiquitus celebrata. Id quod a Theophilo *in proœmio Paschal. epist.* & Cassiano *collat. lib. 10. cap. 2.* memoriæ proditum est. Quod vero ex hoc factum putat Ferrarius, *de ritu sacrarum concionum lib. 1. pag. 67.* vt hic vnus dies fuerit τὰ Ἐπιφάνεια dictus, numero multitudinis, eo quod in vno eo die multiplex suæ præsentiæ ac diuinitatis Christus dederit signum, & plures in eo agerentur in Ecclesia celebritates; inane est: Ita enim Græci festa quæ-

cunque numero multitudinis extulere. Quod notiſſimum. Sane Epiphaniorum quoque fit mentio *in geſtis Anni 360.* idque per Gallias, apud Ammianum Marcellinum Scriptorem Gentilem *lib. 21. cap. 2.* celebratorum menſe Ianuario: *Feriarum*, inquit, *die, quem celebrantes menſe Ianuario Chriſtiani Epiphania dictitant, progreſſus in eorum Eccleſiam ſolemniter Numine orato diſceſſit.* Coi ſimilia ſcribens Zonaras *in rebus Conſtantii num. 11. pag. 22. Tom. II. Annal. Edit. Reg.* γενέθλιον τȣ̃ Σωτῆρος ἡμέραν vocat diſerte, quæ *Epiphania* vocat Ammianus: & Valentis tempeſtate, apud Gregorium Nazianzenum *in Monodia Baſil. Orat. 20. pag. 351. Tom. I. Oper. Edit. Morell. Colonienſ.* Cæterum cum initio Natalis ſeu Epiphaniorum dies in pluribus Eccleſiis Orientis, Aſiaticis, Græcis, ſexto Ianuarii celebraretur, vt teſtis eſt Epiphanius *lib. 2. hæreſ. 51. num. 24. pag. 446. Tom. I. Oper. Edit. Morell. Colonienſ.* Caſſianus *collat. lib. 10. cap. 2.* Atque adeo vt ex ſuperioribus liquet, Epiphanii adhuc ætate, vt & eo tempore quo Chryſoſtom. *prædictam orat. 1. in Pentecoſten* habuit, Epiphania ſeu Theophania cauſam haberent Domini Natalem: atque adeo Tres tantum præter diem Solis dies feriati deuotionum eſſent: vt docet Chryſoſtomus *d. orat. 1. pag. 458. 459. Tom. II. Oper. Edit. Benedictin.* non multo poſt Θεοφάνεια ſeu γενέθλια, & ἐπιφάνεια diſtingui cœpere, ſic vt illa Natalem Domini ſignificarent, hæc Baptiſmum; vt Chryſoſtomus diſerte tradit *homilia de Chriſti Baptiſmo; tom. 5. Sauil. p. 524. 525. & Pariſ. Edit. tom. 1. pag. 278. & pag. 369. Tom. II. Oper. Ed. Benedict.* in qua eſt & *orat. Gregorii 39.* εἰς τὰ ἅγια φῶτα τῶν ἐπιφανίων. Edocti ſcilicet Conſtantinopolitani a Romanis, Natalem celebrare cœperunt die 25. Decembris: Chryſoſtomus *in homilia de die Natali, tom. 5. Sauil. p. 511. & pag. 354. Tom. II. Edit. Benedictin.* auctor eſt, quando ille eam concionem habebat, nondum fuiſſe decem annos elapſos, ex quo primum is dies illi Eccleſiæ, ex Occidente ſeu per Romanos innotuerit. Ab illo tempore & Natalis menſe Decembri feſtiuitatibus additus, remanente tamen priſtina, Ianuario menſe, Epiphaniorum ſolemnitate: Sed aliæ iam cauſæ illius appellationis & feſtiuitatis reddi cœpere: nam qui dies prius colebatur, vel celebrabatur vt Natalis Chriſti, iam cultus eſt, vt Baptiſmum eius repræſentans, & Magorum aduentum; v. Chryſoſtom. *in dicta orat. de Baptiſmo Chriſti:* & Hieronymum *lib. 1. commentar. in Ezechielem c. 1.* Sic & auctus feſtiuitatum numerus, & a proprio appellationis Epiphaniorum ſignificatu receſſum. Hinc adeo & Aſterius Natalem Domini, & Feſtum Luminum, φῶτα πανήγυριν diſtinxit; & hac Theodoſii Iun. conſtitutione, quæ Conſtantinopoli data eſt, Natalis Chriſti ab Epiphaniis Chriſti ſeiungitur.

Illud omittere non poſſum, quod memorat Chryſoſtomus, *dict. orat. in Baptiſm. Chriſti, p. 524. 525. & pag. 369. Edit. Benedictin. Tom. II.* Epiphaniorum iſtorum media nocte omnes paſſim aquas hauſiſſe, tanquam tum ſacratas, & domum adſportaſſe, atque in annum ſeruaſſe: vbi incorruptæ manſerint, non anno tantum, verum biennio, & triennio.

IV. Quarto obſeruandum, hiſce verbis, *Paſcha etiam & Quinquageſima diebus, quamdiu*, &c. veterum illum Eccleſiæ morem indicari, quo Baptiſmus Paſchæ & Pentecoſtes diebus conferebatur: de quo vid. Tertull. *de Baptiſm. cap. 19.* Chryſoſtomum non *vno loco*, inter alia εἰς τὴν ἁγίαν Πεντηκοςήν: *t. 5. f. 605. & pag. 463. Tom. II. Edit. Benedictin.* Socratem *lib. 5. cap. 22.* & alios de quo pleniſſime Ioannes Vicecomes de antiquis Baptiſmi ritibus *volum. 1. obſeru. Eccleſ. lib. 1. cap. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.* Ait autem *hæc lex* Quinquageſimæ diebus QVAMDIV, &c. & mox, QVO TEMPORE, nempe quod Viues recte notauit, moris fuit, vt toto illo temporis decurſu a Paſcha ad Pentecoſten Baptiſmo conferretur: quod tamen Vicecomes negabat *lib. 1. cap. 25.* Author quoque Tertullianus *de Baptiſmo c. 19. Diem Baptiſmo ſolenniorem Paſcha præſtat, exinde Pentecoſte ordinandis lauacris LATISSIMVM SPATIVM eſt: quo & Domini Reſurrectio inter Diſcipulos frequentata eſt, & gratia Spiritus ſancti dedicata.* Imo ex eo idem intelligitur *lib. de Idololatr. c. 14.* Quinquaginta dies a Paſcha in Pentecoſten vſque feſtos hac ſcilicet ratione fuiſſe, *Et ſi ſingula*, inquit, *Gentium ſolemnitates numerentur, non poſſent implere noſtram Pentecoſtem*, hoc eſt, quinquaginta illos dies feſtos intra Paſcha & Pentecoſtem. Vnde apparet Pentecoſtem dictam, ſpatium illud integrum 50. dierum. Sic & Canone Niceno *20.* vetantur genua flecti ἐν ταῖς τῆς Πεντηκοςῆς ἡμέραις. Imo ita quoque *Actor. c. 2. v. 1.* ἐν τῷ συμπληρȣ̃σθαι τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοςῆς, vbi Syrus & Latinus interpres legerant vel interpretabantur τὰς ἡμέρας.

V. Quinto obſeruanda illa, *Paſcha etiam & Quinquageſima diebus QVAMDIV cæleſtis lumen lauacri imitantia nouam ſancti Baptiſmatis lucem veſtimenta teſtantur:* non ad eam generalem tantum obſeruationem, qua Baptizati Albati fuiſſe indicantur; quod infinitis teſtimoniis comprobatur, verum tempus per quod Albati eſſe perſeuerabant: nempe poſt peruigilium Paſchale & Pentecoſtale, ſeu poſt Baptiſmum ſuſceptum, Baptizati in Albis perſeuerabant, teſte etiam Chryſoſtomo, *Serm. 2. in Pentecoſt. pag. 474. Tom. II. Oper. Edit. Benedict.* ad octauum vſque diem, ſeu ad Dominicam ſequentem: vnde Octaua poſt Paſcha *in Albis* poſtea dicta: Eodemque tempore Epiſcopi & Presbyteri frequentibus & quotidianis admonitionibus τȣ̀ς νεωςὶ τῆς χάριτ⊚ ἀξιωθέντας, eos qui nuper Baptiſmi gratiam acceperant, exhortari, proſequi ſolebant: vt apparet ex Chryſoſtomo *homilia 33. in cap. 13. Geneſ. in princ. p. 479. Edit. Pariſ. & pag. 331. Tom. IV. Oper. Edit. Benedictin.* quo etiam die veſtem albam deponebant. Teſte Auguſtino *Sermon. 157. de Domin. in octaua Paſcha.* Amalatio Fortunato, *1. de Eccleſ. offic. cap. 28. & 29. & lib. 4. cap. 23.* Iacobo Diacono *in Rit. S. Eccleſ.* Ord. Roman. *tit. de die Paſchatis.* Albino Flacco: *lib. de Diuin. Offic. cap. de Domin. in Albis; & cap. de Septuag.* Rabano Mauro, *2. de Inſtit. Cleric. cap. 39.* Beto. Augienſ. *lib. de quibuſd. reb. ad Miſſ. ſpectant. cap. 3.* Abbate Ruperto, *lib. 7. de Diuin. Offic. cap. 11.* Iuone Carnotenſ. *Serm. in diem Paſch.* vide Vicecomit. *de Rit. Baptiſm. lib. 5. cap. 12. 13. 14.*

VI. Sexto inquirendum, in horum verborum ſenſum, & *Quinquageſima dieb.* &c. *quo tempore & commemoratio Apoſtolica paſſionis, totius Chriſtianitatis magiſtra, a cunctis iure celebratur.* Græci vertunt; P. 356 ὅτε μνήμη τȣ̃ πάθȣς τῶν ἁγίων Ἀποςόλων γίνεται. Ex quibus illud in genere liquet, diebus Pentecoſtalibus commemorationem Apoſtolicæ paſſionis celebratam. Quænam autem hæc *Paſſio Apoſtolica?* Putet quis non aliam Apoſtolicam paſſionem accipi oportere, quam D. Pauli: Cuius ſane paſſionis initium incidit in Pentecoſten, vt docet *Actor. cap. 21.* Sic vt poſt diem Pentecoſtes aliquos diebus deinceps Eccleſia Chriſtiana paſſionis huius Apoſtolicæ commemorationem inſtituerit, velut magiſtræ totius Chriſtianitatis, vt quæ veri Martyrii, & veri Confeſſoris luculentiſſimum ſpecimen & exemplum foret. Certe apud Græcos poſtea Ἀπόςολ⊚ proprie Paulus, & διδάσκαλ⊚ Ἀποςόλων apud Codinum *cap. 1. de offic. Eccl. Conſt.* Doctor ſingularis Epiſto-

Epiſtolis Pauli explicandis, quam interpretationem non admitto. Item nolo, *Apoſtolicam paſſionem* hic dici, pro infuſa cœlitus in Apoſtolos Spiritus Diuini gratia, & ſpiritali Baptiſmo; quomodo aliqui de Deo pati dicebantur, Numinis pleni, ἔνθεοι, θεοφορήμενοι, θεολήπτοι, θεοκάτοχοι, &c. Tertull. *Apolog. c. 23. Æque producatur aliquis ex iis, qui de DEO PATI exiſtimantur, qui aris inhalantes, numen de nidore concipiunt*, &c. Virgil. *lib. VI. Æneid. v. 77.*

At Phœbi nondum PATIENS immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Vbi Seruius, *nondum Patiens*, interpretatur, *qua nondum poſſet implere Oraculorum ſermones.* Ex Ambroſii *ſermone 59. de Pentecoſte*, & apud Gratianum *de conſecrat. diſtinct. 4. can. 90.* quoque liquet, in Pentecoſte lectionem ſolemnem fuiſſe de Aduentu Spiritus ſancti in Apoſtolos: *Sequitur ſpiritale ſignaculum, quod audiſti hodie legi*, &c. vbi Gloſſ. *Hodie*, ſcilicet *in die Pentecoſtes: quia lecta fuerat Epiſtola de Aduentu Spiritus ſancti in Apoſtolos.* Non, inquam, duas ſuperiores Interpretationes hic admitto, quia *omnibus Pentecoſtes diebus* hanc commemorationem factam *hac lex* indicat. Quid igitur? Ioan. Chryſoſtomus, & Auguſtinus, veram nobis interpretationem & indubitatam ſuggerunt. Nempe ex veteri Patrum inſtituto in tota Pentecoſte lectum eſſe in Eccleſia Librum *Actuum Apoſtolicorum*, de quo expreſſa extat illius *hom. 63. tom. 5. p. 831. edit. Pariſ.* & *Tom. III. Edit. Benedictin. pag. 81.* τίνος ἕνεκεν αἱ πράξεις ἐν τῇ Πεντηκοστῇ ἀναγινώσκονται, *cur in Pentecoſte Acta legantur:* vbi rationem reddit iſtius inſtituti, cum alioquin Acta Apoſtolorum poſt Pentecoſten initium ducant: & alias in Eccleſia, ſua quaque die, ea legerentur, quæ ea euenerant: veluti in die *Crucis*, omnia legerentur quæ ad Crucem pertinent; & in Magno Sabbatho, quæ & ea die euenerunt: & hanc quidem, quod quemadmodum ſtatim poſt Crucem Reſurrectio Chriſti annuntiatur, ita ſtatim poſt Crucem & Reſurrectionem Patres Acta ſeu miracula Apoſtolorum legi voluerunt, quod miracula Apoſtolica ſint demonſtratio Reſurrectionis Dominicæ; Liber vero *Actorum*, nihil aliud ſit quam doctrina miraculorum Apoſtolicorum. Eundemque morem perſtringit idem Chryſoſtomus, *initio homilia 33. in cap. 12. Geneſeos, p. 478. edit. Pariſ.* & *pag. 331. Tom. IV. Oper. Edit. Benedictin.* Quinimo & ex Gregorio Nazianzeno *orat. 43.* in καινὴν κυριακὴν, *in fin.* diſco, Martyrum quoque aliorum martyria tum publice commemorata. Auguſtini locus hic eſt, *tract. 6. in Euangel. Ioan. num. 18. Actus Apoſtolorum teſtes ſunt: ille Liber Canonicus omni anno in Eccleſia recitandus. Anniuerſaria ſolemnitate poſt Paſſionem Domini noſtis illum Librum recitari.* In genere notum iam aliunde vel ex Ambroſio, & Auguſtino, Lectiones ex vtroque Teſtamento ſolemnes in Eccleſia olim fuiſſe, & quidem ſtatas, ex ordine, ac nominatim ex Nouo Teſtamento, quæ ἀποστολοευάγγελα poſtea dicta, & εὐαγγελιστάρια: cuius rei luculentum teſtimonium in Hippolyti Epiſcopi *Paſchali* occurrit, vbi Lectiones huiuſmodi deſignantur in cellulis areæ laterculi; vt ecce, γένεσις Χριστοῦ, quotannis ex primo Matthæi, ἐν προδιανυκτερεύσει, ſiue παραμοναῖς Natalia Chriſti legebatur XI. Pharmuthi, quo tempore quidam natum Dominum putabant, vt ſcribit Clemens Alexandrinus. Ita πάθος Χριστοῦ, die Paſſionis Dominicæ; id eſt, ex quorundam [illegible] rentia, 25. Martii, aliaque quæ in *eo Canone* videre eſt, & Scaliger explicauit. Sic certum, Paſſionem Chriſti recitatam olim proxime antequam concio haberetur de ea: teſtis Auguſtinus *ſermon. 144. 146.* ſiu. *232. 239. Ed. Ben.* Leo Magnus non *vno loco:* ſic quidem vt in Africanis Eccleſiis ex Matthæi duntaxat Euangelio ea recitaretur, *d. ferm. 144.* ſiu. *232.* Quomodo & Paſſiones Martyrum ante concionem publice recitatæ ceu Anniuerſarii eorum dies celebrabantur. Ergo *Paſſio Apoſtolica* hic, pro Actibus Apoſtolorum dicta fuerit: quo ſenſu certe *Paſſiones* paſſim Sanctorum dicuntur pro Actibus eorum & vita omni. Sic igitur Liber Actuum Apoſtolicorum πραξαπόστολον fuit τὸ πεντηκοστάριον, quomodo recentioribus Græcis πεντηκοστάριον dictum Officium ab ipſa die Paſchatis ad Octauam Pentecoſtes, quæ Dominica ab iis Omnium Sanctorum appellatur: de quo vid. diſſertat. 1. Allatii *de libris Eccl. Græcorum, p. 77. 78.*

VII. Septimo obſeruandum, *Apoſtolicam Paſſionem Chriſtianitatis magiſtram*, *hac leg.* vocari; nempe poſteaquam infuſa cœlitus Spiritus ſancti gratia, Apoſtoli ſparſi Chriſtianam fidem magiſterio ſuo propagauerunt. Sane & ita Apoſtolos τῆς οἰκουμένης, ſeu τοῦ κόσμου παιδευτὰς etiam Ioannes Chryſoſtomus, tum alibi, tum in eadem re verſans, λογ. ἑξδ. *in ſanctam Pentecoſten* vocat, *tom. 5. Sauilian. p. 980.* & *ſeq.* λογ. ἑξε. *p. 982.* ſiu. *ferm. 2. & 3. in Pentecoſt. p. 791. ſeqq. T. III. Ed. Ben.*

VIII. Octauo obſeruanda plurimum vltima *huius leg.* ſententia, quæ Ampliationem quandam continet inde, *Ac ne quis exiſtimet*, &c. qua ſane ſententia haud poſtrema huiuſce *legis* ferendæ occaſio continetur. Nempe ea Theodoſius Iun. indicat, adeo feſtis diebus Spectacula ſe vetare, vt etſi Natalis aliquis Imperatorum in aliquem ex prædictis diebus inciderit, Spectacula iis edi nolit. Quem vtique ſcrupulum, ſi Theodoſius Iun. populorum animis non exemiſſet, futurum erat, vt indeuotionis in Principem notam deinceps nonnulli ſubuererentur, ſi Natalem forte aliquem Principis, vel aliam ſolemnitatem Imperialis honoris gratia (vt Ambroſius *in Valent. obitu p. 107. T. V. Op. Ed. Par. 1614.* loquitur) in diem Deo etiam feſtum incidentem, ſolita deuotione & ſolennibus ſpectaculis, veluti ludis Circenſibus proſequuti non fuiſſent? *Exiſtimantes* (vt hæc *lex* ait) *in honorem Principis, veluti maiore quadam Imperialis officii neceſſitate ſe compelli*, &c. Sane & Libanius, *orat.* περὶ τῶν δεσμωτῶν, *de vinctis, pag. 405. Edit. Oper. Gothofred. minor. Cl. Trotz.* hunc ipſum Iudicum ſeu Magiſtratuum ſcrupulum metumque repræſentat, ad ſpectacula in honorem Principis obeunda, neceſſitate quadam ἀνάγκῃ teneri ſe aientium, ſeriuſque adeo actus eo obtentu negligentium: vbi & hanc neceſſitatem paucorum dierum eſſe ait: quod lucem accipit ex *l. 2. ſupr. hoc tit.* Ad quem locum *hanc leg.* iam notaui. Quare & eo nomine Ambroſius Valentinianum Iun. commendat, *d. p. 107.* quod cum antea P. 157
ludis Circenſibus delectari ferretur, ſic illud abſterſit, Vtne ſolemnibus quidem Principum Natalibus, vel Imperialis honoris gratia, Circenſes putaret celebrandos. Verum Theodoſius Iun. ſuperiori ſcrupulo hanc religioſiſſimam ſententiam & rationem opponit; *Quod tunc maxime Manſuetudini Noſtræ* (Imperatoriæ) *ab humano genere defertur, cum virtutibus Dei omnipotentis ac meritis vniuerſi obſequium Orbis impenditur.* Honor ſcilicet Principis infra diuinæ Religionis contemptum conſiſtere debet. Et ita quidem hæc poſtrema pars *huiuſce legis* intelligenda eſt; non, vt perperam Vir doctus fecit, de Imaginibus Imperatorum coronari, fauſtiſque acclamationibus excipi in ſolemnibus Spectaculis

solitis; verum de Spectaculis, quæ in honorem Principis eiusque Natalibus specialiter exhiberi consueuerant. Eadem plane ratione Constantinos M. ad lustrorum quoque sacrificia Christianos adigi noluit, *l. 5. infr. de Episcop.* vbi vid. quæ dixi plene.

IX. Nonn obseruandum, non Christianis tantum *hac leg.* interdici Spectaculorum celebritate his festis diebus, verum etiam Iudæis & Paganis: Nempe nil interest, a quo dierum horum celebritas & veneratio publicis, de fœdis, imo sæpe impiis voluptatibus confundatur: Nam & viceuersa eadem ratione Iudæi quoque & Pagani die Dominico exigi vetiti.

X. Postremo, cum primis obseruanda illa, *cum virtutibus Dei omnipotentis ac meritis vniuersi obsequium Orbis impenditur:* quibus ostenditur causa dierum festorum, & quo vnice respexerint: nempe vt virtutibus Dei & meritis obsequium orbis impenderetur; qua causa & *Supplicationum dies* dicuntur; vnde etiam apparet, nullos dum festos dies institutos, per quos virtutibus aut meritis hominum, Sanctorum obsequium orbis impenderetur, iisque supplicaretur: Etsi verum illud, non magis in honorem Martyrum, quam ad Christianorum magisterium & profectum, Martyrum Natales Synaxi seu conuentu in Ecclesiam celebratos: zelo pietatis, vt publici isti solemnesque conuentus essent velut ludi quidam, & Pædagogi animarum, vt Martyres colentes, insignem eorum pietatem imitarentur, & Doctoribus ea occasione congregatis aurem præbentes, profuturum aliquid ignoratumque antea discerent, quod ad dogma confirmandum, aut ad ambiguum obscurumue scripturæ locum explicandum, aut ad morum & vitæ emendationem pertinet: vt diserte hac tempestate scribebat Gregorius Nazianzenus, & Asterius Amaseæ in Cappadocia Episcopus, *homilia 3. aduersus auaritiam, pag. 31. Edit. Rubenii.* Nondum igitur Martyrum Natales festi, supplicationumque dies, sed *stationum* tantum & *συνάξεων* in Ecclesia dies fuere.

DE MAIVMA.

TITVLVS VI.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. XLV.

Porro post *Titulum* generalem *de spectaculis*, sequuntur quinque species Spectaculorum seu ludorum. Primo, *Maiuma*, (quæ festiuitas est populi:) de qua *hoc tit. 6.* Secundo, *Scænici tit. 7.* (cuius *tituli* appendix est quoque *tit. 8. de Lenonib.* & *tit. 9. de expens. ludor.*) Tertio, *Circenses, titulo decimo, de equis curulibus.* Quarto, *Venatio, tit. 11. de venatione ferarum.* Quinto, *Gladiatores, tit. 12. de Gladiatoribus.*

PARATITLON.

MAIVMA, *Rubr.* & *l. 1.* & *2. hoc tit.* Spectaculum erat, *l. 2.* (seu lætitiæ genus, *l. 1. h. t.*) fœdum atque indecorum, *d l. 2. h. t.* procaci licentia, *d. l. 2. h. t.* Hoc prohibitum aliquando per Orientem, ab Arcadio restitutum: Sic tamen vt honestas & verecundia in hoc seruaretur, *l. 1. h. t.* verum, cum honestas non seruaretur, idem mox triennio post rursum id prorsus inhibuit: *l. 2. h. t.*

I. (a) Impp. ARCAD. & Honorius AA. Cæsario PF. P. (b)

CLEMENTIÆ Nostræ placuit, vt Maiumæ prouincialibus (c) lætitia (d) redderetur: (e) Ita tamen, vt seruetur honestas, & verecundia castis moribus perseueret. Dat. VII. Kalend. Mai. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. Coss. [396.]

NOTÆ.

(a) *Lex vnic. Cod. Iustin. hoc tit.* GOTHOFR. De *Ma[illegible], Maicampis & Roncaliis* prodiit Lips. 1651. Dissertatio Andreæ Riuini, quam Syntagmati dissert. rariorum. I. Georg. Græuius inseruit, Vltraiecti 1702. *RITTER.*

(b) *Cæsa*

(b) *Cæsarius* PP. Orientis scilicet sub Arcadio: vid. *Prosopogr.* GOTHOFR.

(c) Quibus? An certæ cuiusdam Prouinciæ, veluti Syriæ Cæles? an vero cuiuscunque tandem Prouinciæ, sub PP. Orientis, vt ita hoc spectaculum in omnibus Orientis Prouinciis celebrari solitum fuerit, non in vna tantum ac multo minus Romæ. IDEM.

P. 358

(d) *Lætitia* de spectaculis & ludis: vid. & Cassiodor. II. *Var.* 9. ID.

(e) In Cod. Iust. *reddatur.* Hinc apparet, ademptum fuisse aliquando hoc spectaculi genus; &, vt existimo, a Constantio, rursum a Theodosio M. ID.

II. (a) Idem AA. Aureliano PF. P. (b) Post alia. (c)

Lvdicras artes concedimus agitari, ne ex nimia harum restrictione tristitia (d) generetur. Illud vero, quod sibi nomen procax (e) licentia vindicabit, (f) *Maiumam*, (g) fœdum adque indecorum spectaculum, denegamus. Dat. VI. Non. Octobr. Constantinop. Theodoro V. C. Coss. [399.]

NOTÆ.

(a) Abest *hæc lex* a *Cod. Iustin.* prælata *l.* 1. GOTHOFR.

(b) Orientis sub Arcadio: vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) Quæ exciderunt, & quæ si ad manum haberemus, forte haud adeo incertum foret, quidnam Maiuma esset, vndeue ea dicta fuerit, & vbi & quando celebrata. ID.

(d) Similis vox eadem in re vsurpata, *l.* 169. *supr. de Decurionib.* ID.

(e) Id est, fœda & inhonesta. ID.

(f) *Vindicabit*, pro *vindicauit.* ID.

(g) Forte locus hic ita legendus: *Illud vero, quod sibi nomen procax licentia vindicauit, Maiuma, fœdum atque indecorum spectaculum denegamus.* Sed nil temere muto. ID.

COMMENTARIVS.

Arcadii Imperatoris vtraque hæc *lex* est: quibus Maiumæ, (quam vocem superiorum sæculorum Barbaries in *mimiam*, quasi primorum ludum mutabat:) Spectaculum, seu Maiumæ lætitia, per eandem Præfecturam Prætorianam Orientis, Prouincialibus sub certa lege antea adempta, redditur *l.* 1. Anno 396. mox absolute denegatur, Anno D. 399. *hac leg* 2. Idque intra quatuor ferme annorum spatium: Redditur, inquam, *l.* 1. cum antea (vt puto a Constantio Imp. rursus a Theodosio M. patre, castissimo Principe) prohibita fuisset: Sub hac tamen conditione redditur, vt honestas & verecundia, castis moribus perseueraret, id est, vt fœditas omnis & procacia ab ea abesset. Huc scilicet temperamentum Arcadio *clementia* titulo seu clementer adhibere primum visum fuit Anno D. 396. Atenim, cum rebus ipsis postea comperisset, procacem hanc licentiam & fœditatem ab ipsa Maiumæ celebritate seu spectaculo seiugari non posse, triennio, & quod excurrit, post, ad superiorum Principum Christianorum ingenium redit, ea penitus denegata *l.* 2. *hoc tit.* aliis vero ludicris & honestis artibus concessis, quibus abunde Prouinciales tristitia sua consolari possent; vbi amplector Arcadii sententiam, ludicras Artes aliquas in Republ. Christiana aliquando recte concedi. *Ne ex nimia harum restrictione tristitia generetur.* Cui accedit Gratiani sententia de Gymnico agone agentis, *l.* 3. *infr. de Scænicis*, (quæ *Cod. Iust.* est *lex* 1. *de Spectaculis*:) *Non inuidemus, sed potius cohortamur* (ad) *amplectenda felicis populi studia.* Valeant igitur per me tetrici, quibus populi non placent, nisi ab omni semoti lætitia. Ad rem. Et hæc quidem aperta est harum duarum Arcadii *legum* sententia. Verum quidnam Maiuma, & vnde ea dicta fuerit, inquirendum nobis est, quando etiam Alciato *V. Parerg.* 5. aliisque deinceps hac parte aqua hæsit. Primum, obseruandum est, per Præfecturam Prætorianam Orientis tantum, eius mentionem *hoc Cod.* fieri, quandoquidem duæ hæ *hoc tit.* leges, & Constantinopoli datæ (ab Arcadio scilicet Orientis Imp.) dicuntur, & Præfectis Prætorio Orientis inscribuntur. Sed & Iulianus Apostata, *in Misopogone aduersus Antiochenos pag.* 362. *Edit. Lips. Spanhem.* qui scriptus Anno D. 363. (triginta paulo plus ante has constitutiones annis) testatur, ab Antiochenis in suburbio Daphnensi prope Antiochiam in Syria, τὰς ἑορτὰς τῦ Μαϊυμᾶ, id est, *festiuitates Maiuma*, agitatas. Secundo, idem Iulianus ostendit, magnos sumptus in hanc Maiumam a priuatis factos, & quidem in conuiuia Maiumæ: & nulli rei vtilem eam fuisse innuit: haud aliter ac *l.* 2. *hoc tit.* artes ludicræ, procaci licentiæ Maiumæ, opponuntur: ὑμῶν δὲ ἕκαστος, ἰδίᾳ μὲν εἰς τὰ δεῖπνα, καὶ τὰς ἑορτὰς χαίρει δαπανώμενος. καὶ εὖ οἶδα πολλὰς ὑμῶν πλεῖστα εἰς τὰ δεῖπνα τῦ Μαϊυμᾶ χρήματα ἀπολέσαντες, ὑπὲρ δ' ὑμῶν αὐτῶν καὶ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως ὐδεὶς θύει, ὔτε ἰδίᾳ τῶν πολιτῶν, ὔτε ἡ πόλις κοινῇ: *vnusquisque vestrum priuatim in conuiuia & festa libens sumptus facis, sed & plerosque scio in conuiuia Maiuma pecuniam effundere, pro vobis autem ipsis & communi salute, neque priuatim neque publice sacrificatis.* Tertio obseruandum, fœdum, atque indecorum hoc spectaculum ferme fuisse procacis licentiæ; sic vt in eo honestas & verecundia castis moribus non perseueraret, seu, non seruaretur: de quo postea plura, ex Libanio, & Chrysostomo. Quarto notandum, Maiumæ mentionem nobis non occurrere,

occurrere, nisi ab eo tempore, ex quo Christiani Imperatores extitere. Postremo ea hisce duobus legibus, vel etiam ex Iuliano, colligi non potest, quando hoc spectaculum, seu quo tempore anni edi solitum fuerit. Nam etsi *prima lex*, *hoc tit.* data sit *7. Kalend. Maii*, & sic appetente iam mense Maio (vnde *Maiuma* nomen Suidas deriuabat) attamen non exinde satis definiri potest, Maiumam mense Maio celebratam. Nam & *lex 2.* quæ de eadem Maiuma agit, data est *6. Non. Octobr.* Ac præterea, cum *l. 1.* Maiumæ celebrandæ potestas fiat Prouincialibus, sane tempore opus fuit, ad id Prouincialibus intimandum seu insinuandum a Cæsario Præf. Prætor. ac proinde exinde contra rectius colligatur, non mense Maio fuisse hanc solemnitatem habitam. Et vero eam mense *Loa*, id est, Augusti, agitatam ex Iuliano, *in Misopogone p. 361. Ed. Lips. Spanhem.* discimus: & quidem per septem dies, ex Theodoreto, *lib. 3. cap. 10.* & ex *tertio* Libanii *loco*, quem mox laudabo, pariter, *διὰ πέντε ἢ καὶ πλείους ἡμέρας*: Vide & Palladium, *in Dialogo cap. 15, pag. 145. Ed. Bigotii.* Et Suidas tamen, vbi dixi, mense Maio Maiumam celebratam vult: & quidem, (quod secundum,) Romæ, Ostiæque. Verba Suidæ hæc sunt: *Μαϊουμᾶς πανήγυρις ἐγένετο ἐν τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν Μάιον μῆνα· τὴν παράλιον καταλαμ-*
P. 359 *βάνοντες πάλιν, τὴν λεγομένην Ὠστίαν, οἱ τὰ πρῶτα τῆς πόλεως τελοῦντες, ἡδυπαθεῖν ἠνείχοντο ἐν τοῖς θαλαττίοις ὕδασιν ἀλλήλους ἐμβάλλοντες· ὅθεν καὶ Μαϊουμᾶς ὁ τῆς τοιαύτης ἑορτῆς καιρὸς ὠνομάζετο.* *Maiumas festiuitas fuit Romæ, Maio mense celebrari solita, quo principes ciuitatis Ostiam vrbem maritimam se conferentes, voluptatibus & deliciis indulgebant, alter alterum in aquam marinam conicientes. Vnde & festi illius tempus Maiumas vocatum fuit.* Eadem ferme & Glossæ Basilicorum, vbi & id amplius, (quod tertium,) additur, in honorem *Maiæ* id celebrari solitum: *Μαϊουμᾶς ἑορτὴ ἐτελεῖτο ἐν Ῥώμῃ.* Et statim post: *Μαϊουμᾶς τοῦτον τὸν λεγόμενον Μαϊουμᾶν ἐπετέλεσαν οἱ Ῥωμαῖοι Μαΐῳ μηνὸς εἰς τιμὴν τῆς Μαίας.* Hæc quidem Suidas & Glossæ Basilicorum: Quibus si credimus, Romæ vel Ostiæ Maio mense Maiuma celebrata; in Maiæ honorem, atque exinde nomen.

Verum in id accuratius nunc inquiramus. Certum equidem est, quod Suidas narrat, de iucunda illa solemnitate Romæ vel Ostiæ celebrari solita: Cuius etiam meminit Æthicus *in Cosmographia pag. 716. Edit. Gronou. ad calcem Pompon. Melæ: Tiberis*, inquit, *insulam facit inter Portum Vrbis, & Ostiam Ciuitatem, vbi Populus Romanus cum Vrbis Præfecto vel Consule Castorum**) *celebrandorum causa egreditur SOLEMNITATE IVCVNDA.* De eadem solemnitate iucunda Ostiæ celebrari solita, per certamina, est & hoc vetus Epigramma, de Tatio P. V. apud Gruterum *Inscript. pag. XCIX. 2.* qui faciem, id est, picturam huius certaminis pro æde Castoris & Pollucis locauerat.

LITORIBVS. NOSTRIS. QVONIAM. CERTAMINA. LAETVM EXHIBVISSE. IVVAT. CASTOR. VENERANDE. QVE. POLLVX MVNERE. PRO. TANTO. FACIEM. CERTAMINIS. HVIVS MAGNA. IOVIS. PROLES. VESTRA. PRO. SEDE. LOCAVI VRBANIS. TATIVS. GAVDENS. ME. FASCIBVS. AVCTVM NEPTVNOQVE. PATRI. LVDOS. FECISSE. SABINOS.

Cum hac tamen iucunda festiuitate perperam commiscetur id quod Ammianus Marcellinus notat *lib. 19. cap. 10.* vbi Tertullus Præfectus Vrbis notatur, *in difficultate annonæ Vrbis Romæ Ostiam profectus, atque ibi in æde Castorum sacrificasse:* (quod numen ibi cultum ventorum marisque causa) scilicet tranquillitati maritimæ impetrandæ, quo naues frumentariæ plena velificatione Portum Vrbis Romæ frumentis onustæ intrarent. Id enim extraordinarium sacrum fuit, necessitate vrgente, non etiam solemnis quædam festiuitas, & Castorum solemne, quod memorat Æthicus. Cui propius accedit Tiberina decursio,

*) *Castrorum celebrandorum causa*, Riuino placet *de Maium. c. 7. §. 18.* quam lectionem in vno exemplari disertim exaratam fuisse scripsit Simlerus. „ Si namque *castra*, inquit laudatus Riuinus, sunt e variis casis siue scenis ad breuem & temporarium vsum constantes mansiones, vbi milites sub tentoriis aliquantisper in loco fossa circumdato subsistunt; tum profecto in hac insula prope Ostiam Tibride circumfusa recte *castra* veteres dixerunt, cum iuxta illa quoque pugna quasi naualis haberetur, & frondibus atque scenis virentibus omnia condecorarentur. Ne vero sine omni exemplo, & vlla auctoritate ista nostra correctio audacior paullo, quam verior doctis appareat, ipseque auctor noster ceu spurius testis & illegitimus videatur, en ad ipsum Oratorum & scriptorum omnium tersissimum & facundissimum principem prouocamus, qui *lib. V. in Verrem, cap. 12. 13.* multa eius luxuriosa facta incessens inter alia culpat. *Quod cum æstas iam esse cœpisset, iste nouo quodam genere Imperator pulcherrimo, Syracusarum loco statiua sibi castra fecisset, in ipso aditu atque ore portus, vbi primum ex alto sinus ad vrbem ab littore inflectitur, tabernacula carbaseis intenta velis collocans. In eum autem ipsum locum aditus erat nemini, nisi qui aut socius, aut minister libidinis esse posset. Huc omnes mulieres, quibuscum consueuerat, conueniebant, quarum incredibile est, quanta multitudo fuerit Syracusis. Huc homines digni istius amicitia, digni vita illa conuiuiisque veniebant. Ac per eos dies, cum iste cum pallio purpureo, talarique tunica versaretur in conuiuiis muliebribus, non offendebantur homines, locum illum littoris percrepare totum mulierum vocibus, cantuque symphoniæ, in foro silentium esse summum causarum atque iuris, &c.* Mox denuo stomachatur *c. 31. Quod quo tempore, ceteri nauigare & prouincias obire consueuissent Prætores, Verres tabernacula quemadmodum æstiuis temporibus fieri solerent, carbaseis intenta velis in insula Syracusis post Arethusæ fontem, propter ipsum introitum atque ostium portus, amœno sane & ab arbitris remoto loco dies æstiuos LX. c. 37. hic Prætor populi Romani, custos defensorque prouinciæ sic vixisset, vt muliebria quotidie conuiuia essent.* Denique piratas ad ille æstiuis Prætoris accessisse, Cicero dicit, *ipsam illam ad partem littoris, vbi iste per eos dies tabernaculis positis, CASTRA LVXVRIAE collocasset.*

decusſio, cuius meminit Cicero *lib. 5. de Finib. c. 24. Quanam gaudio*, inquit, *complerentur, cum tantapere eius adumbrata opinione laetentur? Quem enim Tiberina discurſio, feſto illo die, tanto gaudio affecit, quanto L. Paulum, cum Regem Perſen captum adduceret, eodem flumine inuectum.* Auſonius *de Feriis Romanis. v. 1.*

Nunc & Apollineos Tiberina per oſtia ludos.

In Kalendario Conſtantiniano Heruagiano: *Ludi Tiberini.* Sed neque eo pertinet feſtiuitas, quam damnauit Synodus *in Trullo, can. 62. init. pag. 1683. 1684. Tom. III. Concil. Edit. Harduin.* his verbis: Καλάνδας, καὶ βοτὰ καὶ βρυμάλια, καὶ ἡ τῇ πρώτῃ τοῦ Μαΐου πανήγυρις, ἐκ τῆς τῶν πιστῶν πολιτείας περιαιρεῖσθαι: *Kalendas & vota, & qui primo Maii die fit conuentus, ex fidelium vniuerſitate ſublata fuisse.* **) Nihil enim commune habuit ſolemnitas illa cum Roma, vel Oſtia, vel Tiberina diſcurſione, vt quae in Oriente celebrari ſolita. Haec, inquam, vt certa ſunt, & recte apud Suidam habent, quae de Tiberina & Oſtienſi ſolemnitate memorat, ita vnum ex iis, quae memorat, incertum eſt, alterum vero falſum. Incertum, vtrum Tiberina illa ſolemnitas vnquam *Maiuma* dicta fuerit; etſi dici potuiſſe non negatim; quia & haec Maiumae, (id eſt, aquarum) ſolemnitas erat: Sed falſum eſt, Maiumam, qua de *hoc tit.* agitur, cum ea Oſtienſi vel Tiberina feſtiuitate quicquam commune habere. Fuit enim decurſio illa, iucunda tantum feſtiuitas & ſolemnitas, vt Aethicus ait; ſeu vt Suidas, ἡδυπάθεια; item coniuncta ſacro ſolemni, gentili: Item in Tiberi & prope Romam ea agitata. Atquin Maiuma, qua de *hoc tit.* agitur, fuit foedum & indecorum Spectaculum, & procacis licentiae. Deinde in Syria, (cuius τρυφὴ notiſſima) ea laetitia agitata; vt ſuperius oſtendimus. Tandem non fuit ſacro alicui gentilitio laetitia haec Maiumae coniuncta; alioquin Chriſtiani Principes, poſt cultus ritusque Paganorum abolitos, nunquam eam permiſſuri fuiſſent, vel ſane eam quoque cauſam addidiſſent eius prohibendae; non foeditatem modo.

Baronius ad A. C. *399. n. 30.* cenſet *Maiumam*, dictam, a ciuitate maritima *Maiuma*, in littore Syriae Palaeſtinae (primae) vbi erat nauale Vrbis Gazae: ***) Quod veroſimile: vel ſaltem, (quod mihi veroſimilius videtur) eodem exemplo, Spectaculum illud Maiumam dictum, quo littus illud. Primum id perſuadet mihi, quod, vt antea oſtenſum eſt, per Orientem & Syriam quidem, ſpeciatim haec laetitia agitata fuerit. Perſuadet Secundo, nomen ipſum *Maiuma*, quae vtique Syriace *Aquam* ſignificat. Perſuadet tertio, quod Maiuma Gazae nauale non tantum ſuperſtitioni deditiſſimum fuerit (quod memorant Scriptores Eccleſiaſtici) verum etiam ac nominatim (vt Auctor eſt Marcus Diaconus, *in reb. geſtis Porphyrii Gazenſis Epiſcopi*) hoc adhuc tempore ſimulacrum impudicum Veneris, quod eo loci cultum, extiterit.

In Syria igitur agitata haec Maiumae feſtiuitas, cuius caput fuit Antiochia ad Daphnen, ac nominatim in locis, qui aquis luxuriabant: cuiuſmodi ſane fuit Daphne prope Antiochiam, Cuius δαφνικοὺς ἀγῶνας Protagorides Cyzicenus olim deſcripſerat: ideoque περὶ τῶν ἐν Δάφνῃ πανηγύρεων ſcripſerat, teſte Athenaeo *lib. 4. c. 11. p. 150. & c. 23. p. 176. & c. 25. p. 183.* Quarum panegyreon meminit & Strabo *lib. 16. p. 516. & 1090. Ed. Almeloueen.* Et ſane hoc illud feſtum & ludicrum (Daphnenſe) mihi omnino videtur, quod Libanius *tribus orationibus* deſcribit & proſcribit, etſi Maiumae nomine nullibi id deſignet. Primum, *oratione* περὶ δεσμωτῶν *§. 10. pag. 407. 408. Oper. minor Gothofred. Edit. Troiz.* ἃ (πράγματα) δίδωσι τοῖς ἐν Δάφνῃ καθημένοις τέρπειν τε καὶ τέρπεσθαι κακῶς, ἢ καὶ τότε φήσετε τοὺς ὀφείλοντας εἰσπράττειν: ἀλλ' αὐτῷ τούτῳ πρώτῳ τιμᾶτε τὴν εἰς ἅπαντα ἐκείνην ἐξουσίαν τὴν ἐν Δάφνῃ: τοῦτο γάρ ἐστιν ἡ ἑορτὴ, τὸ μηδενὸς ἀπέχεσθαι τῶν αἰσχρῶν: καὶ τοῦτο τοίνυν αὐτῇ χαρίζονται, ὦ Βασιλεῦ, τὸ μὴ πάνυ τότε μεμνῆσθαί τινα τῶν τοῖς σοῖς θησαυροῖς ὀφειλομένων χρημάτων, id eſt, *Quae* (negotia) *dant ſedentibus in Daphne & delectare & delectari male: quamlibet & tunc dicatis, debitores exigi oportere. Sed in hoc ante omnia honorate illam ad omnia licentiam in Daphne; hoc ſcilicet eſt feſtum illud, a nulla turpitudinis ſpecie abſtinere: idque ii etiam tribuunt, o Imperator, ne quis omnino tunc mentionem pecuniarum faciat Theſauris tuis debitarum.* Secundus Libanii locus eſt *oratione* περὶ τῶν ἀγγαρειῶν, *§. 7. pag. 384. 385. Oper. minor. Gothofr. Edit. cit.* Ἦσαν τινες οἱ πονηρὰν ἑορτὴν εἰσήγαγον εἰς τὴν Δάφνην: ἦν δὲ τὸ πάντα τρόπον ἀσχημονεῖν, ἑορτὴν ποιεῖν. Τοῦτο τὶς κατιδὼν Βασιλεὺς ἐπιεικὴς καὶ σώφρων, αἰσχυνθεὶς μὲν τοῖς πραττομένοις, ἀλγήσας δ' ὑπὲρ τοῦ χωρίου, παύει τὴν ἐπὶ τούτοις σύνοδον, καὶ παύσας εὐδοκιμεῖ, καὶ οὐδεὶς πρὸς αὐτὸν τὰ τῆς ἑορτῆς ἔλεγεν ἔτη, οὐδ' ὡς τὰ κεκρατηκότα δεῖ κρατεῖν διὰ τέλους, ἀλλ' ἐξεβέβλητο τοῦτο τῆς Δάφνης τὸ νόσημα χρόνον πολὺν: ἕως αὐτὸ πάλιν ἄνδρες ἀξίως τοιούτων ἑορτῶν βεβιωκότες εἰσήγαγον, id eſt, *Erant quidam qui prauum feſtum inuexerant in Daphnen: feſtum illud celebre erat omni modo ſe indecenter gerere: hoc cum audiuiſſet quidam aequus ac temperans Imperator, cum ipſum factorum puderet, dolensque ob regionem ſeu locum, conuentum hunc aboleuit, eoque abolito bene audiuit, neque quiſquam ipſi conſuetudinem feſti obiecit, neque quod neceſſe ſit ea quae aliquando valuerunt, ad finem vſque valere: verum eiectus fuit hic Daphnes morbus longo tempore,* P. 360. *donec illum iterum viri his feſtis digne viuentes, introduxerunt.* Tertius Libanii locus eſt *Oratione hactenus inedita*, πρὸς Τιμοκράτην; vbi in populares plauſus iuuenum in Theatris inuehens, inter alia haec ait: ὁ γὰρ δὴ τῆς βοῆς ἔρως πάντα ὑπηρετεῖν ἀναγκάζει, τάτε ἄλλα καὶ τρέχειν εἰς τὴν Δάφνην, καὶ ποιεῖν τὴν μύρια κακὰ τῇ πόλει (Antiochiae) φέρουσαν ἑορτήν: ἐπεὶ καὶ νέοι (νῦν) μετὰ σωφροσύνης ἀναβάντες ἐκεῖσε ταύτῃ ἀποβαλόντες κατέβησαν; εἰς ἅ μοι δοκεῖ Βασιλεύς

τις

**) In Canonis textu vulgato legitur, καὶ τὴν ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ Μαρτίου μηνὸς ἡμέραν. Et Balſamo etiam ita legit ad hunc can. *pag. 231. Tom I. Pandect. Canon. Guilielm. Beuereg.* βρῶμαι γὰρ ἦν ἐπίθετον τοῦ Διονύσου. κατὰ δὲ τὸν Μάρτιον μῆνα ἐτελεῖτο πανήγυρις. Sed *Maiu* placuit praeter Noſtrum, Meurſio *in Gloſſar.* Grotio *in Flor. Sparſ. ad Ius Iuſtin. p. 329.*

***) Idem ſenſit etiam Ludou. de la Cerda *Aduerſar. ſacr. c. 20.* qui ſimul cum Baronio ſua ſublegit e Rud. Hoſpiniano *de Origin. Feſtor. Ethnicor. c. 30.*

τις ἀγαθὸς ἀποβλέψας σβέσαι τὸ πρᾶγμα τόδε: αὖθις ἀνέφυ, καὶ γίνεται τῶν μὲν ἐπιβαλλόντων, ὑμῶν δὲ ὑπουργούντων εὐδαιμονούντων (al. εὐδαίμων τοῦτο) ἡγεμόνων: καὶ μετὰ ἀναιδείας πέντε ἢ καὶ πλείους ἡμέρας, ὁρᾶται διάγον τὸ ἀναβάν, ἧς τὸ μὲν εἰς αὐτοὺς, τόδε τι καὶ εἰς ὑμᾶς ἔρχεται. καὶ τοι εἴ τις ὑμᾶς καταβαίνοντας ἀπὸ τῆς πολυειδοῦς μέθης ἐκείνης, περὶ τὶ χρόνος ὑμῖν ἀνήλωτο τοσοῦτος ἔροιτο, τίνι βελτίω τὰ τῆς πόλεως πεποιηκότες ἀναστρέφητε; τί πρὸς Θεῶν ἐρεῖτε, ἢ ὅτι καὶ τῷ λίαν ἀσχημονεῖν εἶναι τόπον ἐχρῆν. *Nam plausus illud studium cogit facere, cum alia tum etiam currere Daphnen, & ibi celebrare solenne illud, quod sexcenta huic ciuitati mala attulit. Nam etiam iuuenes, qui pudorem eo attulerant, eo perdito redire: qua mihi videtur considerans aliquis bonus Rex, totam eam rem sustulisse: rursum instauratum est hoc solemne, & sit illis quidem iubentibus, nobis subsequentibus, Præsidibus beate viuentibus: & cum omni genere impudentia quinque aut plures dies exigere cernitur eo euntium turba; cuius quidem mali pars ad eos ipsos, pars autem ad nos redundat. Quod si quis vos redeuntes ab hac tam varia commissatione interroget, qua re tantum temporis consumpsistis, & quanam re meliorem statum ciuitatis fecistis? Quid per Deos dicetis, nisi, oportere etiam insolenti impudentia locum esse.* Vt omittam etiam Orationem ineditam περὶ τοῦ πλέθρου. Vides, a Libanio festum seu spectaculum describi ἑορτὴν πονηρὰν, quod erat ὕβρις εἰς ἅπαντα, cuiusque erat τὸ μηδενὸς ἀπέχεσθαι τῶν αἰσχρῶν: item quod festum hoc celebrare ἦν τὸ πάντα τρόπον ἀσχημονεῖν: Cui optime respondet quod de Maiuma dicitur *hac leg. 2.* nempe quod *nomen illud procax licentia sibi vindicasset*; quodque *fœdum atque indecorum spectaculum* esset. Item quod indicatur *l. 1.* honestatem & verecundiam castis moribus in eo non perseuerasse. Item vides, celebratum in Syria apud Daphnen, locum vtique Maiuma (id est aquis) cummaxime luxuriantem, prope Antiochiam. Atenim & ad alias quoque vrbes Maiuma penetrauit; etsi maiore licentia in Syria. Nam & Theophanes *in Chronographia*: & ex eo Auctor *histor. Miscella, lib. 23. pag. 164. Tom. I. Script. Rer. Ital. Aut. Murator.* in Leone Constantini filio: ὁ δὲ Βασιλεὺς ποιήσας Μαιουμᾶν ἐν Σοφιαναῖς ἐκάθισεν ἐπὶ σένζῳ μετὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. *Præterea*, inquit, *Imperator facta Maiuma in Sophianis, sedit in solio cum filio suo.* Tandem pertinere huc sentio, quod Chrysostomus Antiochiæ tum agens, (quod ipsemet diserte profitetur) *homil. 7. in Matth. pag. 88. edit. Paris. p. 70. 71. 72. edit. Comel.* & *pag. 113. 114. Tom. VII. Oper. Edition. Benedictin.* memorat, simul & tanquam Diabolicum proscribit de Euripo & κολυμβήθρα in Theatro, vbi cum ingenti voluptate de loco superiore meretrices spectabantur natantes, & in mediis aquis nudæ natatu ludentes, quem Euripum ἡδονῆς vocabant. Ab hac certe Maiumæ licentia non abludit illa licentia Smyrnæ per Dionysia, & Veneris sacra, in quam inuehitur Aristides, *Oratione* περὶ τοῦ μὴ δεῖν κωμῳδεῖν. *Tom. 1. p. 504. Ed. Iebb.* Item non abludunt saltationes illæ sceleratissimæ per vicos & plateas, quas Gentiles festis seu sacris conuiuiorum diebus exercebant, quibus matronalis & innumerabilium fœminarum pudor, deuote venientium ad diem sacratissimum iniuriis lasciuientibus appetebatur, vt etiam ipsius Sanctæ Religionis pene fugeretur accessus, vt dicitur *Canone 60. Codic. African. pag. 897. 898.* seu Concilii *Carthag. 5. a. 401. can. 5.* Nescio autem quid in mentem venerit Viro docto, cum Maiumæ ludicrum dixit in Consulum inauguratione vsurpatum. Apud nonnullas quoque Gentes hodie haud absimile quoddam ludicrum vsurpatum, veluti in Hispania, illud, quod vocant, *pasar las aquas, o las mayas*, vt refert Barrientus *annotat. syn. cap. 17.*

Illud tandem obseruandum ex his *legib.* & *Libanio*, Maiumam hanc sub Christianis Impp. modo permissam fuisse, modo coercitam, modo abolitam. Scilicet, (vt breue Chronicon eius rei instituam.)

Sub CONSTANTINO M. Maiumam celebratam puto.

Sub CONSTANTIO proculdubio vetita; de quo Libanius *duabus orationibus* περὶ ἀγγαρειῶν, *§. 7. p. 384. Edit. cit.* vbi vid. quæ dixi, & πρὸς Τιμοκράτην, cum Babylæ Reliquiæ Daphnem a Constantio (vt docet Chrysostom. *Orat. 2. in Babyl. tom. 5. pag. 450.* & *pag. 555. Tom. II. Edition. Benedictin.*) translatæ sunt.

Sub IVLIANO stetit Maiuma: vid. Iulianum *in Misopogone*.

Sub VALENTE quoque proculdubio stetit.

Sub THEODOSIO M. { 1. Stetit aliquamdiu, vt docet Libanius *orat.* περὶ τῶν ἀγγαρειῶν, & περὶ δεσμωτῶν.
2. Vetita mox rursum, sub extremis Imperii ipsius, vt colligitur ex *l. 1. hoc tit. de Maiuma.*

Sub ARCADIO { 1. Reducta, Ann. 396. *d. l. 1.*
2. Vetita. Ann. 399. *l. 2. eod. tit.*

Atque ita a Constantino M. ad Arcadium octies hac parte variatum. Tantum scilicet eius retinendæ populis studium fuit: tam iustæ contra eius coercendæ, mox & prohibendæ Christianis Imperatoribus caussæ visæ sunt.

DE

DE SCÆNICIS.*

TITVLVS VII.

Lib. XI. Cod. Ivst. Tit. XL.

* Adde & de Gymnico agone, *l. 3. hoc tit.* & de Agitationibus, *l. 7. 12. hoc tit.*

PARATITLON.

SCænici, *Rubr.* & *l. 1. 2. hoc tit.* (qui & Scænici plebeii, *l. vnic. infr. de vsu fellar.*) itemque Scænicæ, *l. 1. 8. h. t.* seu Scænæ mulieres, *l. 8. h. t.* erant, qui, quæue spectaculo sui præbebant populo materiam voluptatis: *d. l. vnic.* ludicra ministeria, *l. 4. 9. h. t.* puta in Theatro, *l. 12. h. t.* vnde Theatrale spectaculum, *l. 1. h. t.* in Scæna, *l. 2. 8. h. t.* P. 361 (vnde & Scænica officia dicuntur, *l. 4. 9. h. t.* Scænicum præiudicium, *l. 4. & 9. h. t.* Scænicæ voluptates, *l. 29. supr. de Prætoribus:* & apud Symmachum, *lib. 10. epist. 19.* Scænici artifices *ibid.* artifices Scænarii, Marcellino *lib. 28. cap. 4.*) cuius pars Proscenium, *l. 12. h. t.* seu in pulpito *l. 8. h. t.* quæ & Thymela; vnde Thymelici: *l. 12. hoc tit.* & *l. 21. supr. de Pistor* & Thymelicæ, *l. 5. h. t.* vnde & Thymelæ actuarii, *l. 21. 22. supr. de diu. off.* & in his psallendi arte, vt fidicinæ, quæ prohibitæ, *l. 1. h. t.* vel gesticulatione, vt mimæ, *l. 11. 12. 13. h. t.* Pantomimi, *d. l. 12. h. t.* Histriones, *d. l. 12. h. t.* Huiusmodi porro Scænici, vt per vniuersum orbem erant, ita nominatim Romæ, *l. 1. 4. 5. 6. 8. h. t.* per Africam, *l. 2. 3. 9. 13. h. t.* & in Oriente, *l. 10. 11.* Vid. & *l. 21. 22. supr. de diuers. offic.*

Personæ porro hæ omnes, inhonestæ personæ vocantur, *d. l. 12. h. t.* eorumque munus turpius: *l. 4. h. t.* & immemores honestatis, qui sibi eas fociant, *l. 5. hoc tit.* Ideoque etiam vsus fellarum his, & fedendi, & conueniendi in publicum facultas denegata erat: *infr. tit. de vsu fellar.* Et Imagines eorum in aditu tantum Circi, & prosceniis theatri, locabantur: *l. 12. hoc tit.* & Mimis nonnisi certis vestibus & ornamentis vti licuit: *l. 11. 12. hoc tit.* Vicissim Scænicis pro præmio imagines erectæ in aditu Circi, vel Theatri prosceniis: *d l. 12. hoc tit.* His porro obsequiis debebantur nominatim mulieres vinculo naturalis conditionis, *l. 4. h. t.* ex viliori sorte progenitæ, aut huiusmodi fæce *l. 4. 9. hoc tit.* ex Scænicis natæ vulgarem vitam excreentes, *l. 2. hoc tit.* turpibus complexibus se volutantes: *l. 8. hoc tit.* Atque hi *l. 2. Cod. Iust. de offic. Præfecti Vrbi*, dicuntur, *homines populares almæ vrbis Editioni* (non seditioni) *obnoxii.* Editioni, id est spectaculis, vt *l. 1. supr. de spectaculis*, & *l. 2. supr. de offic. Rector. prou.* In tantum etiam his obsequiis tenebantur, vt declinare officia scænica, Scænici, Scænicæ, vel ex his nati natæue non possent, sed præiudicio a contubernio Scænico reuocari; exceptis casibus sequentibus. Primo, si in periculo mortis Sacramenta & extrema suffragia consecuti fuissent, & superuixissent, *l. 1. h. t.* Secundo, si nullo mortis periculo Christianæ factæ fuissent: *l. 4. 8. 9. h. t.* Tertio, si ex Scænicis natæ, probabilem, non vulgarem vitam exercerent: *l. 2. hoc tit.* Quarto, ex Principis beneficio, *d. l. 4. hoc tit.* (quod reuocatum *l. 13.* seu *vltim. hoc tit.*) Quinimo & Thymelicam abducens, vel domi suæ retinens, quinque libris auri multabatur, *l. 5. hoc tit.* Et hæc de Scænicis.

Præter hos agitur *hoc titulo* & de Gymnico Agone, *l. 3. h. t.* & de Circensi certamine, *l. 7. h. t.* in quo qui sese exercebant, Agitatores dicti, *l. 12. hoc tit.* & *l. 11 supr. de malefic & Mathem.* seu agitandi munus exercentes, *d. l. 7. h. t.* qui & Magiæ seu maleficii crimine infamati erant, *d. l. 11.* qui & *Aurigæ* dicuntur, *l. 21. supr. de Pistor.* & *l. 3. supr. de Spectacul.* & aurigandi studio detineri *d. l. 21.*

De Scænicis in periculo vitæ SACRAMENTA *Christianæ Fidei postulantibus: & cautionibus eam ad rem: idque adeptis.*

I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, (b) Valens, & Gratianus, AAA. ad Viuentium P. V. (c)

SCÆNICI & scænicæ, qui in vltimo vitæ, necessitate (d) cogente interitus imminentis, ad Dei summi (e) Sacramenta (f) properarunt, si fortassis euaserint, (g) nulla posthac in Theatralis (h) spectaculi conuentione reuocentur. Ante omnia tamen diligenti obseruari ac tueri (i) sanctione (k) iubemus, vt vere & in extremo periculo constituti, id, pro salute poscentes (si tamen Antistites (l) probant) beneficii (m) consequantur: Quod vt fideliter fiat, statim eorum ad Iudices, si in præsenti sunt, vel Curatores (n) vrbium singularum, desiderium (o) perferatur: Quod (p) vt inspectoribus missis, sedula exploratione quæratur, an indulgeri his necessitas poscat extrema suffragia. (q) Dat. III. Id. Febr. Triu. Gratiano A. II. & Probo Coss. [371.]

NOTÆ.

(a) Non extat *hæc lex* in *Cod. Iust.* Retulit eam recte in Annales suos Baronius. *Ann.* 371. *n.* 128. *GDTHDFR.*

(b) Tribuenda hæc *lex* est *Valentiniano* (Seniori scilicet.) *IDEM.*

(c) Reponendum hic *PP.* Viuentius enim P. V. fuit, Anno 367. vt præter Ammianum Marcellinum *lib.* 27. *cap.* 3. ostendit *lex* 1. *supr. de Pœnis*, *lex* 3. *supr. de indulg. crim.* Atenim Viuentius *P. P.* fuit hoc Anno, cum eo ipso Ampelius esset P. V. vid. *Chronolog. huius anni*, & Ammianum Marcellinum *lib.* 28. *c.* 4. vide & quæ noto ad *l.* 1. *infr. de equis Curulib.* *ID.*

(d) *In extremo periculo* inf. *ID.*

(e) Vtpote ipsi antea Gentiles. *ID.*

(f) *Sacramentorum* vocem hic obserua: de qua alibi: *μυςήεια λαβῆναι.* *ID.*

(g) Id est, conualuerint. *ID.*

(h) Vel tollenda vox, *in*: vel, quod malim, *in theatralia spectacula.* De Theatralibus his ludis, vid. & Ambros. 2. *off.* 21. *ID.*

(i) *Tueri*, passiue: Nisi putet quis legendum (quod omnino existimo) *ac quæri*: ita mox in fine, *sedula exploratione quæratur.* *ID.*

(k) *Sanctione*, id est religione, sanctitudine, sanctimonia. *ID.*

P. 368 (l) *Antistites*, id est, Episcopi: vid. Parat. *de Episcopis.* *ID.*

(m) *Beneficii* vox hac in re propria: de qua mox. Vt & *Gratia* seu *χάριτος*: vid. *Gloss.* *ID.*

(n) Nempe quia *Curatoribus Vrbium* cura spectaculorum imminebat. *ID.*

(o) *Desiderii* vox hac in re pariter propria: vt & Gregorius Nazianzenus *orat.* 40. *p.* 644. *Edit. Colon. apud Weidm.* *πόθον σωτήριον* vocat. De multis pauca hæc notabo: Hilarius *in Psalm.* 67. agens de Candace: *Sacramentum ipsum Baptismi adeo impatienti desiderii cupiditate praeueniens*, *vt*, &c. Ambros. *in oration. funeb. de fratre suo p.* 316. *Tom. IV. Oper. Edit. Paris.* 1614. *Dei gratiam & accepit desideratam, & seruauit acceptam.* Idem *de Sacramentis, lib.* 4. *c.* 2. *Veniebas ergo desiderans; vtpote qui tantam gratiam videras, veniebas desiderans ad altare, quo acciperes Sacramentum* Augustinus *Epistol.* 167. *Audit Sacerdotem exhortantem populum Dei orare pro Catechumenis, vt eis desiderium regenerationis inspiret.* Hinc factum, vt *desiderata* pro ipso Sacramento acciperentur. *Glossar. Philoxeni*, vt Scaliger recte restituit, *desiderata, λαμπρύγία, τελετή.* *ID.*

(p) *γε. Quo dein.* *ID.*

(q) *Suffragia extrema*, sunt Sacramenta, quæ in extremo positis indulgebantur: de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

EVITANDÆ Scænicæ conditionis modus quidam, per SACRAMENTA scilicet Diuina, hac Valentiniani Sen. constitutione continetur, & inuehitur Christianæ Religionis fauore, & peculiari ratione Ecclesiastica, sic tamen, vt fuco simul Paganorum Scænicorum occurratur, ne ea alioquin ratione ad euitandam conditionem suam Scænicam abutantur: pariter, vt simili Iudæorum fuco occurritur, *l.* 2. *supr. de his qui ad Eccles. confug.* vt & *l.* 23. *de Iudæis.*

Hæc

Hæc vt intelligantur, duo præsupponenda sunt & prænoscenda, quæ hic quoque indicantur. Primo, hoc tempore multos in vltimum vitæ, vt hic dicitur, tempus, scilicet πρὸς τῇ ἡμέρᾳ τῆς τελευτῆς, πρὸς τὰς ἐσχάτας ἀναπνοὰς, Baptismum distulisse: Quod vt aliunde iam notum est, ait testis inter alios Gregorius Nazianzenus *Orat. 40.* vbi in id inuehitur, & inanes huius facti obtentus prolixe refutat: Chrysostomus item non *vno loco*; inter alia *homil. 1. in Acta Apostolor. pag. 11. seqq. Tom. IX. Edit. Benedict.* & *homil. 13. ad Hebraeos pag. 135. seqq. Tom. XII. Oper. Edit. cit.* qui pariter hanc ἀναβολὴν & *ibi*, & *alibi* reprehendit. Secundo prænoscendum, quod & ipsum *hac lex* indicat & supponit, Canonem hunc Ecclesiasticum, & antiquam humanissimamque legem Ecclesiæ quondam fuisse, vt Sacramenta administrarentur quibuscunque moribundis ἐξοδεύουσι, νοσοῦσι, ἐν κινδύνῳ, καὶ θανάτου προσδοκίᾳ, ἐπὶ τῇ ἐξόδῳ τοῦ βίου, ἐν τῷ τέλει τοῦ βίου, ἀπαλλαττομένοις τοῦ βίου, εἰ δέοιντο, etiam Pœnitentibus, Excommunicatis, Catechumenis, etiam heri Gentilibus, hodie Christianis, mulieribus etiam κυοφορούσαις, in lecto, (vnde & *Clinicorum* nomen) in mortis periculo constitutis, petentibus, desiderantibus; Baptismus scilicet & Eucharistia: de quo sunt in *Cod. Canonum*: Can. 13. Nicænus *pag. 74.* Ancyranus 6. 16. 22. *pag. 380. 392. 399.* Neocæsar. 6. 12. *pag. 406. 411. Ed. Guil. Beueregii.* Epiphanius *hæresi 28.* Basilius *epist. 186. siu. 069. Ed. Ben.* vbi agit de Arinthæo ob vxore reddito Christiano, & in fine vitæ baptizato: Nempe ἵνα εὐέλπιδες ἀπαλλάττωνται, vt loquitur in notissima Serapionis historia Dionysius Episc. apud Eusebium *lib. 6. hist. Eccles. c. 44.* id est, vt *bona spei* pleni ex hac vita dimitterentur, migrarent. De quo more vid. eundem Eusebium, *cap. 43.* Qua causa & *extrema suffragia* hac *leg.* vocantur. Item *Viaticum* hoc dictum, & τελευταῖον καὶ ἀναγκαιότατον ἐφόδιον; item δῶρον ἐξιτήριον, quasi abeuntibus ex hac vita, & ad Deum cogitantibus, ac veluti iter instituentibus daretur: vnde & *Viatica benedictio* in Concil. Barcinon. *can. 9. pag. 1436. Tom. II. Concil. Ed. Harduin.* vt Cl. Salmasius recte restituit, & ἀφοδιάζεσθαι, viatico instrui dicebantur. Cyprian. *lib. 3. epist 17.* siu. *Ep. 13. Ed. Pamel.* & *18. Ed. Ioan. Oxon.* *Audientibus, si qui fuerint periculo præuenti, & in exitu constituti, vigilantia vestra non desit implorantibus DIVINAM GRATIAM, misericordia Domini non denegetur.* vbi *Diuinam Gratiam* vocat Cyprianus, pariter vt *lex 5. infr. ne Sanct. Baptism.* & obsolute *Gratiam*, *lex 1. eod. tit.* Ea vero de re, inter alios, quos *supra* iam laudaui, expressius est *dictus Canon. 13.* Nicæni Concilii: περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων, ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος διαφυλαχθήσεται καὶ νῦν, ὥστε, εἴτις ἐξοδεύοι τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ΕΦΟΔΙΟΥ μὴ ἀποστερεῖσθαι: εἰ δὲ ἀπογνωσθεὶς καὶ κοινωνίας πάλιν τυχὼν, πάλιν ἐν τοῖς ζῶσιν ἐξετασθῇ, μετὰ τῶν κοινωνούντων τῆς εὐχῆς μόνης ἔστω. Καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς οὑτινοσοῦν ἐξοδεύοντος, αἰτοῦντος τοῦ μεταλαβεῖν εὐχαριστίας, ὁ ΕΠΙΣΚΟΠΟΣ ΜΕΤΑ ΔΟΚΙΜΑΣΙΑΣ μεταδιδότω τῆς προσφορᾶς: *de iis autem qui excedunt, antiqua & canonica lex nunc quoque seruabitur, vt si quis vita excedat, vltimo & maxime necessario viatico ne priuetur. Si autem deploratus & communionem assecutus, rursus in viuos relatus sit, cum iis sit qui orationum sunt tantum participes. In summa autem de quolibet excedente, & eucharistia participationem petente, Episcopus cum examinatione eum oblatione impertiat.* Quo loco non alius temere illustrior ad hanc totam *legem* illustrandam: quem tamen locum Episcopus Aurelianensis haud ita pridem de *Absolutione* accipiendum contendebat; quem recte refutat Doctus Habertus in ἀρχιερατικῷ ad *part. 10.* peculiari digressione, *pag. 273. 274.* Addatur & hic Synesii locus *epist. 67. pag. 215. Edition. Petau.* de Lamponiano quodam excommunicato loquentis: εἰ προσπελάσειε Λαμπονιανῷ τὸ χρέων, καὶ ἡ κυρία παρεῖναι δόξειε, πᾶσιν ἀφῆκα τοῖς τότε παρεσομένοις Πρεσβυτέροις, κοινωνίας αὐτῷ μεταδοῦναι, μηδεὶς γὰρ ἀποθάνοι δεδεσμένος ἐμοὶ ἀναῤῥωσθεὶς δὲ, πάλιν ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ὑπόδικος ἔστω, &c. id est, *si Lamponiano fatalis necessitas immineret, & præstituta mortis dies adesse videretur: tum omnibus, qui eo tempore interessent Presbyteris concessi, vt eum in communionem ecclesiæ reciperent. Nullus enim quantum in me erit obstrictus moriatur. Sin conualuerit, rursum iisdem pœnis teneatur.* Pseudepistol. Sixti III. *Tom. I. Concil. Edit. Harduin. pag. 1737. 1738. Bassus a Synodo condemnatus est, ita tamen vt in vltima die Viaticum ei non denegetur, propter humanitatem pietatis Ecclesiæ.* Et hæc quidem in commune. Atenim, quod tertio loco notandum, Scænicis quoque Gentilibus nominatim id petentibus data Sacramenta: quod *hac* Valentiniani *lege* firmatur per Gallias. Neque tamen adhuc per Africam simpliciter obtinuit, quod postea Patres Africani constituerunt, vt habetur *Can. 45. Cod. Canon. Ecclesiæ Afric. pag. 885. 886. Tom. I. Concil. Edit. Hard. Vt ægrotantes, &c. vt SCÆNICIS atque Histrionibus, cæterisque huiusmodi personis RECONCILIATIO non negetur.* Vbi Græcus Interpres ΧΑΡΙΝ ἢ καταλλαγὴν vertit. χάρις & χάρισμα, vt Latinis *Gratia*, pro *Baptismo* aut *Eucharistia*, vt ab aliis iam ostensum est. Qui idem tamen interpres *ibidem* addit, ἢ ἀποστάταις μετανοοῦσι καὶ ἐπιστρέφουσι, quod illic loco non conueniebat: agitur enim *eo versiculo*, non nisi de Scænicis & Histrionibus, cæterisque huiusmodi personis, Ludicris, scilicet & vt dicitur *Can. 63. pag. 899. Ed. cit. Ex qualibet ludicra arte.* Huc etiam pertinet optime locus, quem ex Chrysostomo adfero ad *leg. 4. infr.* Imo & τὸν δαιμονιζόμενον, quem vexant mali spiritus, sed qui habet dilucida interualla, in quibus non blasphemet Sacramentum, in morte baptizandum, ne ex hac vita priuatus gratia Baptismatis discedat, καὶ στερηθῇ τοιούτου ΕΦΟΔΙΟΥ, & hoc viatico priuetur, Balsamon *ad interrogationes Canonicas Timothei Episcop. Alexandrini*, ait, *pag. 165. Tom. II. Pandect. Canon. Guilielm. Beuereg.* His ita præsuppositis, iam quæritur, & vero in *huius leg. sp.* quæsitum fuit, quid iuris esset, si Scænicus, qui in periculo mortis ἐφόδιον accepit, & sic Scænica conditione liberatus fuit, postea euadat seu conualescat? In aliis ita ius fuit, seu Canon Ecclesiasticus obtinuit, vt Viatici istiue in vltimo vitæ & extremo periculo participes facti, si conualescerent, in inferiorem aliquem statum gradumque reuoluerentur, reponerenturque: quod sancitum *prædicto Canone Nicæno 13.* εἰ δὲ ἀπογνωσθεὶς καὶ κοινωνίας πάλιν τυχὼν, πάλιν ἐν τοῖς ζῶσιν ἐξετασθῇ; μετὰ τῶν κοινωνούντων τῆς εὐχῆς μόνης ἔστω. Certe & illud con- p. 363
stitutum *can. 12. Neocæsar.* vt si quis in morbo constitutus baptizatus fuerit, ad Presbyterium promoueri non possit: addita ratione, *quod fides eius non sit ex proposito, sed ex necessitate*, οὐκ ἐκ προαιρέσεως γὰρ ἡ πίστις αὐτοῦ, ἀλλ' ἐξ ἀνάγκης: cui conuenit & quod Eusebius refert *lib. 6. cap. 43.* ex *epist.* Cornelii Episc. Romani *ad Fabium Antiochenum*: & *d. epist.* Synesii 67. *p. 215. Edit. Petau.* πάλιν ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ὑπόδικος ἔστω. Atenim Scænicis id *hac leg.* speciatim tribuitur a Valentiniano; vt si quis ex iis in extremo periculo

Sacramenta ſeu extrema ſuffragia conſequutus ſit, ſi conualuerit, ad Scænam non ideo reuocetur, ſed ſcænica deinceps conditione liberetur. Quod & ipſum poſtea Patres Africani ab Honorio petendum decreuere Anno 399. (vt alibi probabo:) *vt ſi quis ex qualibet ludicra arte ad Chriſtianitatis gratiam venire voluerit, ac liber ab illa macula permanere, non enim liceat a quoquam iterum ad eadem exercenda reduci vel cogi:* vt habetur *Can. 63. Cod. Afric. pag. 899. Tom. I. Concil. Edit. Harduin.* Sic quidem vt non iam diſtinguant, vtrum in extremo periculo conſtituti id petierint, necne.

Cæterum, vt ad *huius leg.* ſententiam accedamus, ne huius priuilegii obtentu fraus ſueuſque fieri poſſet, quadruplicem cautionem *hac leg.* Valentinianus præſcribit, quam adhiberi oportet, priuſquam Scænicus Viaticum line conſequi, & exinde ſcæna liberari poſſit. Prima cautio eſt; quod *ante omnia diligenti obſeruari ac quari ſanctione oporteat, vt vere & in extremo periculo conſtitutis id pro ſalute poſcentibus beneficii tribuatur:* & ſic ſalute conclamata. Pariter vt in commune id ſtatutum: & quidem *d. can. 13. Nicæno:* περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων, *de iis autem, qui excedunt*, inquit: & mox, εἴτις ἐξοδεύει, *ſi quis excedat*, item, εἰ δὲ ἀπογνωσθεὶς καὶ κοινωνίας πάλιν τυχὼν, *ſi autem deploratus & communionem aſſecutus.* Ἀπογνωσθεὶς eſt deſperatæ ſalutis & vitæ: ἀπόγνωσις eſt ἀνελπία: ἀπογνώστης, ἀνέλπιστος, Heſychio. *Ancyrano can. 6.* εἰ μέν τοι κίνδυνος καὶ θανάτου προσδοκία ἐκ νόσου ἢ ἄλλης τινός προφάσεως συμβαίη, *ſed ſi periculum mortiſque expectatio ex morbo vel aliqua alia occaſione euenerit.* Can. 16. in fin. ἐπὶ τῇ ἐξόδῳ τοῦ βίου, *in vita exitu.* Can. 23. ἐν τῷ τέλει τοῦ βίου, *in fine vita:* & Can. 12. Neocæſar. *pag. 411. Pandect. can. Beuereg.* ἐὰν νοσῶν τις φωτισθῇ, *ſi quis ægrotus fuerit baptizatus:* Dionyſius Ep. Alex. apud Euſebium *Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 44.* ἀπαλλαττομένοις τοῦ βίου.

Secunda Cautio eſt, quod *Epiſcopi* approbatione id fieri oportere definit; Quod & ipſum in commune requirit prædictus *Canon 13. Nicæn.* Καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς οὑτινος ἂν ἐξοδεύοντος, αἰτοῦντος τοῦ μετασχεῖν εὐχαριστίας, ὁ Ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας μεταδιδότω τῆς προσφορᾶς: *in ſumma autem, de quolibet excedente, & eucharistia participationem petente, Epiſcopus cum examinatione eum oblatione impertiat.* Cui, vti dixi, optime conuenit, quod *hac leg.* cauetur. Quare error eſt Syneſiani Interpretis *p. 68.* quaſi de duplici & diuerſa communione & reconciliatione agatur *hoc Canone*, quod prior ſolam peccati remiſſionem indulgeat, poſterior oblationis ius & Euchariſtiæ. Nam imo de vna eademque indulgentia morituris præſtanda *eo Canone* agitur; ſed cui modus quidam tantum *in fine Canonis* adiicitur, pariter vt *hac leg.* Nempe & ab Epiſcopo id faciendum, & μετὰ δοκιμασίας: *Vt vero ait hæc lex, & in extremo conſtituti, id pro ſalute poſcentes, ſi tamen Antiſtites probant, beneficii conſequantur.* Et miror Viaticum, τελευταῖον καὶ ἀναγκαιότατον ἐφόδιον in *dicto Canone* ab Interprete illo accipi pro ſola peccati remiſſione, quæ promiſcue ac citra vnicum vllum delectum omnibus indulgentur. Cum ipſe non ignoret, quod iam oſtenſum eſt, *Viatici* appellatione omnino & Euchariſtiam & Baptiſmum intelligendam, non imperfectam, quam ipſe vult, reconciliationem. Idque etiam *Arauſicanus Canon 3. Tom. I. Concil. pag. 1784.* & *Gerundenſis can. 9. pag. 1044. Tom. II. Concil. Edit. Harduin.* teſtantur.

Tertia cautio eſt, quod deſiderium Scænici id poſtulantis ad *Iudices*, vel *Curatores* Vrbium ſingularium, vtpote ad quos cura Spectaculorum ſpectabat, perferri velit Valentinianus.

Vt ita, (quod quarta cautio eſt) miſſis Inſpectoribus ſedulo exploretur, vtrum reuera in extremis conſtitutus ſit is, qui Sacramentum petit, ne alioquin ſcilicet ementito vitæ periculo, atque huius priuilegii & deſiderii obtentu, Scænici ſuam promiſcue conditionem euitare poſſint, moxque ad vomitum ſuum redire. Sic ſane & milites cauſaria miſſione non temere dimittebantur, niſi quos conſtaret Medicis denunciantibus & Iudice competente diligenter examinante, vitium contraxiſſe; quo ſemel facto inſtauratio poſtea concedi non ſolebat obtentu recuperatæ valetudinis melioris: *l. 6. Cod. Iuſt. de re milit.* His iam omnibus obſeruatis, Scænicum in ſcenam retrahi vetat Valentinianus, etſi *euaſerint*, id eſt, conualuerint. Haud abſimilia porro his ſunt quæ Hebræi obſeruant de Proſelytis Noachidis ſeu Gentilibus Iuſtitiæ ſeu Iuſtis non admittendis, niſi Triumuirorum indicio, qui conſtantem eorum mentem explorarent, & non ſolemni, inter alia quoque, Baptiſmo: de quo Seldenus *de iure naturali, lib. 2. cap. 1.* Hæc ſi Baronius attendiſſet, *in Anno 371. num. 128.* non vtique pronuntiaſſet, *Valentinianum haud pie hanc conſtitutionem ſanxiſſe:* imo non in ſæculares poteſtates carmen hoc intonuiſſet: *Vides, quam perperam & inconſulte Principes, ea quæ ſunt Eccleſiaſtici muneris, tractare conſueuerint.* Quid enim hic alienum ab Eccleſiaſtico munere canoneue? Imo, quid non laude dignum, ſcænæ & voluptatibus publicis Scænicos eripientis cum iactura equidem aliqua voluptatum publicarum, fauore ſolo Chriſtianitatis? Obſeruandus igitur gradus hic & ratio hæc ad Scænicas voluptates eradicandas: cui adde & alias *l. 2. 4. 8. 9.* Ac nominatim dictam *l. 2.* quæ eundem Valentinianum Sen. Auctorem habet. Tandem ſi vera eſt inſcriptio *huius leg.* hic monendum, ſemel ſpectaculorum & ſcænicorum curam *Romæ* fuiſſe penes Præfectum Vrbi: quod ſane docent liquido *lex 4. 5. 6. hoc tit.* quæ Præfectis Vrbi inſcribuntur: docet *L. 1. §. 12. D. de off. P. V.* Ammianus Marcellinus, Symmachus, Caſſiodorus *lib. I. Var. 30. 31. 32. 33.*

FILIÆ *Scænicorum quænam ad ſcenam reuocari poſſint vel non.*

II. (a) Idem AAA. ad Iulianum Proc. (b) Afric.

EX Scænicis natas, ſi ita ſe geſſerint, vt probabiles (c) habeantur, Tua Sinceritas ab inquietantium fraude direptionibuſque ſubmoueat: Eas enim ad ſcænam de ſcænicis natas æquum eſt reuocari, quas vulgarem (d) vitam conuerſatione & moribus exercere & exercuiſſe conſtabit. Dat. VIII. Id. Septemb. Magontiaci, (e) Gratiano A. II. & Probo Coſs. [371.]

NOTÆ

P. 364

N O T Æ.

(a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iustin.* Concordat autem, ei *lex* 4. *infr. vers. eas enim.* *GOTHOFR.*

(b) *Iuliano* huic ex Magistro memoriæ, qui & *Rusticus Iulianus* integriore nomine, Proconsuli Afric. inscribitur & Anno prox. 372. *lex* 12. *infr. de diuers. offic.* & Anno 373. *lex* 1. *infr. ne Sanct. Baptism.* Eiusdem meminit & Ammianus Marcellinus *lib.* 27. *cap.* 6. quem bestiarum more humani sanguinis auidum fuisse scribit: quod ostendit, cum Proconsulari potestate regeret Africam. Hic idem postea a Maximo Tyranno, P.V. factus, eodem teste: ex quo & illud colligo illum Gallum fuisse. *ID.*

(c) *Probabiles*: de hac voce mox. *ID.*

(d) *Vulgarem vitam exercere est*, volgiuagam venerem exercere. Hinc *vulgaria mulier* Plauto. *Vulgares puellæ* Ouid. 4. *Fastor. v.* 865. *ID.*

(e) *Moguntiaci* hoc tempore constitit Valentinianus, vt iuxta *hanc leg.* testatur quoque Ammianus Marcellinus *lib.* 29. *cap.* 4. bello videlicet contra Alamannos, & in his Buccinobantes, quæ contra Moguntiacum gens erat Alamanna illigatus, vt ibidem Marcellinus, vbi & meminit Florentii Ducis Moguntiaci siue Germaniæ, variant enim hac in re editiones. *ID.*

COMMENTARIVS.

FILIÆ seu MVLIERES NATÆ ex Scænicis & ipsæ conditioni Scænicæ olim promiscue adscriptæ erant, vt præter hanc *legem* docet *lex* 4. & 9. *infr.* Et Christiani tamen Principes id ita temperandum duxere, si & ipsæ vulgarem vitam & inhonestam viuerent, alioquin si *probabilem* seu honestam vitam agerent, eas vinculo naturalis conditionis exemerunt Valentinianus Sen. *hac leg* & Gratianus & Valentinianus Iun. filii eius *d. l.* 4. 8. & 9. ac maxime si sacratissimæ Religioni Christianæque fidei mancipatæ essent, *d. l.* 4. 8. 9. *infr.* Quod forte an & hic voce, *probabiles*, exaudiendum fuerit: quomodo & *probabilis seculo disciplina*, pro Clericatu, effertur *l.* 44. *infr. de Episcopis.* Alioquin *probabiles* omnes, quæ probatam & laudabilem vitam agunt, quibus & melior viuendi vsus est, vt *l.* 4. *infr.* Spartian. *in Vero c.* 5. *In vita priuata etsi minus probabilis minus tamen reprehendendus.* Symmach. *lib.* 3. *epist.* 62. *Felix probabilis & honestate vita & exercitatione militiæ*: & *lib.* 9. *epist.* 37. *Nobiles probabilesque personæ*, &c. Quæ Christianorum Principum moderatio, sanctitas, religioque fuit, paulatim honestas mulieres a scæna reuocantium liberantiumque: Et nominatim quidem Valentiniani Sen. vt *hac leg.* ita & *l.* 1. *supr.* & Valentiniani Iun. *l.* 4. & *l.* 8. 9. *infr.* Notandum porro hanc *legem* ad Africam proprie pertinere pariter vt *l.* 3. 9. 13. *seu vltim. hoc tit.* itemque *lex* 145. *supr. de Decurion.* ex quibus liquet, Populum Africanum spectaculis maxime indulsisse: de quo ad *d. l.* 13. seu *vlt.* vide & Saluianum, & ideo ad ea eos cohortatur Imperator *l.* 3. *prox.*

GYMNICVS *agon per Africam restituitur a Gratiano.*

III. (a) Imppp. Valens, GRATIANVS & Valentinianus AAA. ad Hesperium (b) Proc. Afric. (c)

NON inuidemus, (d) sed potius cohortamur, amplectenda (e) felicis (f) populi studia, (g) Gymnici vt Agonis spectacula reformentur. (h) Verumtamen, cum (i) Primates (k) viri populi studiis ac voluptatibus grati esse cupiant promptius, permittimus, vt integra sit voluptas (l) quæ volentium celebretur impensis. Dat. VI. Id. Mart. Triu. Valente V. & Valentiniano AA. Coss. [376.]

N O T Æ.

(a) *Lex* 1. *Cod. Iust. de Spectaculis & Scænicis.* Cæterum hanc *legem* intellexit Balsamo *in Photii Nomocanonem*, *t.* 13. *c.* 21, de quo mox. *GOTHOFR.*

(b) *Hesperii* huius Proc. Africæ meminit & Ammianus Marcellinus, *lib.* 28. *extremo*, *cap.* 6. Sic quidem vt post Valentiniani Sen. mortem (quæ vtique congruit Anno superiori 375. extremo) sub Gratiano eum Proconsulem Africæ fuisse diserte testetur. Hic filius fuit Ausonii, qui ipse Proconsulatum hunc filii sui Hesperi indicat in *epicedio patris*, vbi ita Patrem suum (Auum Hesperii) inducit de se Ausonio loquentem, *Huius ego & NATVM & generum* (intellige Thalassium) *Proconsule vidi.* Hic idem postea Præfectus Prætorio fuit: de quo alibi. *ID.*

(c) De hoc iam dixi ad *legem superiorem.* *ID.*

(d) Imitatio Virgiliana: *Non equidem inuideo, miror magis.* *ID.*

(e) *Ad amplectenda.* *ID.*

(f) Id est, Quæ felia populus atque alta pace capessere vel amplecti potest: Tertullianus diceret, *Populos temporibus prosperos.* *ID.*

(g) *Studii*, vox, *hic & verf. prox.* hac in re propria: In re inquam ludicra & athletica, vti notum. *ID.*

(h) *Reformentur*, id est restituantur, eorumque agitandorum cupia referatur. *ID.*

(i) *vt. quo.* *ID.*

(k) De *Primatibus* dixi ad *tit. de Decurionib. supr.* Interim locus hic vitium sonat: quem ita restituam & interpungam: *verumtamen, quo Primates Viri populi studiis ac voluptatibus grati esse cupiant promptius, permittimus, vt*, &c. *ID.*

(l) *Voluntas sit, quæ volentium celebratur*, &c. Cod. I. *ID.*

COMMENTARIVS.

GYMNICVM agonem, siue Athleticum ludum, & sic luctam, pancratium & pugillatum & similes, (de quo ex professo scripserunt Viri Clari) desitum aliquamdiu per Africam Proconsularem, & quidem proculdubio Karthagine, totius Prouinciæ Metropoli: quomodo pugilum, nominatim certamina aliquoties vetita discimus ex Ammiano Marcellino *lib. 14 cap. 7.* de quo ad *l. 1. infr. de Gladiatoribus.* Gratianus Imp. hac constitutione sua restituit: P. 365 Quomodo & Honorius postea Africanos Sacerdotales Karthagini restitui, ibique arbitratu suo cum fauorabili editione agere voluit, *l. 145. supr. de Decurion.* Populus scilicet Karthaginensis in hæc ludicra pronus admodum fuit; vt præter *hanc leg.* docuit quoque *lex 2. prox. supr.* docebit & *lex 9.* & *lex vltim. infr. hoc tit.* adeo quidem vt peculiaris ibi *voluptatum Tribunus*, extiterit, id est Spectaculorum Tribunus, *d. l. vltim.* Atque eo pertinent prima illa *huius leg.* verba: *Non inuidemus, sed potius cohortamur amplectenda felicis populi studia.*

Ita tamen quæ secunda *huius leg.* pars est, & limitatio, Gymnicum agonem Afris restituit *hac leg.* Gratianus, vt a volentibus tantum eum edi velit sua sponte, non inuitis. Cui congruit etiam Theodosii *lex* de Syriarchiæ munere, puta *lex 103.* & de Agonothesia in genere, *l. 109. supr. de Decurion.* & *d. l. 145.* ibi, *arbitratu suo.* Nempe (vt *fine legis* dicitur) non est *integra voluptas*, seu voluptati multum detrahitur, nisi ea impensis volentium celebretur. Igitur *quo* (nam ita hic repono) promptius *Primates*, populi studiis ac voluptatibus grati esse cuperent, volentium impensis id permisit. Et vero, si bene mens augurat, ideo quoque Gymnicus agon exoleuisse in partem videtur, quod inuitis hoc onus agonis edendi imponeretur, quod in cuiusque arbitrium nunc confertur. Etsi & alia quoque ratio quandoque fuit Gymnici agonis tollendi alicubi, quia mores inficiebat: exemplum apud Plinium *lib. 4. epist. 22.* Et hæc illa iam constitutio est, quæ in *Cod. Iustinianeo* extat *l. 1. de Spectaculis*, quamque Theodorus Balsamo, *in Photii Nomocanonem, tit. 13. cap. 21. pag. 1125. Bibl. Iur. Can. Hen. Iustell.* intellexit, cum dixit, *primo capite, lib. 11. tit. 41.* sancitum fuisse: *Vt nemo inuitus certamina ederet, sed voluntarios sumptus faceret*; vnde quidam argumentum ducunt, *legem* illam ampliorem fuisse iam olim, quam hodie ea legatur in editis exemplaribus. Male. Nam imo hoc illud est omnino, quod *illa l. 1.* seu *hac leg. 3. in fin.* dicitur.

Ex *hac* interim quoque *lege* liquet, non Duumuiros & Sacerdotes tantum ludos edidisse, de quo ad *l. 1. supr. de Spectaculis*: verum alios quoque Primates, Curiæ scilicet, qui inter Decuriones primi erant: de quibus *suo titulo supr. de Decurion.* & ad *l. 13. supr. de Legatis*: & quidem Gymnicos agones: de quo est etiam Libanii locus *in Antiochico, p. 358. Edition. Morell.* Quo loco Antiochenorum Curialium in patriam sumptus effusos prædicat; *ὅτως ἐκκεχυμένως ἀναλίσκουσιν εἰς ἀγῶνας ἱππικούς τε καὶ γυμνικούς*, *sic prodige ac prodigaliter insumunt in certamina equestria & ludos Gymnicos*, &c.

Cæterum hæc illa proculdubio est constitutio, quæ cum Valentis nomen præferat, & quidem primo omnium loco, Hieronymum *in Chronico* (si Hieronymi id est) in errorem induxit, vt scriberet (& quidem Anno perperam adscripto) *Agonem Constantinopoli a Valente redditum.* (Nam quod Cedrenus Anno Valentis septimo scribit, *p. 331, Tom. I. Edit. Reg.* Valentem Paganis potestatem dedisse *θυσίας καὶ πανηγύρεις ἐπιτελεῖν*, id iam alio pertinet:) Dicere debuit Scriptor ille, *Agonem Carthagini a Gratiano redditum*: Scilicet non ideo, quia Valentis nomen *huic legi* inscriptum est, idem Valenti ea adscribenda venit. Mos quippe tum fuit, omnium Imperatorum, qui eo tempore conregnabant, nomina constitutioni quamlibet ab vno latæ inscribi. Quod etiam cum Cedrenus non nosset, tanquam singulare aliquid, *pag. 312. Edit. Reg.* notauit, Valentinianum Edicto cuidam a se promulgato, Valentis & Gratiani quoque nomen adscripsisse.

Hic interim illa notanda: *non inuidemus, sed potius cohortamur* (ad) *amplectenda felicis populi studia*: Eo scilicet ludicras artes nonnullas in Republ. aliquando recte tolerari: de quo iam quoque dixi ad *l. 2. supr. de Maiuma*: si Dei iniuriam non contineant, si proximi scandalum absit: si non ex malis moribus incentiuum præbeant.

FILIAE *Scænicorum quænam ad scenam reuocari possint vel non.*

IV. (a) Imppp. Gratianus, VALENTINIANVS & Theod. AAA. ad Paulinum P.V. (b)

MVLIERES, quæ, ex viliori (c) sorte progenitæ, spectaculorum debentur obsequiis, si scænica

scænica officia declinarint, ludicris ministeriis deputentur: (d) Quas (e) necdum tamen consideratio sacratissimæ religionis & Christianæ legis reuerentia suæ fidei mancipauit: eas enim quas melior (f) viuendi vsus vinculo naturalis condicionis euoluit, (g) retrahi vetamus. Illas (h) etiam feminas liberas a contubernio (i) scænici præiudicii durare præcipimus, quæ Mansuetudinis nostræ beneficio, expertes muneris turpioris (k) esse meruerunt. Dat. VIII. (l) Kalend. Mai. Med. (m) Gratiano V. & Theod. II. (n) AA. Coss. [380.]

N O T Æ.

(a) Repetitur *hæc lex* totidem pene verbis *l. 9. infr.* vtraque a Baronio omissa, quæ tamen in *Annales Ecclesiasticos* referri meruit. Iungenda porro *huic* videtur *lex 5. prox.* *GOTHOFR.*

(b) *Paulino* huic P V. inscribitur quoque *d. l. prox.* Erat autem hoc tempore Damasus Episc. V. R. *ID.*

(c) Huiusmodi fæce *l. 9. infr.* *ID.*

(d) Id est. *retrahantur* (qua voce mox vtitur) *in scænam.* *ID.*

(e) *Prima* exceptio. *ID.*

(f) *Melior viuendi vsus*, id est, probabilis vita & Christiana disciplina fidesque. *ID.*

(g) Et *exoluit.* *ID.*

(h) *Secunda* exceptio. *ID.*

(i) An rescribendum *a contubernii scænici præiudicio?* Nil opus: nam & ita quoque habet *lex 9. infr.* *ID.*

(k) Turpe munus scænicorum, *hac leg.* de quo ad *leg.* 12. *infr.* Aristænetus quoque *epist.* 19. de scænica quadam agens αἰσχρὸν ἐργασίαν vocat: vid. & *initium eius epist.* *ID.*

(l) V. Kal. Mai. *d. l. prox.* *ID.*

(m) Mediolani Valentinianus Iun. hoc tempore consistebat: vide & *d. l. 5. infr.* *ID.*

(n) *γρ. Theodos.* I. vt etiam habet *l. prox.* *RITTER.*

P. 366

C O M M E N T A R I V S.

AD VRBEM ROMAM, eiusque Scænicas pertinent quinque sequentes Gratiani & Valentiniani Iun. constitutiones, intra vnius anni spatium per duos Consulatus datæ. Hac sane constitutione Valentinianus Iunior MVLIERES, seu FILIAS, quæ *spectaculorum obsequiis debentur*, seu *contubernio scænici præiudicii vinculo naturalis conditionis* tenentur, scænicam conditionem declinantes in scænam reuocari iubet Anno D. 380. seu *ludicris ministeriis deputari:* vt *hac leg.* dicitur & *l. 9. infr.* id est *scænicis* voluptatibus: Ludicrum est, quod sui spectaculo ludum facit. Sic *Ludicræ artes*, *l. 2.* infr. de Maiuma: *Ludicra* simpliciter, *l. 2. supr de offic. Rector. prouinc.* Artes ludicræ Marcellino, *lib. 14. cap. 7.* Neque enim audiendus Vir alias Doctissimus in *leges Atticas*, *p. 75.* qui his verbis indicari putabat, mulieres, de quibus hic agitur, non in genere tantum ad scænam reuocandas, verum ἰδίως pœnæ loco, vt cogerentur ridiculas anus γραΐδια repræsentare, arg. *l. 8. infr. eod.* ibi, *donec anus ridicula senectute deformis.* Quæ & ipsa verba perperam accipiuntur, vt ibi dicam. Ergo Scænæ debitæ mulieres *hac l.* & *d. l. 9. ludicris ministeriis deputari*, id est, ad scænam reuocari iubentur. Quæ regula *huius leg. initio* proponitur.

Mox tamen *Exceptiones* duæ subiiciuntur, duoque adeo euitandæ Scænicæ conditionis modi proponuntur, pariter vt *l. 4. supr. 8.* & *9. infr.* Primum scilicet VACATIONEM a Scænica conditione tribuere vult mulieribus Scænicis, quæ *vinculo naturalis conditionis* ex viliori sorte progenitæ spectaculorum debentur obsequiis, Religionem Christianam. Nempe Religionem Christianam professæ, Scæna & scænica conditione liberantur; quod quidem Christianæ Religionis reuerentia a Valentiniano Iun. & Gratiano *hac leg. d. l. 8.* & *9. infr.* constitutum est, seu vt *hac leg.* dicitur *consideratione sacratissima religionis, & Christiana legis reuerentia:* edita hac constitutione Mediolani, proculdubio ad Ambrosii Mediolanensis Episcopi cohortationem, qui & aliarum piissimarum Constitutionum in venerationem Religionis Christianæ Valentiniano Iun. Auctor fuit. Nempe cum pii Patres, pius Ambrosius Scænicarum spectacula prorsus abolita sperare non possent, id saltem emeruere, ne Christianam Religionem professa, vel etiam probatis moribus mulier in pulpitum descenderet, seu in scenam retraheretur. Nam vt probatæ vitæ contraria hæc professio est, quæ & ideo *munus turpius* hac lege vocatur, ita vel maxime Christianæ Religioni dedecori est. Religio scilicet Christiana *melior* est *viuendi vsus*, vt *hac leg.* vocatur, quam vt in scenam Christiana mulier prodire debeat aut possit: Denique quam fidei suæ Christiana Religio iam mancipauit, seu quæ Scenica Christianam fidem amplexa est, Scænæ amplius mancipari non debet. Et hic quidem sensus & ratiocinatio est *huius leg.* his verbis: *Quas consideratio sacratissima religionis Christiana legis reuerentia SVÆ FIDEI mancipauit:* vt & *l. 8. infr.* his verbis, *Si vacationem Religionis nomine postularit.* Et *leg. 9. Quas sanctissima religionis & in perenne seruanda Christiana legis secretorum reuerentia sua fides vindicauit.* Solam igitur seriamque Religionis Christianæ professionem mulieribus Scænicæ conditionis hanc immunitatem tribuisse, seu scena liberasse hinc clare apparet. Quare error est Petiti *in leges Atticas*, *p. 74.* & *75.* qui id ita intellexit de mulieribus scenicæ conditionis, quæ sacro tinctæ essent lauacro seu baptismate: Id enim his tribus legibus non requiritur, sed sola Religionis Christianæ professio. Et ita quidem

iam

iam nunc constitutum tam de mulieribus Scenicæ conditionis, quam de his quæ iam in Scena & in pulpito seruiebant, *d. l. 8. infr.* cum tamen nondum eo processisset Valentiniani Sen. patris indulgentia: verum si in extremo vitæ siue Scenici, siue Scenicæ extrema suffragia peterent, *l. 1. supr.* Et forte etiam mulieribus tantum id nunc indultum, non & viris: nam hæ tres *leges 4. 8. & 9.* sunt ῥητῶς de mulieribus. Et ita quidem hæc distingui oportet: non vt Petitus turbide. Id vero ita nunc a Valentiniano Iun. constitutum; cui & Valentinianus Sen. pater ipsius etiam præluserat ad aliquid, similibus duabus exceptionibus *l. 1. 2. supr.* Denique Christiana Religio immunitatem præstat a *Scenica* conditione; sic vt & præstat a pœna ludi *l. 8. supr. de Pœn.* & a custodia Templorum, *l. 1. infr. de fid. Catholic.* Similis est quoque constitutio *leg. 12. in fin. infr.* Ita Chrysostomus *Homilia 67. in Matthæum, pag. 665. 666. Tom. VII. Oper. Edition. Benedictin.* cuiusdam Scenicæ Antiochiæ meminit, τὰ πρωτεῖα ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἐχούσης, *quæ primas in Scena tenebat*, ex Phœnice oriundæ, quaque nihil petulantius erat; quæque etiam Imperatricis fratrem in sui amorem traxerat, quæ ad Monachismum se contulit; cumque ὕπαρχος Præfectus, forte Comes Orientis a populo coactus, militibus missis eam ad Scenam retrahere voluisset, a virginibus, quæ ipsam receperant, retenta fuit; postque Sacramenti communionem, gratiamque susceptam, decessit, καὶ σάκκον, inquit, περιθεμένη, πάντα τὸν χρόνον οὕτως ἠσκεῖτο: ταύτης ἕνεκεν καὶ ὕπαρχος ἐνωχλήθη, καὶ στρατιῶται ὡπλίσθησαν, καὶ μεταστῆσαι πρὸς τὴν σκηνὴν αὐτὴν οὐκ ἴσχυσαν, οὐδὲ ἐξαγαγεῖν τῶν ὑποδεξαμένων αὐτὴν παρθένων. αὕτη μυστηρίων καταξιωθεῖσα τῶν ἀποῤῥήτων, καὶ τῆς χάριτος ἀξίαν ἐπιδειξαμένη σπουδὴν, οὕτω τὸν βίον κατέλυσεν, ἅπαντα ἀπονιψαμένη διὰ τῆς χάριτος, καὶ μετὰ τὸ βάπτισμα πολλὴν ἐπιδειξαμένη τὴν φιλοσοφίαν: *& cilicio induta omne transigebat tempus. Huius reuocandæ causa præfectus a quibusdam concitatus est, milites armati ad scenam illam transferre non potuerunt, neque ex cœtu virginum, quæ illam receperant, educere. Hæc sacris dignata mysteriis, cum accepta gratia dignum virtutis studium adhibuisset, vitam clausit, cum peccata omnia per gratiam eluisset, & post baptismum magnam exhibuisset philosophiam.* Huc addatur & Palladii locus *in Lausiaca cap. de Serapione, pag. 104. Edit. Meurs.*

Secunda vacatio seu exceptio *huius leg.* hæc est si videlicet Scænica Immunitatem a scena rescripto seu beneficio Principis impetrauerit: quod apertum habet sensum, & repetitum quoque extat *d. l. 9.* Et id tamen quadamtenus postea abrogatum ab Honorio *l. vlt. infr.* vbi dicam.

THYMELICAM *Vrbis Romæ abducentis, vel retentantis pœna.*

V. (a) Idem AAA. ad Paulinum P. V. (b)

QVISQVIS Thymelicam ex Vrbe venerabili, (c) inmemor honestatis, abduxerit, eandemque in longinqua transtulerit, seu etiam intra domum (d) propriam, ita vt voluptatibus publicis non seruiat, retentarit, quinque librarum auri inlatione multetur. Dat. V. (e) Kal. Mai, Med. Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [389.]

P. 367

NOTÆ.

(a) Et *hæc lex* abest a *Cod. Iustin.* Iungendaque ei, vt dixi, videtur *lex 4. supr.* GOTHOFR.

(b) *Paulinus* P. V. Romæ sub Valentiniano Iun. Eidem inscribitur *d. lex superior 4. prox.* ID.

(c) *Vrbs venerabilis*, id est, Vrbs Roma: vid. *Glossar.* ID.

(d) Potentiores scilicet Ciues domi suæ voluptatum artifices aluerunt, vt *hæc lex* testatur, & Lactantius *lib. 6. cap. 21.* Et Augustinus 2. *Aduersus Academicos, cap. 2.* ID.

(e) VIII. *d. l. 4. supr.* ID.

COMMENTARIVS.

CONTVBERNIVM scenicæ Thymelicæ Vrbis Romæ, a Valentin. Iun. *hac leg.* damnatur, atque adeo eam abducens aut retinens ex Vrbe Roma, ludis publicis seruientem, quinque libris auri multari iubetur. *Thymelicam*, inquam, id est, Scænicam, quæ modos & saltationes facit in Thymele seu pulpito Orchestræ parte. Cuius Thymelæ fit præterea mentio, *l. 21. & 22. supr. de diuers. offic.* itemque Thymelicorum, *l. 12. infr. hoc eod. tit. & l. 21. de Pistor.* Resque notior est, quid Thymelici fuerint, quam vt plura moneri a me oporteat: vid. saltem Saluianum *lib. 6. de Gubernat. cap. 7.*

Constitutionis autem huius hæc *Ratio* assignatur, honestatis videlicet his verbis: *Immemor honestatis abduxerit.* Nempe inter alia Adolescentum vitia Romæ, complures etiam Nobiles harum Scenicarum Thymelicarum forma ac decore, studioque abripiebantur (quod Ambrosii quoque locus mox ostendet,) quod vitium etiam notat Firmicus *lib. 3. cap 7. pag. 66.* ita quidem etiam vt vel in longinqua translatas, vel intra priuatam domum retentas pro honestis matribusfamilias, vel etiam vxoribus circumferrent, hisque adhærerent; *honestatis immemores.* Nam vt munus earum turpe, eæque personæ inhonestæ sunt, ita *honestatis immemor* ipse est, qui sibi eas sociat, hisque sese fascinandum præbet. Cui malo Valentinianus Iun. *hac leg.* occurrit, eiusdem Mediolanensis Ambrosii proculdubio hortatu. Nam & ex eadem vrbe data hæc *lex.*

Ergo ex *hac* quoque *leg.* liquet, Thymelicas inter inhonestas personas habitas: vnde & *l. 12. infr. a* Theodosio M. vetatur fœmina vel puer Christianus

Thy-

Thymelici consortio imbui. Quanquam & hæc ipsa constitutione consultum quoque Vrbanæ lætitiæ & voluptati: videlicet ne ea vrbs abductis Thymelicis paulatim suis voluptatibus, quarum retinentior Roma erat, priuaretur: idque indicatur illis verbis; *Ita vt voluptatibus publicis non seruiat.* Sane huc non male referatur, quod Ambrosius ipse memorat, *orat. funebri de obitu huius ipsius Valentiniani Iun. pag. 107. 108. Tom. V. Oper. Edit. Paris. 1614.* vbi castigatos eius mores deprædicans, hæc inter cætera de eo refert, qui hoc Anno D. 380. 15. circiter ætatis annum agebat. *SCÆNICÆ cuiusdam forma ac decore deperire ROMÆ Adolescentes Nobiles nuntiabatur: Iussit eam ad Comitatum venire: Missus, pretio depranatus, sine mandati effectu rediit. Alterum misit, ne voluisse EMENDARE VITIA Adolescentum, & non potuisse videretur. Datus est obtrectandi aliquibus locus, deductam tamen nunquam aut spectauit, aut vidit. Postea redire præcepit; vt & omnes agnoscerent irritum eius non esse mandatum, & adolescentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipse, qui potuit habere in potestate, despexerat. Et hæc fecit, cum adhuc NON HABERET VXOREM, & tamen exhiberet sui, tanquam vinctus coniugio, castitatem. Quis tam dominus serui, quam ille sui corporis fuit? Quis tam aliorum arbiter, quam ille sua censor ætatis?* Non abludit ab hoc prohibitio similis, quæ continetur *l. 21. supr. de Pistorib.* Ne videlicet Thymelicos pistorum filiæ in consortium sumant. Tandem Thymelicorum, & Thymelicarum studium, quantopere non tantum Romæ viguerit, quod *hæc lex* docet: & *d. l. 21.* & *lex 12. infr.* verum etiam Constantinopoli docet *lex 21. & 22. supr. de diuers. offic.* vbi etiam dixi.

Eqvvm Cvrvlem *Vrbis Romæ, vsurpantis, vel in vsus suos conuertentis pœna.*

VI. (a) Idem AAA. ad Valerianum P. V. (b)

EQvos, quos ad sollemne (c) certamen vel Mansuetudinis Nostræ largitio submi-nistrat, vel diuersorum ex Amplissimo (d) Ordine Magistratuum, (e) hactenus (f) ad copiam (g) prouidendos Serenitas Nostra decreuit, vt quidquid illud est, quod palmarum (h) numero gloriosum, & celebratis vtrimque (i) victoriis nobile, congregatur, spectaculis potius Vrbanæ plebis inseruiat, quam prædæ (k) adque compendio deputetur. Quisquis igitur ex eo quod vel Serenitas nostra, vel Ordinarii (l) Consules, vel Prætores (m) in huiuscemodi tribuunt voluptates, quamlibet commodis compendioque priuato deriuandam duxerit esse iacturam, (n) vnius auri libræ condemnatione multatus, largitionibus nostris cogatur esse munificus. (o) Dat. VIII. Kalend. (p) Mai, Triu. (q) Eucherio & Syagrio Cons. [381.]

NOTÆ.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* hinc decurtata & interpolata est. Iungendaque *huic* est *lex 7. & 8. infr. prox.* Imo *lex 2. infr de Equ. curul.* vbi tamen dies aliquantum variat in subscriptione, itemque loci subscriptio: sic enim habet: *Dat. X. Kal. Mai. Aquil.* GOTHOFR.

(b) *Valerianus* P. V. Romæ sub Gratiano: vid. *Prosopogr.* *ID.*

(c) *Sollemne certamen* circense. *ID.*

(d) Id est, Senatu. *ID.*

P. 368 (e) Consulum ordinariorum & Prætorum, *infr. hac leg.* porro vox *largitio* hic ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetenda. *ID.*

(f) Id est adeo, in tantum. *ID.*

(g) Id est copiose, & magno numero. *ID.*

(h) Virgilius in equorum educatione *Georg. III. 100.*

——— animos æuumque notabis,

Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.

Scilicet non agitatores tantum, sed & equi ipsi victores honorati. Plutarch. *in Sympos. 2. pag. 639. Edit. Xyland.* καὶ τῶν ζώων μόνῳ τῷ ἵππῳ μετουσία στεφάνου καὶ ἀγῶνος, *inter animalia solus equus habet communicationem coronæ & certaminis.* De aliis equorum curulium præmiis agitur, *l. 1. de equ. curulib.* Falluntur interim, qui ob his palmis equos *Palmatos* dictos putant, vt ostendam ad *eam leg. 1.* *ID.*

(i) *Vtrimque*, id est, ex diuersis factionibus. *ID.*

(k) Quotum? Non inquiram. Interim illa sequentia hic expendantur; *Quisquis commodis, compendioque priuato deriuandam duxerit esse iacturam.* *ID.*

(l) De *ordinariis Consulibus* alibi dixi. *ID.*

(m) De *Pratorum* editionibus: vid. *supr. lib. 6.* Adde & *Quæstores.* *ID.*

(n) *γρ. iuncturam:* de quo mox. *ID.*

(o) *Munificus*, id est obnoxius: & munificum, obnoxium fisco, *hic*, & *l. 4. supr. de excusat. artific. l. 7. supr. de pred. nauicul. l. 9. 16. supr. de indulgent. debit.* Porro, hunc locum Tribonianus ita immutauit, *vnius libræ auri condemnatione multetur.* *ID.*

(p) *Id.* d. l. 7 & 8. *ID.*

(q) *Aquila*, d. l. 8. *ID.*

COMMENTARIVS.

VSVRPARE, vel suos in vsus commodum compendiumque conuertere EQVVM Curulem, Circensibus ludis in Vrbe Roma destinatum, quemquam, vetat Gratianus Imp. Anno 381. proposita multa in singulas iuncturas auri libræ: Destinatum, inquam, siue Principis largitate, de quo agitur quoque *l. 19. supr. de Prætor.* & *l. 1. infr. de equis curulib.* & apud Symmachum *lib. 10. epist. 19.* & *22.* Sicut & in Prouinciis, veluti in Syria Antiochiæ Curialibus Circenses editnris Equi quandoque donabantur a Principe, vt testatur Libanius *epist. ad Aristænetum, 384. Edit. Wolff.* μέλλων δὲ ἵππων ἁμίλλας χαρίζεσθαι τῇ πόλει, δώρῳ βασιλικῷ τετίμηται· δύο τέθριππα τὸ δῶρον· οἱ δὲ ἐν Βιθυνίᾳ παιδεύονται, *certamen equestre vrbi nostræ representaturus, dono regio affectus est. Id vero duplici equorum quadriga continetur. Equi autem illi in Bithynia instituentur.* siue Magistratuum ea amplissimo Ordine seu Senatu: id est, vt *fine leg.* exprimitur, Consulum, vel Prætorum. Cuius sane posterioris collationis exempla apud Symmachum obuia *lib. 4. epist. 60. 61.* & *lib. 7. epist. 105.* & *106.* Vrbanæ scilicet plebis voluptati, vt alii Principes, Ita & Gratianus quoque *hac leg.* & *duabus proximis*, quæ huic coniungendæ sunt, nil detractum voluere. Quare & ad *copiam prouideri* equos Circenses voluerunt, atque ideo Equos Curules vel a se, vel a Magistratibus collatos intra vrbem retineri voluerunt, non etiam in priuatorum vsus conuerti: & vt quidem censeo, Agitatorum. Imo nequidem vicinis populis & Prouinciis eos concedi Principes voluerunt, ad suas voluptates & ludos petentibus, veluti Campanorum populo (id est Capuanis) nisi certo modio & modo fabarum inuicem Equis & stabulis Vrbis Romæ tributo. Quæ sententia est *leg. 2. infr. de Equis Curulib.* Quæ & ipsa huic nostræ coniungenda venit, alterutrubi, vt videtur, subscriptione emendata. Ergo semel collatos a Principe vel Magistratibus ad Circense spectaculum equos, ad plebis Rom. voluptatem, retineri vult *hac leg.* Gratianus: quos tamen post Palmas & Victorias, nonnulli prædæ suæ faciebant; & vt *hac leg.* dicitur, *Palmarum numero gloriosos, & celebratis vtrimque victoriis nobiles.* Quod *palmas Equorum* attinet, res nota est, & de eo iam aliquid in *Notis.* Quod vero ait, *celebratis vtrimque victoriis nobiles*, VTRIMQVE, id est, in quibuscunque factionibus, quæ quatuor erant, de quibus ad *l. 1.* & *2. infr. de Equis Curulib.*

Illud obseruandum, fugitiuam *hanc leg.* ab hoc *titulo* esse, neque enim quicquam ad Scænicos ea facit, verum ad Equos Curules, de quibus est *infr. tit. peculiarit, de Equis Curulibus:* quo *titulo* melius hæc *lex* collocata fuisset. Quo etiam *titulo* (vti dixi) *lex 2.* huic coniungenda venit.

Superest emendatio ad finem *legis* hic adstruenda: vbi pro *iacturam*, repono *iuncturam*, IVNCTVRA, est Equus combinatus. Paul. *lib. III. sent. tit. 6. de legat. §. 91. Carruca cum Iunctura legata, mula quoque legata, non multo videtur, propter quotidianam loquendi consuetudinem.* In Gloss. Cyrill. Ζεῦξις, *iunctura.* Et in Gloss. Philoxeni, *Iunctura*, ἁρμογή. Eodem sensu dicitur Subiunctorium in *l. 10. supr. de cursu publ.* Iunctura itaque est, non singularis, sed biga Equorum: Ἀμίπλας Græci vocarunt. Hesychius ἀμίπλας ἐκάλουν δύο ἵππους συνεζευγμένους. Hi Republica inclinante combinari, Equi, κομβινεύματα, dicti. Chrysost. *de Circo orat. Spuria pagin. 88. Tom. VIII. Edition. Benedictin.* μὴ τερπέτω σε τὰ προϊππικὰ κομβινεύματα· ἵνα μὴ καταλάβῃ σε τὰ πρὸ κρίσεως κινδυνεύματα· εἰ βούλει κομβινεύειν, καὶ διατάσσεσθαι, δύνασαι τοῦτο ποιεῖν μᾶλλον ἐν τῷ θεωρήματι πνευματικῷ, &c. id est. *Ne te prolusio paribus equis delectet, ne ante iudicium in periculum incidas. Si vis paribus equis currere, & designari, hoc magis potes in spiritali spectaculo*, &c. August. 8. *confess. 6. Treueris cum Imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, atque illic vt forte combinati spatiabantur.* Gloss. Cyrill. ζευγίζω, *combino:* item ζεῦξις κατὰ δύο, *combinatio.* Iunctura itaque, est iumentum, subiugium: Gloss. Cyrill. ὑποζύγιον, *iumentum, subiugium:* quia *subiugandi* vox hac in re propria: vid. *leg. 19. supr. de Prætor.* Et ita Antiquus inscriptio, *Tria iuga*, pro tribus equis. Eodem sensu Græcis sequioris æui ζευγάρη, siue ζευγάριον. Eadem vero vox reponi quoque possit, *l. 1. supr. de indictionib.* Alioquin *Iunctura* est, qua mulæ carrucariæ, aut iumenta, aut boues ad aratrum iugo iunguntur (& ita Pauli locum intelligendum nonnulli male putant) Querolus *in sua Aulularia, Mala dispares, iunctura inuersa, mulio nec se regens.* Capitolin. *in Vero cap. 5. Cum mulabus ac mulionibus cum Iuncturis argenteis.* Sane *iunctura argentea* fit etiam mentio, *l. 19. §. 8. D. de aur. & argent, leg.*

P. 369 AGITATORES *in ipso Circensi certamine supplicio affici non oportere.*

VII. (a) Idem AAA. ad Valerianum P.V. (b)

EOs qui Agitandi munus exercent, Inlust. Auctoritas tua, nullis, præter (c) Circense certamen, adfici nouerit pertinere (d) suppliciis. Dat. VIII. Id. (e) Mai, (f) Eucherio & Syagrio Coss. A. [381.]

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *Lex 3. Cod. Iust. de Spectaculis:* quæ in aliis Editionibus *secunda* est. Iungenda autem *huic* est *lex seq. prox.* 8. Imo & *lex* 6. *supr. prox.* Tandem & *lex 2. infr. de equ. curulib.* GOTHOFR.

(b) Romæ. *ID.*

(c) *Propter*, in *Cod. Iust.* Cuiacian. Edit. male: de quo mox: *Præter*, id est, in ipso certamine, ante & coram certamine; & in circo ipso. *ID.*

(d) *Pertinere:* In *Cod. Iust. Oportere:* nisi quis malit legere, *per te iure.* Quod tamen non assero. Potest enim *pertinere*, hic sustineri absolute pro *oportere*, de quo mox. *ID.*

(e) Ita quoque *l. 8. infr.* vt *l. 6.* Kalend. *ID.*

(f) Aquila, *d. l. 8.* Treu. *d. l. 6.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE AGITATORIBVS est hæc siue Gratiani siue Valentiniani Iun. Imperat. *lex:* de quibus præter hanc *legem* sunt quatuor præterea *hoc Cod.* constitutiones, puta *lex 12. infr. hoc tit. l. 3. supr. de Spectacul. lex 11. supr. de Malefic. l. 21. de Pistoribus* De *Agitatoribus*, id est, de iis, qui Equos Curules in Circo agunt, & agitant: & quidem de Pœna eorum. Cuius *legis* sententiam obscuram non tantum breuitas eius facit, verum etiam diuersitas lectionis, tandem & varia vocis, *præter*, significatio. Sunt primum Codices quidam Iustinianei, in quibus pro *præter*, legitur *propter:* Quæ lectio si admittitur, tum hæc *huius legis* sententia fuerit: Agitatores, etsi quid in certamine Circensi admiserint, etsi quem ibi interfecerint, non ideo a P. V. supplicio affici posse. Secunda est Accursii interpretatio, quam & Ioannes de Platea secutus est, quasi *hac leg.* prohibeatur Præfectus Vrbis Agitatores supplicio afficere, eo ipso quod sint Agitatores; ac si *lex* diceret, non esse delicti genus munus Agitatoris, & ideo non mereri pœnam. Quæ inepta est interpretatio. Tertia hæc *legis* huius sententia cui videri possit; Agitatores delinquentes eatenus a Præfecto Vrbis coërceri posse, vt ne in damnum & detrimentum certaminis & voluptatis Circensis id fiat; ne per hoc, seu ea coërcitione, huiusmodi agitator deinceps agitandi munere prohibeatur: *Præter Circense certamen* igitur fuerit, in præiudicium Circensis certaminis, & sicut excludatur agitator Circensi certamine. Ita sane Tertullian. *de Pallio c. 3. Atque adeo ipse, qui Græcos præter vrbem censebat, literas earum vocemque senex iam eruditus, idem Cato palliata habitu Græcis fauit:* Ait Tertullianus, Catonem censuisse Græcos *præter vrbem*, id est, intra vrbem non admisisse, extra vrbem censeri voluisse. Et ita *censeri præter vrbem* dicitur, qui extra vrbem manet. Ita Nonius *cap. 1. n. 110. Exterminatum*, inquit, *est præter terminos missum.* Præter terminos, id est, extra terminos. Sic apud Tertullianum rursus *in Apologet. Præter esse*, pro extra esse, cap. 38. *Æque spectaculis vestris in tantum renuntiamus, in quantum originibus earum, quas scimus de superstitione conceptas, cum & ipsis rebus, de quibus transiguntur, præter sumus.* Cum igitur alioquin Præfectus Vrbi interdicere quem professione sua possit, vt docet *lex 1. §. 13. D. de offic. P. V.* Item cum cæteroquin disciplina spectaculorum ad P. V. curam pertinet, *d. l. 1. §. 12.* hactenus tamen hæc cura ad eum pertinuisse videatur, vt ne Populi voluptatibus quicquam per hoc derogaret, id est, vt ne Aurigas seu Agitatores agitandi munere interdicere posset. Quam interpretationem, præter vim vocis PRÆTER, quam modo expendimus, iuuare videantur *hoc tit.* leges pleræque, quibus omnibus id ferme agitur, vt ne populi voluptatibus defetuientes, eiusdem Populi voluptatibus aliqua ratione eripiantur. Iuuare quoque videatur tertio loco *lex 8. prox. infr.* cum qua hæc nostra coniungenda venit: ex qua cum *hac* coniuncta, hæc summa conficiatur, quemadmodum Scænicæ mulieres simulata probitate & Religione Christiana populi voluptatibus eripi non debent, ita nec eripi posse Agitatores pœna seu Præfecti Vrbis auctoritate & interdictione. Pariter vt equi Circenses Populi voluptatibus eripi non possunt, cuiusquam vsurpatione, *l. 6. prox. supr.* quæ & ipsa huic nostræ, ceu similem inscriptionem, & eosdem Consules subscriptos habens, coniungenda videtur, vt proinde tribus his capitibus, ex vna eademque constitutione, ad Valerianum P. V. emissa desumptis, vnicum illud Gratiano propositum fuerit; Ne Circensibus voluptatibus destinata, vlla ratione eriperentur; ne, inquam, equi, vsurpatione, *l. 6. supr.* ne Agitatores, disciplinæ publicæ obtentu, *hac leg.* vel Religionis simulatæ prætextu, *l. prox. 8.* Populi itaque studio in Aurigas seu Agitatores immodico tum datum hoc fuerit, hac constitutione, vt quamlibet Inlustris Præf. Vrb. auctoritas summaque esset, Agitatores tamen agitandi muneri, & sic voluptatibus publicis ob delictum aliquod eripere non posset, veluti inflicta eis exilii pœna. Et hæc quidem *huius leg.* sententia videri cui possit, tot iis, quæ dixi, argumentis.

Et quarta tamen hæc accidere cui possit, quæ Græcorum est Basilicorum *lib. 54. t. 5.* & *Synops. Basil. t. 5.* quæ & Cujacio placuit, Præfectum Vrbis in Agitatores coërcitionem non habere, nisi si quid circa equestre certamen, id est, circa ludum & in Circo admiserint: *εἰ μὴ περὶ αὐτὴν τὴν ἱπποδρομίαν ἁμαρτήσωσιν*: & sic *præter* exclusiue & per modum exceptionis, Quæ interpretatio mihi minime placet; Nam qua, quæro, ratione Præfecto Vrbis eorum tantum coërcitio competeret, quæ in Circo admitterentur, non vero alibi? Imo vero, contraria hæc mihi nunc nnuaque, vt existimo, placet interpretatio, Interdici p. 370
hac leg. Præfect. Vrbis coërcitione in Agitatores, in Circo ipso seu in conspectu ipso Circensis certaminis: *Præter Circense scilicet certamen*, est, in conspectu plebis, cum plebs coit ad spectandum, cum Aurigæ agitandi munus exercent. *Præter*, pro, coram, siue *ante ora.* Ita passim apud Veteres, *præter os, oculos, pedes; præter limen, præter lumina, præter domum, præter viam.* Eodemque sensu vox, *præter*, effertur quoque in voce *præterire, præterducere*, & similibus. Sic & Plinius *lib. 36. cap. 2.* inuehens in columnas ingentes, quæ priuatis, & quidem in atrio Scauri positæ; *Non ergo in tam malo exemplo moribus cauere vtilius fuerat, quam tacere tantas moles in priuatam domum trahi PRÆTER fictilia Deorum fastigia.* Præter, id est, ante, coram. Et vero huc omnino pertinet Amiani Marcellini locus insignis, *lib. 15. cap. 7.* vbi de Leontio P. V. Romæ, quomodo & hæc lex *Præfecto Vrbi* inscribitur; deque seditionibus

popularibus in eum concitaris agens, eo quod acer quibusdam videbatur, authoritatis suæ tetuandæ causa. *Prima igitur*, inquit, *ars*, (lego *fax*: postrema Editio habet, *causa*:) *seditionis in eum concitandæ vilissima fuit & leuis. Philoromum eum AVRIGAM RAPI præceptum, SECVTA PLEBS omnis velut defensura proprium pignus, terribili impetu Præfectum incessebat, vt timidum: sed ille stabilis & erectus IMMISSIS Apparitoribus, correptos aliquot, vexatosque tormentis, nec strepente vllo, nec obsistente, insulari pœna multauit.* Igitur *hac leg.* Imperator seditionibus & certaminibus hac ratione occursum voluerit, ne dum ad supplicium in ipso Circo Agitator duceretur, cui plebs fauerer, furenti populo seditionis fax subderetur. Eundemque (quod tertium) sensum veteris constitutionis Augusti Imp. puto; de qua Suetonius, *cap. 45.* loco vexatissimo: *Coercitionem in Histriones Magistratibus in omni tempore & loco lege vetere permissam ademit, PRÆTER ludos & Scenam.* Quem locum iam Viri docti ibi eum *hac leg.* contulere; vero tamen sensu non expresso: quem nos, vt puto, nunc demum eruimus. Nam Tacitus de hac ipsa re 1. *Annal. c. 77.* sub Tiberio; *Atheatri licentia grauius tum erupit:* Et mox: *Actum de ea seditione apud Pratores, dicebanturque sententia, vt Pratoribus Ius Virgarum in HISTRIONES esset; intercessit Haterius Agrippa, & valuit intercessio, quia Diuus Augustus immunes verberum histriones quondam responderat.* Quibus alioquin Suetonii & Taciti locis eundem hactenus Interpretes sensum affingunt, quem Cuiacius huic *legi*: Quasi Augustus in Histriones coërcitionem Magistratibus permiserit; nonnisi per tempora ludorum, & in loco ipso peccati; id est, in Scena: Cum contra verius sit, ea qua dixi ratione, per tempus ludorum & in ipsa Scæna Circoque id vetitum. Io id vero etiam quarto loco expendo verba illa huius leg. *Eos qui agitandi munus EXERCENT*, item illa, *Circense CERTAMEN:* id est, in ipso agitandi actu exercitioque, & Circensi certamine. Tandem huc quinto loco etiam traho alterum Ammiani Marcellini locum in rebus Valentiniani, Anno D. 364. *lib. 26. cap. 3.* Vbi agit de Aproniano Præfecto Vrbis, quæstiones in Veneficos agitante; *Iusto*, inquit, *quidem, sed inusitato dolore, hac & alia magna quaritabat industria. Vnde quibusdam atrox visum est IN AMPHITHEATRALI CVRRICVLO vndatim coeunte aliquoties PLEBE, causas despiciens criminum maximorum: Denique post huiusmodi vindictam completa, Hilarium AVRIGAM conuictum atque confessum, vix dum pubescentem filium suum venefico tradidisse docendum secretiora quadam legibus interdicta, vt nullo conscio adminiculis iuuaretur internis, capitali animaduersione damnauit.* Vbi vides pariter Ammianum Marcellinum id improbantem. Denique haud abludit, quod Tacitus memorat 13. *Ann. cap. 28.* de certamine orto inter Prætorem & Tribunum plebis: quod immodestos fautores histrionum & a Prætore in vincula ductos; Tribunus emitti iussisset.

VIII. (a) Idem AAA. ad Valerianum P. V.

SCÆNÆ mulier, si vacationem Religionis nomine postularit, obtentu quidem petitionis veniæ (b) non desit, verum si post turpibus volutata complexibus, & Religionem quam expetierit prodidisse, & gerere, quod officio (c) desierat, animo tamen scænica detegetur, detracta (d) in pulpitum, (e) sine spe absolutionis vllius ibi eousque permaneat, donec (f) anus ridicula, senectute deformis, nec (g) tunc quidem absolutione potiatur, cum aliud quam casta esse non possit. Dat. VIII. Id. Mai. Aquila, (h) Syagrio & Eucherio Coss. [381.]

NOTÆ.

(a) Iungenda *huic legi* est, vt dixi, *lex 6. 7. supr. & l. 2. infr. de Equis curul.* Abest vero ea ab Annalibus Baronii. *GOTHOFR.*

(b) Sustineri potest, *venia non desit:* id est, venia ei non desit. *IDEM.*

(c) Id est, vitæ genere & specie, & scenæ exercitio. *ID.*

(d) Alii mallent, *retracta*, sed illud sustineri potest. *ID.*

(e) θυμέλην. *ID.*

(f) Nolo hæc verba ita transponi: *permaneat anus ridicula, donec,* &c. de quo mox. *ID.*

(g) Ita locus hic est interpungendus. *ID.*

(h) In *d. l. 6. Triu. Aquila* hæc, quæ? An *Aquileia?* Cæterum omitti non oportet, hoc ipso Anno Episcopum eodem nomine Aquileiensem Valerianum fuisse, quo Præfectus hic Vrbis, cui *hac lex*, & *dua superiores* inscribuntur. *ID.*

COMMENTARIVS.

CHRISTIANÆ Religionis professione VACATIONEM liberationem a scænica conditione, naturalique scænæ vinculo mulieri competere, seu ab ea liberari, iuxta *legem 4. supr.* vbi plene dixi, vt & *l. 9. infr.* docet quoque hæc *lex*. Ne tamen huic priuilegio, atque adeo scænicis voluptatibus fraus fieret, hac constitutione Gratianus hanc limitationem addit, si modo mulier in ea Religione perstaret: alioquin si turpibus rursum complexibus sese volutet, id est, vulgarem seu meretriciam vi- P. 371 tam rursum exerceat; (Proximo consortio quippe cohærent Scænica & Meretrix:) si denique vt *hac leg.* elegan-

eleganter dicitur *animo* Scænica maneat, etsi *officio* esse deficit, in pulpitum retrahi *hac lege* iubetur. Frustra scilicet legem, legisque auxilium implorat, qui aduersus eam admittit. Et quidem in tantum vt omnis in posterum *spes* ei præcidatur *absolutionis* seu immunitatis a scænica conditione, etiamsi iam anus deformis & ridicula, quæque non casta iam non esse potest, existat. Non potest scilicet castitatis votum gerere, quæ ante votum castitatis semel minuit, infregit, aut propter effætam tantum ætatem casta est: *cum aliud* iam *quam casta esse non possit:* Votum castitatis quæ semel elusit, vel quæ tamdiu distulit, nequicquam casta est. Denique votum castitatis actus legitimus est, in perenne seruandus, vt loquitur *lex prox.* quem iterari *leges* non patiuntur: Item, Actus est meræ voluntatis, quam mala ætas non habet, quemque necessitas extorquet. Et hæc quidem huius constitutionis sententia est, quæ prolixioris Gratianeæ constitutionis, illius, de qua ad *leg. prox. supr.* pars est: qua id egit, ne factu aliquo temere publicis voluptatibus fraus fieret; veluti ludis Circensibus: *l. 6. 7. supr.* vel Scænicis, *hac leg.* Cæterum verba illa, *ibi eousque permaneat, donec anus ridicula, senectute deformis, nec tunc quidem*, &c. non patior a Doctiss. Petito *Comm. in leges Atticas*, *p. 75.* ita inuerti, *permaneat anus ridicula, donec senectute deformis:* hoc etiam sensu, pœnæ loco Scænicam in *huius leg.* specie in scænam ita reuocari, vt anus, γραΐδιον (cuiusmodi in comœdia anus erant, teste Polluce περὶ προσώπων κωμικῶν, *lib. 4. cap. 19. Sect. 150. pag. 439. Ed. Hemsterhuis.*) repræsentaret, quæ ridiculæ erant, donec ipsæ reuera senectute fierent deformes. Horum enim verborum hæc sententia apertissima est, ita scænicam in *huius leg.* specie in scænam reuocari, vt nunquam ab ea liberari possit, verum in ea perstare cogatur, donec *anus ridicula seu senectute deformis fiat*, & ne tunc quidem absolui possit. *Anus ridicula*, idem hic est quod *senectute deformis:* & sic non quæ iuuenis forte anum repræsentat: verum quæ ob senectutem reuera anus est, & deformis. Et mox, (continuo spiritu) *nec tunc quidem absolutionem sperare possit.*

Illud quoque ex *hac leg.* notandum, vacationem seu absolutionem & veniam a scæna, ob professionem Religionis Christianæ, POSTVLARE, peti, oportuisse Nempe enim ne fraus hoc obtentu Scænæ fieret, postulatione seu petitione & causæ cognitione opus fuit: quod etiam requiritur in *spec. leg. 1. supr.*

IX. (a) Idem AAA. Herasio (b) Proc. Afric.

QVÆCVNQVE ex huiusmodi (c) fæce (d) progenitæ scænica officia declinare, (e) ludicris ministeriis deputentur: quas necdum tamen sanctissimæ religioni (f) & in perenne seruandæ Christianæ legis secretorum reuerentia suæ fidei vindicarit. Illas etiam feminas liberatas contubernio scænici præiudicii durare præcipimus, quæ mansuetudinis nostræ beneficio expertes muneris turpioris esse meruerunt. PP. Karthagine, (g) V. Kal. Septemb. Eucherio & Syagrio Coss. [381.]

NOTÆ.

(a) Transcripta est hæc *lex*, paucissimis mutatis, ex *l. 4. supr. hoc tit.* Omisit & hanc Baronius. *GOTHOFRED.*

(b) *Herasii* huius Proconf. Africæ nulla alibi mihi mentio occurrit. *IDEM.*

(c) Fornerius *lib. III. Quotidian.* 11. & *V. Quotidian. cap.* 29. reponit hic, *humiliati.* Sed positum hic, *huiusmodi*, pro *cuiusmodi*, id est, quacunque tandem. Quomodo similem errorem sustuli in *l. 134. supr. de Decurionib.* Ita sane *supr. l. 4.* (vnde hæc transcripta est) *ex viliori forte. ID.*

(d) Ex *fece*, id est, ex viliori forte: vt *l. 4. supr. ID.*

(e) Lego, *Declinauere*; nisi forte positum *declinare*, pro *declinauere*. In *d. l. 4. supr.* (vnde hæc transcripta) *declinarint*: vt etiam Fornerius hic legendum putabat *V. Quotidian.* 29. *ID.*

(f) *Religionis. ID.*

(g) Carthagine scilicet versabatur Proconsul Africæ. *ID.*

COMMENTARIVS.

VT verba huius *legis* ex *l. 4. supr.* transcripta sunt, ita & sententia eius eadem est. Illud tantum monendum, *hac*, & *superiore* lege, *Ecclesiasticas* Anni 381. res historiasque ac nominatim Vrbis Romæ & Africæ auctiores continuari potuisse; atque adeo a Baronio prætermitti non debuisse.

fine gemmis; His, inquam, vestibus, hoc ornatu pro arbitrio Matronæ vti potuere: At non etiam Mimas hunc habitum vsurpare vult *hac leg.* Theodosius: duplici, vt equidem existimo, fine. Primo, vt haberent Matronæ, quo a Scenicis mulieribus, distinguerentur, atque ipso occursu denotari possent, quæ vel potissima *huius legis* ratio videtur. Nam & ita *leg. 12. infr.* Mimæ Virginum Deo dicatarum habitu vti prohibentur. Quanquam & hæc secunda ratio addi potest, nempe id ita quoque constitutum, coercendis effusis Magistratuum in Mimas liberalitatibus. Nempe vt cæteroquin effusam Magistratuum liberalitatem in spectacula, atque expensas ludorum Principum constitutionibus coërceri oportuit: quod docuit *lex 2. supr. de Spectacul.* docebit & *titulus* eam in rem expressus, *infr. de expens. ludor.* ita & hac parte oportuit. Nota est iam Vopisci, quinquaginta circiter ante hanc constitutionem annis, querela, *in vita Aureliani c. 15. & in vita Carini c. vlt.* de effusis Editorum & Magistratuum liberalitatibus in Scenicos & Mimas, quibus patrimonia sua effundebant, & quidem vestibus pretiosissimis erogatis. Et similis quoque extat Ambrosii querela, *lib. 2. offic. cap. 21.* Qua causa adstrictissimus quisque Principum huiusmodi Scenicas donationes temperarunt. Ac nominatim Alexand. Seuerus teste Lamprid. *c. 33.* Scenicis pretiosas vestes, quas Heliogabalus dederat, sustulit. Et ita quidem Principes sæculi. Atenim contra, Patres modestiæ Christianæ doctores sumptuosas vestes Scenicis relinqui voluere, Matronas his abstinere: de quo vid. vel Chrysostomum *homil. 20. ad Ephes. pag. 153. Tom. XI. Edit. Benedict.* & *homil. 7. ad Philipp. pag. 253. Tom. eod.* Igitur quatuor siue vestis, siue ornatus genere Mimis mulieribus *hac leg.* interdicuntur: vicissim, tribus vti ex non vetantur, quantumuis alioquin sat pretiosis. Primo *Gemmis* vti Mimæ prohibentur, seu auro gemmato (quantumuis auro vti possint & χρυσοφορῆσαι esse liceat: de quo auri ornatu in Scenicis, Chrysost. *homil. 69. in Matth. pag. 675. Tom. VII.* & *20. ad Ephes. pag. 153. Tom. XI. Oper. Edit. Benedict.*) quacunque scilicet corporis parte, velut: (capite, crinibus, auribus, de quibus postremis Chrysost. *homil. 90. Comm. in Matth. p. 748.* siu. *homil. 89. pag. 837. Tom. VII. Ed. Benedictin.* & *d. homil. 20. ad Ephes. pag. 153. Ed. Benedict.*) collo (digitis) bracchiis, cingulo, de hoc vid. Chrysost. *in 1. ad Timoth. cap. 2. homil. 8. d. p. 455.* siu. *pag. 591. Tom. XI. Benedict.* in his enim partibus corporis mulieres aurum & gemmas ferunt (de quo plura Clemens Alexandr. *Pædagogi lib. 2. cap. 10. 11. 12. & lib. 3. cap. 2.*) Matronæ & Scæniceæ; Aristænetus *lib. 1. epist. 19. pag. 136. Edit. Pauw.* de Scenica quadam agens, quæ scena liberata fuerat, præsentem eius & modestum iam habitum describens scenico oppositum eo alludit, εἴδος καὶ ἀμφιδέτας, καὶ περισκελίδας ἢ τὰς περιέργους ἐκείνας ὦ φίλη ἀλλ᾽ ἔργον ὄντως ἐλευθερίᾳ πρεπῶδες· ταύτας αὐτῇ καὶ περιαυχένιον, καὶ τὸν ἄλλον κόσμον ἴδοι τις ἄν, *vide & armillas & femoralia, non curiosa illa, mi anime, sed liberam fere decentia. Ad eundem modum & monile videas, & cæterum muliebrem mundum, &c.*

P. 374 Ouid. *de Remed. Amar. l. v. 344.*

Auferimur cultu, gemmisque auroque teguntur
Omnia, pars minima est ipsa puella sui

Manilius *lib. 5. v. 406.*

Perque caput ducit lapides, per colla, manusque,

Vide & apud Plinium *hist. lib. 9. c. 35.* locum de Lolliæ Paulinæ, Caii Principis matronæ vestibus. Quod de tunicæ ornatu Solinus perperam accepit *cap. 53.* Aurum scilicet alioquin gemmarum accessio fuit, vt alicubi loquitur Plinius, *lib. 33. proæm. fine.* Vestium gemmis ac margaritis consertarum mentio fit in Historia Augusta, & apud Gregorium Nazianzenum non semel. Πέπλους καταμαργάρους vocat Manasses, vestes gemmis opertas. Sindones μαργαριτίδες, *Auctor peripli maris rubri* Clemens Alexandrinus Pædagogi *lib. 2. cap. 12.* hunc fœmininarum luxum circa gemmas damnans, memorat & ipse λίθους γυναιξὶ περιδουμένους, τοῖς ὅρμοις καὶ τοῖς περιδεξίοις ἐγκατακλειομένους, *gemmas monilibus alligatas & inclusas torquibus.* Ioan. Chrysostomus etiam *homil. 21. in cap. 5. Genes. in fin. pag. 192. Tom. IV. Edit. Benedict.* hunc matronarum (imo & virorum) luxum proscribit, quæ τῷ μεγέθει καὶ τῷ ὄγκῳ τῶν λίθων, *magnitudine granitateque lapidum*, seu μαργαρίτους, erant καλλωπιζόμεναι, *ornata.* Idem & *homil. 37. in cap. 15. Genes. pag. 381. Ed. Ben. Tom. eis.* vbi eis luxum exprobrat, καὶ τὸ μετὰ τῶν διαχρύσων ἱματίων, καὶ τὰ χρυσία αὐτὰ περικεῖσθαι ἐπί τε τῆς κεφαλῆς, ἐπί τε τοῦ τραχήλου καὶ τοῦ λοιποῦ σώματος, *cum auratis vestibus & auro in capite, in collo & in aliis corporis partibus ornantur.* Et passim alibi Chrysostomus.

Secundo vti vetantur Mimæ SIGILLATIS & quidem sericis, etsi sericis & quidem varii coloris vti possint. Ita enim tria Sericarum vestium genera *hac leg.* constituuntur opponunturque: Serica, inquam, nuda seu in genere, & sigillata serica, & serica variis e coloribus. *Serica sigillata* pretiosissima fuisse oportet, vt quæ gemmis hic, & aurata textis æquentur. Pollio etiam *in Tyrannis*, ac nominatim, *in vita Herodis*, inter delicias Herodis, & Orientalem ac Græcam luxuriam ponit & componit hæc duo: *Sigillata tentoria, & auratas papiliones.* Sigillatum sericum vt breue faciam, sericum est, in quo *sigilla*, id est, figuræ hominum aut belluarum aliarumque etiam rerum, expressæ, intextæque sunt. Hinc & eadem Græcis dicuntur, ἔχοντα ζώδια, vt Clementi Alexand. *Pædagogi lib. 2. cap. 10. pag. 149. Edit. Heinsii Lugd. Bat.* ζωδιωτὰ, Hesychio ζωδιωτὰς χιτών. est omnino sigillata vestis. Sane & in Glossis Philoxeni, *Sigillum* vertitur, ἀνδριαντάριον, ζώδιον, & in *Glossar.* Cyrilli, ζώδιον, *sigillum*, item ζωδιωτὸν, *sigillatum*, & ζωδιοποιὰς, *Sigillarius.* Inde igitur sigillatæ vestes, quarum meminit & Pollux *lib. 7. cap. 13. segm. 55. pag. 724. 725. Edit. Hemsterhus.* ὁ δὲ κατάστικτος, χιτὼν ἐστιν ὁ ἔχων ζῶα, ἢ ἄνθη ἐνυφασμένα. καὶ ζωωτὸς δὲ χιτὼν ἐκαλεῖτο, καὶ ζωδιωτός, *sed distincta tunica, est animalia, aut flores intertextos habens. & belluata tunica dicitur, aut animalibus interstincta.* De his quoque vestibus Asterius *in homil. 1. de Diuite & Lazaro, p. 3. Edit. Rubenii:* qui vocat hæc sigilla, in vestibus εἴδωλα. Ἀλλά τινα κενὴν ὑφαντικὴν ἐξευρόντες, καὶ περίεργον, ἥτις τῇ πλοκῇ τοῦ στήμονος πρὸς τὴν κρόκην τῆς γραφικῆς μιμεῖται τὴν δύναμιν, καὶ πάντων ζώων τοῖς πέπλοις τὰς μορφὰς ἐναπομάττεται, τὴν ἀνθηρὰν καὶ μυρίοις εἰδώλοις πεποικιλμένην φιλοτεχνοῦσιν ἐσθῆτα, ἑαυτοῖς τε καὶ γυναιξὶ καὶ παισίν: ὅταν οὖν ἐνδυσάμενοι φανῶσι, ὡς τοῖχοι γεγραμμένοι παρὰ τῶν συντυγχανόντων ὁρῶνται, &c. *sed inani quodam & supernacuo commento, quod artem pictoriam per stamen atque subtegmen imitatur. omnium formas animalium in vestibus exprimit, florida ac sexcentis variegata figuris vestimenta cum sibi, cum vxoribus & liberis comparant. Quandocunque igitur in publicum prodeunt, quasi depicti parietes ab obuiis aspiciuntur.* Quo loco etiam addit ab his qui religiosiores videri volebant, historias Euangelicas intextas. Ammianus

Marcel-

Marcellinus *lib. 14. cap. 6.* de Romano luxu agens vocat vestes effigiatas in species animalium multiformes. *Alii summum decus in carrucis solito altioribus & ambitioso vestium cultu ponentes, sudant sub ponderibus lacernarum, quas in collis exerta cingulis ipsis adnectant;* (vel vt habet editio postrema, quas collis insertas singulis ipsis adnectunt) *nimia subteminum* (vel subtegminum) *tenuitate perflabiles, expandentes crebris agitationibus* (vel vt in Editione postrema, filis extantes crebris a locis omnibus) *maximeque sinistra. Vt longioris fimbriae tunicae perspicua luceant varietate liciorum effigiatae in species animalium multiformes.* Prudentius in *Hamartigenia v. 290.* postea quam de scutulatis egit, subiicit mox de Sigillatis.

Addunt artes, vt fila herbis saturata recoctis,
Illudant varias distincto stamine formas.

Qui locus componendus cum Asterii loco. Sigillata igitur serica vestis est in qua exprimuntur distincto varioque stamine formae & effigies seu sigilla hominum & belluarum. Itaque & *belluata* alibi dicuntur. Sane multa sigillatorum mentio apud Anastasium *in Leone III*, & *Paschali*, & *in Leone IV*, *pagina 224. 268. 306. Edit. Romana. Vela*, inquit, *holoserica maiora sigillata habentia περίκλυστω & crucem.* Item, *obtulit vestem albam sigillatam cum rosulis, habentem in medio crucem.* Item, *fecit vestem, sericam albam sigillatam cum Gammadiis.* Ecce apud Anastasium vela holoserica sigillata, & vestem sericam albam sigillatam. Idem alibi memorat Gamisias sigillatas. Sigillata igitur serica vestis, est vestis signis seu sigillis florens. Cum his sigillatis eosdem faciunt *Sigillones*, quorum mentio apud Pollionem *in vita Claudii c. 17.* & in testamento Gregorii Nazianzeni. His sigillatis hic coniunguntur *texta aurata*, scilicet vt sigillatae serico textae in varias figuras, ita & auratae textae in varias etiam figuras: sic vt & ipsae textae auratae *sigillata sint:* Et vero hic quoque dici videntur: *nulla, sigillatis, sericis aut textis vtatur auratis.* Contra sigillatis hic opponuntur *serica varii coloris:* variis coloribus serica est, quae plures intextos habet colores, quae Latinis varia vestis dicitur, & varii coloris, & vno verbo, *colorea vestis*, πολύμιτον Graeci vocant, seu ποικίλην, de quo prolixe egit Salmasius *in Vopisci Aurelian. c. 46.* Igitur Mimis mulieribus ἀνθινά, id est, versicolores vestes permittuntur, quarum vsus solis meretricibus Athenis olim permissus fuit. Sed & Romae olim L. Oppia versicolorum vestium vsus mulieribus permissus non erat, postea permissus fuit, easque gestarunt Matronae Romanae, vt ex Vopisci *Aureliano c. 46.* liquet. Hinc ἄνθινα καὶ ποικίλη vestis, pro *muliebri.* Apud Plutarchum *in Romanis Quaest. Tom. II. Oper. pag. 278. Ed. Xylandr.* & Artemiodorum *lib. 2. cap. 3.*

Tertio, prohibentur Mimae *Textis auratis*, quas & ipsas sigillatas esse dixi, vti, id est, χρυσοπάστοις ἱματίοις, de quibus non *vno loco* Chrysostomus, veste aurata, quae sigillatis sericis, & gemmis hic iungitur. Ita quoque Capitolinus *in Marco c. 17. Vendidit*, inquit, *& vestem vxoriam, sericam & auratam, gemmasque etiam, quas multas in repositorio sanctiore Adriani reppererat.* Capitolinus quoque in *Maximino Iuniore c. 2.* vbi arrhas sponsalitias Regias memorat; *Manserunt*, inquit, *apud eum arrha Regia, quae tales fuerunt, monolinum* (Monolinum est filum, quo margaritae inseriae sunt: nam & ita in Glossis τετράλινον, *quadrifilum gemmarium*) *de Albis nouem* (*Alba* sunt margaritae) *reticulum de Prasinis* (id est, Smaragdis) *vndecim, dextrocherium cum costula de hyacinthis quatuor, praeter vestes auratas, & omnes Regias, caeteraque insignia sponsaliorum.* Auratae igitur vestes inter Regias & Matronales sunt, quas & Alexander Seuerus ministris suis sustulit, teste Lampridio *c. 35.* & *hac leg.* Theodosius interdicit Mimis & Scenicis mulieribus. Has vero vestes textas auratas, vocat Chrysostomus *homilia 37. in cap. 15. Genes. p. 381. Tom. IV. Edit. Benedict.* χρυσίῳ καθυφασμένα. Οἱ πάντα τρόπον σπουδάζοντες, τὰ μὲν σηρικὰ περιβεβλῆσθαι πολλάκις ἱμάτια, καὶ σοβεῖν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς, καὶ τὰ μὲν χρυσίῳ καθυφασμένα περικεῖσθαι, τὰ δὲ καὶ ἄλλως πῶς πεποικίλθαι: *Qui modis omnibus dant operam, vt sericis vel auro vel aliter pictis vestibus intertextis induantur, & post se pompam trahant in foro.* Quibus postremis etiam verbis sigillata serica indicari videntur.

Postremo vetantur Mimae vti *Crustis*, quas vocant, vestibus. Quid vero hoc nominis sit, & cuius generis haec vestis, vel haec *lex* docet. Nempe ait lex, *Crustas dici Graeco nomine a Latino*, id est, si recte hic locus habet, Graeco desumpto a Latino & mutuato. Alii tentant *Graeco nomine ac Latino.* Alii, (& in his Salmasius Pollion. *Claud. cap. 17*) *Graeco nomine Latini Crustas vocant.* Crustam vestem nil aliud esse quidam putant, quam bene percussam, ita vocatam a densitate texturae. Nam κρέκειν est concutere. Crustae igitur fuerint concussae & bene percussae vestes, quae & *concussa* (aut *excussa*) dicuntur apud Pollion. *in vita Claudii c. 17.* vt apud Festum contra, *decotes* (*decotes*) togae sunt detritae. Vide Salmasium ad *l. c.* Pollionis. Quae significatio nil commune habet cum his crustis, quibus a colore nomen. Fornerius III. *Quotid.* ii *crostas* hic legit, quasi ἀπὸ τῆς χρώσεως, seu a tinctura. Quod generale nimis & absurdum; neque enim *chrusta* dicitur. Putaret etiam quis hic legendum *Crossotas*, κροσσωτάς, quarum meminit quoque Clemens Alexandrinus *Paedag. lib. 2. cap. 10. p. 149. Edit. Heinsii Lugd. B.* Memorat & Chrysostomus *homil. 70. in Matth. edit. Comel. pag. 608.* siu. *hom. 69. num. 2. in fin. pag. 682. Tom. VII. Ed. Benedict.* Κροσσωτοῖς χρυσοῖς περιβεβλημένην, πεποικιλμένην, *vestem deaurato circumdatam, varietate ornatam.* Inanis coniectura est Petauii *in Themistii Orat. 11. p. 626.* qui eo referre tentabat Glossarii illud *Crusta*, γρῦτα, quasi vestium genus illud indicetur quasi friuolum ac reiiculum, quod a specie siue veste principal. reiiceretur. Verum verissima sententia mihi videtur, a variegatis marmorum crustis hanc vocem deriuari: sic vt specialiter *Crusta* vestis dicatur, vbi alteri colori admixtus erat purpureus: sic enim & Crustae olim dictae in vasis auri, argenti, emblemata seu adfixae imagines, quae ex diuersis materiis illigabantur: Cicer. 4. *in Verrem cap. 23. Qua probarant, iis crusta aut emblemata detrahebantur. Sic Haluatini excussis deliciis, cum argento puro domum reuerterunt.* Ab his vasorum crustis, earum artifices *Crustarii* apud Plinium *lib. 33. cap. 12.* vbi de Teucro Crustario. Haec *lex* scilicet hanc vestem ita describit, *quod in ea puri muricis rubor ALII colori admixtus inardescebat:* id est, quae variegato colore constabat. Non erat scilicet holouera, non meram purpuram continebat: non, inquam, ex omni parte texturae cruore conchylii infecta erat (vt loquitur *lex vltim. supr. de vest. holou.*) non ardescebat, sed inardescebat: Nam vel stamina eius erant tincta conchylio; seu per eam decurrebant fila solidata conchylii infectione; vel subtemen eius purpureum erat, de quo dictum fuit ad *d. l. vltim. supr. de vestibus holou.* Purpurea scilicet vestis serica vel erat tota purpurea, seu tota ardescebat, cuius vsus priuatis omnibus interdictus erat; vel inardescebat, id est habebat tantum stamen purpureum vel subtemen purpureum. Ergo *Crustae* vestes erant variegato colore ex purpura & alio

iam nunc constitutum tam de mulieribus Scenicæ conditionis, quam de his quæ iam in Scena & in pulpito seruiebant, *d. l. 8. infr.* cum tamen nondum eo processisset Valentiniani Sen. patris indulgentia: verum si in extremo vitæ siue Scenici, siue Scenicæ extrema suffragia peterent, *l. 1. supr.* Et forte etiam mulieribus tantum id nunc indultum, non & viris: nam hæ tres *leges 4. 8. & 9.* sunt ῥητῶς de mulieribus. Et ita quidem hæc distingui oportet: non vt Petitus turbide. Id vero ita nunc a Valentiniano Iun. constitutum; cui & Valentinianus Sen. pater ipsius etiam præluserat ad aliquid, similibus duabus exceptionibus *l. 1. 2. supr.* Denique Christiana Religio immunitatem præstat a *Scenica* conditione; sic vt & præstat a pœna ludi *l. 8. supr. de Pœn.* & a custodia Templorum, *l. 1. infr. de fid. Catholic.* Similis est quoque constitutio *leg. 12. in fin. infr.* Ita Chrysostomus *Homilia 67. in Matthaum, pag. 665. 666. Tom. VII. Oper. Edition. Benedictin.* cuiusdam Scenicæ Antiochiæ meminit, τὰ πρωτεῖα ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἐχούσης, *quæ primas in Scena tenebat*, ex Phœnice oriundæ, quaque nihil petulantius erat; quæque etiam Imperatricis fratrem in sui amorem traxerat, quæ ad Monachismum se contulit; cumque ὕπαρχος Præfectus, forte Comes Orientis a populo coactus, militibus missis eam ad Scenam retrahere voluisset, a virginibus, quæ ipsam receperant, retenta fuit; postque Sacramenti communionem, gratiamque susceptam, decessit, καὶ σάκκον, inquit, περιθεμένη, πάντα τὸν χρόνον οὕτως ἠνκεῖτο: ταύτης ἕνεκεν καὶ ὕπαρχος ἐνωχλήθη, καὶ στρατιῶται ὡπλίσθησαν, καὶ μεταστῆσαι πρὸς τὴν σκηνὴν αὐτὴν οὐκ ἴσχυσαν, οὐδὲ ἐξαγαγεῖν τῶν ὑποδεξαμένων αὐτὴν παρθένων. αὕτη μυστηρίων καταξιωθεῖσα τῶν ἀποῤῥήτων, καὶ τῆς χάριτος ἀξίαν ἐπιδειξαμένη σπουδὴν, οὕτω τὸν βίον κατέλυσεν, ἅπαντα ἀπονιψαμένη διὰ τῆς χάριτος, καὶ μετὰ τὸ βάπτισμα πολλὴν ἐπιδειξαμένη τὴν φιλοσοφίαν: *& cilicio induta omne transigebat tempus. Huius reuocandæ causa præfectus a quibusdam concitatus est, milites armati ad scenam illam transferre non potuerunt, neque ex cœtu virginum, quæ illam receperant, educere. Hæc sacris dignata mysteriis, cum accepta gratia dignum virtutis studium adhibuisset, vitam clausit, cum peccata omnia per gratiam eluisset, & post baptismum magnam exhibuisset philosophiam.* Huc addatur & Palladii locus *in Lausiaca cap. de Serapione, pag. 124. Edit. Meurs.*

Secunda vacatio seu exceptio *huius leg.* hæc est si videlicet Scænica Immunitatem a scena rescripto seu beneficio Principis impetrauerit: quod apertum habet sensum, & repetitum quoque extat *d. l. 9.* Et id tamen quadamtenus postea abrogatum ab Honorio *l. vlt. infr.* vbi dicam.

THYMELICAM *Vrbis Romæ abducentis, vel retentantis pœna.*

V. (a) Idem AAA. ad Paulinum P. V. (b)

QVISQVIS Thymelicam ex Vrbe venerabili, (c) immemor honestatis, abduxerit, eandemque in longinqua transtulerit, seu etiam intra domum (d) propriam, ita vt voluptatibus publicis non seruiat, retentarit, quinque librarum auri inlatione multetur. Dat. V. (e) Kal. Mai, Med. Gratiano V. & Theod. I. AA. Coss. [389.]

P. 367

NOTÆ.

(a) Et *hæc lex* abest a *Cod. Iustin.* Iungendaque ei, vt dixi, videtur *lex 4. supr.* GOTHOFR.

(b) *Paulinus* P. V. Romæ sub Valentiniano Iun. Eidem inscribitur *d. lex superior 4. prox.* ID.

(c) *Vrbs venerabilis*, id est, Vrbs Roma: vid. *Glossar.* ID.

(d) Potentiores scilicet Ciues domi suæ voluptatum artifices aluerunt, vt *hæc lex* testatur: & Lactantius *lib. 6. cap. 21.* Et Augustinus 2. *Aduersus Academicos, cap. 2.* ID.

(e) VIII. *d. l. 4. supr.* ID.

COMMENTARIVS.

CONTVBERNIVM scenicæ Thymelicæ Vrbis Romæ, a Valentin. Iun. *hac leg.* damnatur, atque adeo eam abducens aut retinens ex Vrbe Roma, ludis publicis seruientem, quinque libris auri multari iubetur. *Thymelicam*, inquam, id est, Scænicam, quæ modos & saltationes facit in Thymele seu pulpito Orchestræ parte. Cuius Thymelæ fit præterea mentio, *l. 21. & 22. supr. de diuers. offic.* itemque Thymelicorum, *l. 12. infr. hoc eod. tit.* & *l. 21. de Pistor.* Resque notior est, quid Thymelici fuerint, quam vt plura moneri a me oporteat: vid. saltem Saluianum *lib. 6. de Gubernat. cap. 7.*

Constitutionis autem huius hæc *Ratio* assignatur, honestatis videlicet his verbis: *Immemor honestatis abduxerit.* Nempe inter alia Adolescentum vitia Romæ, complures etiam Nobiles harum Scenicarum Thymelicarum forma ac decore, studioque abripiebantur (quod Ambrosii quoque locus mox ostendet,) quod vitium etiam notat Firmicus *lib. 3. cap 7. pag. 66.* ita quidem etiam vt vel in longinqua translatas, vel intra priuatam domum retentas pro honestis matribusfamilias, vel etiam vxoribus circumferrent, hisque adhærerent; *honestatis immemores.* Nam vt munus earum turpe, eæque personæ inhonestæ sunt, ita *honestatis immemor* ipse est, qui sibi eas sociat, hisque sese fascinandum præbet. Cui malo Valentinianus Iun. *hac leg.* occurrit, eiusdem Mediolanensis Ambrosii procul dubio hortatu. Nam & ex eadem vrbe data hæc *lex*.

Ergo ex *hac* quoque *leg.* liquet, Thymelicas inter inhonestas personas habitas: vnde & *l. 12. infr.* a Theodosio M. vetatur fœmina vel puer Christianus Thy-

Thymelici consortio imbui. Quanquam & hæc ipsa constitutione consulium quoque Vrbanæ lætitiæ & voluptati: videlicet ne ea vrbs abductis Thymelicis paulatim suis voluptatibus, quarum retinentior Roma erat, priuaretur: idque indicatur illis verbis; *Ita vt voluptatibus publicis non seruiat.* Sane huc non male referatur, quod Ambrosius ipse memorat, *orat. funebri de obitu huius ipsius Valentiniani Iun. pag. 107. 108. Tom. V. Oper. Edit. Paris. 1614.* vbi castigatos eius mores deprædicans, hæc inter cætera de eo refert, qui hoc Anno D. 380. 15. circiter ætatis annum agebat. *SCÆNICÆ cuiusdam forma ac decore deperire ROMÆ Adolescentes Nobiles nuntiabatur: Iussit eam ad Comitatum venire: Missus, pretio depranatus, sine mandati effectu rediit. Alterum misit, ut voluisse EMENDARE VITIA Adolescentum, & non potuisse videretur. Datus est obtrectandi aliquibus locus, de-ductam tamen nunquam aut spectauit, aut vidit. Postea redire præcepit; vt & omnes agnoscerent irritum eius non esse mandatum, & adolescentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipse, qui potuit habere in potestate, despexerat. Et hæc fecit, cum adhuc NON HABERET VXOREM, & tamen exhiberet fui, tanquam vinctus coniugio, castitatem. Quis tam dominus serui, quam ille sui corporis fuit? Quis tam aliorum arbiter, quam ille suæ censor ætatis?* Non abludit ab hoc prohibitio similis, quæ continetur *l. 21. supr. de Pistorib.* Ne videlicet Thymelicos pistorum filiæ in consortium sumant. Tandem Thymelicorum, & Thymelicarum studium, quantopere non tantum Romæ viguerit, quod *hac lex* docet: & *d. l. 21.* & *lex 12. infr.* verum etiam Constantinopoli docet *lex 21. & 22. supr. de diuers. offic.* vbi etiam dixi.

EQVVM CVRVLEM *Vrbis Romæ, vsurpantis, vel in vsus suos conuertentis pœna.*

VI. (a) Idem AAA. ad Valerianum P. V. (b)

EQVOS, quos ad sollemne (c) certamen vel Mansuetudinis Nostræ largitio subministrat, vel diuersorum ex Amplissimo (d) Ordine Magistratuum, (e) hactenus (f) ad copiam (g) prouidendos Serenitas Nostra decreuit, vt quidquid illud est, quod palmarum (h) numero gloriosum, & celebratis vtrimque (i) victoriis nobile, congregatur, spectaculis potius Vrbanæ plebis inseruiat, quam prædæ (k) adque compendio deputetur. Quisquis igitur ex eo quod vel Serenitas nostra, vel Ordinarii (l) Consules, vel Prætores (m) in huiuscemodi tribuunt voluptates, quamlibet commodis compendioque priuato deriuandam duxerit esse iacturam, (n) vnius auri libræ condemnatione mulctatus, largitionibus nostris cogatur esse munificus. (o) Dat. VIII. Kalend. (p) Mai. Triu. (q) Eucherio & Syagrio CONS. [381.]

NOTÆ.

(a) *Lex 2. Cod. Iust. eod. tit.* hinc decurtata & interpolata est. Iungendaque huic est *lex 7. & 8. infr. prox.* Imo *lex 1. infr de Equ. curul.* vbi tamen dies aliquantum variat in subscriptione, itemque loci subscriptio; sic enim habet; *Dat. X. Kal. Mai. Aquil.* GOTHOFR.

(b) *Valerianus* P. V. Romæ sub Gratiano: vid. *Prosopogr.* ID.

(c) *Sollemne certamen* circense. ID.

(d) Id est, Senatu. ID.

P. 368 (e) Consulum ordinariorum & Prætorum, *infr. hac leg.* porro vox *largitio* hic ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetenda. ID.

(f) Id est adeo, in tantum. ID.

(g) Id est copiose, & magno numero. ID.

(h) Virgilius in equorum educatione *Georg. III.* 100.

——— animos æuumque notabis,
Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.

Scilicet non agitatores tantum, sed & equi ipsi victores honorati. Plutarch. *in Sympos. 2. pag. 639. Edit. Xyland.* καὶ τῶν ζώων μόνῳ τῷ ἵππῳ μετουσία τιμῆς καὶ ἀγῶνος, *inter animalia solus equus habet communicationem coronæ & certaminis.* De asiis equorum curulium præmiis agitur, *l. 1. de equ. curulib.* Falluntur interim, qui ab his palmis equos *Palmatos* dictos putant, vt ostendam ad *eam leg.* 1. ID.

(i) *Vtrimque,* id est, ex diuersis factionibus. ID.

(k) Quorum? Mox inquiram. Interim illa sequentia hic expendantur; *Quisquis commodis, compendioque priuato deriuandam duxerit esse iacturam.* ID.

(l) De *ordinariis Consulibus* alibi dixi. *I D.*

(m) De *Pratorum* editionibus; vid. *supr. lib. 6.* Adde & *Quaestores.* *I D.*

(n) *ψς. iunctaram*: de quo mox. *I D.*

(o) *Munificus*, id est obnoxius: & munificum, obnoxium fisco, *hic*, & *l. 4. supr. de excusat. artific. l. 7. supr. de prad. nauicul. l. 9. 16. supr. de indulgent. debit.* Porro hunc locum Tribonianus ita immutauit, *vnius libra auri condemnatione multetur.* *I D.*

(p) *Id.* d. l. 7 & 8. *I D.*

(q) *Aquila*, d. l. 8. *I D.*

COMMENTARIVS.

VSVRPARE, vel suos in vsus commodum compendiumque conuertere EQVVM Curulem, Circensibus ludis in Vrbe Roma destinatum, quemquam, vetat Gratianus Imp. Anno 381. proposita multa in singulas iuncturas auri libræ: Destinatum, inquam, siue Principis largitate, de quo agitur quoque *l. 19. supr. de Prator.* & *l. 1. infr. de equis curulib.* & apud Symmachum *lib. 10. epist. 19.* & *22.* Sicut & in Prouinciis, veluti in Syria Antiochiæ Curialibus Circenses edituris Equi quandoque donabantur a Principe, vt testatur Libanius *epist. ad Aristanetum, 384. Edit. Wolff. μέλλων δὲ ἵππων ἁμίλλας χαρίζεσθαι τῇ πόλει, δώρῳ βασιλικῷ τετίμηται· δύο τέθριππα τὸ δῶρον· οἱ δὲ ἐν Βιθυνίᾳ παιδεύσονται, certamen equestre vrbi nostra representaturus, dono regio affectus est. Id vero duplici equorum quadriga continetur. Equi autem illi in Bithynia instituentur.* siue Magistratuum ex amplissimo Ordine seu Senatu: id est, vt *fine leg.* exprimitur, Consulum, vel Prætorum. Cuius sane posterioris collationis exempla apud Symmachum obuia *lib. 4. epist. 60. 61.* & *lib. 7. epist. 105.* & *106.* Vrbanæ scilicet plebis voluptati, vt alii Principes, ita & Gratianus quoque *hac leg.* & *duabus proximis*, quæ huic coniungendæ sunt, nil detractum voluere. Quare & ad *copiam prouideri* equos Circenses voluerunt, atque ideo Equos Curules vel a se, vel a Magistratibus collatos intra vrbem retineri voluerunt, non etiam in priuatorum vsus conuerti: & vt quidem censeo, Agitatorum. Imo nequidem vicinis populis & Prouinciis eos concedi Principes voluerunt, ad suas voluptates & ludos petentibus, veluti Campanorum populo (id est Capuanis) nisi certo modio & modo fabarum inuicem Equis & stabulis Vrbis Romæ tributo. Quæ sententia est *leg. 2. infr. de Equis Curulib.* Quæ & ipsa huic nostræ coniungenda venit, alterutrubi, vt videtur, subscriptione emendata. Ergo semel collatos a Principe vel Magistratibus ad Circense spectaculum equos, ad plebis Rom. voluptatem, retineri vult *hac leg.* Gratianus: quos tamen post Palmas & Victorias, nonnulli prædæ suæ faciebant; & vt *hac leg.* dicitur, *Palmarum numero gloriosos, & celebratis vtrimque victoriis nobiles.* Quod *palmas Equorum* attinet, res nota est, & de eo iam aliquid in *Notis*. Quod vero ait, *celebratis vtrimque victoriis nobiles*, VTRIMQVE, id est, in quibuscunque factionibus, quæ quatuor erant, de quibus ad *l. 1.* & *2. infr. de Equis Curulib.*

Illud obseruandum, fugitiuam *hanc leg.* ab hoc *titulo* esse, neque enim quicquam ad Scænicos ea facit, verum ad Equos Curules, de quibus est *infr. tit. peculiaris, de Equis Curulibus*: quo *titulo* melius hæc *lex* collocata fuisset. Quo etiam *titulo* (vti dixi) *lex 2.* huic coniungenda venit.

Superest emendatio ad finem *legis* hic adstruenda: vbi pro *tacturam*, repono *iuncturam*, IVNCTVRA, est Equus combinatus. Paul. *lib. III. sent. tit. 6. de legat. §. 91. Carruca cum Iunctura legata, mula quoque legata, non mulio videtur, propter quotidianam loquendi consuetudinem.* In Gloss. Cyrill. *Ζεῦξις, iunctura.* Et in Gloss. Philoxeni, *Iunctura, ἀρμογή.* Eodem sensu dicitur Subiunctorium in *l. 10. supr. de cursu publ.* Iunctura itaque est, non singularis, sed biga Equorum: Ἀμίπλας Græci vocarunt. Hesychius *ἀμίπλας ἐκάλουν δύο ἵππους συνεζευγμένους.* Hi Republica inclinante combinati, Equi, *κομβινεύματα*, dicti. Chrysost. *de Circo orat. Spuria pagin. 88. Tom. VIII. Edition. Benedictin. μὴ τερπέτω σε τὰ προΐππικα κομβινεύματα· ἵνα μὴ καταλείβῃ σε τὰ πρὸ κρίσεως κινδυνεύματα· εἰ βούλει κομβινεύειν, καὶ διατάσσεσθαι, δύνασαι τοῦτο ποιεῖν μᾶλλον ἐν τῷ θεωρήματι πνευματικῷ*, &c. id est. *Ne te prolusio paribus equis delectet, ne ante iudicium in periculum incidas. Si vis paribus equis currere, & designari, hoc magis potes in spiritali spectaculo*, &c. August. 8. *confess. 6. Treueris cum Imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, atque illic vt forte combinati spatiabantur.* Gloss. Cyrill. *ζευγίζω, combino*: item *ζεῦξις κατὰ δύο, combinatio.* Iunctura itaque, est iumentum, subiugium: Gloss. Cyrill. *ὑποζύγιον, iumentum, subiugium*: quia *subiugandi* vox hac in re propria: vid. *leg. 19. supr. de Prator.* Et ita Antiquis inscriptio, *Tria iuga*, pro tribus equis. Eodem sensu Græcis sequioris æui *ζευγάριν*, siue *ζευγάριον*. Eadem vero vox reponi quoque possit, *l. 1. supr. de indictionib.* Alioquin *Iunctura* est, qua mulæ carrucariæ, aut iumenta, aut boues ad aratrum iugo iunguntur (& ita Pauli locum intelligendum nonnulli male putant) Querolus *in sua Aulularia, Mulæ dispares, iunctura inuersa, mulio nec se regens.* Capitolin. *in Vero cap. 5. Cum mulabus ac mulionibus cum Iuncturis argenteis.* Sane *iunctura argentea* fit etiam mentio, *l. 19. §. 8. D. de aur. & argent. leg.*

P. 364

AGITATORES *in ipso Circensi certamine supplicio affici non oportere.*

VII. (a) Idem AAA. ad Valerianum P. V. (b)

EOs qui Agitandi munus exercent, Inlust. Auctoritas tua, nullis, præter (c) Circense certamen, adfici nouerit pertinere (d) suppliciis. Dat. VIII. Id. (e) Mai. (f) Eucherio & Syagrio Coss. A. [381.]

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *Lex 3. Cod. Iust. de Spectaculis:* quæ in aliis Editionibus *secunda* est. Iungenda autem *huic* est *lex seq. prox.* 8. Imo & *lex 6. supr. prox.* Tendem & *lex 2. infr. de equ. curulib.* GOTHOFR.

(b) Romæ. *ID.*

(c) *Propter*, in *Cod. Iust.* Cuiacian. Edit. male: de quo mox: *Præter*, id est, in ipso certamine, ante & coram certamine; & in circo ipso. *ID.*

(d) *Pertinere:* In *Cod. Iust. Oportere:* nisi quis malit legere, *per te iure.* Quod tamen non essero. Potest enim *pertinere*, hic sustineri absolute pro *oportere*, de quo mox. *ID.*

(e) Ita quoque *l. 8. infr.* vt *l. 6.* Kalend. *ID.*

(f) Aquila, *d. l. 8.* Treu. *d. l. 6.* *ID.*

COMMENTARIVS.

DE AGITATORIBVS est hæc siue Gratiani siue Valentiniani Iun. Imperat. *lex:* de quibus præter hanc *legem* sunt quatuor præterea *hoc Cod.* constitutiones, puta *lex 12. infr. hoc tit. l. 3. supr. de Spectacul. lex 11. supr. de Malefic. l. 21. de Pistoribus* De *Agitatoribus*, id est, de iis, qui Equos Curules in Circo agunt, & agitant: & quidem de Pœna eorum. Cuius *legis* sententiam obscuram non tantum breuitas eius facit, verum etiam diuersitas lectionis, tandem & varia vocis, *præter*, significatio. Sunt primum Codices quidam Iustinianei, in quibus pro *præter*, legitur *propter:* Quæ lectio si admittitur, tum hæc *huius legis* sententia fuerit: Agitatores, etsi quid in certamine Circensi admiserint, etsi quem ibi interfecerint, non ideo a P. V. supplicio affici posse. Secunda est Accursii interpretatio, quam & Ioannes de Platea secutus est, quasi *hac leg.* prohibeatur Præfectus Vrbis Agitatores supplicio afficere, eo ipso quod sint Agitatores; ac si *lex* diceret, non esse delicti genus munus Agitatoris, & ideo non mereri pœnam. Quæ inepta est interpretatio. Tertia hæc *legis* huius sententia cui videri possit; Agitatores delinquentes eatenus a Præfecto Vrbis coërceri posse, vt ne in damnum & detrimentum certaminis & voluptatis Circensis id fiat; ne per hoc, seu ea coërcitione, huiusmodi agitatur deinceps agitandi munere prohibeatur: *Præter Circense certamen* igitur fuerit, in præiudicium Circensis certaminis, & sicvt excludatur agitator Circensi certamine. Ita sane Tertullian. *de Pallio c. 3. Atque adeo ipse, qui Græcos præter vrbem censebat, literas eorum vocemque senex tam eruditus, idem Cato palliata habitu Græcis fauit:* Ait Tertullianus, Catonem censuisse Græcos *præter vrbem*, id est, intra vrbem non admisisse, extra vrbem censeri voluisse. Et ita *censeri præter vrbem* dicitur, qui extra vrbem manet. Ita Nonius *cap. 1. n. 11a. Exterminatum*, inquit, *est præter terminos missum.* Præter terminos, id est, extra terminos. Sic apud Tertullianum rursus *in Apologet. Præter esse*, pro extra esse, cap. 38. *Æque spectaculis vestris in tantum renuntiamus, in quantum originibus eorum, quas scimus de superstitione conceptas, cum & ipsis rebus, de quibus transiguntur, præter sumus.* Cum igitur alioquin Præfectus Vrbi interdicere quem professione sua possit, vt docet *lex 1. §. 13. D. de offic. P. V.* Item eum cæteroquin disciplina spectaculorum ad P. V. curam pertinet, *d. l. 1. §. 12.* hactenus tamen hæc cura ad eum pertinuisse videatur, vt ne Populi voluptatibus quicquam per hoc derogaret, id est, vt ne Aurigas seu Agitatores agitandi munere interdicere posset. Quam interpretationem, præter vim vocis PRÆTER, quam modo expendimus, iuuare videantur *hoc tit.* leges pleræque, quibus omnibus id ferma agitur, vt ne populi voluptatibus deseruientes, eiusdem Populi voluptatibus aliqua ratione eripiantur. Iuuare quoque videatur tertio loco *lex 8. prox. infr.* cum qua hæc nostra coniungenda venit: ex qua cum *hac* coniuncta, hæc summa conficiatur, quemadmodum Scænicæ mulieres simulata probitate & Religione Christiana populi voluptatibus eripi non debent, ita nec eripi posse Agitatores pœna seu Præfecti Vrbis auctoritate & interdictione. Pariter vt equi Circenses Populi voluptatibus eripi non possunt, cuiusquam vsurpatione, *l. 6. prox. supr.* quæ & ipsa huic nostræ, ceu similem inscriptionem, & eosdem Consules subscriptos habens, coniungenda videtur, vt proinde tribus his capitibus, ex vna eademque constitutione, ad Valerianum P. V. emissa desumptis, vnicum illud Gratiano propositum fuerit; Ne Circensibus voluptatibus destinata, vlla ratione eriperentur; ne, inquam, equi, vsurpatione, *l. 6. supr.* ne Agitatores, disciplinæ publicæ obtentu, *hac leg.* vel Religionis simulatæ prætextu, *l. prox. 8.* Populi itaque studio in Aurigas seu Agitatores immodico tum datum hoc fuerit, hac constitutione, vt quamlibet Illustris Præf. Vrb. auctoritas summaque esset, Agitatores tamen agitandi muneri, & sic voluptatibus publicis ob delictum aliquod eripere non posset, veluti inflicta eis exilii pœna. Et hæc quidem *huius leg.* sententia videri cui possit, totis, quæ dixi, argumentis.

Et quarta tamen hæc accidere cui possit, quæ Græcorum est Basilicorum *lib. 54. t. 5.* & *Synops. Basil. t. 5.* quæ & Cujacio placuit, Præfectum Vrbis in Agitatores coërcitionem non habere, nisi si quid circa equestre certamen, id est, circa ludum & in Circo admiserint: *εἰ μὴ περὶ αὐτὴν τὴν ἱπποδρομίαν ἁμαρτήσωσιν:* & sic *præter* exclusiue & per modum exceptionis, Quæ interpretatio mihi minime placet; Nam qua, quæso, ratione Præfecto Vrbis eorum tantum coërcitio competeret, quæ in Circo admitterentur, non vero alibi? Imo vero, contraria hæc mihi nunc nouaque, vt existimo, placet interpretatio, Interdici P. 370. *hac leg.* Præfect. Vrbis coërcitione in Agitatores, in Circo ipso seu in conspectu ipso Circensis certaminis: *Præter Circense scilicet certamen*, est, in conspectu plebis, cum plebs coiit ad spectandum, cum Aurigæ agitandi munus exerceot. *Præter*, pro, *coram*, siue *ante ora.* Ita passim apud Veteres, *præter os, oculos, pedes; præter limen, præter lumina, præter domum, præter viam.* Eodemque sensu vox, *præter*, effertur quoque in voce *præterire, præterducere*, & similibus. Sic & Plinius *lib. 36. cap. 2.* inuehens in columnas ingentes, quæ priuatis, & quidem in atrio Scauri positæ; *Non ergo in tam malo exemplo moribus cauere vtilius fuerat, quam tacere tantas moles in priuatam domum trahi PRÆTER fictilia Deorum fastigia.* Præter, id est, ante, coram. Et vero huc omnino pertinet Ammiani Marcellini locus insignis, *lib. 15. cap. 7.* vbi de Leontio P. V. Romæ, quomodo & hæc lex *Præfecto Vrbi* inscribitur; deque seditionibus

popularibus in eum concitatis agens, eo quod acer quibusdam videbatur, authoritatis suæ tetuandæ causa. *Prima igitur*, inquit, *ars*, (lego *fax:* postrema Editio habet, *causa:*) *seditionis in eum consitandæ vilissima fuit & leuis. Philoromum enim AVRIGAM RAPI preceptum, SECVTA PLEBS omnis velut defensura proprium pignus, terribili impetu Præfectum insess bat, vt timidum: sed ille stabilis & erectus IMMISSIS Apparitoribus, correptos aliquot, vexatosque tormentis, nec strepente vllo, nec obsistente, insulari pœna multauit.* Igitur *hac leg.* Imperator seditionibus & certaminibus hae ratione occursum voluerit, ne dum ad supplicium in ipso Circo Agitator duceretur, cui plebs faueret, furenti populo sed.tionis fax subderetur. Eundemque (quod tertium) sensum veteris constitutionis Augustæ Imp. puto: de qua Suetonius, *cap. 45.* loco vexatissimo: *Coercitionem in Histriones Magistratibus in omni tempore & loco lege vetere permissam ademit, PRÆTER ludos & Scenam.* Quem locum iam Viri docti ibi cum *hac leg.* contulere; vero tamen sensu non expresso: quem nos, vt puto, nunc demum eruimus. Nam Tacitus de hac ipsa re *1. Annal. c. 77.* sub Tiberio; *Atheatri licentia grauius tum erupit:* Et mox: *Actum de ea seditione apud Prætores, dicebanturque sententia, vt Pratoribus Ius Virgarum in HISTRIONES esset; intercessit Haterius Agrippa, & valuit intercessio, quia Diuus Augustus immunes verberum histriones quondam responderat.* Quibus alioquin Suetonii & Taciti locis eundem hactenus Interpretes sensum affingunt, quem Cuiacius huic *legi:* Quasi Augustus in Histriones coercitionem Magistratibus permiserit; nonnisi per tempora ludorum, & in loco ipso peccati; id est, in Scena: Cum contra verius sit, ea qua dixi ratione, per tempus ludorum & in ipsa Scæna Circoque id vetitum. In id vero etiam quarto loco expendo verba illa huius leg. *Eos qui agitandi munus EXERCENT*, item illa, *Circense CERTAMEN:* id est, in ipso agitandi actu exercitioque, & Circensi certamine. Tandem huc quinto loco etiam traho alterum Ammiani Marcellini locum in rebus Valentiniani, Anno D. 364. *lib. 26. cap. 3.* Vbi agit de Aproniano Præfecto Vrbis, quæstiones in Veneficos agitante; *Iusto*, inquit, *quidem, sed inusitato dolore, hac & alia magna quæritabat industria. Vnde quibusdam atrox visus est IN AMPHITHEATRALI CVRRICVLO undatim coeunte aliquoties PLEBE, causas despiciens criminum maximorum: Denique post huiusmodi vindicata complura, Hilarium AVRIGAM conuictum atque confessum, vix dum pubescentem filium suum venefico tradidisse docendum secretiora quadam legibus interdicta, vt nullo conscio adminiculis iuuaretur internis, capitali animaduersione damnauit.* Vbi vides pariter Ammianum Marcellinum id improbantem. Denique haud abludit, quod Tacitus memorat *13. Ann. cap. 28.* de certamine orto inter Prætorem & Tribunum plebis: quod immodestos fautores histrionum & a Prætore in vincula ductos; Tribunus emitti iussisset.

VIII. (a) Idem AAA. ad Valerianum P. V.

SCÆNÆ mulier, si vacationem Religionis nomine postularit, obtentu quidem petitionis veniæ (b) non desit, verum si post turpibus volutata complexibus, & Religionem quam expetierit prodidisse, & gerere, quod officio (c) defierat, animo tamen scænica detegetur, detracta (d) in pulpitum, (e) sine spe absolutionis vllius ibi eousque permaneat, donec (f) anus ridicula, senectute deformis, nec (g) tunc quidem absolutione potiatur, cum aliud quam casta esse non possit. Dat. VIII. Id. Mai. Aquila, (h) Syagrio & Eucherio Coss. [381.]

NOTÆ.

(a) Iungenda *huic legi* est, vt dixi, *lex 6. 7. supr.* & *l. 2. infr. de Equis curul.* Abest vero ea ab Annalibus Baronii. *GOTHOFR.*

(b) Sustineri potest, *veniæ non desit:* id est, venia ei non desit. *IDEM.*

(c) Id est, vitæ genere & specie, & scenæ exercitio. *ID.*

(d) Alii mallent, *retracta*, sed illud sustineri potest. *ID.*

(e) Θυμέλην. *ID.*

(f) Nolo hæc verba ita transponi. *permaneat anus ridicula, donec*, &c. de quo mox. *ID.*

(g) Ita locus hic est interpungendus. *ID.*

(h) In *d. l. 6. Triu. Aquila* hæc, quæ? An *Aquileia?* Cæterum omitti non oportet, hoc ipso Anno Episcopum eodem nomine Aquileiensem Valerianum fuisse, quo Præfectus hic Vrbis, cui *hac lex*, & *duæ superiores* inscribuntur. *ID.*

COMMENTARIVS.

CHRISTIANÆ Religionis professione VACATIONEM liberationem a scænica conditione, naturalique scænæ vinculo mulieri competere, seu ab ea liberari, iuxta *legem 4. supr.* vbi plene dixi, vt & *l. 9. infr.* docet quoque hæc *lex.* Ne tamen huic priuilegio, atque adeo scænicis voluptatibus fraus fieret, hac constitutione Gratianus hanc limitationem addit, si modo mulier in ea Religione perstaret: alioquin si turpibus rursum complexibus sese volutet, id est, vulgatem seu meretriciam vi- P. 378
tam rursum exerceat; (Proximo confinio quippe cohærent Scænica & Meretrix:) si denique vt *hac leg.* elegan-

eleganter dicitur *animo* Scænica maneat, etsi *officio* esse desierit, in pulpitum retrahi *hac lege* iubetur. Frustra scilicet legem, legisque auxilium implorat, qui aduersus eam admittit. Et quidem in tantum vt omnis in posterum *spes* ei præcidatur *absolutionis* seu immunitatis a scænica conditione, etiamsi iam anus deformis & ridicula, quæque non casta iam non esse potest, existat. Non potest scilicet castitatis votum gerere, quæ aut votum castitatis semel minuit, infregit, aut propter effœtam tantum ætatem casta est: *cum aliud iam quam casta esse non possit:* Votum castitatis quæ semel elusit, vel quæ tamdiu distulit, necquicquam casta est. Denique votum castitatis Actus legitimus est, in perenne seruandus, vt loquitur *lex prox.* quem iterari *leges* non patiuntur: Item, Actus est meræ voluntatis, quam mala ætas non habet, quemque necessitas extorquet. Et hæc quidem huius constitutionis sententia est, quæ prolixioris Gratianeæ constitutionis, illius, de qua ad *leg. prox. supr.* pars est: qua id egit, ne facto aliquo temere publicis voluptatibus fraus fieret; veluti ludis Circensibus: *l. 6. 7. supr.* vel Scænicis, *hac leg.* Cæterum verba illa, *ibi eousque permaneat, donec anus ridicula. senectute deformis, nec tunc quidem,* &c. non patior a Doctiss. Petito *Comm. in leges Atticas, p. 75.* ita inuerti, *permaneat anus ridicula, donec senectute deformis:* hoc etiam sensu, pœnæ loco Scænicam in *huius leg.* specie in scænam ita reuocari, vt anus, γραΐδιον (cuiusmodi in comœdia anus erant, teste Polluce περὶ προσώπων κωμικῶν, *lib. 4. cap. 19. Sect. 150. pag. 439. Ed. Hemsterhuis.*) repræsentaret, quæ ridiculæ erant, donec ipsæ reuera senectute fierent deformes. Horum enim verborum hæc sententia apertissima est, ita scænicam in *huius leg.* specie in scænam reuocari, vt nunquam ab ea liberari possit, verum in ea perstare cogatur, donec *anus ridicula seu senectute deformis fiat*, & ne tunc quidem absolui possit. *Anus ridicula*, idem hic est quod *senectute deformis;* & sic non quæ iuuenis forte anum repræsentat: verum quæ ob senectutem reuera anus est, & deformis. Et mox, (continuo spiritu) *nec tunc quidem absolutionem sperare possit.*

Illud quoque ex *hac leg.* notandum, vacationem seu absolutionem & veniam a scæna, ob professionem Religionis Christianæ, Postulari, peti, oportuisse. Nempe enim ne fraus hoc obtentu Scænæ fieret, postulatione seu petitione & causæ cognitione opus fuit: quod etiam requiritur in *spec. leg. 1. supr.*

IX. (a) Idem AAA. Herasio (b) Proc. Afric.

Qvæcvnqve ex huiusmodi (c) fæce (d) progenitæ scænica officia declinare, (e) ludicris ministeriis deputentur: quas necdum tamen sanctissimæ religioni (f) & in perenne seruandæ Christianæ legis secretorum reuerentia suæ fidei vindicarit. Illas etiam feminas liberatas contubernio scænici præiudicii durare præcipimus, quæ mansuetudinis nostræ beneficio expertes muneris turpioris esse meruerunt. PP. Karthagine, (g) V. Kal. Septemb. Eucherio & Syagrio Coss. [381.]

NOTÆ.

(a) Transcripta est hæc *lex*, paucissimis mutatis, ex *l. 4. supr. hoc tit.* Omisit & hanc Baronius. *GOTHOFRED.*

(b) *Herasii* huius Proconf. Africæ nulla alibi mihi mentio occurrit. *IDEM.*

(c) Fornerius *lib. III. Quotidian. 12.* & *V. Quotidian. cap. 29.* reponit hic, *humiliori.* Sed positum hic, *huiusmodi*, pro *cuiusmodi*, id est, quacunque tandem. Quomodo similem errorem sustuli in *l. 134. supr. de Decurionib.* Ita sane *supr. l. 4.* (vnde hæc transcripta est) *ex viliori sorte. ID.*

(d) Ex *fæce*, id est, ex viliori sorte: vt *l. 4. supr. ID.*

(e) Lego, *Declinauere*: nisi forte positum *declinare*, pro *declinauere.* In *d. l. 4. supr.* (vnde hæc transcripta) *declinarint:* vt etiam Fornerius hic legendum putabat *V. Quotidian. 29. ID.*

(f) *Religionis. ID.*

(g) Carthagine scilicet versabatur Proconsul Africæ. *ID.*

COMMENTARIVS.

Vt verba huius *legis* ex *l. 4. supr.* transcripta sunt, ita & sententia eius eadem est. Illud tantum monendum, *hac*, & *superiore* lege, *Ecclesiasticas* Anni 381. res historiasque ac nominatim Vrbis Romæ & Africæ auctiores continuari potuisse; atque adeo a Baronio prætermitti non debuisse.

De FIDICINIS *prohibitis.*

X. (a) Idem (b) AAA. Cynegio PF. P. (c)

FIDICINAM nulli liceat vel emere, vel docere, vel vendere, vel conuiuiis aut spectaculis adhibere: Nec (d) cuiquam, aut (e) delectationis desiderio, erudita (f) feminea musicæ artis studio liceat habere mancipia. Dat. VIII. Kalend. Iul. Constantinop. Arcadio A. I. & Bautone Coss. [385.]

P. 370

N O T Æ.

(a) Abest & *hec lex* a *Cod. Iustin.* Meminit eius Baronius *Anno* 385. *num.* 37. *GOTHOFR.*

(b) Male. Reponenda enim sunt hæc Imppp. nomina: *Imppp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius.* Iam enim Gratianus obierat, & vicissim Arcadius in Imperii societatem iam adscitus Anno 383. vid. *Chronologiam. ID.*

(c) Orientis. *ID.*

(d) Hoc tertium est, quo etiam fidicinas domi habere prohibetur. *ID.*

(e) Fornerius *III. Quotidian.* 11. reponit, *ob delectationis desiderium.* Quod non probo; *aut delectationis desiderio*, id est, etiam vel delectationis desiderio; de quo mox. *ID.*

(f) Ita construenda hæc periodus: *Nec*, &c. *mancipia feminea erudita Musicæ artis studio liceat habere. IDEM.*

C O M M E N T A R I V S.

FIDICINAS, seu Psaltrias fœminas *αὐλητρίδας* & Musicas emi, doceri, vendi, conuiuiis aut spectaculis adhiberi, quæ pessimo exemplo luxuque passim olim conuiuiis & spectaculis adhibitæ: & conuiuiis nominatim, de quo affatim doctissimus Sauaro in Sidonium Apollinarem *lib.* 1. *epist.* 2. *pag.* 22. Sic vt non temere inuenias picturam veterem conuiuii sine his cantoribus, tibicinibus: imo (quod Quintum) vel haberi, inter ministeria domestica solo desiderio delectationis vetat *hac lege* Theodosius M. Anno Domini 385. idque constitutione ad Cynegium PP. Orientis emissa, & sic per Orientis Præfecturam. Cuius constitutionis alter Victor, seu Victorinus, *cult.* eumque secutus Paulus Diaconus, his verbis meminerunt: *Theodosius*, inquiunt, *vinolentiam vsque eo detestatus est, vt prohibuerit LEGE ministeria lasciua, Psaltriasque comessationibus adhiberi.* Vbi vides, quam semiplene, imo quam ieiune hanc Iuris constitutionem memorant Historici; qui defectus solennis apud eos est. Videtur etiam Macrobius, qui sub Theodosio Iun. vixit, ad *hanc leg.* allusisse, *lib.* 2. *Saturnal. cap.* 10. Fidicinas, Psaltrias, Crotalistrias, Citharœdas, Tympanistrias, vt inter ministeria DELECTATIONIS ERGO, ita & comessationibus seu symposiis adhibitas, atque inter luxuriæ & lasciuiæ instrumenta fuisse, ex multis notissimum est. Verum, vt iam olim, qui frugalitatis lege viuebant, & velut adstrictiores commendabantur, hæc portenta a conuiuiis suis abesse voluerunt, (de quo Sauaro *ibid.*) & quidam dixerat, *bonum esse illud conuiuium, in quod Choraules non intrat*, ita Conciliis & Viris Sanctissimis res ea damnata: Viginti iam ante hanc Theodosii M. constitutionem annis, cautum fuerat Concilio Laodiceno, *can.* 54. *p.* 789. 792. *Tom. I. Concil. Ed. Harduin.* ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἢ κληρικούς τινας θεωρίας θεωρεῖν ἐν γάμοις ἢ δείπνοις, ἀλλὰ πρὸ τοῦ εἰσέρχεσθαι τοὺς θυμελικούς, ἐγείρεσθαι αὐτοὺς καὶ ἀναχωρεῖν: *quod non oporteat sacerdotes aut clericos quibuscunque spectaculis in scenis aut in nuptiis interesse: sed antequam thymelici ingrediantur, exurgere, eos conuenit, atque inde discedere.* Nempe gradus hic primus fuit ad hunc prauum morem e Republ. Christiana tollendum. Primum Conciliis Sacerdotes huiusmodi conuiuiis vel nuptiis, vbi Thymelici intrarent, arcere visum, quam in rem vid. & quæ Gregorius Nazianzenus *epist. ad Dioclem.* 193. Secundus gradus fuit, quod Patres inuecti acerbe in huiusmodi Fidicinas & Psaltrias, quorum querelæ etiam ad Principes perlatæ. Et in his Basilius, *in cap.* 5. *Esaiæ Proph. num.* 156 *p.* 490. *Tom. I. Oper. Ed. Benedictin.* vbi multa occurrunt, quæ ad hanc *legem* omnino explicandam faciunt: inter alia, has Fidicinas vel seruilis conditionis fuisse, quod & *hac leg.* dicitur, vel mercenarias ad id edoctas; in his fuisse nonnullas quæ docerent: adhibitas denique conuiuiis & lætitiæ temporibus. Quod cum attendo, quæ singula ferme cum *hac leg.* pariant, videri posset hæc *lex* a Theodosio M. lata, ad Patrum, & in his Basilii istius querelam. Basilii, inquam, non Cæsariensis illius Magni, qui iam ante septimum annum obierat; verum alterius, cui Libros illos seu Commentarios in Esaiam iam olim adscribendos Erasmus recte conciebat. De quo Basilio, paulo iuniore, vide quæ Baronius *Anno* 382. *a num.* 60 Postremus igitur gradus fuit hic Theodosianæ huiusce constitutionis, qua Fidicinæ & Psaltriæ seu Musicæ in totum prohibentur: exindeque quoque recte postea dictum ab Hieronymo, *epist. ad Furiam de Viduitate pag.* 83. *Tom. I. Oper. Edit. Francf. apud Christ. Gensch. Fidicinas & Psaltrias & istiusmodi chorum Diaboli, quasi mortifera Sirenarum carmina proturba ex ædibus tuis.* Et mox, de cantu spirituali agens, *Has*, inquit, *docet Psaltrias Christo, has Fidicinas erudit Saluatori.* Sane & hæc constitutio est Theodosianæ honestatis Christianæ argumentum, qui Psaltrias has e Republ. Christiana sustulit. Modestiam vero suam, atque adeo *huius leg.* prohibitionem & prouisionem intra fœminas inclusit: Psalteriis vti fœminis inhibitum: masculi enim puerique a Theodosio M. nondum interdicti. Etsi ab his quoque Viri graues abstinerent. Quod Claudianus *lib.* 2. *v.* 142. inter laudes Stilichonis ponit: *Nulla cithara conuiuia cantu, Non Pueri lasciua sonant.*

Porro

Porro Theodosius M. *hac leg.* modestiam & prouidentiam suam vsque eo extendit, vt omnem omnino Psaltriarum vsum inhibeat: Scilicet & doceri, & emi vendi, & conuiuiis aut spectaculis adhiberi vetat: Imo & *haberi* in ministerio priuato; *Nec cuiquam*, inquit, *aut delectationis desiderio erudita feminea Musica artis studio liceat habere mancipia.* Aut delectationis desiderio, id est, etiam delectationis desiderio. Non tantum non licet conuiuiis aut spectaculis adhibere fidicinas, verum etiam solo delectationis desiderio habere, & sic ministerio priuato; & quomodo exposui supra, *inter ministeria delectationis ergo.* Dicit lex *Aut*, pro *&*, *etiam vel:* quo sensu apud Symmachum *lib. 3. epist. 50.* & Petrum Chrysologum *in sermonibus* sæpe, & Arnobius *lib. 4. pag. 143. Edition. Stewech. Senatorem aut conuicio prosequi.* Quicquid autem Theodosius M. *hac leg.* prohibuerit, certe Asterius Amaseæ Ep. *homil. 1. de Diuite & Lazaro, pag. 7. Edit. Ruben.* aperte ostendit, sua, sub Arcadio Theodosii M. filio, ætate, in Oriente, Μυσικὰς & ὀρχηστρίδας conuiuiis adhibitas inter alia *mensæ satellitia*, τὸ δορυφορικὸν τῆς τραπέζης πλῆθος. Et Chrysostomus non *vno loco* declamat aduersus huiusmodi Scenicarum, Fidicinarum, Psaltriarum in spectaculis vsum: veluti *homilia 69. in Matth. edit. Comel. p. 601.* & *pag. 673. Tom. VII. Oper. Edition. Benedict.* vt & in nuptiis prolixe, *homilia 12. ad Coloss. pag. 417. 418. Tom. XI. Oper. Edit. cit.*

P. 373

De VESTE *&* MVNDO *Mimarum seu Scenicarum.*

XI. (a) Imppp. THEOD. Arcad. & Honor. AAA. Rufino PF. P. (b)

NVLLA mima gemmis, nulla sigillatis sericis, (c) aut textis vtatur auratis. His quoque vestibus nouerint abstinendum, quas Græco nomine a (d) Latino *Crustas* vocant, (in quibus alio (e) admixtus colori puri robur (f) muricis inardescit. (g) Vti sane hisdem, scutlatis, (h) & variis coloribus (i) sericis, auroque sine gemmis, collo, bracchiis, cingulo, non vetamus. Dat. XI. Kalend. Octob. Constantinop. Theod. A. III. & Abundantio Coss. [393.]

N O T Æ.

(a) Abest & *hac lex a Cod. Iustin.* Ei forte iungenda *lex 3. Cod. Iust. de vestib. holoueris.* GOTHOFR.

(b) Orientis. *IDEM.*

(c) *Sigillatis sericis.* Ita locus hic sine commate legendus. *ID.*

(d) Nil hic mutandum: mox vt ostendam. *ID.*

(e) γρ. *alii.* Quanquam non desunt loca, in quibus *alio*, pro *alii*, expressum, & vsurpatum. *ID.*

(f) Ita scriptum antiqua scriptura & proba, pro *rubor.* Nam & ita in Glossis: *Robor*, ἐρυθρίασις. Vide & Festum *in robum. Robor* autem proprie de purpura. Virgilius III. *Georgic. v. 307.*

Tyrios incocta rubores ——————

Vbi Seruius: id est, *quæ migrauit in purpuram.* Tertullian. *de Pallio c. 4. Cum latioris purpuræ ambitio, & Galatici roboris superiectio Saturnum commendat.* Cassiodor. *V. Variar. 2. Color nimio lepore vernans, obscuritas rubens, nigredo sanguinea.* *ID.*

(g) *Inardescere* propria purpura dicitur: alias & *micare* apud Vopiscum *in Carino.* Florere apud *Tertullian.* & purpuræ flos apud *Plinium.* Vnde & Græcis ἄνθος πορφύρας. *ID.*

(h) γρ. *Scutlatis*, pro *scutulatis*, de quo mox. *ID.*

(i) Opponuntur hic *serica variis coloribus*, *sigillatis sericis.* Sicut mox aurum sine gemmis, gemmis ipsis: scutulata paulo ante, textis auratis. *ID.*

COMMENTARIVS.

VESTEM & ornatum Scenicarum (de quibus alioquin Scenicorum vestibus vid. quoque *leg. 127. de V. S.* Mimarum, qui ingens hoc æuo Scenicorum ornatus fuit, de quo sæpe Chrysostomus, & Mimarum speciatim habitum describit *in 1. ad Timoth. cap. 2. homil. 8. pag. 455.* & *pag. 591. Tom. XI. Oper. Edit. Benedictin.*) a priuatarum Matronarum veste & ornatu Theodosius M. hac constitutione distinguit; definitque adeo, quonam Scenicæ vestis genere, quo ornatu Scenicæ mulieres vti possint, vel prohibeantur. Nullum enim non vestis aut ornamenti genus, cuius *hac leg.* mentio fit, a mulieribus & matronis vsurpatum. Licuit quippe matronis & gemmis vti, & sigillatis sericis vti, & textis auratis vti, imo & *Crustis*, (id est, semipurpurea veste) de quo mox plura. (Nam holouera, id est, purpurea prorsus priuato nulli vti licuit: vt ostendit *tit. supr. de vestib. holouer.*) Non minus, inquam, his vestibus vti Matronis licuit, quam aut scutulatis vestibus, aut sericis variorum colorum, aut auro

sine

fine gemmis: His, inquam, vestibus, hoc ornatu pro arbitrio Matronæ vti potuere: At non etiam Mimas hunc habitum vsurpare vult *has leg.* Theodosius: duplici, vt equidem existimo, fine. Primo, vt haberent Matronæ, quo a Scenicis mulieribus, distinguerentur, atque ipso occursu denotari possent, quæ vel potissima *huius legis* ratio videtur. Nam & ita *leg. 12. infr.* Mimæ Virginum Deo dicatarum habitu vti prohibentur. Quanquam & hæc secunda ratio addi potest, nempe id ita quoque constitutum, coercendis effusis Magistratuum in Mimas liberalitatibus. Nempe vt cæteroquin effusam Magistratuum liberalitatem in spectacula, atque expensas ludorum Principum constitutionibus coërceri oportuit: quod docuit *lex 2. supr. de Spectacul.* docebit & *titulus* eam in rem expressus, *infr. de expens. ludor.* ita & hac parte oportuit. Nota est iam Vopisci, quinquaginta circiter ante hanc constitutionem annis, querela, *in vita Aureliani c. 15.* & *in vita Carini c. vlt.* de effusis Editorum & Magistratuum liberalitatibus in Scenicos & Mimas, quibus patrimonia sua effundebant, & quidem vestibus pretiosissimis erogatis. Et similis quoque extat Ambrosii querela, *lib. 2. offic. cap. 21.* Qua caussa adstrictissimus quisque Principum huiusmodi Scenicas donationes temperarunt. Ac nominatim Alexand. Seuerus, teste Lampridio *c. 33.* Scenicis pretiosas vestes, quas Heliogabalus dederat, sustulit. Et ita quidem Principes sæculi. Atenim contra, Patres modestiæ Christianæ doctores sumptuosas vestes Scenicis relinqui voluere, Matronas his abstinere: de quo vid. vel Chrysostomum *homil. 20. ad Ephes. pag. 153. Tom. XI. Edit. Benedict.* & *homil. 7. ad Philipp. pag. 253. Tom. eod.* Igitur quatuor siue vestis, siue ornatus genere Mimis mulieribus *hac leg.* interdicuntur: vicissim, tribus vti eæ non vetantur, quantumuis alioquin sat pretiosis. Primo *Gemmis* vti Mimæ prohibentur, seu auro gemmato (quantumuis auro vti possint & χρυσοφορούσαις esse liceat: de quo auri ornatu in Scenicis, Chrysost. *homil. 69. in Matth. pag. 675. Tom. VII.* & *20. ad Ephes. pag. 153. Tom. XI. Oper. Edit. Benedict.*) quacunque scilicet corporis parte, velut: (capite, crinibus, auribus, de quibus postremis Chrysost. *homil. 90. Comm. in Matth. p. 748.* siu. *homil. 89. pag. 837. Tom. VII. Ed. Benedictin.* & *d. homil. 20. ad Ephes. pag. 153. Ed. Benedict.*) collo (digitis) bracchiis, cingulo, de hoc vid. Chrysost. *in 1. ad Timoth. cap. 2. homil. 8. d. p. 455.* siu. *pag. 591. Tom. XI. Benedict.* in his enim partibus corporis mulieres aurum & gemmas ferunt (de quo plura Clemens Alexandr. *Pædagogi lib. 2. cap. 10. 11. 12.* & *lib. 3. cap. 2.*) Matronæ & Scænicæ; Aristænetus *lib. 1. epist. 19. pag. 136. Edit. Pauw.* de Scenica quadam agens, quæ scena liberata fuerat, præsentem eius & modestum iam habitum describens scenico oppositum eo alludit, εἶδον καὶ ἀμφιδέτας, καὶ περισκελίδας οὐ τὰς περιέργους ἐκείνας ὦ φίλη ἀλλ' ἔργον ὄντως ἐλευθερίᾳ πρεπῶδες· τοιοῦτον αὐτῇ καὶ περιαυχένιον, καὶ τὸν ἄλλον κόσμον ἴδοι τις ἄν, *vidi & armillas & femoralia, non curiosa illa, mi anime, sed liberam fere decentia. Ad eundem modum & monile videas, & cæterum muliebrem mundum, &c.*

P. 374 Ouid. *de Remed. Amor. l. v. 344.*

Auferimur cultu, gemmisque auroque teguntur
Omnia, pars minima est ipsa puella sui

Manilius *lib. 5. v. 406.*

Perque caput ducti lapides, per colla, manusque,

Vide & apud Plinium *hist. lib. 9. c. 35.* locum de Lolliæ Paulinæ, Caii Principis matronæ vestibus. Quod de tunicæ ornatu Solinus perperam accepit *cap. 53.* Aurum scilicet alioquin gemmatum accessio fuit, vt alicubi loquitur Plinius, *lib. 33. proam. fine.* Vestium gemmis ac margaritis consertarum mentio fit in Historia Augusta, & apud Gregorium Nazianzenum non semel. Πέπλους καταμαργάρους vocat Manasses, vestes gemmis opertas. Sindones μαργαριτίδες, *Auctor peripli maris rubri* Clemens Alexandrinus Pædagogi *lib. 2. cap. 12.* hunc fœminarum luxum circa gemmas damnans, memorat & ipse λίθους γυναιξὶ περιδημένους, τοῖς ὅρμοις καὶ τοῖς περιδεξίοις ἐγκατακλειομένους, *gemmas monilibus alligatas & inclusas torquibus.* Ioan. Chrysostomus etiam *homil. 21. in cap. 5. Genes. in fin. pag. 192. Tom. IV. Edit. Benedict.* hunc matronarum (imo & virorum) luxum proscribit, quæ τῷ μεγέθει καὶ τῷ ὄγκῳ τῶν λίθων, *magnitudine grauitateque lapidum*, seu μαργαρίταις, erant καλλωπιζόμεναι, *ornata.* Idem & *homil. 37. in cap. 15. Genes. pag. 381. Ed. Ben. Tom. eit.* vbi eis luxum exprobrat, καὶ τὸ μετὰ τῶν διαχρύσων ἱματίων, καὶ τὰ χρυσία αὐτὰ περικεῖσθαι ἐπί τε τῆς κεφαλῆς, ἐπί τε τοῦ τραχήλου καὶ τοῦ λοιποῦ σώματος, *cum auratis vestibus & auro in capite, in collo & in aliis corporis partibus ornantur.* Et passim alibi Chrysostomus.

Secundo vti vetantur Mimæ SIGILLATIS & quidem sericis, etsi sericis & quidem varii coloris vti possint. Ita enim tria Sericarum vestium genera *has leg.* constituuntur opponunturque: Serica, inquam, nuda seu in genere, & sigillata serica, & serica variis e coloribus. *Serica sigillata* pretiosissima fuisse oportet, vt quæ gemmis hic, & auratis textis æquentur. Pollio etiam *in Tyrannis*, ac nominatim, *in vita Herodis*, inter delicias Herodis, & Orientalem ac Græcam luxuriam ponit & componit hæc duo: *Sigillata tentoria, & auratos papiliones.* Sigillatum sericum vt breue faciam, sericum est, in quo *sigilla*, id est, figuræ hominum aut belluarum aliarumque etiam rerum, expressæ, intextæque sunt. Hinc & eadem Græcis dicuntur, ἔχοντα ζώδια, vt Clementi Alexand. *Pædagogi lib. 2. cap. 10. pag. 149. Edit. Heinsii Lugd. Bat.* ζωδιωτά, Hesychio ζωδιωτὸς χιτών, est omnino sigillata vestis. Sane & in Glossis Philoxeni, *Sigillum* vertitur, ἀνδριαντάριον, ζώδιον, & in *Glossar.* Cyrilli, ζώδιον, *sigillum*, item ζωδιωτὸν, *sigillatum*, & ζωδιοποιὸς, *Sigillarius.* Inde igitur sigillatæ vestes, quarum meminit & Pollux *lib. 7. cap. 13. segm. 55. pag. 724. 725. Edit. Hemsterhusii* ὁ δὲ κατάστικτος, χιτών ἐστιν ὁ ἔχων ζῶα, ἢ ἄνθη ἐνυφασμένα. καὶ ζωωτὸς δὲ χιτὼν ἐκαλεῖτο, καὶ ζωδιωτὸς, *sed distincta tunica, est animalia, aut flores intertextos habens. & belluata tunica dicitur, aut animalibus interstincta.* De his quoque vestibus Asterius *in homil. 1. de Diuite & Lazaro, p. 3. Edit. Rubenii:* qui vocat hæc sigilla, in vestibus εἴδωλα. Ἀλλά τινα καινὴν ὑφαντικὴν ἐξευρόντες, καὶ περίεργον, ἥτις τῇ πλοκῇ τοῦ στήμονος πρὸς τὴν κρόκην τῆς γραφικῆς μιμεῖται τὴν δύναμιν, καὶ πάντων ζώων τοῖς πέπλοις τὰς μορφὰς ἐνσημαίνεται, τὴν ἀνθινὴν καὶ μυρίοις εἰδώλοις πεποικιλμένην φιλοτεχνοῦσιν ἐσθῆτα, ἑαυτοῖς τε καὶ γυναιξὶ καὶ παισίν: ὅταν οὖν ἐνδυσάμενοι φανῶσιν, ὡς τοῖχοι γεγραμμένοι παρὰ τῶν συντυγχανόντων ὁρῶνται, &c. *sed inani quodam & supernaeuo commento, quod artem pictoriam per stamen atque subtegmen imitatur, omnium formas animalium in vestibus exprimit, florida ac sexcentis variegata figuris vestimenta tum sibi, tum vxoribus & liberis comparant. Quandocunque igitur in publicum prodeunt, quasi depicti parietes ab obuiis aspiciuntur.* Quo loco etiam addit ab his qui religiosiores videri volebant, historias Euangelicas intextas. Ammianus Marcel-

Marcellinus *lib. 14. cap. 6.* de Romano luxu agens vocat vestes effigiatas in species animalium multiformes. *Alii summum decus in carrucis solito altioribus & ambitioso vestium cultu ponentes, sudant sub ponderibus lacernarum, quas in collis exerta cingulis ipsis adnectant;* (vel vt habet editio postrema, quas collis insertas singulis ipsis adnectunt) *nimia subtemium* (vel subtegminum) *tenuitate perflabiles, expandentes crebris agitationibus* (vel vt in Editione postrema, filis extantes crebris a locis omnibus) *maximeque sinistra. Vt longioris fimbria tunica perspicua luceant varietate liciorum effigiata in species animalium multiformes.* Prudentius in *Hamartigenia v. 292.* posteaquam de scutulatis egit, subiicit mox de Sigillatis.

Additur ars, vt fila herbis saturata recoctis,
Illudant varias distincto stamine formas.

Qui locus componendus cum Asterii loco. Sigillata igitur serica vestis est in qua exprimuntur distincto varioque stamine formæ & effigies seu sigilla hominum & belluarum. Itaque & *belluata* alibi dicuntor. Sane multa sigillatorum mentio apud Anastasium *in Leone III. & Paschali, & in Leone IV. pagina 224. 268. 306. Edit. Romana. Vela*, inquit, *holoserica maiora sigillata habentia περίκλυστα & crucem.* Item, *obtulit vestem albam sigillatam cum rosulis, habentem in medio crucem.* Item, *fecit vestem, sericam albam sigillatam cum Gammadiis.* Ecce apud Anastasium vela holoserica sigillata, & vestem sericam albam sigillatam. Idem alibi memorat Gamisias sigillatas. Sigillata igitur serica vestis, est vestis signis seu sigillis florens. Cum his sigillatis eosdem faciunt *Singiliones*, quorum meotio apud Pollionem *in vita Claudii c. 17.* & io testamento Gregorii Nazianzeni. His sigillatis hic coniunguntur *texta aurata*, scilicet vt sigillatæ serico textæ in varias figuras, ita & auratæ textæ in varias etiam figuras: sic vt & ipsæ textæ auratæ *sigillata sint:* Et vero hic quoque diei videotur: *nulla, sigillatis, sericis aut textis vtatur auratis.* Contra sigillatis hic opponuntur *serica varii coloris:* variis coloribus serica est, quæ plures intextos habet colores, quæ Latinis varia vestis dicitur, & varii coloris, & vno verbo, *colorea vestis*, πολύμιταν Græci vocant, seu ποικίλην, de quo prolixe egit Salmasius *in Vopisci Aurelian. c. 46.* Igitur Mimis mulieribus ἀνθιναὶ, id est, versicolores vestes permittuntur, quarum vsus solis meretricibus Athenis olim permissus fuit. Sed & Romæ olim L. Oppia versicolorium vestium vsus mulieribus permissus non erat, postea permissus fuit, easque gestarunt Matronæ Romanæ, vt et Vopisci *Aureliano c. 46.* liquet. Hinc ἄνθινα καὶ ποικίλη vestis, pro *muliebri.* Apud Plutarchum *in Romanis Quæst. Tom. II. Oper. pag. 278. Ed. Xylandr.* & Artemidorum *lib. 2. cap. 3.*

Tertio, prohibentur Mimæ *Textis auratis*, quas & ipsas sigillatas esse dixi, vti, id est, χρυσοπάστοις ἱματίοις, de quibus non *vno loco* Chrysostomus, veste aurata, quæ sigillaris sericis, & gemmis hic iungitur. Ita quoque Capitolinus *in Marco c. 17. Vendidit*, inquit, *& vestem oxoriam, sericam & auratam, gemmasque etiam, quas multas in repostorio sanctiore Adriani repererat.* Capitolinus quoque *in Maximino iuniore c. 2.* vbi arrhas sponsalitias Regias memorat; *Manserunt*, inquit, *apud eum arrhæ Regiæ, quæ tales fuerunt, monolinum* (Monolinum est filum, quo margaritæ insertæ sunt: nam & ita in Glossis τετράλινον, *quadrifilum gemmarium*) *de Albis nauem* (*Alba* sunt margaritæ) *reticulum de Prasinis* (id est, Smaragdis) *vndecim, dextrocherium cum costula de hyacinthis quatuor, præter vestes auratas, & omnes Regias, cæteraque insignia sponsaliorum.* Auratæ igitur vestes ioter Regias & Matronales sunt, quas & Alexander Seuerus ministris suis sustulit, teste Lampridio *c. 35.* & *hac leg.* Theodosius interdicit Mimis & Sceoicis mulieribus. Has vero vestes textas auratas, vocat Chrysostomus *homilia 37. in cap. 15. Genes. p. 351. Tom. IV. Edit. Benedict.* χρυσίῳ καθυφασμένα. Οἱ πάντα τρόπον σπουδάζοντες, τὰ μὲν σηρικὰ περιβεβλῆσθαι πολλάκις ἱμάτια, καὶ σοβεῖν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς, καὶ τὰ μὲν χρυσίῳ καθυφασμένα περικεῖσθαι, τὰ δὲ καὶ ἄλλως πῶς πεποικίλθαι: *Qui modis omnibus dant operam, vt sericis vel aura vel aliter pictis vestibus intertextis induantur, & post se pompam trahant in foro.* Quibus postremis etiam verbis sigillata serica indicari videntur.

Postremo vetantur Mimæ vti *Crustis*, quas vocant, p. 378
vestibus. Quid vero hoc nominis sit, & cuius generis hæc vestis, vel hæc *lex* docet. Nempe ait lex, *Crustas dici Græco nomine a Latino*, id est, si recte his locus habet, Græco desumpto a Latino & mutuato. Alii tentant *Græco nomine ac Latino.* Alii, (& in his Salmasius Pullion. *Claud. cap. 17.*) *Græco nomine Latini Crustas vocant.* Crustam vestem nil aliud esse quidam putant, quam bene percussam, ita vocatam a densitate texturæ. Nam κρούειν est concutere. Crustæ igitur fuerint concussæ & bene percussæ vestes, quæ & *concussa* (aut *excussa*) dicuntur apud Pollion. *in vita Claudii c. 17.* vt apud Festum contra, *decuces (decotes)* togæ sunt detritæ. Vide Salmasium ad *l. c.* Pollionis. Quæ significatio nil commune habet cum his crustis, quibus a colore nomen. Fornerius III. *Quotid. 11. crostas* hic legit, quasi ἀπὸ τῆς χρώσεως, seu a tinctura. Quod generale nimis & absurdum; neque enim *chrusta* dicitur. Putaret etiam quis hic legendum *Crossatas*, κροσσωτάς, quarum meminit quoque Clemens Alexandrinus *Pædag. lib. 2. cap. 10. p. 149. Edit. Heinsii Lugd. B.* Memorat & Chrysostomus *homil. 70. in Matth. edit. Comel. pag. 608.* siu. *hom. 69. num. 2. in fin. pag. 682. Tom. VII. Ed. Benedict.* Κροσσωτοῖς χρυσοῖς περιβεβλημένην, πεποικιλμένην, *vestitam deaurato circumdatam, varietate ornatam.* Inanis coniectura est Petauii *in Themistii Orat. 11. p. 626.* qui eo referre tentabat Glossarii illud *Crusta*, γρῦτα, quasi vestium genus illud iodicetur quasi scrutulum ac reticulum, quod a specie siue veste principali reiiceretur. Verum verissima sententia mihi videtur, a variegatis marmorum crustis hanc vocem deriuari: sic vt specialiter *Crusta* vestis dicatur, vbi alteri colori admixtus erat purpureus: sic enim & Crustæ olim dictæ in vasis auri, argenti, emblemata seu adfixæ imagines, quæ ex diuersis materiis illigabantur: Cicer. *4. in Verrem cap. 23. Quæ probarant, iis crusta aut emblemata detrahebantur. Sic Haluntini excussis deliciis, cum argento pura domum reuerterunt.* Ab his vasorum crustis, earum artifices *Crustarii* apud Plinium *lib. 33. cap. 12.* vbi de Teucro Crustario. Hæc *lex* scilicet hanc vestem ita describit, *quod in ea puri muricis rubor ALII colori admixtus inardescebat:* id est, quæ variegato colore constabat. Non erat scilicet holouera, non meram purpuram continebat: non, inquam, ex omni parte texturæ cruore conchylii infecta erat (vt loquitur *lex vltim. supr. de vest. holou.*) non ardescebat, sed inardescebat: Nam vel stamina eius erant tincta conchylio; seu per eam decurrebant fila solidata conchylii infectione; vel subtemen eius purpureum erat, de quo dictum fuit ad *d. l. vltim. supr. de vestibus holou.* Purpurea scilicet vestis serica vel erat tota purpurea, seu tota ardescebat, cuius vsus priuatis omnibus interdictus erat; vel inardescebat, id est habebat tantum stamen purpureum vel subtemen purpureum. Ergo *Crusta* vestes erant variegato colore ex purpura & alio

alio mixto textæ. Vbi non mera purpura ardeſcebat, ſed mixta alii colori inardeſcebat. Quarum vſus honeſtioribus Matronis permiſſus erat; ſolæ vero Scænicæ & Mimæ eas *hac leg.* vſurpare vetantur.

Atenim *ſcutlatis* veſtibus Mimæ *hac leg.* non interdicuntur. *Scutlata* hic pro Scutulatæ. Scutulatæ veſtis meminit & Iuuenalis *Satyra* 2. *v.* 97.

Cærulea indutus ſcutulata, aut galbina raſa.

Eadem intellexit & Prudentius his verbis *in Hamartigenia v.* 287. *ſequ.*

——— Eoo ex orbe petitis

Ramorum ſpoliis fluitantes ſumere amictus

Gaudent, & durum Scutulis perfundere corpus.

Meminit & *Scutulatorum* Hieronymus in *verſione Bibliorum*, locis quæ mox conſignabo. Dicta vero *ſcutulata* veſtis, a ſcutulis. *Scutula* eſt σκυ[illegible]άλη in *Gloſſis*, non a voce *ſcutum*. Nam & in ſcutulata prima breuis eſt: *Scutula* autem eſt Segmentum aliquod quadratum vel orbiculatum, vel cuneatum, quod & in veſtibus *Virga* dicitur. Virgæ autem ſunt viæ tranſuerſim & decuſſatim ductæ in veſtibus. Itaque *virgata veſtis*, & ſcutulata eadem. Ac proinde ſcutulatæ ſunt maculis notis quadratis ſeu vel orbiculatibus etiam variegatæ. Itaque quas Septuaginta Interpretes πεποικιλμένας, & ποικίλματα vocant; *Pſalm.* 45. *verſ.* 14. & *Ezech.* 27. *verſ.* 16. ea Hieronymus vertit *ſcutulata*. *Faſciis*, inquit, *aureis ornata eſt, in ſcutulatis ducetur ad Regem.* Item, *purpuram, & ſcutulata, & byſſum & Sericum.* Hinc & *ſcutulatum rete*, de araneæ tela, Plinio *lib.* 11. *cap.* 24. hinc & *ſcutulatus color* apud Palladium, (de quo mox) & Iſidor. 12. *cap.* 1. & Plinius maculas & plagulas in retibus vocat *ſcutulas*, & Liuius *lib.* 38. *c.* 29. in funda vocat *ſcutalen* reticulatum in medio fundæ. Hinc & quod alii tribuunt Gallis, *virgata ſagula*, Plin. *lib.* 8. *cap.* 48. ita deſcribit: *Inuentum Gallorum eſt ſcutulis ſagos diuidere*: idque Diodorus *lib.* 5. *cap.* 6. *pag.* 215. *Ed. Rhodom.* ita effert: σάγους ῥαβδωτοὺς πλινθίοις πολυανθέσι, καὶ πυκνοῖς διειλημμένους, *Saga virgata, ſcutulis floreis & crebris diſtincta.* Sagula verſicoloria vocat Tacitus *hiſt.* 5. *cap.* 23. Scutulata itaque & virgata ſunt crebris laterculis, quadris, orbiculis diſtincta, diuiſa: quale quid in retibus aut reticulatis operibus apparet. Vnde etiam inter præcipuos colores equi, *ſcutulatus* ponitur a Palladio *in Martio, cap.* 13. quem nos *pommelé* vocamus. Et pauimenta ex *ſcutulis* eidem, *lib.* 1. *c.* 9. *in fin.*

De IMAGINIBVS, VESTIBVS *&* CONSORTIO *ſcenicarum.*

XII. (a) Idem AAA. ad Rufinum PF. P. (b)

SI qua, in (c) publicis Porticibus, vel in his (d) ciuitatum locis, in quibus Noſtræ ſolent Imagines conſecrari, (e), pictura, Pantomimum veſte humili, & rugoſis ſinibus Agitatorem, aut vilem (f) offerat (g) Hiſtrionem, ilico reuellatur: Neque vmquam poſthac liceat in loco honeſto inhoneſtas adnotare perſonas: In aditu vero Circi, vel in Theatri proſceniis, (h) vt conlocentur non vetamus. His illud adicimus, vt Mimæ, * & qui ludibrio corporis ſui quæſtum faciunt, publice habitu earum Virginum, quæ Deo dicatæ ſunt, non vtantur: Et, ** vt nulla femina, (i) nec puer, Thymelici (k) conſortio inbuantur, ſi Chriſtianæ religionis eſſe cognoſcitur. Dat. III. Kal. Iul. (l) Heracl. (m) Arcad. A. III. & Honorio A. II. Coss. [394.]

N O T Æ.

(a) *Lex* 4. *Cod. Iuſtin. de Spectacul.* Iungendæque *huic legi* videntur nonnullæ aliæ huius anni conſtitutiones, ac nominatim *lex* 18. *ſupr. de Cohortal. l.* 139. *ſupr. de Decurion.* Imo forte & *l.* 31. *ſupr. de Operib. publ.* *GOTHOFR.*

P. 376 (b) *Rufinus PP.* ſub Theodoſio M. Orientis ſcilicet. *IDEM.*

(c) Abeſt a *Cod. Iuſtin.* nonnullis Edit. *ID.*

(d) Aliis. *ID.*

(e) Vide de *hoc tit. ſupr. de Imagin. Imperial.* *ID.*

(f) Vid. de plebeiis Scænicis & eorum vilitate *l. vnic. infr. de vſu ſellarum.* *ID.*

(g) Id eſt, ingerat tranſeuntium obtutibus: Quare non mutandum id in *referat*, quod putabat Vir doctus Fileſacus, *Selectorum II. p.* 134. *ID.*

(h) De *Proſcenio* mox. *ID.*

* *Lex* 4. *Cod. Iuſtin. de Epiſcop. Audient.* hinc deſumpta eſt. Eſt autem hoc *ſecundum* legis caput. *IDEM.*

** *Tertium* huius legis caput. *ID.*

(i) Ancilla: vt *l.* 2. *infr. de Lenonibus.* *ID.*

(k) De *Thymelicis* actum iam *leg.* 5. *ſupr.* *ID.*

(l) Malim

(l) Malim *Ion.* iam enim XV. Kal. Iul. Hadrianopolim processerat Theodosius aduersus Eugenium motu-rus. *ID.*

(m) *Heraclia* hoc tempore Theodosius M. vt præter *hanc leg.* docet etiam *d. lex* 18. *supr. de Cohortal.* Nempe ex Vrbe Constantinopolitana in Occidentem tendens aduersus Eugenium & Arbogastem. *IDEM.*

COMMENTARIVS.

De Imaginibus, Vestibus, & Consortio Scænicorum est hæc Theodosii Magni constitutio, Anno D. 394. qua in summam tribus his modum ponit, Præmiis inquam Scænicorum, Vestibus Scænicorum, Vsui denique Thymelicorum: Eo fine, vt ne Maiestati Principis, vt ne Sanctimoniæ & Religioni Christianæ ea re dedecus aliquod aut macula, contagio Scænicorum vel Scænicarum inferatur. Hic scilicet finis est huiusce Theodosianæ Constitutionis, quæ vt dixi Tria capita continentur.

Primum caput est de Imaginibus Scænicorum, quo in loco videlicet eæ reponi possint. Nempe inter præmia Pantominorum, Agitatorum, Histrionum, fuerunt quoque Imagines seu picturæ, quibus præmii ergo donabantur. Fides vt ab hac constitutione, ita & a Martiali *lib. 5. Epigr. 26.* & a Luciano, *in Nigrino pagina 37. Tom. I. Edit. Grau.* vbi in Theatris & in Circo, *καὶ τὰς τῶν ἡνιόχων, & aurigarum*, vel *ἁμαξηλατῶν εἰκόνας, καὶ τὰ τῶν ἵππων ὀνόματα, detestabilium imagines, & equorum nomina*, Chrysostomus *in Psalm. 3. in princ. Tom. V. Edit. Benedict.* *νικηφόρους εἰκόνας καὶ στήλας ἐγείρουσιν ἄρχοντες ἡνιόχοις καὶ ἀθληταῖς, καὶ τῷ ἐπιγράμματι ὡς στόματι κήρυκα τῆς νίκης τὴν ὕλην ἐργάζονται: Aurigis & athletis imagines & columnas eorum victoriæ testes excitant principes, & inscriptione tanquam ore efficiunt, vt materia victoriam prædicet.* Verum hæ imagines, seu effigies vetantur hac constitutione collocari (& si quæ collocatæ sunt, reuelli iubentur) Collocari, inquam, in publicis porticibus aliisque locis Ciuitatum publicis, in quibus Principum alioquin Imagines erant: hac ratione addita; *ne inhonestas personas liceat adnotare in loco honesto.* Nempe noluit Theodosius M. suas aliorumque Principum Imagines inter Theatrales spectari & commisceri: Theatrales, inquam, personarum huiusmodi inhonestarum: Nempe Scænici, Pantomimi, Agitatores, Histriones, etsi famosi non fuerint, *l. 4. D. de his qui not. infam.* attamen inhonestæ personæ fuerunt. Inhonestum ab infami longe recedit: Cornelius Nepos *in præfat.* hanc ad rem: *In scænam vero prodire, & populo esse spectaculo, nemini in eisdem Gentibus fuit turpitudini, quæ omnia partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponuntur.* Arnobius de rebus ludicris agens, *lib. 7. pag. 227. Edit. Stewechii.* *Quarum*, inquit, *actores INHONESTOS esse IVS VESTRVM, & inter capita computari iudicauit infamia.* Inter inhonestas igitur personas hic adnotantur *Pantomimi, Agitatores, Histriones:* quare & turpe munus Scænicorum dicitur *l. 4. supr.* & immemores honestatis qui eas sibi sociant, *l. 5. supr.* Hinc & Interpres ad *l. 1. supr. de inoff. test.* Thymelicos inter turpes & infames numerat, quibus institutis, fratri inofficiosi querela competat. Et in eodem argumento, Theophilus *§. 1. Instit. de inoff. testam.* *ἡνίκα αἰσχρὸν ἐπέχουσιν οἱ γεγραμμένοι πρόσωπον, οἷον ἡνίοχοι, μῖμοι, κυνηγοί, cum heredes instituti turpes personas sustinent, vt agitatores, mimi, arenarii.* vid. & Harmenop. *5. tit. 6 §. 2.* Adde & Tertullianum *de Spectacul. c. 22.* & Chrysostomum huius temporis Scriptorem, vt omittam alios, *homil. 38. in Matth. num. 6. 7. pag. 422. 423. 424. Tom. VII. Oper. Edit. Benedict.* & in *1. ad Corinth homil. 12. p. 318.* & *pag. 103. 104. Tom X. Edit. cit.* & *homil. de S. Phoca pag 703. Tom. II. Ed. cit.* Aristænetus quoque *epist. 19.* de Scænica quadam ageos *αἰσχρὰν ἐργασίαν* vocat: vid. & initium *eius epist.* Certe qui artis ludicræ causa in scenam mercede descenduni, famosi sunt ex edicto, *l. 1. §. 2. D. de his qui not. infam.* veluti qui operas suas, vt cum bestiis depugnarent, locauerunt: At non & Athletæ, neque Thymelici, neque Xystici, neque Agitatores, &c. ex *l. 4. eod. tit.* nonnulla Petrus Faber *1. semestr. cap. 20.* & Fabrotus *ad superiorem Theophili locum, p. 366.* vide & quæ notaui ad *leg. vnic. infr. de vsu sellar.* In aditu itaque Circi tantum & in Proscenüs Theatri Scænicorum picturas collocari permitti: Theodosius M. nempe locis professioni ipsorum competentibus. Cassiodorus in formula Tribuni voluptatum, *lib. 7. epist. 10.* vbi de Scænicis: *Temperentur & hæc legum qualitate negotia, quasi honestas imperet INHONESTIS, & quibusdam regulis viuant, qui viam rectæ conuersationis ignorant.* Et in fine, *Cum FAMA DIMINVTIS salua tua opinione versare.* Proscenium, locus patens & liber fuit in fronte Scenæ, ait Isidorus *Origin. 18. c. 43.* in quo Actores, histriones agebant. Diomedes *lib. 3. p. 487. Edit. Putschii: Mimi, Planipedes dicti, quod Actores planis pedibus, id est, nudis proscenium introibant, non vt Tragici Actores cum cothurnis, vtque Comici cum soccis.* Suggestus scilicet Scænæ altus erat: hic Suggestus vocatur a Vitruuio *Pulpitum Prosceni*, quia infra scenam Proscenium sit, Pulpitum autem quinque pedibus altum supra Proscenium. Itaque Scena pulpito est altior; Pulpitum altius proscenio, Proscenium Orchestra. Seruius *2. Georgic. v. 381.* ait; Proscenium fuisse pulpita ante scenam, vbi ludicra exercentur. Per proscenium in scenam ascensum fuisse docet Synesius *2. de prouid. pagin. 128. Edition. Petau.* *εἰ δέ τις εἰς τὴν σκηνὴν εἰσβιάζοιτο διὰ τοῦ προσκηνίου, &c. Si quis in scenam irruperit per proscenium.* In Proscenio fuerunt olim Aræ: vnde Plautus *in Amphitr. prologo. v. 91.* (quod hue maxime facit) *Etiam Histriones anno, cum in Proscenio hic Iouem inuocarunt, venit.* Item ædificia, eodem teste *in Truculento, prolog. v. 10. Athenæ ista sunto, ita vt hoc est Proscenium. tantisper dum transigimus hanc Comœdiam.* E Prosceni istius fastigio, Actores qui in pulpito erant, spectari poterant; vt ex Sueton. *in Nerone, cap. 12.* liquet. Exculta itaque proscenia: Vnde & scortu seu meretrici *proscenio* nomen; quod esset lepida facie, sumptuosisque vestibus induta; exuta vero, maxime deformis: teste Antiphane apud Athenæum *lib. 13. pag. 587. Edit. Casaub.* Suida *voce Νάννιον: διὰ τὸ ἔξωθεν δοκεῖν εὐμορφοτέραν εἶναι:* vid. & totidem verbis apud Harpocrationem *voc. Νάννιον*

In *hac* interim *leg.* & *priore* quidem hoc eius *capite* obseruanda insignis *κυριολογία*, circa habitum scænicorum, hisce verbis: *Pantomimum veste humili, Agitatorem rugosis finibus, Histrionem vilem.* De singulis videndum. Vestis scilicet *humilis* Pantomimo tribuitur, quæ vtique ad manum saltanti, chironomonti, manibus gestienlanti apta, propriaque, ne alioquin saltanti prolixior impedimento foret: Ita enim *humilem* vestem hic accipio.

P. 377 cipio. Quanquam & alias *humilis vestis*, pro ea qualem humiles & exiguæ contemptæque sortis homines gestarent, quas Græci λιτὰς & εὐτελεῖς ἐσθῆτας vocant: Spartianus *in Hadriano cap. 10.* inter alia Hadriani, *Cum Dux militia esset, vestem,* inquit, *humillimam frequenter acciperet, sine auro balteum sumeret, sine gemmis fibulas stringeret,* &c. Spartianus *in Seuero cap. 19.* vocat vestes exiguas, quas scilicet exiguæ sortis homines gestarent. *Hic,* inquit, *tam exiguis vestibus vsus est, vt vix tunica ipsius purpura aliquid haberet, & cum hyrta chlamyde humeros velaret.* Mimis quoque *centunculum* tribuit Apuleius, *in Apologia pag. 252. Edit. Lugd. B. 1623. apud Ioan. Maire.* vt histrioni *crocotam*, tragœdo *syrma*: vbi crocota est sericum indumentum, quod proinde pantomimis his non recte tribuitur a Viris doctis. Certe Pantomimi vsi veste atque habitu conuenienti si cuius fabulam saltarent; de quo vid. Voss. *Inst. poet. lib. 2. cap. 36. §. 9.* Et hæc de Pantomimi habitu. *Agitatori* vero sinus rugosi hic tribuuntur; nempe equos agitantis proprium hoc sinus vestis non habere distinctos, atque ordine inuicem adstrictos, sed rugosos atque inconditos & inordinatos. Nempe rugæ in vestibus olim aliæ casu fiebant ex ipsa vestis redundantia; aliæ arte constabant & ex industria struebantur, ad ornatum vesti conciliandum, per στολίδας, quas Græci vocabant, & σωλῆνας. Quod Chrysostomus reprehendit in sacris Virginibus, rugas inquam circa pectus pariles, *homilia 8. in 1. Timoth. 2. pag. 591. Tom. XI. Edit. Benedictin.* περὶ τὰ στέρνα πολλὰς τὰς ῥύτιδας. Quarum omnium rugarum & striarum centrum erat vmbo & vmbilicus, quo omnes togæ rugæ nodo quodam constringebantur, & vt loquitur Tertullianus, custodibus forcipibus assignabantur. Locus est insignis apud Macrobium *lib. 2. cap. 9.* (vt omittam Tertullian. *de Pallio* *) vbi de toga Hortensii loquitur, de rugis non forte, sed industria locatis: *Togam,* inquit, *corpori sic applicabat, vt rugas non forte, sed industria locatas artifex nodus constringeret, & sinus ex composito defluens, nodum lateris ambiret.* Vilis tandem histrio *hac leg.* vocatur, ob habitum quoque (vt ex adiunctis colligere est) Histrionis scilicet vilis habitus. Et hæc de primo *huius leg.* capite.

Secundo *capite*, Mimæ & quæ ludibrio corporis sui quæstum faciunt, VESTEM a Virginum sanctimonialium veste diuersam habere a Theodosio M. iubentur; vt *superiori* quoque *lege 11.* Mimarum vestis a Matronarum distincta fuit ab eodem Theodosio superiore anno. Nempe peculiari habitu *Virgines Deo* dicatæ hoc æuo iam vsæ. Sane olim Matronas a prostibulis ac meretricibus vestitu distinctas fuisse, res est notior, quam vt exemplis comprobari debeat. Et sublatam hanc vestis distinctionem suis temporibus queritur Matrona quædam apud Nonium *cap. 2. num. 497.* ex Turpil. Att. *Atque scalis,* inquit, *cum meretrice, nostro ornatu per vias lupantur.* Tertullian. *locis duobus*; nempe *cap. 6. Apolog.* his verbis: *Video & inter matronas atque prostibulas nullum de habitu discrimen relictum.* Et *lib. de cult. fœmin. cap. 12. Aut quid minus habent infelicissima publicarum libidinum victima? Quas si qua leges a Matronis & matronalibus decoramentis coercebant, iam certe sæculi improbitas quotidie insurgens, honestissimis quibusque fœminis vsque ad errorem dignoscendi coæquauit.* Neque abludit *lex* Græcorum, qua floridis vestibus solæ meretrices vsæ; de quo videndi Athenæus *lib. 12. cap. 4.* Clem. Alexandr. *lib. 2. Pædagog. cap. 10. pag. 147. Edit. Heins Lugd. B.* Diodorus Siculus *lib. 12. pag. 85. Tom. II. Edit. Rhodoman.* & Suidas voc. ἑταιρῶν. In peculiari porro veste *Virginum sanctimonialium*, fuit, Primo, *Velum*, seu mitrellum in capite; de quo velo seu velamine præter Ambrosium hoc tempore qui consecrationis Virginum ritum describit *cap. 5. & 6. ad Virg. laps.* insignis quoque locus est Optati Mileuitani *lib. 6. cap. 4. pag. 94. Edit. du Pin.* atque hoc signo atque indicio professionis agnoscebantur. De quo καλύμματι Virginum sanctimonialium, quod superne a facie candidum suspendebant, Chrysostomus quoque *d. homilia 8. pag. 591. Edit. Ben.* Deinde pulla tunica & pallium furuum, de quo Chrysostomus *d. loco* & Hieronymus *epist. 12.* & *ad Marcellum, epist. 23. Solent,* inquit, *quædam cum futuram virginem spoponderint, pulla tunica eam induere, & furuo operire pallio:* item, *pulla tunica minus, cum humi iacueris, sordidatur.* Et vero hanc ipsam pullam vestem Mimas & meretrices affectasse verosimile est, sic vt a Virginibus sacratis minus distinguerentur. Nam & Acron ad Horatii *lib. 1. Sat. 2. v. 63.* Auctor est, meretrices Romæ fuisse cum pullis togis, quibus a Matronis discernerentur. Sicut autem *hac leg.* Theodosius M. manus virginum quæ Deo dicatæ sunt, veste vti vetat; ita retro Chrysostomus *d. homilia 8.* virgines in eo reprehendit, quod quamlibet velo, pullaque tunica & pallio furuo induerentur, attamen, vestem & habitum componerent, καθάπερ τῶν ἐπὶ τῆς σκηνῆς ὀρχουμένων, *vt est illa in scena saltantium,* & καθάπερ οἱ τραγῳδοὶ, *sicut tragœdi*, denique quæ ita cultæ essent, vt amplius non liceat διαγνῶναι τὰς πόρνας οὐδὲ τὰς παρθένους, *dignoscere meretrices neque virgines*, vt idem frequenter fœminas notat οὕτως ἑαυτὰς καλλωπιζούσας τὰς ἐν τῇ σκηνῇ μιμουμένας, *ita sese ornantes, scenicasque mulieres imitantes*, veluti *homilia 91. siu. 90. Edit. Ben. in Matth.* Atque hæc de secundo *huius legis* capite: deque interdicto quod eo continetur. Quod & ipsum postea *Capitularibus* Caroli M. & Ludouici interdictum *lib. 5. Capitul. cap. 235.* & Aurelianensi *constit. artic. 24.* quod a Baronio omissum, in Annales Ecclesiasticos referendum fuit; pariter vt tertium, quod sequitur,

Postremo scilicet *capite* vetat Theodosius M. Christianam fœminam aut puerum Thymelici consortio imbui. Quod & ipsum Theodosii M. in Religionem Christianam venerationis argumentum est. Nempe quemadmodum etiam ea, quæ naturali vinculo scænica conditione tenetur, si Religionem Christianam profiteri incipiat, naturali vinculo a Scænica liberatur, *l. 4. 8. 9. supr.* ita multo magis, qui Christiani iam sunt, a scæna, & scænico consortio remouendi sunt. Pari ratione Constantius *l. 1. infr. de Lenonibus*, fœminas Christianas lenonibus, seu lupanaribus vendi vetuerat. De Thymelicis iam dixi ad *l. 5. supra.*

* Consule Cl. SALMASIVM ad *Tertullian. de Pallio pag. 369. seqq.*

Liberari *mimas officio suo Principis beneficio non posse.*

XIII. (a) Impp. Honorius & Theodosius A A. Diogeniano V. C. Tribuno Volupt. (b)

Mimas diuersis Adnotationibus (c) liberatas ad proprium officium summa instantia reuocari (d) decernimus, vt voluptatibus (e) populi, (f) ac festis diebus solitus ornatus deesse non possit. Dat. VI. Id. Febr. Rum. (g) Constantio V. C. Cæs. (h) 414. Acc. a Tribuno Volupt. X. Kalend. Feb. Karthagine, Post Cons. Honor. IX. & Theod. V. A A. Coss. [413.]

P. 378

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex a Cod. Iustin.* videri possit huic coassanda *lex 176. supr. de Decurionib.* vbi dixi. *GOTHOFR.*

(b) *Carthagine*, vt docet subscriptio *legis. IDEM.*

(c) Id est beneficio Principis, *leg. 9. supr. ID.*

(d) A te Tribuno voluptatum. *ID.*

(e) Ludis. *ID.*

(f) Karthaginensis. *ID.*

(g) *γρ. Rav.* Similis subscriptio Anno 413. *l. 13. infr. de infirm. his que sub Tyrann.* quomodo & *Rom.* subscriptum Ann. 414. *l. 55. infr. de Hæreticis. ID.*

(h) *γρ.* Cos. Porro conturbati hic sunt Consules; de quo mox. *ID.*

COMMENTARIVS.

Liberari potuisse Benefficio Principum Mimas seu Scænicas a scæna, docuit *l. 4. & 9. supr. hoc tit.* quæ postrema ad eandem Africam & Karthaginem pertinet, lataque fuit 30. & quod excurrit, ante annos: Verum alia nunc sententia placet Honorio *hac lege*, & quidem in eadem Vrbe Carthaginensi: siquidem beneficio Principum liberatas Mimas Carthaginenses *hac leg.* in scenam reuocari iubet. Nempe, vt ex ea facile colligi potest, quod populus Carthaginiensis & Africanus erga ludos studiosissimus (quod etiam docuit *lex 2. 3. 9. hoc tit.*) huiuscemodi Principum adnotationibus interceptas sibi voluptates suas & festorum dierum solemnia apud Principem conquestus fuisset, atque id etiam Tribunus voluntatum Honorio Imp. insinuasset. Nempe *Tribunus voluptatum* peculiaris vt in aliis primariis Ciuitatibus, veluti Romæ, & Mediolani, ita & Carthagine quoque fuit. Cuius Tribuni voluptatum formula extat apud Cassiodorum, *lib. 7. form. 10.* fit eiusdem mentio *lib. 6. formula 19. Cum lasciua voluptates recipiant Tribunum*, & de eodem Tribuno Mediolani est *epist. 25. lib. 5.* vbi Theodoricus confert Bacaudæ viro superillustri & seni perpetuum Tribunatum, vt diligentissime curet exhiberi voluptates in Vrbe Mediolanensi. Erat autem Tribunus voluptatum, qui voluptatis vrbicæ, id est, ludorum coram gerebat, atque proinde idem Scenicis gregibus, veluti tutor, Iudex, moderator appositus, sic vt in eos districtionem etiam haberet; vt ex prædicta Cassiodori formula liquet. Alius vero ab hoc Tribuno voluptatum est ille, cuius meminit Sueton. in *Tiber. cap. 42.* cum scribit, *Tiberium nouum officium instituisse a voluptatibus, præposito Equite Romano Tito Cæsonio Prisco.* Hic enim voluptatibus priuatis Principis præfuit; ille vero voluptatibus populi: Denique meminit Firmicus *lib. 3. cap. 7.* ibi, *Præpositorum voluptatum earum quæ ad delectationem Regiam præparantur, quique annonas ab Imperatore accipiebant.*

Cæterum in subscriptione duo adhuc notanda sunt. Primo quidem inuersos esse place Coss. atque subscriptionem ita restituendam: *Dat. VI. Id. Febr. Rum. post Cons. Honor. IX. & Theod. V. AA. CONSS. Accept. a Tribun. Volupt. X. Kalend. Febr. Karthagine Constantiô V. C. COS.* Nam alioquin dicendum esset, (quod absurdum,) prius acceptam quam datam *legem* hanc.

Secundo obseruandum, integro Anno ante datam hanc *legem* quam acceptam. Cuius rei causa hæc est, quia statim post eam constitutionem datam, Anno 413. *Heraclianus* Comes Africæ Karthaginem & Africam sibi vindicauerat, & tyrannidem vsurpauerat; de quo videlicet est *lex 21. supr. de infirm. his qua sub Tyrann.* & Chronicorum Scriptores, Idacius, Marcellinus, Prosper. Sic quidem, vt in Italiam, & ad Vrbem Romam proxime cum ingenti exercitu transgressus sit; verum is eodem Anno 413. primum Ocricoli non longe ab Vrbe Roma superatus, paulo post in Africam profugus, Karthagine in æde Memoriæ percussoribus missis ab Honorio occisus fuit: & tum demum cæso Heracliano, vbi necessariis rebus prospectum, hæc *lex* initio sequentis Anni 414. a Tribuno voluptatum accepta fuit.

DE LENONIBIS.

TITVLVS VIII.

Proximo confinio cohæret hic *titulus* superiori; Recte. Nam quæ scænica, eadem & publicæ libidinis ferme victima. Et *huic tit.* respondet *tit. Cod. Iust. lib. 11. de Spectacul. & Scæn. & Lenonib.*

PARATITLON.

LENONES, *Rubr.* & *l. 2. hoc titulo*, & Lenæ, quæ portenrosæ vilitatis dicunrur, *l. 1. in fin. supr. de reuoc. donat.* sunt, qui lupanaria, *l. 1. h. t.* exercenr; in quibus scilicet fœminæ vile ministerium prostituti pudoris explent, *l. 1. h. t.* coitionis sordes ferunt, *l. 2. h. t.* De iustissimo horum odio & pœnis est Constantii Imper. *lex 1. h. t.* & Theodosii Iun. *lex 2. hoc tit.*

P. 179 CONSTANTII *Imp. constitutio in lenones Christianarum ancillarum.*

I. (a) Imp. Constantinus (b) A. ad Seuerum P. V. (c)

SI quis (d) fœminas, (e) quæ (f) se dedicasse venerationi Christianæ legis sanctissimæ dinoscuntur, ludibriis (g) quibusdam subicere voluerit, (h) ac lupanaribus venditas faciat vile ministerium prostituti (i) pudoris explere, nemo alter easdem coëmendi habeat facultatem, nisi aut hii, qui Ecclesiastici esse noscuntur, (k) aut Christiani homines demonstrantur: (l) competenti pretio persoluto. Dat. IV, Non. Iul. Hierap. (m) Placido & Romulo CONS. [343.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iust.* prælata *l. 2. infr.* Eam Baronius quoque *in Annalibus suis* omisit. GOTHOFR.

(b) *ye.* CONSTANTIVS, vt docent Consules subscripti. Error in hoc nomine sæpe admissus *hoc Codice* veluti, *l. 3. supr. de diu. rescript. l. 1. supr. de Iurisdict. l. vnic. supr. de præb. Salar.* ID.

(c) An rescribendum *PP.* Seuerus enim hoc Anno non sternitur inter Præfectos Vrbis *Romæ*, in veteri Notitia, quæ apud Cuspinianum, verum *Aconius Catullinus.* Quid si Seuerus hic P. V. Constantinop. fuerit? IDEM.

(d) Gentilis scilicet. ID.

(e) Ancillas, filias. ID.

(f) Imo, & eo quod. ID.

(g) In ludibrium Religionis Christianæ. ID.

(h) Id est subiecerit. ID.

(i) *Prostituti pudoris.* Ita pariter Firmicus *lib. 6. cap. 31. pag. 170. Meretricem prostituti pudoris efficiet, & quæ corpus suum prauis libidinum cupiditatibus tradat, pudorem suum mercedis quotidianæ gratia potestati* LENONIS *addicens, eritque in publicis meritoriis prostituta, etiamsi ex alto genere videatur esse progenita.* IDEM.

(k) Qui sanæ habitu satis noscebantur. ID.

(l) Probantur. ID.

(m) *Hierapoli* quoque hoc ipso Anno, sine mensis superioris Data *lex 35. supr. de Decurionib.* ad Leontium PP. vbi sane Imperatores ferme constitere, vbi exercitus in Persas mouendus esset: vid. Ammianum, *lib. 14. cap. 7.* vide & *Chronolog. Ann. 347.* & *Ann 370.* ID.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

CONSTANTII Imp. hæc in lenones constitutio est, qua CHRISTIANAS fœminas a dominis Gentilibus prostitutas, Ecclesiasticis vel saltem Christianis redimendi, pretio contra competenti dato, potestatem facit Anno Domini 343. sexennio post mortem Constantini M. patris sui; necessitate imposita eas illis vendendi. Scilicet, vt Lupanaria e Republ. Rom. (iam Christiana) simul & semel inter hæc primorum Principum Christianorum initia, ac per Syriam nominatim (de cuius vago concubitu dixi ad *leg. 1. supr. de incest. nupt.*) quo hanc *legem* pertinere censeo, fugari, fœdæque Lenonum nundinationes proturbari non potuere, sic quidem vt Lenones & Lupanaria hac tempestate tolerata fuerint: quod de Constantini M. ætate docet quoque Lactantii locus *lib. 6. c. 23.* its primus ad profligandum dedecus illud gradus hic fuit, vt Christianas fœminas prostitutas & Lupanari venditas, alii *coëmere*, id est retrahere seu redimere possent. Sed tamen Ecclesiastici vel saltem Christiani tantum. Quomodo & alioquin Ambrosius *2. Off. 15.* inter officia Sacerdotis ponit, non tantum captiuos redimere, eripere ex hostium manibus, subtrahere neci homines, sed *& maxime fœminas turpitudini*. Et postea plenius adhuc ius Episcopis hac parte tributum *l. 2. prox.* vbi vid. quæ dicam. Quod quidem Christianæ Legis veneratione constitutum: pariter vt quod constituitur *l. pen. supr. de Scenicis:* quia (quod hæc *lex* etiam indicat) Domini Gentiles fœminas potestati suæ subditas, seu ancillas, Religionem Christianam amplectentes, ideo tantum, vt Christianam Religionem ludibrio subiicerent, in Lupanaria seu lustra detruderent, Lupanaribusque venditas vel traditas facerent vile ministerium prostituti pudoris explere. Quod quidem etiam ipsum ludibrii genus in Christianas mulieres persecutionum tempore iam olim exercitum, (vt ostendit iam Fornerius *III. Select. 21. pag. 108. 109. Tom. II. Thes. Iur.*) Id vero præter Acta Martyrum, & Apostolicæ Historiæ *librum 3.* vbi de Tryphima, Palladium *in vita Patrum*, edocet insignis Ambrosii locus, *lib. 3. de Virginibus pag. 478. Tom. IV. Oper. Edit. Paris. 1614.* & *Epistol 34. lib. 4. pag. 275. Tom. V. Edit. eit.* & Basilii *de vera Virginitate num. 52. pag. 636. Tom. III. Oper. Edit. Benedictin.* Prudentii, *περὶ στεφάνων, in Passion. Agnet. hym. 14. v. 29.* vbi vox LVDIBRII pariter occurit:

Omnis iuuentus irruat, & nouum
Ludibriorum mancipium petat.

Scilicet, hinc Gentiles per hæc tempora profectu Christianæ Religionis indolentes, nullum non vindictæ ludibriique genus in Christianos exercebant, quo pertinet hæc *lex:* inde Iudæi feralem ipsorum sectam fugientes, & ad Dei cultum respicientes, etiam saxis alioque furoris genere attentare non verebantur, vt docet *lex 1. infr. de Iudæis.* Cæteroquin pœnæ quoqua genus hoc publice Romæ fuisse, in adulteras, vt in Lupanaria damnarentur, ostendunt ea quæ de Theodosio M. scribit Socrates *lib. 5. cap. 18.* Ex his apparet, Constantii mentem *hac leg.* non tam, vel non tantum ad lupanaria abolenda tendere; verum eo quoque, & vel maxime spectare, vt Religionem Christianam a ludibrio Gentilium vindicaret. Imo apparet, Constantium *hac leg.* non abolitum ire lupanaria: contra, ea tolerare: hic quidem (nam eo spectat hæc constitutio) vt nonnisi Christianam fœminam, nonnisi ab Ecclesiastico, vel saltem a Christiano homine, nonnisi pretio competente contra dato, a Lupanari redimendi facultatem tribuat: non aliam, non alii, etsi pretio contra dato. Cæteroquin iam olim quoque Principes quidam Pagani ancillas lenonibus promiscue vendi, seu ad Lupanaria damnari noluerunt: in quibus Adrianus, qui teste *Spartiano c. 18.* vetuerat P. 380
ancillam Lenoni, seruum Lanistæ vendi, causa non præstita, id est, nisi ex causa aliqua iustissima, non proprio & præcipiti arbitrio; verum si iusta esset Domini querela, oblata Iudici ancilla.

Obseruetur interim ex *hac leg.* singulare Retractus, Coemtionis, necessariæque venditionis genus, vt a ludibrio Gentilium Christiana Religio vindicaretur. Cuius necessariæ seruorum venditionis haud dissimile exemplum olim inductum, ob nimiam Dominorum sæuitiam, & infamem iniuriam, rescriptis Antonini Pii: de quibus *§. 2. Inst.* & *l. 2. D. de his qui sunt sui:* & apud Autorem *collat. ll. Mosaicar. tit de sæuitia Dominorum 3.* Vbi infamis iniuria est quædam ei, de qua *hac leg.* agitur, vicina, & fœdior adhuc; vt alibi prolixe ostendo. Et tamen vt hoc casu, ita in specie *huius legis*, pretio competente contra dato. Quod tamen sublatum, *l. vltim. Cod. Iust. de Spectacul.* vbi ancillæ prostitutæ manum iniicere licet, *ἐκδικεῖσθω προῖκα*, gratis, vtque Theodosius Lenones & Lupanaria vndecim annis post penitus extinctum iuit in Vrbe Constantinop. *Nouell. de Lenonibus.* Et hactenus quidem Constantii Censura in Lupanaria seu Lenones sese exeruit; vlterius enim deinceps procurrit, pudicitiæque consuluit primum Theodosius M. Romæ eo facto quod narrat Socrates, *lib. 5. cap. 18.* de quo dixi ad *l. vnic. supr. de Manumiss.* dein Theodosius Iun. *l. 2. prox.* ob similem indignitatis speciem: nempe vbi patres, vel domini, filiabus suis, vel ancillis, peccandi necessitatem inuitis imponerent. Tandem hac sanctissima Constantii constitutione Annales Ecclesiasticos deinceps instrui moneo.

THEODOSII Iun. *constitutio in Lenones.*

II. (a) Impp. THEODOS. & Valentinianus AA. Florentio PF. P. (b)

LENONES patres & dominos, qui suis filiis (c) vel ancillis peccandi (d) necessitatem inponunt, nec iure frui dominii, nec tanti criminis patimur libertate (e) gaudere. Igitur tali placet hanc (f) indignatione (g) subduci, nec (h) potestatis iure frui valeat, (i) ne quid eis ita (k) possit adquiri, Sed ancillis filiabusque, si velint, conductisue pro paupertate personis, quas sors damnauit humilior, Episcoporum liceat, Iudicum etiam, Defen-

Defensorumque implorato suffragio, omni miseriarum necessitate absolui: ita, vt si insistendum eis lenones esse crediderint, vel peccandi ingerant necessitatem inuitis, (l) non amittant solum eam, quam habuerant (m) potestatem, sed proscribti pœna (n) mancipentur exilii, metallis addicendi publicis: quæ minor pœna est, quam si præcepto lenonis cogatur quispiam coitionis sordes ferre, quas nolit. Dat. XI. Kalend. Mai, Felice & Tauro Coss. [428.]

NOTÆ.

(a) *Lex 6. Cod. Iust. de Spectaculis, Scenicis & Lenonib.* hinc interpolata est: simul & *l. 12. Cod. eod. de Episc. aud.* Omisit & *hanc leg.* pariter vt *superiorem* in Annales suos referre Baronius. *GOTHOFR.*

(b) *Orientis*, de quo mox plura. *IDEM.*

(c) *Filiis* hic politum, pro *filiabus* (quomodo in *Cod. Iust.* substitutum.) Nam & ita mox, *sed ancillis filiabusque.* Neque tamen hic quidquam muto. *ID.*

(d) Dum filias, vel ancillas suas prostituunt. *Peccandi* vox hic, & mox rursum, hac in re propria de coitionis sordibus, vt mox vocantur. *ID.*

(e) *Libertas*, pro indignitate. *ID.*

(f) *Eos indignatione subduci.* C. Iust. Locum ita restituo: *Igitur tali placet hosce indignationi subiici* (vel *subdi*) *vt nec*, &c. vt ita dispescatur vox *subduci*, vel *subdi vt*, vel mutetur in *subici*. Omnis scilicet sermo & comminatio in parentes & dominos hic dirigitur. *ID.*

(g) Ita quoque Cod. Iust. *Indignatio*, pro comminationis pœna, ita *l. 146. supr. de Decurion. ne clementia nostra ob contumaciam dissimulantium in maiorem indignationem exsurgat.* Neque enim hic admitto; qui *Indignationem* pro mala tractatione seu indignitate hic accipiunt, quomodo Cyprianus in MS. *lib. de disciplina & habitu Virginum pag. 99. Ed. Ioan. Oxon. Quod ornari te putas, quod putas comi, indignatio* (vulgati habent *impugnatio*) *est ista diuini operis, præuaricatio est veritatis.* Et Idem *de orat. pag. 143. Ed. cit. dum semen pessimum, filii sine lege, dereliquistis dominum & in indignationem misistis illum sanctum Israel*, pro quo habent vulgati, *blasphemaverunt sanctum Israël. ID.*

(h) In *Cod. Iust. ne:* & mox, *nec quid. ID.*

(i) *vel Valeant* vt *Cod. Iust. ID.*

(k) Scilicet peccandi necessitatem imponendo filiabus vel ancillis. *ID.*

(l) *Amittant non solum* inuerso ordine in *Cod. Iust.* Sed hoc melius. *ID.*

(m) *Habuerint*, Cod. Iustin. *ID.*

(n) *Pœna*, Cod. Iustin. *ID.*

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. hæc in Lenones constitutio est; in Lenones inquam, patres & dominos, qui filias suas vel ancillas suas, vel etiam conductas pro paupertate personas prostituunt inuitas, vt ex iis quæstum faciant. Igitur patriam potestatem & dominicam hac parte adeo infringit *hac leg.* Theodosius Iun. vt parendi non tantum filiabus & ancillis necessitate eas liberet, sed & implorandi *suffragii*, siue Episcoporum, siue Iudicum, siue Defensorum potestatem eis faciat, quo ab hac impotentium patrum & dominorum necessitate, liberentur. Imo iis, si insistendum putent, & peccandi necessitatem ingerant, proscriptionis bonorum, metallique pœnam imponat. Vbi multa notanda veniunt.

Primo, quod *Episcoporum suffragium* seu auxilium implorari hoc casu permittitur, quomodo & *superiore* Constantii *lege* Ecclesiasticis, imo Christianis omnibus redimendarum prostitutarum facultas iam data fuit. Nempe Episcoporum curam
p. 38 res hæc tangebat, iisque incumbebat non tantum vt castitati publicæ consultum esset; verum vt in commune humanitatem suam & interuentum suum miseris & oppressis præberent: eaque huius sæculi, quantumuis corrupti, reuerentia fuit, vt intercessioni Episcoporum plurimum deferretur: quem ideo velut obicem Principes iniustis passim actibus, & impotentiæ sæuitiæque opponere necesse habuerunt. Et quidem Honorius Imper. tribus constitutionibus, puta *l. 7. seu vltim. supr. de custod. reor. l. 2. seu vltim. supr. de postliminio* (vnde interpolata est *lex 11. Cod. Iust. de Episcop. audient.* & *l. 2. seu vltim. supr. de expositis.* Imo & Quarta adhuc constitutione idem Honorius solemnitates Gentilium prohibendi, & quidem manu Ecclesiastica, facultatem Episcopis tribuit: *l. 19. infr. de Pagan. sacrif. & Templ.* Quibus omnibus Legibus addatur & *lex 25. Cod. Iustin. de Episcop. aud.* & *lex 1. Cod. eod. de aleatorib.* Addatur & quæ Ambrosius *2. Officior. 29.* Multæque aliæ leges *tit. Cod. Iust. de Episcopali aud.* Quare, vel his inspectis, debuit hæc quoque *lex* in Annales Ecclesiasticos referri.

Secundo, *Defensorum* pariter hac in re suffragium implorari permittit *hac leg.* Theodosius Iun. quia scilicet Defensorum muneris istud erat in commune, vt vnumquemque ab improborum insolentia tuerentur: de quo fidem facit tum nomen Defensorum ipsum: tum Paratitlon *tituli, de Defensorib. ciuitat, supr.*

Tertio

Tertio ex *hac leg.* liquet, Lupanarium adhuc vsum hac tempestate inter volentes in Oriente stetisse, & quidem Constantinopoli: Quod sane etiam liquet ex eiusdem Theodosii *Nouella de Lenonib. 18.* quæ vndecimo post *hanc leg.* anno data est: Anno Domini 439. Ea quippe demum Lenones in Vrbe Constantinopoli vetiti, sublataque, quæ inde colligebatur, lustralis præstatio: pœnaque imposita verberum & exilii seu deportationis. Ex qua etiam *Nouella* illud patet (quod ad *huius legis* inscriptionem facit) *Florentium P P.* ad quem *hac lex* data est, post *hanc leg.* eius *Nouellæ* seu interdictionis Theodosio Iun. Auctorem fuisse: in tantum, vt is quoque obtulerit propriam possessionem, ex cuius redditibus colligi possit, quantum prædictum vectigal pensitaret. Scilicet, quæ huius *Florentii* laus est; primum seu primo pedato, ne inuitæ prostituerentur, Theodosio suo persuasit: mox Lupanarium in totum abolendorum autor extitit. In Occidente quoque Lupanarium vsus paulatim nonnullis locis damnatus, postea quam scilicet castiores iam Romanis Barbari Occidentis Prouincias peruaserunt, vt apud Aquitanos, teste Saluiano *lib. 7. de gubern. Dei c. 6.* & in Africa a Vandalis *eodem libro sub finem.*

Postremo loco notanda *fine leg.* ratio pœnæ, quæ *hac leg.* imponitur: cuius hic sensus est: recte addici patres dominosque lenones metallis, imo iustius adhuc, qui filias ancillasue suas adigant & addicant ad peccandi, palamque quæstus faciendi necessitatem. Et sic comparantur duæ additionis species ad opus publicum.

DE EXPENSIS LVDORVM. *

TITVLVS IX.

* Et Officiorum, *l. 1. hoc tit.* Latius enim est Nigrum *huius tituli* quam Rubrum.

PARATITLON.

Expensæ, *Rubr* & *l. 2. h. t.* Ludorum, *Rubr.* & *l. 2. h. t.* Editionum, *l. 1. hoc tit.* vt variæ, ita varie quoque definitæ fuere. De Prætoriarum expensarum modo, vide *l. 5. 13. 21. 24. 25. 30.* & *l. vltim. supr. de Prætoribus*, dictaque a nobis ad eas *leges.* Inter expensas ludorum erant, ea quæ a Iudicibus & ab Editoribus præmio dabantur Scænicis, *l. 2. supr. de Spectacul.* ad plausorum scilicet seu populi petitionem, *l. 2. hoc tit.* non aurum, *d l. 2. supr. de Spectacul.* (excepto Consule ordinario, *d. l 2. de Spectacul.*) & ita quidem, vt duos solidos excedere non posset, *l. 2. hoc tit.* Erant & horum præmiorum numero vestes, quas nulli holosericas dare licebat, *l. 1. hoc tit.* De Equorum largitione dictum ad *l. 6. supr. de Scænic.* & *infr. suo tit.* dicetur. Est & hic *titulus* de expensis *officiorum* publicorum. Eo numero fuere sportulæ & dyptica, *l. 1. hoc tit.* vbi dicitur.

Theodosii M. *constitutio Senatusconsultum firmantis de expensis ludorum & Officiorum.*

I. (a) Imppp. Valent. Theodos. & Arcad. AAA. ad Senatum. (b)

Nulli priuatorum (c) liceat holosericam vestem sub qualibet (d) Editione (e) largiri. Illud * etiam Constitutione (f) solidamus, (g) vt, exceptis Consulibus (h) Ordinariis, nulli prorsus alteri (i) auream sportulam, dyptica ex ebore dandi facultas sit: Cum P. 383 publica (k) celebrantur Officia, (l) sit sportulis nummus argenteus, alia (m) materia dypticis: Nec maiorem argenteum nummum fas sit expendere, quam qui formari solet, cum argenti libra vna in argenteos sexaginta diuiditur: minorem dare volentibus, non solum liberum, sed etiam honestum esse permittimus, Dat. VIII. Kal. Aug Heracliæ, (n) Richomere & Clearcho Coss. [384.]

N O T Æ.

(a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iust.* Iungenda autem illi *lex vnic. Cod. Iust. de Senatusconf.* Quo vero nexu cohæreant inter se, quis proinde *legis* illius sensus sit, mox viderimus. *GOTHOFR.*

(b) Vrbis Romæ: mox vero ostendam, cur hæc constitutio *ad Senatum* data sit. *IDEM.*

(c) *Priuatorum*, id est, quorumcunque aliorum præter Principem: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

(d) Etiamsi ludi sint Imperiales, seu in honorem Principis. *ID.*

(e) *Editio*, ludorum scilicet: vid. *Gloss. Theod.* *ID.*

* Fugitiua sb *hoc titulo* hæc *huius legis* pars est: Neque enim pertinet ea ad expensas ludorum: verum ad expensas *Officiorum*: de quo mox. *ID.*

(f) Hac scilicet nostra. *ID.*

(g) De hac voce *solidandi* mox; qua & Symmachus in hac ipsa re vtitur. *ID.*

(h) Vide similiter *l. 2. supr. de Spectacul.* quæ est eiusdem Theodosii. *ID.*

(i) Veluti Prætori, Quæstori. *ID.*

(k) *Sed cum.* *ID.*

(l) Alia scilicet erant priuata quoque *Officia*, veluti natalitia, nuptialia, in quibus largitiones quoque seu dona, munera amicis data missaue: de quibus Symmachus. De *officiis* mox. *ID.*

(m) Quam ex ebore. *ID.*

(n) Seu *Heraclea*: vbi videlicet Constantinopoli digressus Theodosius M. mense Iunio & Iulio ferme huius Anni substitit, inibique ab eo datæ *tres* adhuc *leges*, puta *lex 7. de Palat. sacr. larg. l. 106. supr. de Decurionibus l. 11. supr. de Murilegulis.* *ID.*

COMMENTARIVS,

THEODOSII M. hæc constitutio est, vt ex subscriptio Heracliæ nomine patet, vbi quippe is hoc Anno 384. Constantinopoli digressus, mense Iunio & Iulio egit, vt docent quoque aliæ constitutiones, quas repetere licet ex *Chronologia.* Ea vero constitutione is MODVM imponit Largitionibus, tum in *Scenicos*, tum in *Officia* publica. Quid inquam Consules ὑπατείας nomine aliiue Magistratus, siue pro præmio ludionibus seu Scænicis, siue Sportulæ loco, amicis erogare possent. Duplici fine, tum vt inter Principis & priuatorum largitiones discrimen aliquod statuatur. Sed & inter ipsos priuatos discrimen aliquod Dignitatum fiat, tum etiam ad coërcendum immoderatum & effusum hanc in partem hac tempestate priuatorum luxum, qui patrimonia sua sæpe ita effundebant & dilapidabant, vt videlicet vincerent superiorum celebritates (de quo est etiam Ambrosii locus hoc ipso tempore, *l. 2. offic. c. 21.*) tum hoc sæculo, tum & proximo; vt non tantum ex Vopisci querelis liquet, quod ostendi iam ad *l. 2. supr. de Spectacul.* verum etiam ex Symmachi epistolis, & Olympiodoro *apud Photium.* Eoque pertinet etiam hic Basilii locus, *Homilia, in illud Lucæ, destruam horrea mea, & de auaritia, pag. 46. Tom. II. Oper. Edit. Benedict.* οὐχ' ὁρᾷς τοὺς ἐν τοῖς θεάτροις, παγκρατιαστοῖς, καὶ μίμοις, καὶ θηριομάχοις τισὶν ἀνθρώποις, οὓς κἂν βδελύξαιτό τις προσιδεῖν, ὑπὲρ τῆς ἐν ὀλίγῳ τιμῆς, καὶ τῶν παρὰ τῷ δήμῳ θορύβων καὶ κρότων τὸν πλοῦτον προϊεμένους; *annon vides eos, qui in theatris sedent, in pancratiastas, in mimos, inque decertantes cum feris homines, quorum vel aspectum quiuis detestabitur, pro breui honore, atque pro strepitu populi & plausu pecunias suas insumere?* vide & Chrysostomum *homilia 40. ad Philipp. edit. Comel. p. 1281.* Quare largitionibus his modus sæpe præstitutus, (Senatu etiam quandoque id postulante, agenteue, vt in *spec. huius leg.*) pariter vt expensis in ludos; veluti a Constantio, *l. 3. 5. supr. de Prætorib.* a Valentiniano Sen. *l. 21. d. tit.* a Valente, *l. 24.* a Theodosio M. *l. 25. & 30. eod. tit.* Arcadio, *l. vltim. d. tit.* a Theodosio M. inquam, *hac* quoque *leg.* idque ad Senatus postulationem seu firmato, *solidatoque* Senatusconsulto seu decreto, quod super hac re processerat. Non tantum argumento illorum *huius legis* verborum, *Illud etiam constitutione SOLIDAMVS*, verum insuper, ac maxime, argum. *leg. vnica Cod. Iustin. de Senatusconf.* quæ eiusdem Theodosianæ ad Senatum constitutionis seu orationis pars est, *huic legi* coniungenda coassandaque deinceps, atque adeo hinc noua luce donanda venit. Verba eius hæc sunt: *IMPPP. Valent. Theod. & Arcadius AAA.* (ita enim hi tres Imppp. in nonnullis libris inscribuntur recte: non vt alii, *Gratianus, Valentinianus, Theodosius,*) *ad Senatum. Quamuis Senatusconsultum perpetuam per se obtineat firmitatem, tamen nostris LEGIBVS etiam idem PROSEQVIMVR: ADIICIENTES, Vt si quisquam speciali supplicatione eliciendum aliquod Rescriptum tentauerit, vt transire ei FORMAM liceat STATVTORVM, tertia patrimonii parte multetur, & damnatus AMBITVS crimine, maneat infamis. Dat. VII. Kal. Aug. Heraclea Richomere & Clearcho Conss.* Huic inquam *legi vnica*, quam Glossa, aliique multi intactam transmittunt, alii hactenus non intellexerunt, *huiusce legis nostra* adiumento & coniunctione summa, deinceps lux affulgebit, quemque adeo *ea lex* sensum habeat, constabit: & inter cætera, non accipiendam eam de Antiquis Senatusconsultis super iuris videlicet articulo aliquo, cuiusmodi etiam nulla hoc tempore facta, quale est Tertullianum, Velleianum, & similia: quod hactenus Viri docti perperam censent: Verum de iis Senatusconsultis, quæ Senatum & Senatores respiciebant, modumque his, eorumque actibus ponebant: de cuiusmodi Senatusconsulto est Symmachi *epist. 21. lib. 10.* de quo mox: veluti de iis quibus modus FORMAQVE largitionibus & expensis præstituta, & quidem in ludos officiaque publica. Ad rem. Ergo Senatus sub Theodosio M. Mo-

M. Modum Formamque Senatoriis ludorum Editionibus (de quo Senatusconsultorum genere agitur quoque *supr. tit. de Prator.*) & largitionibus, quo maiores ne facere liceret Senatusconsulto suu Statuerat. Idque Auctore Symmacho P. V. vt ipse testatur *lib. 4. epist. 7.* ibi, *Scias a me dudum rei istius processisse principium.* Hoc Senatusconsultum ad Theodosium M. pro more mox missum, quo ab eo confirmaretur adiecta etiam pœna. Id quod enn. stitutione sua *hac leg.* & *d. l. vnic.* a Theodosio factum. *Constitutione solidamus*, inquit hæc lex: *Nostris legibus prosequimur*, ait *d. l. vnic.* Etsi superfluam hanc confirmationem suam esse præfatione sua prædicet, quasi Senatusconsultum per se satis firmitatis & absque eo habiturum esset. Additaque ab eo *d. l. vnic.* pœna Ambitus, si quis contra supplicare Principi deinceps auderet. Vbi quæritur anxie ad hanc diem, cur Ambitus crimen in spec. *d. l. vnic.* contrahi dicatur. Id vero discimus ex *hac leg.* Nempe Ambitus est, si quis Principi supplicet, vt maiorem sibi quam Senatusconsulto statutus fuerat, expensarum modum facere liceat. *Ambitus* est supra modum conditioni suæ præstitutum, fortunamque statutam, quid affectare, vel etiam a Principe ambire; puta si priuatus aut Principi, aut maiori dignitati reseruatum, expensarum modum sibi petere ausit. *Ambitus*, non eo tantum admittitur, cum quis dignitatem ambit, verum & si indebitos honores, signa, *ornatum* altioris ordinis & expensas largitionesque: de quibus *hac leg.* cauetur, puta de reseruatis Principi & de reseruatis Consulibus ordinariis, maioribus largitionibus: & quidem in ludis, & officiis publicis. Tandem hæc est illa ipsissima Theodosii M. constitutio, quam memorat Symmachus huius Anni 384. Præfectus Vrbi *lib. 10. epist. 21. Omnium*, inquit, *beneficiorum, qua tribuit potior fortuna subiectis, certa sunt tempora, DD. Imperatores. Sola LEGES, qua in commune bonum procedunt, nunquam patiuntur occasum. Agit Diuinis Sanctionibus vestris gratias Ordo reuerendus* (id est, Senatus) *etiam nomine posterorum, quibus Respubl. emendata traditur. Nam quum fœda iactatio SENATORIAS functiones grauibus impendiis obruisset, & moribus & sumptibus nostris sanitatem veterem reddidistis: ne aut impares facultate Collegas tenuis decolorares Editio, aut per verecundiam viribus maiora conatos, effusio inconsulta demergeret. Eiusdem*, &c. Et post alia quæ ibi sequuntur de forma dicendarum sententiarum. *Credimus igitur bis remotis ad regnum suum rediisse virtutes. In Editionibus parsimonia, in Senatu ordo retinebitur*, &c. *Superest vt ea qua Serenitas vestra Patribus deliberanda legauit, cognito Senatusconsulto Lex Augusta CONFIRMET. Nullo enim dissentiente, quis MODVS, censitum semel aut sæpius, qua fungendis mediocritas Editionibus applicetur; qua Gladiatorio Muneri* (huc faciunt quoque quæ scribit Symmachus *lib. 2. ep. 46.* ibi, *Quod Saxonum numerus intra summam DECRETAM populi voluptatibus stetit:*) *& qua Scenicis ludis sumptuum temperamenta conueniant: quid libertatis habere mereatur præsentis expensio, quid damni absentium contumacia debeat experiri. Hac aternitas vestra venerabilis, cum SENATVI STATVENDA mandares, REFERRI ad se protinus imperanit, vt placita cunctis immortali LEGE SOLIDENTVR. Iussis paruimus. Expectamus oraculum, quo salutariter, vt vestro numini familiare est, Patrum DECRETA FIRMETIS: ADIECTA comminatione, si vllus aliquando AMBITVS hac vel illa corruperit, qua consilio cœlesti pro Ordinis dignitate sanxistis.* Hactenus Symmachi epistola, quæ omnino ad hanc *legem*, & ad *d. l. vnic. Cod. I. de Senatuscons.* pertinet: Nam & *Tempora* præcise conueniunt: data enim est ea *Epistola* a Symmacho P. V. quam vtique dignitatem gessit hoc Anno 384. vt docet *lex 44. supr. de appellat.* & *lex 4. supr. de sent. ex perio. recit.* & *lex 2. Cod. Iust. de crimine sacrileg.* Secundo, & *Res*, seu Materia subiecta. Tertio, & *Verba* ipsa, vna cum *Euentu*, qui epistolam Symmachi secutus est, seu ea quæ Theodosius his *legibus* præstat: Nempe vt Symmachus ea quæ a Patribus Senatusconsulto statuta, seu Patrum *Decreta*, lege Augusta confirmari cupit, & vt diserte ait, *Lege SOLIDARI:* ita & *hac leg.* Theodosius, eadem voce retenta, ait, id a se hac *constitutione* Solidari. *Illud etiam*, inquit, *constitutione solidamus:* Præfatione ea addita, quæ continetur *d. l. vnic. Cod. I. de Senatusconsultis. Quamuis*, inquit, *Senatusconsultum perpetuam per se obtineat firmitatem, tamen nostris LEGIBVS etiam idem PROSEQVIMVR:* vbi Theodosius M. ait, se legibus *idem* (Senatusconsultum scilicet, vel quod Senatusconsulto decretum fuerat) *prosequi*, id est legibus suis idem cum Senatu adstruere, simul cum Senatu statuere: & sic in effectu, Senatusconsultum seu decretum firmare, corroborare suis legibus: hæc enim vis est vocis *prosequendi*, vt hic, ita & aliis pluribus legibus, de quibus vid. *Gloss. Theod.* & apud *Symmach.* Quarto tandem postulauerat Symmachus nomine Senatus, vt Theodosius Adiiceret comminationem, si vllus aliquando Ambitus sancita corrumperet: id quod omnino fit *d. l. vnic. ADIICIENTES*, inquit, *vt, si quisquam speciali supplicatione elicere aliquod rescriptum tentauerit, vt transire ei formam liceat STATVTORVM, tertia patrimonii parte multetur, & damnatus AMBITVS crimine, maneat infamis.*

Vnus tantum scrupulus eximendus superest; quod *lex* hæc Theodosium Authorem habeat, qui Orientis Imperator erat; Symmachus vero P. V. Romæ fuerit. Verum notandum, hoc tempore Vrbem Romam in commune a Valentiniano Iun. & a Theodosio M. administratam. Quare & Symmachi P. V. Romæ super negotiis Rom. Epistolæ nonnullæ ad Valentinianum datæ occurrunt: aliæ ad Theodosium: aliæ in commune. Et hæc vero ipsa Symmachi Epistola inscriptionem præfert diserte, *ad Theodosium & Arcadium:* non vero vt vir doctus quidam, *ad Arcadium & Honorium.* Tandem simile Senatusconsultum, similisque confirmatio eius occurrit *supr. de Pratoribus:* vbi dixi. Et sic iam Tria hæc inter se optime conspirant: hæc, inquam, *lex*, & Symmachi locus ille: & *dicta lex vnic. Cod. Iust. de Senatuscons.* quæ proinde iam *Codicis Iustinianei* Interpretibus sese claram & perspicuam præbebit.

Ex *hac* interim *leg.* & *d. l. vnic.* discimus, qua reuerentia Theodosius M. Senatum V. R. habuerit, illa inter alia præfatione; *Quamuis S. C. perpetuam per se obtineat firmitatem, tamen*, &c.

Nunc de ipsamet *legis* dispositione; cuius duo sunt capita. Primum est, de modo Largitionum, & quidem vestium in Ludos & Scenicos. Inter cætera scilicet ἔπαθλα, præmia, (in quæ passim inuehitur Chrysostomus) quæ Editores (id est ludos edentes) in Scenicos & Agitatores olim erogabant, erant & Vestes; quæ & alias inter Imperatorum missilia fuere, teste vel Herodiano *lib. 5. cap. 6.* Quod etiam testatur Vopiscus *in vita Aureliani c. 48.* & *in Carin. Vis extrem.* & Symmachus *lib. 5. ep. 20.* & *lib. 6. ep. 34. 40.* & Chrysostomus *homil. 55. Comel. in Matth. p. 477. Grac. 54.* siu. *hom. 54 p. 553. Tom. VII. Ed. Benedictin.* Adeo quidem vt etiam sericæ vestes erogarentur. Verum cum sericarum non vnum genus esset, (erant enim aliæ holosericæ, aliæ subsericæ) Holosericas, quicunque tandem sint Editores, largiti hac constitutione prohibentur, atque adeo soli Principi hæc largitio reseruatur. Quo pertinent & duo

duo Symmachi loca. Prior locus est *lib. 4. epist. 8. Intellige ex mora & cunctatione Rescripti Diuini, aliquid in his, qua Pratoria Filii mei supplicatio comprehendit, incongruum vel dubium iudicari. Atque ideo denuo tibi petitionum mearum debeo prastare rationem, &c. Aqua theatralis, & holosericarum vestium impetratio, etiam aliis ante me plerumque* P.381 *delata est: & idee iuuatur exemplis.* Ex quo Symmachi etiam *loco* liquet, paulo post (nempe sub Honotio,) *legem* illam *vnicam, Cod. l. de Senatuscons.* atque adeo *hanc* quoque *leg.* ea parte abolitam & perfractam, quandoquidem iam aduersus formam Seoatusconsulti, quæ *hac lege*, & *hac nostra* solidatur, supplicari Principi, vsumque holosericarum vestium impetrari potuisse osteodit. Quomodo & Aquæ theatralis, & amphitheatrici spectaculi vsus, singulari alioquin priuilegio & prærogatiua Consulibus reseruatus hoc ipso Seoatusconsulto, seu Theodosii constitotione, Rescriptis deinceps ad alios porrectus: teste Symmacho *lib. 4. epist. 8.* quamlibet sub Ambirus pœna hæc *lex* sancita fuisset aduersus eos, qui speciali supplicatione aliquod Rescriptum contra imperrare tentassent. At subsericas licuit, quod ex hoc loco colligitur: De quibus Symmachus quoque *d. l. 5. epist. 20.* (ad Magnillum & Vicarium scilicet Africæ) *At nunc inter vetua Candidati mei negotia, & Questorios apparatus, fraudari not conqueror societate tuorum consiliorum, & tamen oheunda nec procul locatus omittit: Nam & vestes SVBSERICAS, quas homines mei post illationem pretii retentabant, & instructum reliquum muneralium PRÆMIORVM tuus coegit instinctus.* Sane Lampridius testatur *Heliogab. c. 26. primum Romanorum Heliogabalum holoserica veste vsum, cum iam subserica in vsu essent.* Idem tradit *c. 29. ab eodem Heliogabalo conuiuis quoque sericam vestem donatam, qua tum in raritate videbatur & honore.* Contra idem Lampridius de *Alixand. Seu. c. 40. Eum vestes sericas raras habuisse, holosericas nunquam induisse, subsericas nunquam donasse.* Item Vopiscus de *Aureliano c. 45. Eum vestem holosericam neque ipsum in vestiario habuisse, neque alteri vtendam dedisse: & cum ab eo vxor sua peteret, vt vnico pallio blatteo serico vteretur, eum respondisse; Absit vt auro fila pensentur, libram enim auri tum libram serici fuisse.* Nempe Sericum tum temporis *ἰσάχρυσον* & *ἰσοστάσιον* fuit. Idem Vopiscus memorat *Tacit c. 10.* Tacitum Imp. *holosericam vestem omnibus viris interdixisse.* Holoserica vestis opponitur subsericæ: illa quippe est tota serica; subserici vero stamen lineum, trama serica, Macasius, *homilia 17. pag. 267. Edit. Lipsiens.* *γυνὴ ἔχουσα ὁλοσηρικὰ*, Dorothæus, *de doctrina lib. 2. ὥσπερ γὰρ ἐνδεδυμένος ὁλοσήρικον.* Alia est holouera vestis, sacro scilicet murice tincta: de qua *suo titulo de vestibus holoueris.* Ex his omoibus apparet, subsericas taotom vestes in vsu fuisse ante Heliogabalum, & ita quidem vt ratæ essent io vsu, primum Heliogabalum holosericam induisse, secutos Heliogabalum Principes Holosericas non induisse, & tamen earum vsum a priuatis vsurpatum, sed aliquando a Tacito interdictum. Hæc interdictione noo obstante holosericarum vestia increbuit, nondum tamen vt Scænicis præmio donarentur a priuatis. Vopiscus enim, qui ante quadraginta annos scribebat, sub Constantio, inter Placidi Conf. Anno D. 343. præmia memorat & conqueritur *Aurelian. c. 15. Aurigis præmio datas tunicas subsericas, ingemiscentibus frugi hominibus.* Verum post Vopisci tempora luxu in dies magis magisque increscente, etiam holoserica pro præmio dari cœpere a priuatis. Id quod *hac* Theodosii M. *constitutione* interdicitur. Quod de holosericis vestibus dictum, vt ne priuarus eas Scænicis præmio darer, id ferme de auro quoque constitutum, solis Consulibus exceptis: *l. 2. supr. de Spectacul.* de qoo mox *seq. cap.* Nempe Principes complurima velut Principatus *σημεῖα* & *σύμβολα* sibi solis seruauere: de quibus vid. Fornet. *5. Quotid. vltim.*

Alterum caput ab hoc *titulo* fugitiuum, est *de expensis OFFICIORVM publicorum.* Officia publica sunt, solennitates Magistratus initi, veluti Consulatus, Præturæ, Quæsturæque, quo & priuati cum amicis rogabantur & veniebant: de quibus Ammianus Marcellinus & Symmachus sæpe, vbi videndus quoque eius Ioterpres, ad *lib. 6. epist. ee.* Missis qooque ad amicos muneribus, vt ex eodem Symmacho discere licet. Atque hæc Consularium officiorum munuscula dicebantur *ὑπατεῖαι* etiam apud Iulianum *epist. ad Eustochium 20.* vbi Interpres male *Consulatus honorem* vertit. Euque luxus & prodigalitatis deuentum, vt etiam hac parte fibulam impooi oportuerit, & vero hac Theodosii M. constitutione imponitur. Munera porro hæc duum generum erant: nempe Pecunia, & Dyptica, quibus modus *hac leg.* adhibetur. *Dyptica* erant pugillares, vt ex compluribus *Symmachi* locis apparet, & ex Claudiani loco, quem postea laudabo, duarum tabularum seu foliorum, vnde Ausonio vocantur *bipatens pugillar.* *δίθυρον γραμματεῖον*, de quo postea: videndus & Suidas, & antiquus Interpres Horatii, itemque Interpres Iuuenalis. Nempe *πτυχία* sunt tabellæ. Inde igitur *τὸ δίπτυχον* idem quod *δίδυμον*, vt notat Eustath. *ad Iliad. β. pag. 250. Ed. Rom. Tom. I.* De his quoque Dypticis sensit Herodisous *lib. 1. cap. 17.* *λαβὼν γραμματεῖον τούτων δὴ τῶν ἐκ φιλύρας εἰς λεπτότητα ἠσκημένων, ἐπαλλήλῳ τε ἀνακλάσει ἀμφοτέρωθεν ἐπτυγμένων*: *Sumpto in manus libello, quales de philyra tenuissimi atque in vtramque partem replicabiles fiunt.* Inde & *πολύπτυχα*, quæ ex pluribus tabellis constabant, de quibus *alibi* dixi. Dypticorum huiusmodi qui & *ἱερατικοὶ* inde *κατάλογοι*, vsus quoque in Sacris fuit, in quæ Sanctorum & Martyrum nomina referre mos erat, de quibus ex professo multi dixerunt. Et nuper adhuc Doct. Habertus in *ἀρχιερατικῷ, p. 8. Obseru. 13.* Dona itaque Magistratum ineuntes, amicis suis pro munere missitabant, vel ad solemnitatem coocurrentibus, vel etiam absentibus. Primum erat pecunia, cuiusmodi pecuniæ munus *Sportulam* vocabant, vt hæc *lex* docet, itemque Symmachus quam multis locis, ac nominatim *lib. 4. epist. 55.* & *lib. 9. epist. vltim.* De iisdem sportulis vide eundem *lib. 1. epist. 97. lib. 3. epist. 59. 61. lib. 4. epist. 15.* Sidooium *lib. 8. epist. 6.* Ennodium *lib. 8. ep. 37. ad Boetium.* Igitur Sportulis his & munusculis pecuniariis modus *hac leg.* adhiberur; nempe, aureos siue solidos Sportulæ nomine erogari vetat hæc lex; solis Consulibus, & Officiis & sportulis Consularibus exceptis. Nempe solis Consulibus auream sportulam dare licet amicis; solis item Consulibus Scenicis aurum præmio dare: (vt biennio post hanc legem ab eodem Theodosio M. constitutum, *l. 2. supr. de Spectacul.*) Quomodo & solis Consulibus priuilegio singulari hoc eodem fere Amphitheatricum spectaculum editioni ludorum indultum, teste eodem Symmacho *lib. 4. epist. 8.* Sane de sportulis aureis Consularis est quoque hic Symmachi locus *lib. 9. epist. vltim. Sportulam Consulatus mei & amicitia nostra & honori tuo debeo. Hanc in SOLIDO vno ad te misi, erans vt benigno animo solemnia OFFICII mei libamenta suscipias.* Nummum itaque argenteum tantum cæteris sportulæ loco expendere ex *hac lege* licet: Quod proprie *canistellum argenteum* dicitur a Symmacho *lib. 2. epist. 81. Cateros qnoque amicos eburneis pugillaribus & canistellis argenteis honorani.* Nempe

Spor-

Sportulæ & caniſtellum idem; niſi quod pro vilioris paulo metalli ratione diminutiuum *caniſtelli* vſurpatum; *ſportula* vero de quocunque tandem metallo, etſi & ipſa diminutiui ſpeciem habeat. Hinc *ſportulæ* duum generum hic indicantur, aureæ, & in nummo argenteo. Imo quodcunque tandem doni & munuſculi genus *ſportula* dicta: pro felici
P. 385 nuncio, *l. 1. & 2. ſupr. ne quid publ. lætit.* pro felici introitu, *l. 3. ſupr. de domeſticis & protector.* vbi de his ſportulis dixi. Quo ſenſu & hoc accipitur. Et apud Ammianum Marcellinum *lib. 14. c. 6. diſtributio ſolemnium ſportularum.*

Nunc ad rem: ſcilicet Conſulibus auream ſportulam ſeu numiſma ſportulæ nomine dare *hac leg.* permittitur, argenteam tantum cæteris. Neque tamen adhuc indiſtincte quemcunque nummum argenteum, verum non maiorem, quam cuius generis ſexaginta libram argenti efficiunt: Nempe maior pecunia, ſeu maior nummus, eiuſque vſus ad luxum propior: qua cauſa minutulæ pecuniæ, adſtricti quique Principes, vſum vulgauere, coercendo luxui, & effuſæ liberalitati, imo in plures diffundendæ, de quo extat inſignis Lampridii locus *in Alexandro Seuero c. 39. Formas*, inquit, *binarias, ternarias, & quaternarias, & denarias etiam atque amplius, vſque ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus inuenerat, reſolui præcepit, neque in vſu cuiuſquam verſari; atque ex eo his materiæ nomen inditum eſt, cum diceret, Plus largiendi hanc eſſe Imperatori cauſam, ſi quum multos ſolidos minores dare poſſit, dans decem vel amplius vna forma, triginta, & quinquaginta, & centum dare cogeretur.* De cuius Lampridiani loci ſententia dixi ad *leg. vnic. ſupr. ſi quis ſolidi circul. exterior. incid.* Denique minorina pecunia luxui reprimendo eſt, & fontes liberalitatis per plures ſpargit.

Cæterum *Libram argenti* in argenteos ſeu denarios, modo plures, modo pauciores diuiſam *hac lex* aperte oſtendit. Sane vetuſtiſſimis temporibus octoginta quatuor denarii in libram argenti ſignabantur, vt docet Plinius, *lib. 33 cap. 9. Miſcuit*, inquit, *denario Triumuir Antonius ferrum, alii e pondere ſubtrahunt, cum ſit iuſtum octoginta quatuor e libris ſignari.* En octogeni quaterni denarii in libram, quod confirmatur *epiſtola* Celſi *ad Natalem*, in qua palam ac nullis ambagibus ſcribitur; *Octoginta quatuor denarios in libram incurrere.* Nempe vt libra auri, etiam Conſtantini æuo erat octoginta quatuor ſolidorum, ita totidem denariorum argenti libra vetus Romana. Verum, vt ex *hac lege* diſcere licet, non hactenus ſtetit libræ argenteæ diuiſio, verum & argenti libra in denarios ſexaginta diuiſa, diuiſa in plures & minores, diuiſa in pauciores & maiores. Hæc enim tria argenteorum ſeu denariorum genera, *hac leg.* memorantur. Sexageni in libram, plures ſexagenis, & pauciores ſexagenis. *Nec MAIOREM argenteum nummum fas ſit expendere, quam qui formari ſolet, cum argenti libra vna in ARGENTEOS SEXAGINTA diuiditur, MINOREM dare volentibus non ſolum liberum, ſed etiam honeſtum eſſe permittimus.* De minorum horum nummorum numero fuiſſe cenſeo Centenionales: qui memorantur *l. 1. & 2 ſupr. ſi quis pecun. conſl.* Et hæc quidem de Sportulis ſeu pecunia.

Secundum, quod Magiſtratus Officia ineuntes amicis donabant vel miſſitabant, erant quæ dixi δίπτυχα, quæ quidem alius atque alius materiæ erant, vt hæc *lex* oſtendit; ſed eburnea fuere: ſeu quæ ex ebore ſummo in pretio; atque ideo ſolis Conſulibus ordinariis δίπτυχα ex ebore dandi facultas *hac leg.* fit. De his diptychis Conſularibus eburneis eſt hic Claudiani locus *lib. 3. de laudib. Stiliconis, ſub finem:*

Tum virides pardos & cætera colligis Auſtri
Prodigia, immaneſque ſimul Latonis dentes,
Qui ſecti ferro in Tabulas, auroque micantes
Inſcripti rutilum cælato CONSVLE NOMEN
Per Proceres & vulgus eant, ſtupor omnibus Indis
Plurimus, ereptis elephas inglorius errat
DENTIBVS.

Libanii quoque locus huc facit, *epiſt. 941. ad Tatianum*, a quo Conſule, munus Conſulare acceperat: Ἔχω τὴν τιμὴν, λαβὼν ἔν τε τῇ φιάλῃ, καὶ τῷ διθύρῳ γραμματείῳ, τὸ μὲν ἐλέφαντος, ἡ δὲ ἐστὶν ἀργυρᾶ, &c. *Habeo honorem quem accepi tum in phiala, tum in Diptycha: & hoc quidem eburneum, illa vero argentea:* vbi δίθυρον γραμματεῖον eſt δίπτυχον. Pariter vt in altero Libanii loco κατὰ τῶν προσεδρευόντων: *pagin. 446. Oper. minor. Gothofred. Edit. Trotz. & pagin. 194. Edition. Morell.* πλέον γὰρ καὶ ἐνίοτε δύναται γραμματεῖον δίθυρον (nam ita nunc reſcribo, loco διθύρων, quod habebat MS.) πολλῶν καὶ μακρῶν λόγων ἐγγύθεν λεγομένων: id eſt, *etenim plus valet quandoque epiſtola bipatens pluribus & prolixis ſermonibus cominus habitis.* Apud Herodotum, & exinde Pollucem & Heſychium, διθύροις διπτύχοις, & δίθυρον γραμματίδιον, vel γραμματεῖον δίπτυχον. Denique δίθυρον γραμματεῖον, eſt quod *bipatens pugillar* Auſonio *Epigram. ad notarum velociſſime excipientem, 137. v. 3.* Cum plures duabus tabellis eſſent pro numero, τρίπτυχον, πολύπτυχον dicebatur. Quare error eſt hic reponentium loco, *ebore*, vocem *ære*: quomodo iidem putant Pomponium dixiſſe, *eboreas Tabulas*, pro *æreis*: *l. 2. §. 4. D. de orig. iur.* Eburnea autem iſta Diptycha a Conſulibus data: quia Conſulum nominibus inſculpta erant, (vt ex ſuperiori Claudiani loco liquet) *Faſtorum* ideo appellatione indicantur a Sidonio Apollinari *lib. 8. epiſt. 6. Conſuli*, inquit, *proximus eram: Itaque vt primum breui peracta, nec breuis SPORTVLA, datique FASTI, acclamatum eſt ab omni Gallia cætu.* Nempe hoc loco *Faſti* cum *Sportula* coniunguntur, vt *hac leg.* Diptycha cum Sportulis. Et a Quæſtoribus tamen, Candidatis etiam, eburnea pugillaria ſeu Diptycha poſt hanc conſtitutionem data, docent Symmachi duæ epiſtolæ, nempe *lib. 2. epiſt. 81. 87. Filius noſter*, &c. *offert tibi dona Quæſtoria. Quæſo igitur vt eius nomine diptycha & apophoreta ſuſcipere dignemini*, &c. *Præterea Domino & Principi noſtro, auro circumdatum Diptychum miſi: cæteros quoque amicos eburneis pugillaribus, & caniſtellis argenteis honoraui*, &c. Vbi vides etiam Imperatoribus miſſa diptycha: & quidem *Auro circumdata.* Et in Auctario *epiſt. 7. Offero*, inquit, *vobis eburneum diptychum & caniſtellum argenteum librarum duarum filii mei nomine, qui Quæſtorium munus exhibuit.* Idem rurſum meminit Diptychi & apophoretici *lib. 5. epiſt. 56. & lib. 9. epiſt. 119.*

Vt ad Theodoſianam hanc conſtitutionem redeam, eodem fine ab eodem Theodoſio emiſſa hoc ipſo Anno, tribus poſt menſibus, altera ad Senatum Oratio, cuius pars extat *l. 25. ſupr. de Prætoribus & Quæſtoribus:* qua aucto Prætorum numero, eorum expenſis modum poſuit, & ſumma definita qua Præturæ ſeu ludi Prætorii peragerentur: & ſtatuto, vt bini poſthac agnoſcerent ſeu erogarent, quod ſinguli antea tranſigebant.

P.396

THEODOSII Iun. *constitutio de expensis ludorum.*

II. (a) Impp. Honorius & THEODOS. AA. Anthemio P. V. (b)

CVNCTOS Iudices (c) admonemus, vt ludorum quidem, quibus moris est, intersint festiuitati, & oblectamentis fauorem (d) eliciant populorum: (e) Verum expensarum non excedant duorum solidorum librata (f) inpendia: nec (g) inconsulta (h) plausorum (i) insania (k) Curialium (l) vires, fortunas Ciuium, Principalium domus, (m) Possessorum opes, Reipublicæ robur, euellant: Exceptis (n) Alytarchis, (o) Syriarchis, (p) agonothetis, (q) itemque Asiarchis, & cæteris, (r) quorum nomen votiua (s) festiuitatis solemnitas dedicabit. (t) Dat. V. Kalend. Mart. Constantinop. Honor. VIII. & Theod. III. Coss. [409.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex a Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) Male, vt vel tota *lex* ostendit, & *lex* 30. *supr. de erogat. milit. Annona*: aliæque. Et sane *Monaxius* hoc tempore erat Præfectus Vrbis: *l.* 47. *supr. de Oper. publ.* & *l.* 1. *supr. de frum. Vrbis Constp.* Itaque rescribendum hic, *PP.* id est, Præfecto Prætorio: vid. *Prosopogr.* IDEM.

(c) Sub te Præf. Prætorio constitutos, & sic Rectores Prouinciarum. *ID.*

(d) *Fauor* εὐφημία populorum & plebis elicitur oblectamentis seu spectaculis. Ita similiter omnino Symmachus *lib.* 6. *epist.* 42. *Quia longe ante ludos, & ipsos iungendis equis erudire debemus, & nouitate eorum fauorem plebis allicere.* Ioan. Chrysostomus multus est in vanitate hac proscribenda: inter alia, *homil.* 20. *cap.* 4. *Genes. pag.* 227. *Paris. edit.* seu. *pag.* 179. *Tom. IV. Oper. Edit. Benedictin.* vid. & *homil.* 6. *in cap.* 1. *Genes. pag.* 52. seu. *pag.* 41. *Edit. Benedictin.* & *homilia* 5. *in fin.* vide & Libanium *Orat.* περὶ τῶν ἱππικῶν *pag.* 399. 405. (*Oper. minor. Gothofred. Ed. Trotz.*) vbi iam dixi: & *epist. ad Iulianum* 712. *Edit. Wolff.* vid. & quæ notaui iam ad *l.* 2. *supr. de off. Rect. Prou.* ID.

(e) Popularem: dixi ad *l.* 1. *supr. de Spectaculis.* ID.

(f) Moderationem, *l.* 2. *supr. de Spectacul.* ID.

(g) Sustineri istud potest: quamquam malim, *ne.* ID.

(h) *Inconsultum*, quod per turbam inconditam fit. ID.

(i) Ita popularem plausum, *l.* 1. *supr. de Spectaculis*: & *l.* 3. *d. tit. popularib. plausib. intemperate seruiens.* ID.

(k) *Insania* plausorum. Ita insania Circi *Tertull.* ID.

(l) Nota hæc quatuor hominum genera in Prouinciis & vrbibus: Curiales, Ciues, Principales, Possessores: de quo dictum *tit. de Decurion. supr.* ID.

(m) Ita hic locus est interpungendus non *principalium, domus.* ID.

(n) *Exceptio* hic non est de Regula: sed differentiam denotat. ID.

(o) De *Alytarchis* est quoque *lex* 12. *supr. de Iure fisci.* ID.

(p) De *Syriarchis* & *Syriarchia* munere agitur & *l.* 1. *supr. de præd. Senator.* & *l.* 103. *de Decurionibus*: quibus locis iam dixi. ID.

(q) An locus hic coniunctim legendus, *Syriarchis Agonothetis*? de Agonothesia vide & *l.* 109. *supr. de Decurion.* vbi dixi. ID.

(r) Veluti Lyciarchis, Phœniciarchis, Cappadocarchis: de quibus dixi ad *d. l.* 1. *supr. de præd. Senator.* IDEM.

(s) De hac voce *votiui*, dixi ad *l.* 1. *supr. de Feriis.* ID.

(t) Pro *dedicauit.* ID.

COMMENTARIVS.

THEODOSII Iun. hæc constitutio est, qua is, etsi Iudicibus seu Rectoribus Prouinciarum permittat, solemnibus spectaculis interesse, atque adeo hac quoque ratione fauorem populorum elicere; modum tamen imponit *præmiis* ludorum, quæ scilicet a Rectoribus Prouinciarum ad populi plaudentis voces (vt hæc quoque *lex* docet ibi: *inconsulta plausorum insania*,) dabantur. Quænam videlicet præmia in Victores & Ludios, & intra quem modum expendere seu erogare possent: & varie quidem

quidem pro varietate scilicet Iudorum & Iudos edentium. Nempe in Prouinciis alii ludi exhibebantur a Iudicibus seu Rectoribus Prouinciarum: alii a Sacerdotibus. Illi, id est Iudices, ex viribus Reipubl. & collatione Curialium, Ciuium, Principalium, possessorum: Hi vero, id est, Sacerdotes Prouinciarum propriis suis sumptibus: *horum* quippe *nomen*, vt hæc *lex* loquitur, *potius festiuitatis solemnitas dedicauit*, id est, hi ludis edendis in Prouincia destinati erant, & editiones seu spectacula horum expensis & sumptibus procuranda erant; vt docet etiam *lex 1. supr. de Spectacul.* pro quo inuicem haud modica huiusmodi Sacerdotibus priuilegia antiquo iure constitutisque maiorum concessa seu delata fuere: *l. 12. supr. de iure fisci: l. 14. infr. de Paganis:* (de quo consulenda, quæ ad *eam legem 14.* dixi.) Erant enim hi Sacerdotes *Agonothetæ*, vti hæc *lex* eos vocat, seu Agonothesiæ onere astringebantur, *l. 109. supr. de Decurion.*

Cæterum his Sacerdotibus nomina indita ex ipso Prouinciarum nomine, quarum Sacerdotes erant, quales *Syriarchæ*, & *Asiarchæ*, *hac leg.* memorantur, id est, Sacerdotes Syriæ, Sacerdotes Asiæ. *Syriarchæ* sane quoque fit mentio, *l. 1. Cod. Iust. de natural. liber.* Sed & *Asiarchæ* mentio fit non tantum *hac leg.* verum etiam *l. 6. §. 14. D. de excusation.* & *l. 8. in princ. D. de vacation. mun.* Et apud Eusebium *lib. 4. cap. 15.* vbi Rufinus recte vertit, *Munerarium:* καὶ ἠρώτων, inquit, τὸν Ἀσιάρχην Φίλιππον ἵνα ἐπαφῇ τῷ πολυκάρπῳ λέοντα: ὁ δὲ ἔφη μὴ εἶναι ἐξὸν αὐτῷ, ἐπειδὴ πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια, *rogabantque Philippum Asiarcham, vt leonem aduersus Polycarpum emitteret. At ille negauit id sibi licere, quippe qui amphitheatrale spectaculum iam edidisset.* Imo & in *Actis Apostolor. cap. 19. vers. 31.* Τινὲς δὲ καὶ τῶν Ἀσιαρχῶν παρεκάλουν μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον, *etiam nonnulli Asiarcharum mouebant, ne se daret in theatrum.* Atque vt Sacerdotes de Prouinciarum nomine designati, ita & munera ipsa; hinc videlicet Syriarchiæ, *l. 1. supr. de præd. Senator.* & *l. 103. supr. de Decurion.* quibus locis dixi. *Alytarchæ* par ratio fuit, cuius, vt & Alytarchiæ ab eo dictæ, mentio fit non tantum *hac leg.* verum & *l. 12. supr. de iure fisci:* & *l. 1. de offic. Com. Orient.* & *l. 2. Cod. Iustin. de Cupress. ex luco Daphn.* Erat autem Alytarcha peculiaris Sacerdos Vrbis Antiochenæ, quæ Syriæ Metropolis erat. Quanquam neque vnius Antiochenæ Vrbis Alytarcham fuisse deprehendo, verum & Pisarum.
P. 387 Docet vetus Inscriptio quæ apud Comitem Arundelianum *num. 8. pagin. 18. Edit. Mich. Maittaire:* ΕΓΓΟΝΟΥ Γ. ΚΛ. ΟΥΑΛΕΡΙΟΥ ΑΙΚΙΝΝΙΑΝΟΥ ΙΕΡΕΩΣ ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ ΚΑΙ ΑΛΥΤΑΡΧΟΥ ΠΕΙΣΑΙΩΝ. Sane certamen Olympiacum Pisis celebrari solitum ex veteri alia Inscriptione liquet *apud Gruterum CCCXIV. 1.* vbi ita, ΟΛΥΜΠΙΑ ΤΑ ΕΝ ΠΕΙΣΗ. Hic vero Alytarcha, inter alios Sacerdotes Syriæ, ac proinde & ludi ipsius præ aliis fuere, velut Vrbe non tantum in Metropoli totius Diœceseos Orientis, Antiochia scilicet, verum quæ totius Orbis tertia erat: de quo *alibi.* Quare variæ huius Alytarchiæ prærogatiuæ seu προνόμια fuere, cuiusmodi tria hæc deprehendo. Hinc scilicet *hac leg.* primo loco Alytarchæ, & quidem ante Syriarchas nominantur. Hinc secundo Cupressi vnius ei soli aliquando ex luco Daphnensi prope Antiochiam exscindendi ius fuit: *l. 12. supr. de iur. Fisc.* & *l. 2. supr. de Cupress.* (Quod immutatum postea vna libra auri ex re priuata Principis accipienda: *d. l. 2. Cod. Iust. de Cupress.*) Hinc tertio maioris Iudicis, puta, Comitis Orientis cura Alytarchæ ludi exhibebantur: Syriarchæ vero, minoris Iudicis, puta Rectoris Syriæ, *l. 1. de offic. Com. Orient.* Quartum προνόμιον *hac leg.* continetur Iudicum respectu.

De ratione nominis istius Alytarchæ, nunc videndum. Varinus Phauorinus dictum censet, eo quod ludis, qui fierent in honorem Deorum, τοῖς ἀλύταις, id est, μαστιγοφόροις præesset, vt a Cuiacio quoque notatum est, *II. Obseru. 13.* Quem plerique omnes hactenus sequuntur. Sane Rhabdophoros siue Mastigophoros ab Eleis *Alytas* vocari, ex Etymologico quoque notum est. Quod si ita est, tum res confecta videtur. At P. Faber *I. Semestr. 18.* coniiciebat dictos a voce ἀλύειν, quod significat *lætari, exultare, gestire, ac præ gaudio dissolui*, quod vtique in ludis vsuueniebat, & sic *Alytarchas*, quasi *publicæ voluptatis Arbitros*; quod probabilius; saltem, quam quod idem tentabat, ἀπὸ τῆς ἀλέας, a sordibus & strigmentis, quæ a sudoribus athleticis contrahebantur. Verum a Phauorino stare malo. Ergo ludis præfuere Alytarchæ. Hinc itaque *hac leg. Agonothetæ* cognomen eis inditum: *Agonotheta* enim est, ad quem Agonis seu Certaminis arbitrium pertinet: de quo alioquin vide Hesychium, & Suidam, & Spartianum *in Adriano c. 13.* Ergo certum, Alytarchas præfuisse ludis seu certaminibus. Sed quale eorum fuerit munus, satis est hactenus incompertum. Par denique ratio Lyciarchæ, & Phœniciarchæ, Bithyniarchæ & Cappadocarchæ, quorum mentio fit *d. l. 6. §. 14. D. de excusat.* & *d. l. 1. Cod. Iust. de natural. lib.*

His ita expensis, nunc de ipsa constitutione: scilicet *hac leg.* circa præmia ludorum, differentia constituitur inter Iudices & Sacerdotes. Definitur, inquam, Vt ne Iudicibus liceat vltra duos solidos Victori in ludis pro præmio dare; nempe ne effusa alioquin Iudicum liberalitate ad inconsultam *plausorum*, id est, plaudentis populi insaniam, εὐφημιῶν βοὰς, Curialium, Ciuium, Principalium, Possessorum facultates exhauriantur, vtpote quorum sumptibus & collatione ludi celebrarentur, non quidem vt ipsos solidos, vel aureos victori Iudex det; (Aurum enim nonnisi Consulibus hac tempestate erogare permissum fuit: *l. 2. supr. de Spectacul.*) etsi olim vetustissimo iure & more Populus victori aurum postularet, Iuuenal. *Satyr. VII. vers. vlt.*

- - *Victori Populus quod postulat aurum.*

Vbi etiam vetus Scholiastes modum huius præmii definit: *In theatro*, inquit, *solent petere quinque aureos: Nam non licet amplius.* Ait, quinque aureos, quod ad duos *hac leg.* redactum est. Quin & *d. l. 2. supr. de Spectacul.* Consulibus erogandi auri moderata quædam ratio permittitur. Quid igitur? Præmia Scænicorum quæ a Iudicibus erogantur æstimationem duorum solidorum hæc *lex* excedere vetat. Alia vero ratio *hac leg.* constituitur *Sacerdotum:* His enim permittitur hunc modum excedere: Nempe, quia vnicum ferme horum officium erat, ludos edere, & suis quidem sumptibus non e viribus Reipubl. vel priuatorum priuilegiis his inuicem quamplurimis, vti iam dixi, concessis. Nempe Reipubl. magis consulendum fuit, atque adeo Curialibus, Ciuibus, & Possessoribus, ne publicæ lætitiæ obtentu bonis suis euoluerentur; non etiam Sacerdotum, qui hunc honorem Sacerdotii, eiusque priuilegia ambientes, summisque facultatibus, ipsi non adeo adstringendi visi sunt. Ad id quod de Curialibus diximus, pertinet querela Libanii *orat.* περὶ τῶν δεσμωτῶν, *p. 407. Oper. minor. Gothofred. Edit. Trotz.* quod Curialium facultates immodico Iudicum erga spectacula studio attererentur: nempe quia suum ad hæc spectacula

auxilium

auxilium seu impensas Decuriones conferebant: τῇ, inquit, παρ' ἐκείνων βοηθείᾳ. Sane Magistratus seu Duumuiros spectaculorum editiones curasse docent complures constitutiones, puta *lex 1. 4. supr. de Spectacul. l. 29. 169. supr. de Decurionib.* & Tertullianus *de Spectaculis cap. 12.* De Curialium Antiochenorum immenso in hæc & alia sumptu, prolixe Libanius *in Antiochico, p. 358. 359. Edit. Morell.* vnde & censum eorum quandoque releuari oportuisse docet *dicta lex 169.*

DE EQVIS CVRVLIBVS.

TITVLVS X.

Huic *Titulo*, & *duobus proximis* congruit Ambrosii locus *lib. 2. offic. 21.*

PARATITLON.

EQVI, *l. 6. supr. de Scænic.* Equi Curules, *Rubr.* & *l. 21. 22. supr. de diuers. offic.* & *l. 3. supr. de Spectacul.* in Curulis certaminis sorte, *lex 1. h. t.* in solemni certamine, *l. 6. supr. de Scænic.* voluptatibus profuturi, *l. 2. hoc tit.* Spectaculis Vrbanæ plebis inseruiebant, *dict. l. 6.* & festiuitatibus in cunctis oppidis celebrandis: *l. 3. supr. de Spectacul.*
P. 388 Eos porro quoque partim Principis, *dict. l. 6.* & *l. 19. supr. de Prætor.* quo pertinet & *lex 1. hoc tit.* partim variorum ex Senatorio Ordine Magistratuum largitio subministrabat, *d. l. 6. de Scænic.*

Huius generis Equi erant, qui ex Gregibus Dominicis seu Principis *Palmati* dicebantur: *l. 1. h. t.* & *l. vnic. supr. de Grege Dominic.* Item Hermogenis, *d. l. 1. h. t.* seu Hermogeniani, *d. l. vnic.* quique de Phrygiæ gregibus erant: *d. l. 19. supr. de Prætor.* Item Hispani sanguinis: *d. l. 1. h. t.* Græcique, *d. l. 1. h. t.* Quibus Equis nomina indebantur, *d. l. 1. h. t.*

Horum autem Equorum stabula erant certa Romæ, quatuor scilicet pro numero factionum: Vnde factionum stabula in Vrbe venerabili, *l. 2. h. t.* Curulia stabula Vrbis æternæ, Symmacho, *2. epist. 78.* Quibus ex horreis fiscalibus alimonia præbebatur, etiam nimio cursu debilibus factis: *l. 1. h. t.*

Hos in vsus priuatos conuertere non licebat: *l. 6. supr. de Scænic.* Actuarii equorum Curulium, Ciuitatum diuersarum, Orientis memorantur, & nominatim Vrbis Constantinopolitanæ, *l. 21. supr. de diuers. offic.*

Hi victores, vt Agitatores ipsi honorabantur: Vnde *l. 6. supr. de Scænic.* equorum *palmarum* numero gloriosorum, & celebratis vtrinque victoriis nobilium mentio fit.

I. (a) Imppp. VALENTINIANVS, Valens & Gratianus AAA. ad Ampelium P. V. (b)

PALMATIS (c) adque Hermogenis equos, (d) quos in curulis certaminis sorte, (e) vel contentionis (f) incertum, (g) vel annorum series, vel diuersa (h) ratio debiles fecit, ex horreis fiscalibus (i) alimoniam præberi decreuimus: Equos vero Hispani sanguinis vendendi solitam factionariis copiam non negamus. Illud quoque Sinceritas Tua præcipiat obseruari, ne Græcorum equorum nomina, qui hinc missi fuerint, commutentur. Dat. (k) Kalend. Ian. Gratiano A. II. & Probo CONS. [371.]

NOTÆ.

(a) Abest *hac lex a Cod. Iustin.* velut temporaria & localis. GOTHOFR.

(b) *Am-*

(b) *Ampelii* huius Antiocheni, Præfecti Vrbi Romæ post Olybrium, meminit duobus locis Ammianus Marcellinus, in huius ipsius Anni 371. gestis *lib.* 28. *cap.* 1. & 4. Eidem vero inscribuntur complures aliæ constitutiones huius Anni & sequentis: vid. *Prosopogr.* & de eo mox. *ID.*

(c) γρ. *Palmatli*, vel *Palmatls*, id est, *Palmatiis.* *ID.*

(d) γρ. *Equis.* *ID.*

(e) Sors certaminis. *ID.*

(f) *Contentionis*, id est, certaminis & cursus. *ID.*

(g) *Incertum* vocat cuius dubius fuerat euentus, quoque Equus debilitatur. *ID.*

(b) *Dauerfa*, id est, quæcunque tandem alia. *ID.*

(i) *Horrea fiscalia*, in quibus alimonia Equorum erat. *ID.*

(k) Malim *data* hic accipere pro *Acc.* vel *PP.* Nam biduo post, ludi Circenses erant de more exhibendi, nempe, *Tertio Nonas Ianuarias*, vt docet locus Libanii, *de Kalendis Ianuariis pagin* 180. *Edition. Morell. Tom. II. Oper.* Τρίτη δὲ ἱσταμένου, ζεύγνυνται μὲν ἁμιλλητήρια ἅρματα: πολλὴ καὶ ἔρις ὑπὲρ τῆς νίκης: πολὺς δὲ ὄχλος ἐν ἱπποδρόμῳ, καὶ λουτρὰ ἐπ' ἐκείνῳ, id est: *At tertio Nonas Ianuarii iunguntur Circenses Quadrigæ; magnumque certamen de victoria, magna in Circo frequentia, & post Circenses Balneæ.* Hinc & in veteri Kalendario Constantiniano, *Tertio Nonas, & Secundo Nonas, & Nonis ipsis LVDI* notantur. Atque hic dies *votorum* olim, quæ pro salute Principis suscipiebantur. Quod docet *lex* 233. §. 1. *D. de V. S.* & idem vetus Kalendarium. *ID.*

COMMENTARIVS.

DEBILITATIS vel cursu, vel ætatis senio, vel aliter, Equis Curulibus, qui Vrbis Romæ voluptatibus, id est ludis, destinati, quid facto opus sit, hac Valentiniani Sen. constitutione definitur A. D. 371. quam quidem notandum est, datam ad *Ampelium* P. V. Ampelium, inquam, P. V. quem (quod ad *hanc leg.* facit) Ammianus Marcellinus *lib.* 28. *cap.* 4. ait, *Cupidum voluptatum fuisse, latumque & ad populi fauorem adipiscendum aptissimum.* Eodemque etiam pertinet pars *legis* 32. *supr. de cursu publico*, quæ eidem Ampelio P. V. hoc ipso Anno inscripta est: ibi; *Nam si adclamationibus populi Romani nostri, aliisque antiquis & solemnibus rebus concessa sugitot inlibata seruatur*, &c. Vbi vide quæ dixi. Ac vt de hoc Ampelio P. V. ad rem nostram nonnulla adhuc notemus. Ammianus Marcellinus non tantum studia eius in voluptates ludosque, quod modo dixi, indicat, verum quæ-ruot insuper ab eodem Romæ statuta aduersus gulam & ganeas memorat, *d. l.* 28. *cap.* 4. Quin & eo ipso loco vitia Nobilitatis & plebis traducens, inter alia notat Nobilitatis studium nimium Romæ ea tempestate in EQVOS & Aurigas: *Si venturos VNDELIBET Equos aut Aurigas quendam didicerint nunciasse, ita imminent & percunctantur, vt Tyndaridas fratres eorum suspexere maiores, cum prisca illis victoriis indicatis gaudio cuncta complesssent;* (cui congruentia vide apud Symmachum *lib.* 10. *epist.* 22.) Mox *ibid.* & alia subiicit de plebis studio in ludos Circenses: vbi inter cætera ait: *Eisque Templum & habitaculum & concio & cupitorum spes omnis Circus est Maximus. Cupitorum*, inquam, (ita enim restituo,) non *cupidorum*, vt Valesius: non vt Salmasius, & *copia eorum & spes omnis*: vt istud Valesius recte refutauit *ibid.* Extat & *Cod. Iustin. lex* 2. *de officio Praef. Vrbi*, sine die & Consule, ad hunc Ampelium P. V. data: quæ & ipsa ad ludorum editiones pertinet: in *fine* quippe
P.389 legis illius ita legendum, *& homines populares huius Almæ Vrbis EDITIONI obnoxios*: non *seditioni.* Quibus verbis indicantur Scenici, & voluptatum artifices, qui editionibus ludorum obnoxii sunt: de quo iam *supr. tit. de Spectaculis.* Ea vero *lege* id cauetur, Præfectum Vrbi aliunde ex Prouinciis nonnisi duo hominum genera euocare posse: Nempe Officiales suos, & Homines popularibus editionibus, seu ludis Vrbis Romæ conditione obnoxios: de quibus Paratitlo *de Scenicis*, *supr.* Ad Præfecti scilicet Vrbi notionem ludi & spectacula pertinebant, vt ex superioribus *legibus* liquet & *l.* 2. 7. 18. 20. 21. 26. 29. 33. *de Prætor. supr.* Symmach. *lib.* 10. *epist.* 36. Cassiodoro, *lib.* 1. *epist.* 31. 32. 33. *lib.* 6. *form.* 4. Sed præcipue ex tot *legibus* hoc *libro* ad ludos pertinentibus, & ex *hac* quoque *ipsa l.* 1.

Nuoc ad rem: quidque de Equis Curulibus, qui Romæ in curuli certamine debilitati sunt, agi velit *hac leg.* Valentinianus Imp. quorum scilicet hac parte distinctionem instituit. Nempe Palmatiis & Hermogenis Equis debilitatis alimoniam ex horreis fiscalibus, seu publicis præberi iubet Valentinianus, at non etiam eos vendi, quod hactenus fieri solitum. Equos vero Hispanici sanguinis debilitatos vendi pro more solito permittit; vendi, inquam, a factionariis. *Factionarii* sunt ii, qui præerant factionibus Agitatorum. Notum enim quatuor fuisse factiones & veluti scholas Agitatorum Circensium: Prasinam, a colore viridi; Russatam a rubeo colore; Albatam ab albis vestibus; Venetam a cæruleo colore: de quibus Factionibus *l.* 2. *prox.* quæ etiam indicantur, *l.* 6. *supr. de Scenicis.* Factionarii igitur qui factionibus præerant, cuius nominis mentio in veteri Inscriptione Romæ apud Gruterum *CCCXXXVIII.* 3. quæ referenda ad Ann. D. 276.

CL. AVRELIO. POLYPHEMO
DOMINO. ET. AGITATORI
FACTIONIS. RVSSATAE. TOGENI
CAESAREVS. SVI. TEMPORIS. PRIMO
ET. SOLO. FACTIONARIO. OB. GLORIA

Denique Domini factionum intelliguntur, de quibus Sueton. *in Neron. cap* 22. & Lampridius *in Commodo c.* 16. *in fin.* & veteres Inscriptiones. Huius autem differentiæ ratio inter hæc Equorum genera, vt sciatur, de singulis agendum est. De *Palmatis* & Hermogenianis Equis (quorum non tantum *hac leg.* fit mentio, verum etiam *l. vnic. supr. de Grege*

Dominico:) plene semel dixi ad *d. l. vnic.* vbi dicta huc arcessi possunt.

Ex *hac leg.* id discimus: Primo, Palmatios & Hermogenis Equos pari in pretio fuisse: Secundo, Hermogenianos, qui ita vocantur *l. vnic. supr. de Grege Dominico*, ab Hermogene quodam ita dictos, quomodo sane & Palmatios a Palmatio nuncupatos *ibidem* ostendi. Tertio, vtrorumqua in Curuli certamine, seu ludis Circeosibus vsum fuisse. Quarto, vtrosque cæteris Equis, etiam Hispanis, potiores fuisse, & primæ qualitatis. Hinc adeo, hisce debilitatis, vel contentionis iocerto, vel annorum serie, vel alia ratione debilibus factis, Valentinianus ex horreis fiscalibus alimoniam præberi *hac leg.* decernit: contra, quod *solitum* atque in vsu erat, quodque in Hispaois etiam Equis obtinere porro vult Imp. vendendi eos copiam denegat. Quæ quidem magna est horum Equorum in commune prærogatiua. Cuiusmodi quibusdam Equis prærogatiua pro cuiusque affectu vel gloria singulis sæpe data. Protritom illud iam olim Ennii *pag. 1463. Vol. II. Poetar. Veter. Edit. Lond.*

Sic vt fortis Equus, spatio quei sæpe supremo
Vicit Olumpia, nunc senio confectu' quiescit.

Notum est quod Dio de *Nerone* scribit *lib. 61. pag. 692. Edit. Leonclau.* & quomodo Circenses Equos senio confectos habuerit, ornauerit, cohonestauerit. Ac vt io commuoe pictaque alia præmio victoribus cum Equis communia fuere, vt Corooæ, sepulturæ hooos, id genus alia; ita & alimonia seu obsonia. Sane vt omittam alia, Victoribus io sacris certamioibus a Republ. vectigalia seu obsonia constituta fuisse docet etiam Vitruuius *præfat. lib. 6.* & Plin. *lib. 10. epist. 119.* Sic & Athletis ætate confectis io Prytanæo Annooa data ab Atheniensibus: sic & vetulo mulo cum Mineruæ Templum condereot, eo quod is illis viam præiret, & ad capessendum laborem quasi hortaretur, *μέχρι τελευτῆς τρέφεσθαι δημοσίᾳ ἐψηφίσαντο, vsque ad mortem a publico alere decreuerunt*, teste Plutarcho *in Catone pag. 339. Edit. Wechel.* & Æliano 6. *de Animalibus, cap. 49.* Sic igitur & hic *γηροκομίαι* Palmatiis & Hermogeniacis Equis decernuotur, ob insignem videlicet eorum nobilitatem: quos vel humaoitate ideo maiore dignos censuit Imperator, quam vt rursum dominis priuatis subiicerentur: Quin vt hanc quoque rationem addam, vt ad sobolem procurandam mitterentur. Nam & Plinius notat *lib. 8. cap. 42.* Equos quinquennes Circi certamen accipere, post vicesimum annum a Circo MITTI ad sobolem procreandam. Et hæc quidem de primo argumento nobilitatis Palmatiorum Hermogenianorum Equorum, quæ *hac leg.* cootioetur. Eodem pertioet secundo loco, quod maior pœna proposita, maius pretium, hosce Equos vsurpantibus, quam alios: *d. l. vnic. supr. de grege Dominico.* Et hæc de Palmatiis & Hermogenianis Equis

Hispani sanguinis Equorum alia ratio *hac leg.* vt maxime & ipsi nobiles esseot, & secundæ qualitatis, & quidem superioribus & Cappadocibus proximi, ac nominatim quoad ludos Circenses: quod vt *hac leg.* satis indicatur, ita expresse scribit Vegetius *lib. 4. Veterinar. cap. 6. Cappadocum*, inquit, *gloriosa nobilitas: Hispanorum par vel proxima in Circi creditur palma.* Sane Hispanorum quoque Equorum seu præstantissimorum mentio fit in *Veteri Orbis descriptione*, quæ scripta sub Constante *cap. 50.* & nominatim Hispaoorum Curulium meotio fit in Iuliani *Epist. ad Constantium*, apud Ammianum Marcellinum *lib. 20. cap. 8. Equos*, inquit, *præbebo Curules Hispanos*: id quod pro magoo Iulianus Constantio pollicetur. Eorundem equorum Hispanorum Curulium crebra mentio apud Symmachum, *lib. 4. ep. 59. 60. 61. 64. lib. 5. ep. 82. 83. lib. 7. epist. 105. 106. lib. 9. epist. 12. 18. 19. 20. 21. 22. 23.* Mentio & apud Claudianum, *Panegyrico in Manlii Theodori Conf.* id est, Aono 399. vbi Vraniæ Erato sic alloquitur, exhortans ad miracula plebi colligenda, & nomen claris theatris celebrandum, & ad *Quadrigas* celebres aduehendas palmis nobiles, *v. 283. seqq.*

Illustret Circum Sonipes, quicunque superbo
Perstrepit hinnitu Betim, qui splendida potat
Stagna Tagi, madidoque iubas aspergitur auro.

Et alibi noo *vno loco.* Et alioquio de Hispaniæ Equini pecoris celerrimi diuite, infinita sunt Veterum testimonia: Inter alios Martialis *lib. 14. epig. 199.* Strabonis *lib. 3. pag. 163.* siu. *248. Ed Almeloueen.* Iustini *lib. 44. cap. 1.* & *3.* Plinii, *lib. 8. cap. 42.* Quare & Equos Hispania ac nominatim Betica contulit, vt docet *lex 1. supr. de distrab. pign.* vbi dixi. Sed & Hierocles *in Hippiatricis* inter præstaotissimi generis equos Hispanos vna cum Cappadocibus numerat. Et tamen Cappadocibus inferiores *hac* quoque *leg.* ceosentur. Hinc igitur quamlibet illi in Circensi certamine debilitati vendi a Factionatiis *hac l.* prohibeaotur: hi prout solitum, ex *hac l.* vendi potueruot. *Vendi*, inquam, vel vt Virgilius dixit *3. Georgic. v. 95. seqq.* de Equo generoso agens, *abde domo:*

Hunc quoque vbi aut morbo grauis, aut iam segnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignosce senectæ. P. 390

Abde domo, id est exclude, amoue, & sic vende: *Dominum pretio muta*, vt Iuuenal. *Satyra 8. v. 65.* Plutarchus dixit *ἀποδίδοσθαι*: quæ quidem postrema, aliaque recte Gronouius nuper, *commentar. de sextertiis, lib. 4. c. 8.* Cæterum Hispani sanguinis Equi *hac leg.* dicuntur, pariter vt a Vegetio *Veterinariæ artis lib. 4. cap. 6.* vbi ootandum quod ait, *Africam Hispani sanguinis velocissimos præstare consueuisse ad vsum sellæ.* Et hæc de priore *huius leg.* parte, seu de Equis Palmatiis, Hermogeniaois, & Hispanicis.

ALTERA *huius leg.* pars & sententia est, de tertiæ qualitatis Equis, puta de *Equis Græcis*, eorumque nominibus: qua id statuitur, Græcorum equorum nomina, qui hinc missi fuerint, commutari non oportere. Vbi Tria obscura sunt. Primo, quinam per *Græcos Equos* hic intelligeodi sint? Græcorum certe Equorum meminit Nemesiaous *in Cynegetico v. 240.*

Cornipedes igitur lectos det Græcia nobis
Cappadocumque, &c.

Et mox *v. 254.*

Nec minor est illis Graio quam in corpore forma.

(Ambrosius, *in Apologia Dauidis, cap. 9.* vbi dotem eorum prædicat: *Alii*, inquit, *qualis Græcorum Equorum fertur natura, cum vel in Curuli certamine elisi fuerint, vel fortuito ceciderint, nequaquam se mouere consueuerint, & quandam tenent quietis & patientiæ disciplinam.*) Igitur hoc Græcorom Equorum nomine comprehenduntur *Primo* Phrygii, de quibus *l. 19. supr. de Prætor.* Secuodo Epirotici, de quibus *l. 1. supr. de stratorib.* Tertio Dalmatæ, de quibus omnibus Vegetius *rei Veterin. lib. 4. cap. 6.* Quarto, Thessalici; quorum meminit Varro *2. de re rust. cap. 7. De stirpe*, inquit, *magni interest, qua sint, quod genera sunt multa. Itaque ad hoc nobiles a regione dicuntur in GRÆCIA Thessalici Equi*, &c. His Otacilii voce laus prima decreta, teste Strabone *Æginensib. interrogationib. lib. 10. pag. 449.* & *pag. 689. Edit. Almeloueen.*

Thessalicus præcellit Equus . . .

Quinto, Argolici; de quibus Horatius *1. Od. 7.*

Aptum dicet Equis Argos, ditesque Mycenas.

Me-

Meminit & inter præstantissimi generis equos Hierocles *in Hyppiatricis*: & Æthicus Sophista.

Secundo loco obscurum est in *hac leg.* quid sibi hæc velint, *qui hinc missi fuerint*: An qui dimissi fuerint a necessitate Curulis certaminis? an vero qui missi fuerint ex Græcia Romam? An qui missi ex Vrbe Roma huc in Galliam? vbi hæc *lex* data a Valentiniano. Primum illud quis putet, argumento superioris e *Plinio* loci *lib. 8. cap. 42.* Verum contra ipse existimo, indicari hic Equos ex Comitatu seu a Principe e Galliis Romam missos. Solebant scilicet hac tempestate Imperatores Curules & Scenicas voluptates Circo & Pompeianæ Caueæ suppeditare: Scenicos inquam Artifices, Aurigas, & *Equos*; vt testatur Symmachus *lib. 10. epist. 19. & 22. lex 6. supr. de Scenic. & lex 19. supr. de Prætor.* Horum igitur nomina mutari vetat *hac leg.* Valentinianus.

Sed tandem obscurum est, cur nomina Græcorum horum e Gallia Romam missorum Equorum commutari prohibeantur? Illud equidem notum est, sua Equis Circensibus nomina indita fuisse, & quidem vel a colore, vt *Corax*, *Maurus*; vel a celeritate, vt *Tigris*, *Incitatus*, *Volucris*; vel a gente, seu patria, vel ab insigni aliquo, & aliis rebus. Hinc adeo *Incitati & Pertinacis*, *Volucris*, *Babylonii* nomina, apud Suetonium *in Caio cap. 55.* Dionem *lib. 59. pag. 650. Edit. Leonclau.* & *in Pertinace in Excerpt. Xiphilin. p. 388. Edit. Sylburg.* Capitolinum *in Vero cap. 6.* Ammianum *lib. 23. cap 3.* Apud Martialem *Passerinus & Tigris lib. 7. ep. 6.* & *lib. 12. epig. 36.* Sed & Circensium tabula hodienum extat Romæ marmorea, in qua varia nomina Equorum, Coloris, Aurigarum, & Præmiorum, simul distincte continentur; quam Onuphrius Panuinius *suo de Ludis Circensibus libello* inseruit: vide quoque plura apud Salmasium *in Solinum pag. 895. 896. 897. & 936.* Hæc inquam nota sunt de variis Equorum nominibus: sed Ratio indaganda de Interdicto nominis mutandi. Huc sane omnino facere mihi videtur locus Vegetii *4. artis Veterinariæ, cap. 6. In permutandis*, inquit, *Equis*, *vel distrahendis* (ita legendum) *maximam fraudem* PATRIÆ *solet asserere mendacium. Volentes enim carius vendere, generosissimos fingunt.* Neque Statii locum hic omittere possum *5. Syluar. 2. protreptico ad Crispinum v. 21. sequ.*

------ Romulei qualis per iugera Circi
Cum pulcher visu, titulis generosus auitis
Expectatur Equus, cuius de stemmate longo
Felix emeritos habet admissura parentes.

Accedat & Chrysostomi locus *tom. 5. λόγῳ μζ. homil. 1.* in illud *Salutate Priscillam*, *pag. 315. Edit. Sauil.* & *pag. 172. Tom. III. Edition. Benedictin.* οἱ μὲν πρὸς τὴν θεωρίαν τῆς τῶν ἵππων ἁμίλλης ἐπτοημένοι, καὶ ΟΝΟΜΑΤΑ, καὶ ἀγέλην, καὶ γένος, καὶ ΠΑΤΡΙΔΑ, καὶ ἀνατροφὴν τῶν ἵππων ἔχουσιν εἰπεῖν μετὰ ἀκριβείας ἁπάσης, καὶ ἔτι ζωῆς, καὶ ἐνεργείας δρόμων, καὶ τίς τίνι συντατόμενος τὴν νίκην ἁρπάσεται, καὶ ποῖος ἵππος ἐκ ποίας ἀφεθεὶς βαλβίδος, καὶ τίνα ἔχων ἡνίοχον, περιέσται τοῦ δρόμου, καὶ τὸν ἀντίτεχνον παραδραμεῖται. *illi quidem qui certaminis equorum spectacula ad stuporem vsque mirantur, & nomen & gregem, & genus & patriam & educationem equorum diligentissime possunt referre, atque annos vitæ, cursusque vehementiam, & quis cum quo si fuerit copulatus, victoriam reportabit, & quis equus ex his vel illis emissus carceribus, & a quo si agitatore regatur, vincet in cursu, & aduersarium antecedet.* Ergo Græcorum Equorum nomina ex Gallia Romam missorum, qui iam Venales haberi cœperint, commutari vetat Valentinianus *hac leg.* ne alioquin ignobiles patria & palmis, pro generosis, veluti Hispanicis, Palmatiis, & Hermogenianis, Palmaque Circensi nobilibus subiiciantur, frausque adeo emptoribus fiat: tandem argumento superioris capitis vbi de vendendis Equis agitur: quo pertinet Vegetii locus *rei Veterin. lib. 4. cap. 6.* mox supra allegatus, vbi etiam proponit signa, vnde cognosci posset patria. De aliis fraude commutationis est id, quod scribit Symmachus *lib. 7. epist. 121.*

II. (a) Imppp. Gratianvs, Valentinianus & Theodosius AAA. ad Valerianum P. V. (b)

EQvos voluptatibus profuturos nequaquam Campanorum populus adsequatur, (c) quam si duo milia modiorum fabæ, per singulas factiones (d) stabulorum, in Vrbe venerabili (e) necessaria, antiqua & sollemni præbitioni, (f) contulerint. Dat. X. Kalend. Maii, Aquil. Syagrio & Eucherio Coss. [381.]

N O T Æ.

(a) Iungenda est huic legi *lex 6. & 7. supr. de Scenic.* quæ & ipsæ argumento conueniunt, quanquam subscriptio aliquantum variat. Ita enim habent: *Dat. VIII. Kal. Mai. Triu.* GOTHOFR.

P. 391 (b) Romæ. IDEM.

(c) *Adsequatur*, pro *consequatur*. ID.

(d) An non potius *per singula stabula Factionum*? Nil opus: *Factiones stabulorum*, dicuntur, vt Factiones Agitatorum, ita & *Equorum factiones*. Nam vt ipsorum Agitatorum factiones erant, ita pariter & per consequens Equorum factiones. In hoc videlicet vel illo stabulo erant Equorum factiones, Prasinæ, Venetæ, &c. ID.

(e) *Venerabilis* Vrbs Roma: vid. *Gloss. Theod.* ID.

(f) *vt præbitione.* ID.

COMMENTARIVS.

VRBIS ROMÆ Circensium Equorum VSVRPATIO, vt priuatis interdicta erat, quod docet *lex 6. supr. de Scænicis.* (quæ vna cum *l. 7. eod. tit.* huic nostræ coniungenda est) nisi in specie *l. 19. supr. de Prætor. & Quæstor.* ex Valentiniani indulgentia, ita populi Vrbis Romæ vicini nonnunquam spectaculis & ipsi dediti, equos Circenses ex stabulis Vrbis Romæ ad ludos suos Circenses emerebantur seu impetrabant. Quod etiam *hac* Gratiani *leg.* permittitur: Vicini, inquam, populi, veluti *Campani* id est Capuani: (nam vt Capua Campaniæ Metropolis erat, de quo vide Ausonii *vrbes*, ita *Campani* pro Capuanis intelligendi sunt: vt *hac leg.* ita & *l. 1. D. ad Municipal.* & *l. 50. D. de contrah. empt.* & *l. 9. §. 3. D. Quod Met. caus.*) inter alium luxum id impetrabant a Præfecto Vrbis, ad quem disciplina spectaculorum, & ludorum Circensium cura pertinebat; vt præter *huius legis* inscriptionem docet etiam Inscriptio *l. 1. supr.* Neque tamen gratis id finitimis populis seu Campanis concedebatur, verum certo modiorum fabæ modo inuicem præbito seu collato; quam *antiquam & solennem præbitionem* hæc *lex* vocat, eamque firmat *hac leg.* Gratianus; puta duobus millibus modiorum fabæ, per singulas Factiones, & Stabula, & sic in vniuersum octo millibus modiorum. Nempe quæque *Factio*, de quibus ex professo dixere alii: siue Aurigarum, siue Equorum, suum Romæ stabulum habuit; ac proinde quatuor Stabula Factionum, vel quatuor Factiones Stabulorum fuerunt. Hinc in *veteribus descriptionibus Vrbis Romæ*, ac nominatim in descriptione Victoris, & altera quæ præfixa *Notitiæ*, *Stabula quatuor Factionum* nona regione dicuntur & ponuntur. Horum mentio & in *veteri Inscriptione* apud Gruterum *CCCXL. 1.* quæ Romæ: HIC IN QVATVOR STABVLIS AGITAVIT. Meminit & Suetonius in *Caligul. cap. 55.* Prasinæ factionis: *Prasinæ*, inquit, *factioni ita addictus & deditus, vt cœnaret in stabulo assidue, & maneret.* Symmachus *lib. 2. epist. 78.* *Aurigas*, inquit, *Ciuica gratia, Quæstoris filii mei sumptibus studeo aliud genus largitatis adiicere; vt Curulibus stabulis Vrbis æternæ etiam quina mancipia largiamur: Et quoniam seruorum per limitem facilis inuentio*, &c. mox: *viginti iuuenes prædicto negotio congruentes: quorum non forma, sed ætas & sanitas eligenda est.* Aurigarum meminit & Tacitus *hist. lib. 2. c. 87.* & *Annal. lib. 15. cap. 44.* & *67.* Cui autem vsui fabæ? An familiæ quadrigariæ & mancipiis, de quibus est quoque locus ille *Symmachi*? An vero equis simul alendis,



DE VENATIONE* FERARVM.**

TITVLVS XI.

LIB. XI. COD. IVSTIN. TIT. XLIV.

* VENATIO (de quo est etiam Ambrosii locus *lib. 2. Officiorum, c. 21.* & Cassiodori elegans *epist. 42. l. 5. var.*) hic est κυνήγιον seu κυνηγέσιον, ludicrum scilicet & theatralis venatio. Quo sensu passim *Venationis* vox accipitur. Quod testimoniis adstruere inane & ludicrum foret. Non vero vulgaris illa, qua in syluis feræ capiuntur. Id quod patet vel ex *huius tituli* positu, tum *hoc Cod.* tum *Iust.* in censu videlicet *Titulorum*, qui ad *ludos publicos* pertinent; & quidem *hoc Cod.* medio loco, inter *Tit. de Equis curul.* & *Tit. de Gladiator.* Sicut *C. Iust.* medio loco inter *Tit. de Gladiator.* & *Tit. de Maiuma.* Pertinent autem *huius tit.* leges eo primum, vt ostendatur, quatenus liceat occidere Leones, citra præiudicium Venationis ludicræ seu Theatralis; quo pertinet *lex 1. h. t.* Item agitur de Transductione ferarum, e limitibus ad Comitatum Principis, in vsum Theatralem; quo spectat *lex 2. h. t.* in qua nulla certe venationis syluestris, vel priuatæ mentio fit.

** FERÆ hic proprie sunt, Leones, Pantheræ, Leopardi, Vrsi, cæteraque animantia generosa. Duplex alioquin animantium genus in vena-

venationibus seu ludis exhibita: θηρία videlicet, quæ dixi: & βοτὰ
P. 391 seu πορβάγα, id est, *herbatica animalia*, vt vocat Vopiscus *in Probo c. 19.* id est Cerui, Capræ, similia.

PARATITLON.

Feras, *Rubr. l. 1.* & *2. hoc tit.* bestias, *l. 2. hoc tit.* nominatim Leones, *l. 1. hoc tit.* etsi venari priuatis seu Prouincialibus non liceret ad voluptatem, id est, venandi causa, vt & venundandi, *l. 1. hoc tit.* quia voluptati Principis res ea reseruata, *d. l. 1. hoc tit.* occidere tamen Leones ad salutem suam cuncti possunt: *d. l. 1. hoc tit.* Ducibus sane, bestias, quas ad Comitatum Principis solenniter transmitterent, venandi ius erat: *l. 1. hoc tit. in fin.* & *l. 2. hoc tit.* sic tamen vt eas transducentes, neque caueas a ciuitatibus exigere possent, neque plus quam septem aut octo diebus in Ciuitatibus agere: *d. l. 2. hoc tit.*

I. (a) Impp. Honor. & Theod. AA. Mauriano Comiti Domesticorum & Vices (b) agenti Magistri militum.

Occidendorvm Leonum cunctis (c) facimus potestatem, neque aliquando (d) sinimus quemquam calumniam formidare: cum * & *salus nostrorum prouincialium voluptatis* (e) *nostræ necessario præponatur*, & hæc ipsa propria voluptatis (f) intercludi minime (g) videatur, quandoquidem occidendi feras (h) non venandi, (i) venundandique, (k) licentiam dederimus. Occidendi igitur memoratas feras, & (l) Ducibus (m) & Officiis eorum conuentis, (n) cunctis licentia tribuatur. Dat. XIII. Kalend. Iun. Constantio & Constante VV. CC. Coss. [414]

NOTÆ.

(a) *Lex vnica Cod. Iust. eod. tit. ex hac & seq.* conflata est. GOTHOFR.

(b) *Vices agentes*, vt a Vicariis differant, docui plene *Apolytici primi cap. 3.* IDEM.

(c) Prouincialibus priuatis, non modo Ducibus & Officiis eorum: vt docent diserte quoque extrema *legis.* IDEM.

(d) *Aliquam*, Cod. Iust. forte reponendum, *aliquam inde*, vel *aliquam ideo*: etsi hoc quoque sustineri potest. IDEM.

* Reliqua omnia recidit Tribon. *Cod. Iust.* subtextis nonnullis ex *l. 2. infr.* ID.

(e) *Al. Voluptati:* quomodo etiam recte Iuretus *in Symmach. lib. 7. epist. 122.* & Amaya in *leg. vnic. Cod. Iustin. num. 29* Ceterum hic & mox rursum *Voluptatis* vox propria de ludis, seu ludicris: vid. *Gloss. Theod.* ID.

(f) *Al. Voluptas*, quomodo etiam Amaya *d. n. 29.* ID.

(g) Recte: non vt Iuretus, *propria voluptatis*, &c. *nomine.* ID.

(h) *Feras*, id est leones, vt *initio legis.* ID.

(i) Voluptatis ergo. ID.

(k) Lucri ergo: Nota interim paronomasiam. ID.

(l) Forte abundat. ID.

(m) Duces quippe venationis & transductionis ferarum curam gerebant, vt *leg. 2. infr.* ID.

(n) A te? seu monitis: vel ab his qui leonibus occidendis necessitate vrgente vacare student. ID.

COMMENTARIVS.

Leones priuatis seu Prouincialibus cunctis occidendi potestatem facit *hac leg.* Honorius Imp. Anno D. 414. Etsi alioquin (quam dubitandi rationem hic profligat Honorius) ne venationi ferarum, quæ in theatris exhibebantur, præiudicium fieret, priuata venatione sectari eas in syluis, vel venundare aut comparare, licere nolit.

De *Venatione* primum videamus. Nempe, vt
maxime venatin apud Romanos in promiscuo vsu
fores, attamen Leonum venatio cohibita fuit: Ve-
natio, inquam, id est, viuorum in syluis inuesti-
gatin & captura, speciali ratione: Non equidem
publicæ pacis, aut securitatis ergn: Sed neque pri-
uatæ seu venaticæ tantum voluptatis causa (quibus
alioquin duabus potissimum causis priuatorum ve-
nationi Principes hodie intercedunt atque ad ius
suum id traduxere) verum ludicræ seu ludiariæ ve-
natinnis & voluptatis seu ludorum & spectaculorum
publicorum ergn, quo pertinet *hic Titulus*, vt ad
Rubricam ostendi, quodque hac *ipsa lege* bis indica-
tur, ibi, *voluptati nostra:* item, *hac ipsa propria vo-
luptas.* Nempe nntum, Leooum venatinnes io
Circo vel amphitheatro editas, iam inde ex quo
eius rei initium fecit Q. Mutius P. F. Scæuola in Cu-
ruli ædilitate. Quin magnificentiæ Principalis ma-
gnum hoc velut argumentum speciatim memorant
Scriptores *Augusti*, Lenoum exhibitionem, & qui-
dem numerosam: vide *Spartianum* & *Dionem*. Quare
feras huiusmodi ludis publicis destinatas, Principes
nnn ab aliis venatione capi, quam per Duces (suos)
limitum, eorumque Officiales voluere: Qund præ-
ter *hanc leg. in fin.* docebit rursum *lex 2. prox* Quare,
si quando huiuscemodi feras seu bestias, puta Lybi-
cas, id est Lennes, Leupardos, Magistratus ludis
suis seu editinnibus populo exhibere vellent, ad
hnrum emptionem seu cnmparationem, auctoritate
seu Munificentia Principis, sacrisque literis opus
erat, vt dncet diserte Symmachus tribus epistolis,
lib. 2. epist. 46. lib. 7. epist. 59 & *122.* Hac igitur
de causa Leooum in syluis venatio Priuatis inter-
dicta fuit hac tempestate; ac proinde nulli venari
Leones licuit, nisi *Ducibus limitum* & eorum Offi-
ciis, qui scilicet rem militarem in Prnuinciis nomi-
ne Principis adcurabant. Quibus omnibus Duci-
bus præerant *Magistri militum*, vel absente Magistro
militum, is qui *Magistri militum vices* prn tempore
gerebat; Cuiusmodi fuit Maurianus Comes Dn-
P. 397 mesticnrum, cui hæc *lex* inscribitur, vices agens
Magistri militum; de qoo dixi pleoe ad *leg. vnic.
supr. qui a præb. Tyron. & Equor.* quæ data est bien-
nio ante *hanc leg.* vbi diserte de Comitibus Dome-
sticorum dicitur, *Eorum virtutem Triumphis subiu-
gare de hoste captiuos:* Iisque Duces & Officia eorum
cnouenire seu monere iubetur. Hæc vt ita sint, atta-
men *occidere* Lennes cunctis hac Honnrii constitu-
tione permittitur. *Occidere*, inquam, id est, nno
venari venatinnis Theatralis aut promercii ergo,
verum prn *salute* Prouiocialium, vt *hac leg.* diserte
dicitur, nccidere incursantes forte, iamque timen-
dos: quomodn *l. 1. §. 6. D. de postul.* ibi, *vt feras
venetur, vel vt depugnaret feram, qua regioni nocet,
extra arenam.* Leooum scilicet cædes hic permitti-
tur (pariter vt *Feudor. 2. tit. 27. de pace tenenda §.
5.* verb. *nemo retia.*) non venatin; Et duplici qui-
dem ratinne addita, quam vtramque Tribonianus
omisit: *Primo*, quia *salus Prouincialium* volupta-
tibus Principum necessario præponenda est. *Secundo*,
quia neque hac occidendorum Leonum licentia vo-
luptatibus Principis fraus fit: quandnquidem eos
tantum nccidere fas est, qui iam Prouincialibus
sunt metueodi; non vero latentes in syluis eruendi,
venaodique, qunrum numerus longe maximus
voluptatibus Principum sufficiebat. Ad illam vero
quoque rationem respexit Libanius *epist.* in Regio
Codice, *ad Antiochum 452.* & *458. Edition. Wolff.*
cum ab eo veoationem ferarum, & Vrsorum
nominatim exigens, addit ea re non tantum
λαμπρὰν τὴν λειτουργίαν, *illustre munus publicum*,
fore, verum etiam καὶ τῷ αὐτῷ τοὺς μὲν παρ' ὑμῖν
γεωργοὺς ἀπάλλαττε φόβου, *atque hoc ipso agrico-
las nostros a timore liberato.*

Illud obseruandum, vt Leones in *Africa* frequen-
tes fuere, (qua causa & ferarum *Lybicarum* seu
Africanarum appellatinoe Leones passim intelligi
solent ac Leopardi; vt omittam alios, Sueton. *Caio
cap. 18.* Plinius *lib. 6. epist vlt.* Dio *lib. 59. ad an.
V. C. 790. pag. 644. Edit. Leonclan.* Hesychius voc.
Λιβυκὸν δέρμα, & λιβυκὸν θηρίον. Plinius *lib. 8.
cap. 17.* de Pantheris, Seruius *Æn. V. v. 37.* Sym-
machus *non vno loco*, Vopiscus *in Aureliano cap. 33.*
(vbi vide Salmasium) Capitnlinus *in Gordiano c. 3.*)
ita & hanc *legem* ad *Africam* omninn pertinere vi-
deri: *Maurianus* enim Comes, coi *hac lex* inscri-
bitur; is est proculdubin, qui alinquin *Maurinus
Comes* vocatur, qui scilicet aduersus Heraclianum
Tyrannum missus fuit, & Marcellinum Tribunum
apud Carthaginem, occidit, teste Orosio, *lib. 7.
cap. 42.* Et hæc de Leonibus. Quanquam nntetur
& illud *hac leg. Leonum* tantum venatinne & ve-
nundatione priuatis interdictum, nisi Principis per-
missu. Atenim Vrsorum (qui per Numidiam præ-
cipui erant) alia ratio fuit. Hos enim venari &
cnmparare priuatis hac tempestate licuisse, ex
Symmachi *lib 2. epist. 46.* & *lib. 4. epist. 56.* & *lib. 5.
epist. 62, 65. lib. 7. epist. 121.* & *lib. 10. epist. 9.* & *11.*
colligitur.

Superest *huius leg. versiculus vltimus*, coius hic
sensus est: Comitem Dnmesticnrum Maurianum
eundemque Vices Magistri militum agentem, Duces
rei militaris, eorumque Officia conuenire, id est
admonere debere, cunctis licentiam tributam occi-
dendurum Leonum: Nempe quod Duces eorum-
que Officia id inhiberent, qui sibi solis id ius vin-
dicabant, hoc obtentu quod ad illos venandorum
& transmittendorum, ad vnluptatem Principum,
Leonum munus pertineret: de qun fidem qunque
facit *lex prox.* Perperam vero Amaya hnc de omni-
bus militibus accepit, *n. 26.*

Et hactenus quidem, de *huius leg.* sententia, prout
hic posita est: Atenim Tribonianus, cum *legem vni-
cam*, *Cod. Iustin.* ex *duabus huius tituli legibus* con-
cinnaret, recisis iis quæ *hac leg.* de prohibita venan-
di & emendi Leones facultate. adduntur, reтenta
priore *huius leg.* sententia, absolute seu simpliciter
occidendorum leonum potestatem fecit, porrecta ita
latius *occidendi* vocis significatinne. Ratinnem eius
facti hanc reddit Pamelius *in Tertull. de spectaculis,
c. 1.* quod Iuliaoi æuo voluptas spectaculorum
illnrum cessauerit, seu ferarum commissinnes cum
Bestiariis, seu Arenariis. Quod falsum esse non
Cassiodorus tantum testatur *lib. V. cap. 42.* sed
etiam *Nouella Iustiniani 115. cap. 3. §. causas:*
& *Nouella 105.* vt recte Amaya ustendit ad
illam legem vnic. num. 72. 73. Ergn oecesse
est Iustiniani æuo promiscue venandi venundandi-
que leones potestatem cuiuis patuisse: quia semper
metuendæ hæ feræ sunt; atque occidi eas publicæ
salutis interest.

II. (a) Idem AA. Monaxio PF. P. (b)

PRÆSIDALIS (c) Officii Eufratensis (d) deploratione conperimus, eos qui transductioni ferarum a (e) Duciano (f) officio deputantur, pro septem vel octo diebus, contra Legatio-

Legationum (g) formam, tres, vel quatuor menses in Hieropolitanam (h) vrbem residentes, post expensas tanti temporis, etiam caueas exigere, quas nulla præberi consuetudo permittit. Ideoque præcipimus, bestias * quæ ad Comitatum ab omnibus limitum Ducibus transmittuntur, non plus quam septem diebus intra singulas Ciuitates retineri: (i) Scientibus Ducibus & eorum Officiis, si quid contra hæc commissum fuerit, quinas se libras auri fisci viribus inlaturos. Dat. V. Kal. Octobr. (k) Constantinop. DN. Honor. A. XI. & Constantio II. V. C. Coss. [417.]

N O T Æ.

(a) *Lex vnic. Cod. Iust. eod. tit. ex hac leg. & superiore* conflata est. Iungenda autem huic *lex* 2. *supr. Ne Comit. &* *Tribu. lau. præst.* GOTHOFR.

(b) Orientis. *IDEM.*

(a) Initium *huius leg.* recisum a *Cod. Iust.* vsque ad vocem *bestias.* *ID.*

(d) Præses Eufratensis. *ID.*

(e) Vel *e.* *ID.*

(f) *Ducianum*, officium Ducis: *h. l.* vid. *Gloss.* Ducis Eufratensis, & aliorum, veluti Mesopotamiæ, Osdroënæ. *ID.*

(g) Recte habet hæc vox, neque mutanda in *delegationum.* Nempe *Legati* hic sunt, qui transductioni ferarum ex officio Ducum delegati, deputati. Sicut & *Legati*, qui e Prouinciis ad Principem missi: de quibus *supr.* peculiari *titulo, de Legatis.* *ID.*

(h) *Hieropolitana* vrbs. Eius quoque fit mentio in *l. 8. supr. de Consistorib.* Interim nota huius aui constructionem, *residentes in Hieropolitanam Vrbem*, pro *in Hieropolitana Vrbe.* Ita *in domos*, pro *in domibus*,
P. 394 *l. 58. infr. de Hæretic.* in functionem, *l. 16. supr. de Murileg.* & alia similia de quibus *Glossarium*: qualia etiam occurrunt apud Histor. Aug. Scriptores, veluti *in Senatum, in Concionem*, pro, *in Senatu* & in *Concione*: & *in exercitum*, pro *in exercitu.* *ID.*

* Hinc versiculus, *bestias*, assutus *legi vnic. Cod. Iust. de venat. ferar.* *ID.*

(i) *Detineri* Cod. Iust. *ID.*

(k) *Aug.* in *d. leg.* 2. *ID.*

COMMENTARIVS.

TRANSDVCTIONIS, seu TRANSITVS & DEDVCTIONIS (vt vtroque modo Symmachus loquitur) de qua est quoque Claudiani locus *lib. 3. de laudib. Stilichonis v. 325.*

. . . *rectibus pars ibat onustis*, &c.

Ferarum, quæ a Ducibus limitum Mesopotamiæ Euphratensis ad Comitatum Principis transmittebantur per Syriam, Constantinopolim, & in ea per Vrbem Hieropolitanam, occasione, Prouinciales *concuti* hac Theodosii Iun. constitutione vetantur, Anno D. 417. & quidem concuti ab Officiis Ducum Limitaneorum, ac nominatim in spec. *huius leg.* ab Officialibus Limitis Eufratensis: Pariter vt eiusdem Ducis Limitis Eufratensis similis quædam altera Prouincialium deprædatio coërcetur *l. 2. supr. ne Com. & Trib. lauac. præst.* quæ huic nostræ coniungenda est. Ex quibus duabus coniunctis apparet, Theodosio Iun. integra illa constitutione id propositum fuisse, vti Ducum & Ducianorum concussionibus modum imponeret. Inter alia igitur (quod *hac lex* aperte testatur) soliti de more Duces limitum, officii ratione feras seu bestias in limite suo captas (de quo vide dicta *ad leg. 1. supr.*) ad Comitatum Principis transmittere: & quidem in Imperio Orientali, ad Vrbem Constantinopolitanam, quos deinde Impp. ludis populo exhiberent, & quidem per nonnullos de Officialium suorum numero. Cæterum Ciuitates, per quas huiusmodi feræ traducebantur seu transibant, Transductoribus Ducum Officialibus, ipsisque feris, expensas præstare tenebantur, vt docent illa verba: *Post expensas tanti temporis.* Certo tamen numero dierum præstituto. Nempe non nisi septem vel octo diebus in singulis ciuitatibus maioribus hærere poterant, qui feras hasce transducebant; ne alioquin nimiis expensis, morosa deductione, vt loquitur Symmachus *lib. 7. epist. 105.* ciuitates onerarentur. Hæc enim vnica hac parte ratio *huius leg.* est, cum de eo, querimonia seu *deploratio* ad Principem perlata fuisset: non vero illa quoque, quam Amaya coniiciebat, ob periculum Ciuium, si quidem feræ solebant caueis elabi & multos occidere: Apertissime enim hac sanctione occurritur *superexactioni Transductorum.* Alia vero ratio est *legis*, 5. *Cod. Iust. de Spectacul.* Hæc erat, vt *lex* loquitur, *Legationum* (id est transmittendarum, traducendarumque ferarum) *forma*; scilicet vt ne ablegati a Duce ad transducendas feras vltra septem vel octo dies in singulis Ciuitatibus morari possent: sic & Theodosius M. *l. 2. supr. de Tractor. & statiu.* eos qui animalia & equos sacro, (id est Principis) vsui necessarios prosequerentur, quinque tantum dies in aliquo loco residere permisit. Huic denique haud adeo absimilis Legationum forma occurrit, *l. 2. supr. de Legat.* Ergo primam hanc Legationis istius seu Transductionis ferarum formam legemque Theodosius Iun. *hac leg.* proponit, & in vsum reuocat subleuandis prouincialibus: cum tamen in spec. *huius leg.* in Vrbe Hieropolitana, tres vel quatuor menses Transductores ferarum sæpe hærerent: proculdubio lucelli aliquid inde colligentes, vrbemque adeo ipsam expensis ita onerantes. Alioquin non nouum, ob inter-

interuentum videlicet & intemperiem hyemis, vt feræ *tribus vel quatuor mensibus* alicubi, sed priuato sumptu, hærerent: vt ita Veris temperie sine vexatione peruenirent: Exemplum apud Symmachum *lib. 9. epist. 19. 22.*

Altera hæc Ducianorum, qui feras transducebant, præda *hac leg.* proponitur, quod *Caueas* a Ciuitatibus per quas feræ traducebantur, exigerent. Caueas, inquam, feris continendis, quas Græci δεξαμενὰς vocarunt, vel γαλεάγρας: Quarum etiam Cauearum, (& quidem ferrearum) aduehendis scilicet feris, meminit Symmachus *lib. 2. epist. 77.* Meminit & Ammianus Marcellinus *lib. 29. cap. 3.* Alioquin notum, feras in Amphitheatro ex caueis in arenam missas: vnde exeuntium maior vis & impetus erat: de quo locus extat apud Vopiscum *in vita Probi, cap. 19.* Neque tantum ferreæ hæ ipsæ caueæ erant, sed & iligneæ, ligneæque. Claudian. *Panegyr. 3. in laudem Stilichonis*, vbi ingentem ferarum apparatum in ludos Consulares a Stilichone exhibitos describit, *vers. 322.*

Hæ laqueis innexa gemunt, & clausa feruntur
Iligneis domibus: fabri nec tigna polire
Sufficiunt; rudibus fagis texuntur & ornis
Frondentes caueæ.

Ex his patet, quam male Brissonius *Caueas* hic pro *Cauea Theatri* interpretatus sit: hæ nostræ *portatiles*, illæ *Theatrales*, quibus feræ dum emitterentur, includebantur: ὑπόγαια Herodiano *in Commodo l. 1. c. 15.* ferreis aut ligneis portis obstructæ, *Clathros Caueæ* vocat Horatius *sub fin. Artis Poeticæ.*

Nunc ad *legem* nostram. Ergo hæ duæ leges seu conditiones transductioni ferarum ad Comitatum iam olim quoque positæ fuerant: verum cum vtrique fraus fieret, id est, cum Transuectores totos etiam tres vel quatuor menses in vrbibus residerent, & hac quoque occasione Caueæ exigerentur aduersus consuetudinem, id vtrumque *hac leg.* prohibetur, atque ad antiquam legem, formam & consuetudinem res reducitur.

Pertinet autem hæc *lex* proprie ad *Prouinciam Eufratensem*, eiusque Præsidem & Ducem: De qua alioquin Prouincia iam dixi ad *d. l. 2. ne Comit.* quæ *huic* est coniungenda: Eiusdemque non vna mentio apud *Philostorgium.* Cæterum huius Prouinciæ *Hierapolin* Metropolin fuisse, & *hac lex* ostendit: Sed & Ammian. Marcellin. *l. 14. c. 8. Comagena*, inquit, *nunc Eufratensis Hierapoli, vetere Nino, & Samosata Ciuitatibus amplis illustris.* Fit etiam huius mentio *l. 8. supr. de Censitor.* Meminit & Ammianus Marcellinus non semel inter alia *lib. 23. c. 2.* vbi *Ciuitatem capatissimam* vocat. Cæterum Eufratensis in Syria fuit. Itaque vt superior *lex* pertinet ad feras Lybicas seu Africanas: ita hæc ad feras Syriacas. Nam vt in Lybia, ita & in Syria frequentes huiusmodi feræ fuere. Hinc apud Vopiscum *in vita Probi c. 19.* iunguntur *Leopardi Lybici & Syriaci. Editi deinde*, inquit, *C. Leopardi Lybici, C. Syriaci, C. Leænæ*, &c. Sed etiam Palæstinarum ferarum mentio apud eundem Vopiscum *in vita Aureliani c. 33.* Atqui & ipsa Palæstina Syriæ pars fuit.

Cæterum toto *huius leg.* argumento liquet, *maxima copia* huiusmodi feras per Vrbem Hieropolitanam Syriæ, (quo appellabant omnes hac tempestate,) ad Comitatum transmissas, vti huius sæculi studium in ludicra maximum fuit. Eo scilicet pertinent *deplorationes*, de quibus *hac leg.* Eo item P. 395
pertinet, quod de *omnibus limitum Ducibus* additur, per Orientem videlicet, a quibus omnibus leones ad Comitatum transmittebantur: In quibus & Dux Mesopotamiæ, & Dux Euphratensis. De quorum Leonum per eum Mesopotamiæ tractum copia, & quomodo a culicibus infestentur, mox & enecentur, agit Ammianus Marcellinus *lib. 18. cap. 7.* Tandem & quod pœna grauissima *hac leg.* imponitur.

Postremum, notetur posse *hanc legem* accipi non tantum de feris captis a Ducibus Limitis Eufratensis; verum & de iis, quas ex Babylonia Imperatores accipiebant. Locus est apud Philostratum insignis, *in vita Apollonii, lib. 1. cap. 23.* vbi agit de duobus vicis, quos Syriæ Præses a Rege Babyloniæ sub Apollonio repetitum ibat; vbi Rex ait, duos illos vicos olim maioribus suis ab Antiocho & Seleuco Syriæ Regibus datos, pro feris educandis, quæ a Babylonis captæ ad eos peruenirent: ξυνεχώρησαν τοῖς ἐμοῖς προγόνοις οἱ βασιλεῖς, ὡς εἶπον, τροφῆς ἕνεκα τῶν θηρίων, ἃ παρ' ἡμῶν ἁλισκόμενα, φοιτῶσιν ἐς τὴν ἐκείνων διὰ τοῦ Εὐφράτου, *Concessere maioribus meis prædicti reges pro his feris educandis, quæ a nobis capta per Euphratem ad eos perueniunt.*

DE GLADIATORIBVS.

TITVLVS XII.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. XLIII.

De Gladiatoribus penitus tollendis.

PARATITLON.

GLADIATORES, *Rubr.* & *l. 1. h. t.* (a quibus munus Gladiatorium, *l. 2. hoc tit.* ludus gladiatorius, *l. 3. hoc tit.* & *l. vnic. supr. ad Leg. Fab.* & ludus simpliciter, *l. 2.* & *8. supr. de Pœn.*) erant, a quibus in otio ciuili & domestica quiete cruenta spectacula, *l. 1. hoc tit.* edebantur in arena, *l. 11. supr. de Pœn.* vnde Gladiatorium nomen detestandum, *dict. l. 2. h. t.* Sane Lanista dicebatur, qui eos docebat: *l. 11. supr. de Pœn.*

Exerci-

Exercitium eorum ſcua meditatio & pugnatrix dicitur, *d. l. 11.* Qui Gladiatorium hoc munus impendebant (id eſt larglebantur) Munerarii dicti: *d. l. 2. hoc tit.* Porro Gladiatorum alii operam ſuam huic muneri addicebant, & hi *auctorare ſe* dicebantur: *d. l. 2. h. t.* Quod Milites & Palatina dignitate præditi facere prohibentur, *d. l. 2. h. t.* Alii vero eo damnabantur. Damnatorum ad ludum Gladiatorium duplex conditio erat: Alii quippe aliquid facere poterant, quo ſe defenderent (id eſt, liberari poſſent:) Alii gladio conſumendi erant: *d. l. vnic. ſupr. ad Leg. Fab.* vbi dixi.

Cæterum Conſtantinus Gladiatores per Orientem omnino eſſe, & ad ludum Gladiatorium damnari prohibuit, *l. 1. hoc tit.* (quæ propoſita *Beryti*) Quod tamen non ſemper nec vbique obtinuiſſe, oſtendunt *lex 2. & 3. hoc tit.* Et ſane Chriſtiani tantum a Valentiniano prohibiti in ludum damnari, *l. 8. ſupr. de Pœnis:* mox & Palatini Gentiles, *l. 11 ſupr. de Pœn.* Damnati alioquin ad ludum, Plagiarii liberorum: *dict. l. vnic. ſupr. ad Leg. Fab.*

Constantini M. *lex, qua gladiatores prohibiti.*

I. (a) Imp. Constantinvs A. Maximo PF. P. (b)

Cruenta (c) ſpectacula in otio (d) ciuili & domeſtica quiete non placent: Quapropter, qui omnino (e) Gladiatores eſſe prohibemus, eos qui forte delictorum cauſa hanc (f) condicionem, adque ſententiam mereri conſueuerant, metallo magis facies inſeruire, vt ſine ſanguine, ſuorum ſcelerum pœnas agnoſcant. (g) PP. Beryto, (h) Kalend. Octobr. Paulino & Iuliano Coss. [325.]

N O T Æ.

(a) *Lex vnica, Cod. Iuſt. eod. tit.* hinc detruncata eſt. *GOTHOFR.*

(b) Ex inſcriptione *legis 12. ſupr. de Decurion.* colligi poſſit, hic *PP.* idem valere, ac *Propræfecto Pretorio:* vide quæ ad eam prolixius. Similiter interpretandæ hæ notæ in Inſcriptione *l. 15. infr. de Paganis:* vbi vide quæ notaui. *IDEM.*

(c) Hominum ſcilicet. Ita *ludicra cruenta* apud Ammianum Marcellinum *lib. 14. c. 7.* de ſæuitia Galli Cæſaris: μιαιφόνος θέας Gregor. Nazianzenus (vel potius Amphilochius) *Carmine ad Seleucum, v. 114. pag 191. Tom. II. Oper. Edition. Lipſ. ID.*

(d) Id eſt, Tempore pacis. Itaque hoc κατ' ἀντιδιαστολὴν belli additum. *ID.*

(e) Etiam voluntarios & auctoratos; de quibus *l. 2. infr. ID.*

(f) Pœnæ, videlicet ludi Gladiatorii. *ID.*

(g) Id eſt ſufficiant, ſuſtineant. *ID.*

(h) *Beryti* hæc lex propoſita; de quo poſtea. *ID.*

P. 396

COMMENTARIVS.

Constantini M. conſtitutio iſthæc eſt, non Conſtantii, in quo Alciatus etiam errauit; qua Gladiatores non e Republ. in vniuerſum, quod plerique cenſent, ſeu e toto Orbe Romano Chriſtiano: verum per Orientem & Beryti quidem in Syria Phœnice, vbi hæc *lex* propoſita eſt, abolentur: Neque voluntarii tantum Gladiatores. ſed & damnatitii: Quæ duo alioquin Gladiatorum genera fuere, vt ex *hac leg. & duabus ſeqq.* liquet, & *l. 2. 8. 11. ſupr. de Pœnis: l. vnic. ſupr. ad leg. Fab. de Plagiar.* Non modo inquam ſponte ad gladium vel ludum auctorare ſeſe quis hac Conſtantini M. conſtitutione prohibetur (neque enim hæc *in ſeipſum poteſtas* iure tribuitur) verum etiam a ludicibus, ſcilicet pœnæ loco ad ludum dari, damnari, & ſic ludi pœna Beryti in Phœnicia *ea leg.* aboletur. Quod poſtremum tamen admittendum ſaltem videbatur, nam de his quæſitum. Certe hæc pœnæ ſpecies, vt ante Conſtantinum M. ita inter initia ipſius ante hanc conſtitutionem adhuc obtinebat; vt docent quoque *d. lex 2. ſupr. de pœnis:* & *d. l. vnic ſupr ad leg. Fab.* De his etiam Firmicus *lib. 7. cap. 8. Gladiatores efficient, ſed qui damnati ad hoc exitium transferantur:* qui quidem ſæpe libris ſuis de Gladiatoribus agit. Sed vt dixi, Conſtantinus hac conſtitutione, vt ipſemet loquitur, Gladiatores Omnino prohibitos ibi voluit: Et ſic vox *Omnino*, pertinet ad omne genus Gladiatorum. Hac addita *Ratione*, (quæ & Auctoratis & Damnatitiis communis eſt) Quod *cruenta ſpectacula in otio Ciuili & domeſtica quiete non placeant*; cuius rationis ſenſus quis ſit, videamus. Putet quis hunc eſſe, iucun-

Iucundum equidem hostis occisi spectaculum esse, oculosque cæde hostis pascere, & vt ille aiebat, *bene olere hostem occisum*: denique spectacula cruenta belli tempore atque in hoste placere: At, *sine bello* (vt Lactantius *Institut. Epitomes*, *cap. 63.* in hac ipsa re loquitur) Gladiatorum inter se commissiones omnino displicere. Neque enim P. Fabri interpretatio hic vllatenus admitteoda, *2. Sem. 10.* existimantis; verbis hisce indicari speciatim munera illa gladiatoria, quæ olim sub belli gerendi tempus edi solita a Ducibus (cuius moris alioquin meminit Spartianus *in vita Seueri*, & Capitolinus qui sub Constantino M. scripsit *in vita Maximi & Balbini c. 8.* vbi in eius moris rationem inquirit.) Hac enim Constantini constitutione, quocunque tandem pacis vel otii tempore, & quæcunque Gladiatoria spectacula damnantur: viceuersa, bellica spectacula cruenta non displicere sibi is inouit: hæc huius rationis sententia videtur: nempe Constantinus Gladiatores rebus pacatis esse vetuit, *in otio ciuili & domestica quiete*, ad differentiam Barbarorum seu hostium bello captorum, qui vt feris etiam obiiciebantur, ita & ad Gladiatorium ludum dabantur: Quod & porro factum Symmachi ætate: quod & Saxonum & Sarmatarum exempla apud eum ostendunt *lib. 2. epist. 46. lib. 10. epist. 61.* Nempe quod Iosephus ait, *lib. 19. Antiq. Iudaic. cap. 7.* huiusmodi Gladiatorum exhibitione τῷ τῦ πολέμυ ἔργῳ τέρψις εἰρήνης, voluptas pacis seu quietis & otii exhibebatur. Conuenit apprime & Manilius *lib. 4.* vbi duo cruentorum spectaculorum genera pacis tempore complectens, ferarum scilicet & Gladiatorum, sic scribit *v. 218. seq.*

In bellum ardentes animos & Martia castra
Efficit, & multo gaudentem SANGVINE CIVEM:
Nec præda quam CÆDE magis. cumque ipsa SVB ARMIS
PAX AGITVR, capiunt saltus, siluasque pererrant,
Nunc HOMINVM, nunc BELLA gerunt violenta ferarum:
Nunc caput in MORTEM vendunt, & funus arena,
Atque HOSTEM sibi quisque parat, cum BELLA QVIESCVNT;
Sunt quibus & simulacra placent, & ludus in armis, &c.

Ergo voluit Constantinus, vt pax seu otium ciuile ac domestica quies a bello, & ciuis discerneretur ab hoste: contra quam ille de quo Manilius, *lib. 5. v. 494.*

Cumque hominum dederit strages, dabit ille ferarum,
Nec pacem a bello, ciuem discernet ab hoste.

Et sic otium ciuile & domestica quies παραλλήλως dicuntur: vtque *otii* propria de pace: sic quoque *l. 2. de Veteranis: sub sæculi nostri otio & pace.* Otium denique pro securitate & felicitate, vt Seruius quoque notat.

Hæc porro illa est famigerata Constantini constitutio; Constantini, inquam, qui primus veneranda Christianorum fide Romanum muniuit Imperium: cuius meminerunt Auctor *Vitæ* Constantini *lib. 4. cap. 25.* Socrates *lib. 1. cap. 18. in prine.* Sozomenus *lib. 1. cap. 8. pag. 204.* Niceph. *lib. 7. cap 46.* Eodemque respexisse Lipsius *1. Saturnal. 12.* putabat Ammianum Marcellinum *lib. 14. c. 7.* vbi agens de Gallo Cæsare Antiochiæ versante, ait; cum *LVDICRIS CRVENTIS delectatum, & in Circo sex vel septem aliquoties ventis certaminibus PVGILVM occisum se contidentium perfusorumque sanguine specie vt lucratum ingentia lætatum.* Vbi Pugiles pro Gladiatoribus accipiendos, quomodo & Græci Gladiatores πύκτας, eosque πυκτεύειν dixere, verba quoque illa *VETITA certamina* ostendere videantur. Sed tamen de pugillatu proprie hunc locum recte explicabat Doctiss. P. Faber *1. Agonisticon 7.* & probauit Doctiss. Valesius *ad eum Marcellini locum*, quod vtique cruentum spectaculum fuit, vbi cestibus pugnantes sese mutuo descobinabant, vt Varro aliquis loquaretur, & vt Poetæ fidem faciunt, apud quos victus semper male multatus & cruentus abibat ex certamine: Antagonistarum quippe os, oculique ita miris modis deformabantur, difficile vt esset, ipsus post pugnam internoscere: de quo vid. eundem Fabr. *d. cap. 7.* Et quod *Vetita aliquoties certamina Pugilum* dixit Marcellinus, id non ad illam Constantini prohibitionem respicit; verum ad alias prohibitiones; nempe, vt coniicere liceat primum, si casus aliquis in Pugilatu extraordinarius eueniret, eum sæpe prohibitum, mox tamen exolescente memoria restitutum; vt discimus ex *l. 3. supr. de Scenicis.* Sed & eo allusisse potuit *Marcellinus*. quod Lacedæmonii vetabant suos Pancratio & Cestu decernere, vbi inferiorem ostendit Victi confessio, teste Seneca *5. de benefic. cap. 3.* Et Plutarchus ait certamina hæc tantum eoa ciuibus concessisse, ἐν οἷς χεὶρ ἐκ ἀνατείνεται, *in quibus manus non attollitur.* Quod itidem Seneca testatur *loco iam dicto*; vidensus & Cicero *Tusculan. 2. c. 16.* Ergo *aliquoties* vetita certamina Pugilum dixit *Marcellinus*, quæ vbicunque tandem aliquando vetita. Qua voce & sæpe alias vti solet. Sic *lib. 14. c. 1. Vt aliquoties celsæ Potestatis iras Principum molliuere int.* Græculo more, ἐνίοτε, ἔσιν ὅτε, ἐςιν ὅτε. Hanc certe constitutionem intellexit quoque Auctor Chronici Alexandrini, *his ipsis COSS. Paulino & Iuliano pag. 660. 661. Edit. Rader.* his verbis: καὶ τῶν τεχνιτῶν καὶ συντελεςῶν τὰ ἐπιτάγματα περιεῖλεν τῷ ἐικοςῷ τῆς αὐτῆς εἰκοσαετηρίδ(ος): *eodem anno vicesimo imperii artificum sodalitia sustulit.* vbi τεχνῖται καὶ συντελεςαὶ suot *Artifices* sese mutuo conficientes, id est Gladiatores: nam vt *Artifices* absolute quoque pro Gladiatoribus veluti apud incertum Auctorem *Panegyrici* ad Constantinum *cap. 19. in fin.* (vel pro Aurigis seu Agitatoribus Circensibus apud Plinium *lib. 7. cap. 53. in fin.*) Ita & συ{ν}τελεςαὶ sunt qui inter se committuntur, pugnantque: συντελεῖν est *conficere, consummare*: ἐπιτάγματα sunt *cohortes, sodalitia.* Quare grauis error est interpretis Chronici istius Alexandrini, qui *publicorum officiorum munera vel tributa* (a clericis scilicet) sublata ibi interpretatur.

Circa hanc porro Constantini constitutionem obseruari cupio, eam a Constantino promulgatam, eodem ipso Anno quo Concilium Nicænum habitum fuit: *Paulino* inquam *& Iuliano COSS.* post varias scilicet ad id Patrum exhortationes, forte etiam ipsorum Patrum Nicænorum, certe post Concilium Nicænum. Humaniter enim errauit Vir Doctus *III. Obseru. 7.* cum scriberet, ante Concilium Nicænum *hac leg.* a Constantino Gladiatorca prohibitos. Est enim hæc lex *PP. Beryto his COSS. Kal. Octobr.* Atque Concilium Nicænum iam finitum erat *VIII. Kalend. Sept.* vt testatur *Cresconii* collectio. Ex præscripto videlicet Legis Christianæ, cuius hæc sanctio est, cruenta spectacula in otio Ciuili & domestica quiete non placere. *Non placere*, inquam, id est non conuenire Religioni Christianæ. Et vero ideo primus Roman. Principum Constantinus

tinus Gladiatoria Spectacula submonuit. Nam vt maxime etiam Gentilium nonnulli crudele hoc & inhumanum Gladiatorum spectaculum iam olim damnarint, vt nescio quis apud Lucilium, *Sat. lib. 26.* (referente Nonio *cap. 2. voc. repedare 738.*) aliique apud Ciceron. *2. Tusculan. c. 16.* Etsi rursum in Rep. Rom. eo ventum, vt hæc spectacula coërcerentur, definitis videlicet iis, qui hæc spectacula edere possent, vel non possent, numero etiam Gladiatorum definito, supra quem ne habere aut dare liceret: coërcito denique sumptu ad munera. Item, etsi nonnemo Principum Gentilium hæc cruenta spectacula omnifariam temperauerit, vt de Marco Antonino refert Capitolinus, *in eius vita cap. 11.* & Dio *in excerpt. Xiphilin.* in eodem Marco, *pag. 371. Ed. Sylburg.* inter cætera iustis gladiatoribus rudibus dimicare. Attamen inueterata licentia perrupit omnia septa; seroque ad id ventum, vt Gladiatoria spectacula tollerentur: non a Nerua Imp. quem Zonaræ lapsum iam Lipsius recte notauit: non ab aliis Gentilibus Imperatoribus. Constantino M. igitur Christiano Principi hæc laus reseruata: ideo Sozomenus diserte *lib. 1. cap. 8.* *παρὰ δὲ Ρωμαίοις τότε πρῶτον ἡ τῶν μονομάχων ἐκωλύθη θέα, apud Romanos tunc primum interdicta sunt gladiatorum spectacula.* Soli scilicet Christiani vt sub Gentilibus Impp. Gladiatoria spectacula omnimodo exagitauere, (quod ex Tertulliano, Cypriano, Athenagora liquet) ita multo iam fidentius sub Constantino M. & ipso Christiano. Sane Lactantius, (Crispi Cæsaris Constantini M. filii Magister, quique paulo ante hanc constitutionem scribebat) *lib. 6. cap. 20. Institution. diuinar.* Constantinum haud obscure hortatur, ad ludos hos Gladiatorios tollendos, cuius verba hic apponere iuuat, quia ad rem omnino faciunt: *Spectacula*, inquit, *hæc publica non contemnunt: Itaque his & delectantur, & libenter intersunt: Quæ quoniam maxima sunt irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos animos potentissime valent, TOLLENDA SVNT NOBIS* (vel. vobis) *quia non modo ad beatam vitam nihil conferunt, sed etiam nocent plurimum: nam qui hominem, QVAMVIS OBMERITA DAMNATVM* (illud huic leg. maxime conuenit) *in conspectu suo iugulari pro voluptate computat, conscientiam suam polluit, tam scilicet, quam si homicidii quod fit occulte, spectator & particeps fiat. Hos tamen Ludos vocant, in quibus humanus sanguis effunditur: Adeo longe ab hominibus secessit humanitas, vt cum animas hominum interficiant, ludere se opinentur, NOCENTIORES iis omnibus, quorum sanguinem voluptati habent. Quæro nunc, an possint pii & iusti homines esse, qui constitutos sub ictu mortis, ac misericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, sed et flagitant, feruntque ad mortem crudelia & inhumana suffragia, nec vulneribus satiati, nec CRVORE contenti: quin etiam percussos iacentesque repeti iubent, & cadauera ictibus dissipari, ne quis illos dissimulata morte deludat: Irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter e duobus alter occisus est, & tanquam humanum sanguinem sitiant, oderunt moras: alios illis comparet dari postulant recentiores, vt quamprimum oculos suos satient: Hac consuetudine imbuti, humanitatem perdiderunt: Itaque non parcunt etiam innocentibus, sed exercent in omnes quod in MALORVM trucidatione didicerunt. Huius igitur publici homicidii socios & participes esse non conuenit eos, qui iustitiæ viam tenere nituntur: non enim cum occidere Deus vetat, latrocinari nos tantum prohibet, quod ne per Leges quidem publicas licet, sed ea quoque ne fiant monet, quæ apud homines pro licitis habentur.* Idem Lactantius *epitomes cap. 63. Quid tam horribile, tam tetrum, quam hominis trucidatio? Ideo seuerissimis legibus vita nostra munitur, ideo bella execrabilia sunt: inuenit tamen consuetudo, quatenus homicidium SINE BELLO ac sine legibus faciat, & hoc vt scelus vindicent. Quod si interesse homicidio sceleris conscientia est, & eodem facinore spectator obstrictus est, quo & admissor: Ergo & in his Gladiatorum cædibus non minus cruore perfunditur, qui spectat, quam ille qui facit: nec potest esse immunis a sanguine, qui voluit effundi: aut videri non interfecisse, qui interfectori & fauet, & præmium postulat.* Hactenus Lactantius.

Eo itaque tandem adactus fuit Constantinus M. iam Christianus, serio iam piis Patribus aures præbens, vt Gladiatorium ludum tolleret, & prohiberet; non quidem per totum Orbem Romanum (quod vulgo traditum) seu e Republ. Christiana; verum in Oriente, ac nominatim per *Phœnicen* Beryti, qui inter initia Imperii hactenus ludum hunc non-ludum tulerat. Et quidquid tamen Constantinus M. per Syriam Phœnicen (vbi ideo hæc lex *Beryti proposita* dicitur) sanxerit, Gladiatoresque omnino esse prohibuerit; attamen alibi vsurpati deinceps hi ludi: Et quidem, in proxima Syria-Cœle, Antiochiæ; cui rei testis Libanius Antiochenus, *de vita sua, p. 3. Edit. Morell.* vbi ludorum Gladiatoriorum meminit, quibus ipse quindecim annos natus (Anno D. 328.) quatuor post *hanc leg.* annis, spectandis Antiochiæ nuntium remiserit cum omnium admiratione: *ἀθεάτ@ ἔμεινα μονομαχιῶν ἐκείνων ἐν αἷς ἔπιπτόν τε καὶ ἐνίκων ἄνδρες, ὃς ἔφησθα ἂν μαθητὰς εἶναι τῶν ἐν πύλαις τριακοσίων: Spectaculi gladiatorum contemptor fui, in quo arenæ ludo viri cadebant & vincebant, quos diceret discipulos fuisse trecentorum, qui apud Pylas pugnauerant.* Additque hos ludos ab auunculo suo editos. Sane & in Italia, (quod docet Ambrosius *lib. 2. Officior. cap. 21*) & Romæ quoque Gladiatorium deinceps munus stetit, ludique pœna: vti docet exerte Constantii *lex 2.* Honorii *lex 3. hoc tit.* & Valentiniani *lex 8. & 11 supr. de pœnis:* nuo itidem *lex 3. infr. de Paganis*, quod Lipsius credidit (*ludorum* enim appellatione, Scenici ibi intelligendi sunt:) Itemque Symmachus non *vno loco*, inter cætera *lib. 2. ep. 46.* Prudentius *lib. 2. aduersus Symmachum* (loco quem mox consignabo) Augustinus *lib. 6 confession cap. 8.* vbi *Alypium Gladiatorii Spectaculi intuitu incredibiliter abreptum* scribit. Nempe Roma, vt cæteroquin veteris moris retinentior fuit, ita contumaciorem sese hanc quoque in partem præbuit: & modum tantum quendam huic rei adhibuere Christiani Principes, quibus alioquin Gladiatorium nomen detestandum esset: *l. 2. infr.* & in his Constantius, & Valentinianus Sen prohibito tantum certo hominum genere in ludum Gladiatorium auctorati damnatiue; puta Christianis & Palatinis: *d. l. 2. infr.* & *d. l. 8. & 11. supr. de pœnis:* Quapropter Prudentius A. D. 404 *d. lib. 2. aduers. Symmach. sub fin.* Honorium Romæ iam positum (de qua Honorii Romæ mora hoc Anno vide *Chron. Theodos.*) cohortatur ad ludos Gladiatorios Romæ penitus tollendos; votumque & preces apud Principem interponit pro tollendis iis. Sic enim de Virginibus agens scribit. p. 398

An quoniam podii meliore in parte sedentes,
Spectant aratam faciem, quam crebra tridente
Impacto quatiant hastilia, saucius & quam
Vulneribus patulis partem perfundat arenæ
Quum fugit, & quanto vestigia sanguine signet?
Quod genus vt sceleris iam nesciat aurea Roma
Te precor, Ausonii Dux Augustissime regni,
Et tam triste sacrum iubeas vt cætera tolli,
Perspice: nonne vacat meriti locus iste paterni?
Quem tibi supplendum Deus & Genitoris amica
Seruauit pietas: solus ne præmia tanta

Virtutis caperet, partem tibi nate reseruo,
Dixit, & integrum decus intactumque reliquit.
Arripe dilatam tua Dux in tempora famam:
Quodque Patri superest successor laudis habeto.
Ille VRBEM vetuit taurorum sanguine tingi,
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari:
Nullus in Vrbe cadat, cuius sit Pœna voluptas,
Nec sua virginitas oblectet cædibus ora,
Iam solis contenta feris infamis arena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.
Sit deuota Deo, sit tanto Principe digna,
Et virtute potens, & criminis inscia Roma,
Quemque Ducem bello sequitur, pietate sequatur.

Tandem igitur ROMÆ quoque sublati (sed non ante Anno D. 404.) ab Honorio Imp. Gladiatores: & quidem (vt prodit Theodoretus *lib. 5. cap. 26.* & ex eo *Tripartita* Auctor, *lib. 10. cap. 2.*) aliique Telemachi Monachi cuiusdam occasione, qui ex Oriente Romam profectus, Gladiatoresque Romæ pugnantes pio quodam ardore deducere conatus, a Spectatoribus lapidibus obrutus fuit: atque inde *νικηφόροις μάρτυσι* ab Honorio adscriptus.

Ex his ita distincte propositis, de Baronii quoque hac parte erroribus iam liquet: Liquet inquam, *Primo*, non vbique Gladiatores a Constantino M. sublatos, imo neque Romæ sublatos, sed in Oriente tantum. Proinde *Secundo* ex his liquet, non recruduisse eos Romæ, seu reditum ad Gladiatorum munera post Constantinum; quod etiam Lipsius putauit, & Petitus *III. Obseru. 7. pag. 343. 344.* Liquet *Tertio*, Imperatorum post Constantinum ante Honorium nullum Gladiatorios ludos Romæ *legibus* vetuisse: Proinde (quod *Quartum*) liquet non Theodosium M. Romæ ludos Gladiatorios sustulisse. Ac per consequens (quod *Quintum*) non recruduisse Romæ sub Honorio antea sublatos. Nam quod Baronius *Anno D. 395. num. 19. 26.* vt probet Gladiatores a Theodosio M. sublatos ex Martyrologio Romano notat de Almachio occiso a Gladiatoribus, atque adeo martyre sub Alypio P. V. eo quod Gentiles moneret, vt cessarent a superstitionibus idolorum & a sacrificiis pollutis, id nescio an cum narratione de Telemacho quicquam commune habeat: Theodoreto certe magis hic fides habenda. Quid enim *legi 3. infr.* faciet, quæ ostendit, sub Honorio aliquandiu adhuc ludum Gladiatorium Romæ stetisse Anno Domini 397. Imo quid Prudentio reponet, qui disertis verbis post Polentinam de Gothis Victoriam quam prosequitur, quæque congruit Anno D. 403. scribens ait, Theodosium cum Romæ ludos Gladiatorios non sustulisset, locum istum meriti vacuum filio Honorio reliquisse, seruasse. Ex his interim quoque apparet, ex *d.* inquam *l. 3.* & ex Prudentio humaniter errare Virum doctum *III. Obseruat. cap. 7.* cum illam de Talemachi Romæ cæde, atque exinde ludorum Gladiatoriorum ab Honorio factam prohibitionem refert ad Ann. D. 396. & 397. Neque moror *Tripartita* Auctorem, quem ipse laudat, qui id factum indicat ante Nectarii obitum Anno D. 397. 27. die Septembris: Nos enim scimus, quam male temporum ratio huic aliisque constare soleat. Quomodo idem Vir doctus eludat *legem 3.* ibi videbimus.

Cæterum obseruanda adhuc ad hanc *legem* nonnulla. Primo de loco, vbi hæc *lex* proposita dicitur: puta *Beryti*, nempe non eo tantum quod ea vetus Romanorum colonia, frequentissima Phœnices Ciuitas esset: vnde & postea factum (iam inde a Iuliani temporibus, vti *leges* non iam Tyri (quæ Metropolis alioquin erat) proponerentur, verum Beryti: vt exerte docet *lex 11. supr. de Tyronib.* vbi de hoc dixi plenius. Verum quia maiore animo ibi huiusmodi ludi ab antiquo ederentur. Iam inde ab Agrippæ Regis temporibus, qui Iosepho teste *Antiquitatum Iudaicarum, lib. 19. cap. 7.* sub Claudio Imp. excitato Beryti magnis sumptibus Amphitheatro magnifico, plurima ibi Gladiatorum paria exhibuit, commissis etiam inter se Damnatitiorum cohortibus: Locus est insignis, vbi inter cætera & ad locum ista: *ἐν δὲ τῷ ἀμφιθεάτρῳ πλήθει μονομάχων τὴν αὐτῦ δεικνὺς μεγαλόνοιαν: ἔνθα καὶ τὴν κατὰ πλῆθος ἀντίταξιν βουληθεὶς γενέσθαι τῶν θεωμένων τέρψιν, ἑπτακοσίυς ἄνδρας ἑπτακοσίοις μαχησομένυς ἔπεμψε, κακύργυς ὅσυς εἶχεν ἀποτάξας εἰς τὴν δὲ τὴν πρᾶξιν, ἵνα οἱ μὲν κολασθῶσι, τὸ πολέμυ δὲ ἔργον γένηται τέρψις εἰρήνης,* *in amphitheatrum vero ad ostentandam magnificentiam inductis plurimis gladiatorum paribus: volens deinde Spectatores oblectare etiam cateruatim commissis pugnatoribus, ex maleficis in hoc destinatis duas cohortes fecit septingentorum quamque hominum, vt illis per imaginem belli decernentibus, pœna noxiorum in pacis voluptatem verteret*, quæ postrema de *κακύργοις* seu Damnatitiis, quorum *supplicio belli species, pacis voluptatem exhiberet*, huic *legi* omnino respondent. Vide & quæ idem sub Nerone de Agrippa scribit, *lib. 20. cap. 8. p. 698.* sub Tito item *lib. 7. de bello Iudaico, cap. 20. in fin.* Vbi rursum agit de Iudæis captiuis per Titum Natali Patris Vespasiani *Beryti* ingenti numero in Spectaculo necatis, etiam per *ἀλληλοκτονίαν*. Ergo deinceps quoque proculdubio Berytus huiusmodi Gladiatorum spectaculis & commissionibus præaliis vrbibus indulsit: quæ causa *huius leg. proponendæ Beryti*. Post sublatum certe Gladiatorium ludum ibi, Berytus Circensibus & Scenicis floruit: vt testatur vetustus *Descriptionis Orbis Romani* Auctor *cap. 17.* Constantino M. paulo recentior, quem haud ita pridem extuli, e Græco versus. *Ecce similiter Ladicia Circenses & Tyrus & Berytus & Cæsarea: sed Ladicia mittit aliis ciuitatibus Agitatores optimos: Tyrus & Berytus mimarios: Cæsarea Pantomimos: Heliopolis Coraulas; maxime quod a Libano Musæ illis inspirent Diuinitatem dicendi: aliquando autem & Gaza habet bonos Auditores: dicitur autem habere eam & Pammacharios, Ascalon Athletas luctatores:* P. 399 *Castabetia Calopetas.* Nempe singulari obseruatione Scriptor ille sub Constantio Imp. designans, quodnam ludicri genus per singulas Syriæ ciuitates exerceretur, nullum MVNERIS Gladiatorii in Syria exhibiti mentionem facit. Et idem tamen *cap. 53* de Africa & Karthagine agens, *Munerum spectaculum ibi valde contentiose spectatum*, ait.

Secundo obseruari cupio temporis *huic legi* subscripti characterismum. Dicitur nempe hæc lex *PP. Kalend. Octobr.* vt & proxima lex *Data XVI. Kalend. Nouembr.* nempe ideo, quia paulo post, mense Decembri, munerum illorum Gladiatoriorum tempus cœpturum erat: quod etiam sub Constantini M. temporibus Kalendarium vetus Romanum ostendit: vbi eo mense crebra istius Muneris mentio fit, a *die* inquam *IV. Nonas Decembr.* ad *IX. Kalend. Ianuar.* quo hæc Spectacula desinebant: (vt Iulianus quoque docet, *Orat. sua in Solem. 4. pag. 156. Edit. Lips. Spanhem*) ita quidem, vt ibi noteretur Initium muneris; duoque distincta munerum istorum genera, alia scilicet quæ a Candidatis dabantur: alia quæ ab Arcariis qui de Arca fisci munera edebant, eaque parciora, teste Lampridio *in vita Alexand Seueri c. 43.* qui vtique hæc munera instituerat. Ergo Romæ Constantini M. quoque tempore Gladiatores exhibiti, quidquid in Oriente eos inhibuerit. Quare humaniter labitur Vir Doctus *III. Obseru. c. 7.* qui Constantinum

M. non

M. non fuisse huius Kalendarii Auctorem *huius leg.* argumento probat: quia tantum abest vt voluerit Constantinus Gladiatorum muoera e fisci sui arca populo dari, vt contra, ea *hac leg.* prohibuerit: Nam neque Kalendarii istius Auctotem Constantioum ipsum quisquam putare debet, vel hactenus putat: Et aliud est quod Romæ obseruabatur, & quod Coostantious *hac leg.* inhibuit per Orientem.

Notari tandem illud cupio, Constantinum M. Christianæ pietatis instinctu tria pœnarum genera sustulisse; Primo *Crucis*, de quo ad *l. 2 supr. de pœnis*, Secundo, Inscriptionis in Facie, *l. 2. supr. de pœnis*. Tertio & alicubi Damnationis ad ludum *hac leg.*

II. (a) Impp. CONSTANTIVS A. & Iulianus Cæs. ad Orfitum P. V. (b)

VNIVERSI, qui in Vrbe Roma gladiatorium munus impendunt, (c) prohibitum esse cognoscant, sollicitandi auctorandos (d) Milites, vel eos qui Palatina sunt præditi dignitate: sex auri librarum multa imminente, si quis contra temptauerit. Sponte etiam ad munerarium (e) adeuntes per Officium (f) Sublimitatis Tuæ ad Magistros (g) equitum ac peditum, aut eos (h) qui gubernant (i) Officia Palatina, oneratos ferreis vinculis (k) mitti conueniet: vt huius legis statuto Palatii (l) dignitas a gladiatorio detestando (m) nomine vindicetur. Dat. XVI. Kalend. Nouemb. Constantio A. IX. & Iuliano Cæs. II. Coss. (n) [357.]

N O T Æ.

(a) Abest *hac lex* a *Cod. Iustin.* nempe quis *Constantini* Constitotionem Iustinianus velut GENERALEM in *Codicem* suum retulit, cum *hac leg.* gladiatoria munera regulariter Romæ permittantur. *GOTHOFR.*

(b) *Orfitus* sub Constantio P. V. Romæ scilicet. Non vna huius Orphiti mentio apud Ammianum Marcellinum, & quidem in huius ipsius Anni 357. gestis, *lib. 16. cap. 10.* & *lib. 17. cap. 4.* vid. de eo plura *in Prosopogr.* *IDEM.*

(c) *Munerariorum* hæc descriptio est: de quibus mox. *ID.*

(d) *Auctorare* se dicuntur, qui se sponte ad ludum Gladiatorium pretio addicebant. *ID.*

(e) *Munerarius* hic, qui *supra* Gladiatorium munus impendere dicitur. Nam, vt *munus* proprie de ludis Gladiatoriis, ita qoi eos præbet ab ea voce *Munerarius* olim dictus. In *Glossis* alias generaliter *Munerarius*, *ἀγωνοθέτης*, quomodo Rufinus *Asiarcham* vertit: cuius vocis primum Auctorem facit Quintilianus Augustum *lib. 8. cap. 3.* Florus dixit *lib. 3. cap. 20.* *Muneratorem*, vbi de Spartaco: *Si de Gladiatore*, inquit, *Munerator fuisset.* *ID.*

(f) Nota *Officium* P. V. Romæ. *ID.*

(g) Puta milites, ad Magistros Equitum & Peditum. *ID.*

(h) Puta Palatinos, ad eos qoi gubernant officia Palatina. *ID.*

(i) Puta, Magistrum officiorum, Comitem domesticorum, Castrensem sacri Palatii, &c. *ID.*

(k) Ferreis vinculis vincti *Rei transmittebantur*: vid. & Ammianum *non vno loco*. *ID.*

(l) Adde, & *militia*. *ID.*

(m) Hinc & pro constitutio id cessit, *l. 3. in princ. D. de lib. & posth.* *ID.*

(n) His Consulibus, & quidem hoc tempore, adhuc Vrbis Romæ Episcopus erat *Felix*, in Liberii locum subuectus, vt ostendit, *l. 14. infr. de Episcopis.* *ID.*

C O M M E N T A R I V S.

CONSTANTII hæc constientio est, qua SOLLICITARI ad auctorandos se, Munerarii, vel AVCTORARE sese ad ludum Gladiatorium MILITES & PALATINI (seu Palatino officio præditi) Romæ prohibentur Ann. D. 357. *Auctorare*, inquam, id est vltro sese ad ludum vendere seo addicere; pœna Munerario proposita sex auri librarum, si quem Militem, vel Palatinum auctorandum sollicitauerit: Milite vero & Palatioo ipso sese etiam sponre auctorante ferreis vinculis vincto ad Magistros militum vel ad officia Palatina gubernantes, id est ad Magistrum officiorum retrahendo. Nempe milite, ad Magistros militum: Palatino, ad Magistrum officiorum: hic enim est, qui officia Palatina gubernabat: quod præter *hanc leg.* & ea quæ semel diximus de eo, *tit. de Quæstionib. de Magistris officiorum*, docet quoque *lex 4. infr. de his qui super Religione:* & Cassiodorus *VI. Variar. 6. in formula Magisteriæ dignis. Ad eum nimirum Palatii pertinet disciplina: ipse insolentium scholarum mores procellosos moderationis suæ terminis prospere differenat. Tam multi Ordines sine confusione aliqua componuntur*, &c. Nunc ad rem.

Nempe cum Gladiatorum *detestandum nomen* (vt

hac leg. Conſtantius id vocat) Romæ adhuc duraret (quidquid in Oriente Conſtantinus M. conſtituiſſet, *l. 1. ſupr.*) & ſic Roma hac parte veterem morem retineret, atque adeo Principes Gladiatoria ſpectacula quamlibet *deteſtanda* ibi ferre cogerentur; (quod *hac lex* apertiſſime oſtendit, itemque *lex tertia prox.* & *lex 8. & 11. ſupr. de pœn.* & Symmachus quoque *lib. 10. epiſt. 61.*) Satis viſum tantio ſi nonnullis ſaltem & honeſtis vitæ generibus ludo Gladiatorio ibi interdiceretur. Quod vtique factum, hac Conſtantii conſtitutione vt & duabus Valentiniani Sen. legibus *d. l. 8. & 11.* Itaque Palatinis & Militibus nominatim Gladiatorio ludo *hac leg.* interdictum: *Palatii* (adde *& Militia*, quod tamen hic vel breuitate Sermonis omiſſum, vel ſane intercidit:) dignitati a Gladiatorio nomine deteſtando vindicandis: Interdicto inquam ludo: ſic vt & ſolicitari & ſponte ſeſe auctorare vetentur: quod quidem duplex Gladiatorum genus fuit. Imo & poſtea iidem Palatini pro priuilegio prohibiti a Valentiniano *dd. ll.* ad ludum damnari ob crimen aliquod. Pariter vt Chriſtiani, de quo ad *eas leges* plenius. Atque ita alterum quoque Gladiatorum, *pœnalium*, inquam, *& addictorum* genus in Palatinis, Militibus, & Chriſtianis improbatum. Atque hi quodammodo primi gradus fuerunt, quibus paulatim Gladiatores Romæ aboliti, vſque quo Honorius tandem eos penitus antiquauit: de quo ad *l. prox. ſupr.* Cui ſimilem quendam progreſſum in Scenicis & Lenonibus tollendis *ſuis titulis* iam notabamus.

His ita perſpicue diſtinctis, apparebit deinceps, toto cœlo errare eos, qui Gladiatores *hac leg.* a Conſtantino penitus ſublatos ſcribunt. Nam imo Gladiatores *hac leg.* etſi *deteſtandos* eos vocat, in commune Romæ tolerantur, Palatini tantum & Milites, ea qua dixi ratione, in ludum deſcendere ſeque auctorare vetantur: quod alioquin vtrique facere ſoliti: quia & vtrique ξιφοφόροι, proceſſoſi (vt Caſſiodorus eos vocat) & armaturæ periti erant: ac proinde prono facilique exinde ad ludum tranſitu.

Illud ad *hanc leg.* adhuc notari cupio, hoc ipſo Anno paucis ante menſibus Conſtantium *huius leg.* Auctorem Romæ fuiſſe, *Orfito* (cui *hac lex* inſcribitur) Præf. iturum Urbis agente, Equeſtresque ibi ludos edidiſſe, dicacitate plebis oblectatum: de quo videndus vel Marcellinus *lib. 16. cap. 10.* Imo & Obeliſcum ſub hoc eodem Orfito P. V. Romæ erectum, eodem teſte *lib. 17. cap. 4.* Vti non inanis coniectura ſit, vel Conſtantium ipſum Romæ hunc auctorandorum ad ludum militum & Palatinorum abuſum comperiſſe, vel ab Orfito edoctum: atque ideo appetente poſt duos fere menſes tempore Gladiatoribus edendis, puta menſe Decembri, deſtinato *hanc leg.* edidiſſe.

III. (a) Impp. Arcadius & HONORIUS AA. ad Populum (b) Poſt alia.

SI quos e Gladiatorio ludo ad ſeruitia Senatoria tranſiſſe conſtabit, eos in extremas ſolitudines amandari (c) decernimus. Dat. (d) & PP. Romæ, (e) Cæſario & Attico Coss. (397.)

NOTÆ.

(a) Abeſt *hac lex a Cod. Iuſtin.* velut temporaria. Quænam autem *leges* ei iungendæ ſint: mox dicam. *GOTHOF.*

(b) Vrbis Romæ: quod & aliæ mox indicandæ *leges*, quæ *huic* coaſſandæ ſunt, oſtendunt, & huius ipſius ſubſcriptio *PP. Romæ. IDEM.*

(c) Antea *emendari*, male. *IDEM*,

(d) Vid. quæ de hac ſubſcriptione dico *in Chronico Theod.* Dat. pro Reddita. Neque enim hoc tempore Honorius Romæ fuit. *IDEM.*

(e) *VII. id. april.* hoc ſupplendum ex *l. vnic. quib. militantib. ad Vrb. acced. non lic. IDEM.*

COMMENTARIUS.

HONORII Imp. conſtitutio iſthæc eſt: eaque pars prolixioris Edicti Honoriani, quod ad populum Vrbis Romæ datum, atque in Vrbe Roma propoſitum fuit anno D. 397. menſe Aprili, unde tria adhuc fragmenta *hoc Codice* occurrunt; puta *lex 2. ſupra de habitu, quo vti oportet intra vrbem: Lex vnic. ſupr. quibus militantibus ad vrbem accedere non liceat: Lex vnic. ſupr. de Campo Martio*: quæ proinde *leges* omnes *huc* noſtræ coaſſandæ veniunt, ceu vnius & eiusdem conſtitutionis, ſeu Edicti partes.

Hac ſane *leg.* Honorius Gladiatores in Vrbe Roma e ludo Gladiatorio ad SENATORIA ſervitia tranſire vetat. Vbi obſcurum eſt, quanam occaſione, quoue fine id Honorius hoc Edicto prohibuerit. Quanam inquam occaſione Gladiatores ad ſeruitium Senatorum ſeſe contulerint: An quia Gladiatores Vrbe Roma eiecti? & ſi eiecti, an in totum ab Imp. Honorio? an ad tempus tantum? An vero in urbe retenti Gladiatores, alia de cauſa ad ſeruitium Senatorum ſeſe contulerint? Prius illud quis exiſtimet; nempe Vrbe Roma eiectos hoc tempore *in totum* Gladiatores velut formidabiles & pacem publicam turbantes; non vno Argumento. Primum, *argumento d. legis vnic. ſupr. quib. milit.* (quæ *huic* inter alias coaſſanda eſt,) quæ vtique docet, nonnullos alios quoque Vrbis Romæ acceſſu ab Honorio hoc ipſo *Edicto* in totum vetitus: puta agentes in Rebus, Palatinus, alioſque milites inferioris militiæ. Igitur & Gladiatores ab Honorio pariter Roma fugati videantur: Verum cum ſeſe Vrbe eiectos viderent, ad ſeruitia Senatorum migrare, ſeque conferre cœpiſſe, vt ita Senatorii ſaltem ſeruitii obtentu intra Vrbem manere poſſent: quibus ideo *hac leg.* pœna infligatur, puta vt non Vrbe tantum eiiciantur, verum & in extremas ſolitudines amandentur (id eſt, deportatione plectantur:) Quæ & ipſa pœna imponitur *d. l. vnic.* (quod ſecundum argumentum habeat quis:) Agentibus in rebus Palatinis, aliiſque ad vrbem accedere vetitis, eo accedentibus; vt & caſas & tuguria in Campo Martio ponentibus: *l. vnic. ſupr. de Campo Martio.* Igitur Gladiatores vrbe penitus exire iuſſi videantur ab Honorio hoc Edicto: atque ideo ne exirent, ſeruitium Senatorum ſimulauiſſe: Et hæc quidem ſententia *huius leg.* non

nullis

nullis videri possit. Atenim alii forte putent, exilio tantum temporario Gladiatores nunc exulare Vrbe iussos ab Honorio, tanquam otiosam turbam grauemque annonæ; & sic, ut cæteri, ita & hi ob fa-
P.401 mem quæ hoc anno Romæ ingruerat, ob occupatam videlicet a Gildone Africam (de qua alibi dixi:) Nempe ita Romæ mos cæteroquin fuit, vt ob formidatam alimentorum inopiam, tum peregrini, tum otiosa turba omnis, ab Vrbe præcipites pellerentur: de quo more vide Ammianum Marcellinum *lib. 14. cap. 6.* Themistium *orat. 6. pag. 160. Edit. Petau. Flexia 1613. 8.* Ambrosium *lib. 3. officiorum c. 7.* Libanium *Antiochico, p. 366. Edit. Morell.* vid. & quæ dico ad *l. vnic. supr. de mendic. non inualid.* Hoc igitur *Otiosa Turba* nomine visi videantur hoc tempore Gladiatores Honorio Imperatori, qui ideo, ne exirent, Senatorum seruitium ad tempus simulauerint: Seruos sane in vrbe retentos, etiam cum alii potiores, metu ingruentis famis pellerentur, conqueritur Ambrosius *d. lib. 3. officiorum, cap. 7. Quid illum eiicis qui te pascit? SERVVM retines, trudis parentem?* Similemque in simili eiectionis simulationem memorat Ammianus, *d. lib. 14. c. 6. Postremo ad id indignitatis est ventum, vt cum peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam pellerentur ab Vrbe præcipites, sectatoribus disciplinarum liberalium impendio paucis sine respiratione vlla extrusis, tenerentur Mimarum asseclæ veri, quique id SIMVLARVNT AD TEMPVS, & tria millia saltatricum ne interpellata quidem, cum choris totidemque remanerent magistris.* Verum neutra harum duarum sententiarum placere debet. Non placet, inquam, eiectos indicari in perpetuum hoc Edicto Vrbe Roma Gladiatores, quod tamen etiam Doct. Petitus voluit III. *Obseru. 7. p. 347.* qui hanc huiusce constitutionis sententiam putabat: nempe dissipatas iam antea seu sublatas Honorii *leg.* Gladiatorum familias cum nulla amplius eorum essent munera, ad Senatorias familias transisse: quandoquidem non ante Annum 404. Gladiatores Romæ prohibitos ex Prudentio iam ostensum est, ad *l. 1. supr.* Sed & ipsa *huius legis* verba aperte arguunt, nondum eiectos Vrbe Gladiatores, *Si quos*, inquit, *E LVDO GLADIATORIO TRANSISSE constabit ad seruitia Senatoria*: Ecce enim his verbis, ludum adhuc Gladiatorium stetisse aperte indicat; e quo non prohibiti fugerint, verum quo stante, vltro scilicet TRANSIERINT: id enim est ex aliquo siue loco siue ordine transire. Imo neque placet, eiectos *hac leg.* vel ad tempus, ob famem vrbis, etsi ea sententia magis blandiatur. Quid igitur? Gladiatores, mutata tantum conditione sua Gladiatoria, Senatorum seruitio sese addicere *hac leg.* vetiti, ne alioquin horum opera, ceu hominum audacium perditorum, & parabolanorum ad vim Senatores abuterentur: atque adeo ne his formidandum famulatum præberent, ad turbandam pacem & disciplinam publicam Vrbis. Qua sane ipsa ratione, Agentes in rebus, & Palatini, aliique similes, ipso cingulo metuendi, eodem *Edicto* in totum accessu Vrbis vetiti, *dicta lege vnica, quibus militantibus:* Qua item ratione Barbaricus habitus seu vestitus in Vrbe pariter eodem *Edicto* prohibitus: *d. l. 2. supr. de habitu:* ne alioquin Barbari aliquid turbulenti in Vrbe auderent, suorum numero confisi: qua ipsa ratione Politica Augustus olim Seruos peculiari veste Romæ vti noluit. Denique toto hoc *Edicto* (vnde hæc quoque *lex* desumpta est) Honorius Imperator paci & tranquillitati Vrbicæ consultum iuit. Notandæ igitur sunt duæ Honorii constitutiones in Gladiatores ab eo latæ: & hæc quidem prior, qua is Gladiatores è ludo Gladiatorio ad Senatoria seruitia transire vetuit, idque studio tranquillitatis publicæ: Altera vero, tempore posterior, qua Gladiatores in totum Roma pepulit; quæ illa iam constitutio est, cuius meminit Theodoretus, *lib. 5. c. 26.* & ex eo Author *Tripartita. lib. 10. cap. 2.* Postcaquam scilicet Prudentius Honorium Imperatorem Romæ tum agentem ad id hortatus fuisset, Anno Domini 404. Cuius verba retuli iam ad *legem 1. supr.*

Huic porro *legi* prout eam nos interpretamur, congruit omnino quod ex Cassiodoro discimus I. *Variar. 30. & 32.* Senatorum in Vrbe Roma seruos seu famulos in ipsis spectaculis, iniuriarum ministros fuisse, imo & ad cædes processisse: qua causa eo loci Theodoricus Rex Senatores monet, vt *refugiant tales familiares, qui sint iniuriarum ministri*, &c.

DE VSV SELLARVM.*

TITVLVS XIII.

* Adde, *& sedendi iure* (quo contemplatu *hic Titulus* hoc loco collocatus est) in Theatro, videlicet ludis spectandis: item adde, *conueniendi in publicum*.

I. (a) Impp. ARCADIVS, & Honorius A A. Claudio P. V. (b)

EXCEPTIS plebeis (c) scænicis, & qui spectaculo suo (d) præbuit populo materiam voluptatis, & Tabernariis, ceteris omnibus vsum sellarum, & sedendi, (e) ac conueniendi in publicum (f) tribuimus facultatem. Dat. VIII. Kalend. Ian. Constantinop. Arcadio IV. & Honorio III. AA. Coss. [396.]

N O T Æ.

(a) Abest *hæc lex a Cod. Iustin.* GOTHOFR.

(b) *Claudius* sub Arcadio Imp. P. V. Constantinopolitanæ scilicet. Eidem vero inscribitur hoc ipso Anno *leu. 8. supr. de pro-*

P.402 *proximis.* Hic Pater fuit Rutilii Claudii Numatiani, qui antea Consularis Tusciæ extitit, Anno D. 389. vt patet ex *l. 5. supr. de denunciat.* & memorat ipse Numatianus *Itinerarii sui lib. 1. v. 579. seqq.* Quique postea ex Comite Sacrarum priuatarum, & ex Quæstore, factus est Præfectus Vrbi, quæ omnia prædicat filius eius. *ID.*

(c) Plebeii Scenici qui? mox dicam. *ID.*

(d) Sustineri possit: sed malim *fur*, vt etiam est *l. 2. §. 5. de his qui not. infam.* Porro similiter Cornelius Nepos *præfat. In Scenam vero prodire & populo esse spectaculo*, &c. *ID.*

(e) In Theatro. *ID.*

(f) Curiam, Rostrum, Senatum, Balnea. *ID.*

COMMENTARIVS.

SELLARVM vsus, SEDENDIQVE, & in PVBLICVM conueniendi facultas solis Plebeis Scenicis, Ludiis, & Tabernariis hac Arcadii constitutione Anno D. 396. intra Vrbem Constantinopolitanam adimitur: cæteris omnibus relinquitur seu præbetur. Denique hæc tria sola hominum genera, tribus his interdicuntur: Sellæ vsus, sedendi, & conueniendi in publicum facultate. *Vilissima* scilicet hæc tria e plebe capita ab antiquo fuere: Ac nominatim *Scenici Plebeii:* de quo vide Paratitlon *de Scenicis*, vbi multa de eorum vilitate: Ammianus quoque Marcellinus *lib. 28. cap. 4.* nobilitatis & plebis Vrbis Romæ studia memorans, inter otiosæ & desidis PLEBIS studia cumputat studium in Scenicos, vilitatemque eorum repræsentat. *Nunc ad otiosam PLEBEM veniamus & desidem.* Et post: *Vnde si ad Theatralem ventum fuerit VILITATEM, artifices SCENARII per sibilos exploduntur, si quis sibi ære humiliorem non conciliauerit PLEBEM.* Vnde simul apparet, cur *Plebeii* Scenici *hac leg.* dicuntur: Nempe viles & quæstuarii, quique populo sui spectaculo præberent materiam voluptatis, vt mox subiicitur: Nam qui virtutis causa in certamen descendunt, ab his separandi sunt: *l. 1. §. 6. D. de postul. l. 2. §. vltim. l. 3. & 4. D. de his qui not. infam.* & Vlpianus apud Pariatorem *legum Mosaic. t. 9.* Item *de Scenicis* hæc apud Quintilianum *lex* occurrit *lib. 3. c. 6. Qui artem ludicram exercuerit, in quatuordecim primis ordinibus ne sedeat.* Eodemque pertinet Senecæ *epist. 44.* locus: *At*, inquit, *me hercule multis quatuordecim gradibus sunt clausi, non omnes Curia admittit.* Liuius quoque *lib. 7. cap. 2.* Scenicos tribu motos ostendit: & Cic. apud August. *2. de Ciuit. Dei c. 13. Cum*, inquit, *artem ludicram scenamque totam probro ducerent*, (Romani scilicet) *genus id hominum non modo ciuium reliquorum honore carere, sed etiam tribu moueri notatione Censoria voluerunt:* Et mox; *Romani hominibus scenicis nec plebeiam tribum, quantominus Senatoriam Curiam dehonestari sinunt.* Tertulliani cumprimis locus insignis *lib. de spectac. cap. 22. Quadrigarios*, inquit, *Scenicos, Xysticos, Arenarios damnant ignominia, & capitis minutione; arcentes Curia, Rostris, Senatu, Equite, cæterisque honoribus omnibus simul ac ornamentis.* Et alioquin notum est iam pœnæ genus vetustissimis Græcis vsurpatum in vilissima capita, Εἴργεσθαι τῆς ἀγορᾶς καὶ τῶν περιρραντηρίων, & apud Romanos *publico abstinere*, hoc est in publicum vt *hac lege* vocatur, conuenire, puta in fora, balnea, &c. quo pœnæ genere sæuitum & olim in Christianos, vt ex *Epistola Lugdunensium ad fideles Asiæ* liquet, quo etiam sæuiturus erat Iulianus Apostata, si vixisset, teste Gregor. Nazianz. *in prima, contra Iulianum pag. 94. Tom. I. Oper. Edit. Morell. Paris. & Coloniens.* Et hæc de Scenicis, quibus sellarum vsus interdictus Constantinopoli: At non & Equorum, vt testatur Chrysostomus *homilia 11. in 1. Timoth. c. 3. in fin. pag. 609. Tom. XI. Oper. Edit. Benedictin.* καὶ μῖμοι καὶ ὀρχησταὶ ἐφ' ἵππων φέρονται, καὶ οἰκέτην προτρέχοντα ἔχουσι, *mimi quoque & saltatores equis feruntur, & præcurrentem famulum habent* &c.

Tabernarii quoque inter vilissima capita censiti, eo potissimum quod ferme lenocinium exercerent alterius negotiationis accessione. *l. 4. §. 2. D. de his qui not. infam. l. 43. §. 8. 9. D. de rit. nuptiar. l. vlt. Cod. Iust. si mancip. ita ven.* ita Tertullian. quoque *lib. de fuga in persecutione c. 13.* eos coniungit Furibus & Aleatoribus: *In matricibus*, inquit, *beneficiariorum & curiosorum inter Tabernarios, & lanios, & fures balnearum, & aleones continentur.* Huc pertinet etiam *l. 1. supr. ad. leg. Iul. de Adulter.* vbi plura de his Tabernariis dixi.

Vilissima itaque capita & publico abstinere, & in publico *sedere* vetiti; *sedere*, inquam, id est, in Theatris sedere: de quo extat Martialis locus & iocus *lib. 5. Epigram. 14.* Sed & apud Tertullian. *lib. de Spectaculis. c. 22.* Ita quidem, vt si sederent a designatore *suscitarentur, seu excitarentur*, de spectaculis, quæ voces hac in re propriæ erant, Græci dicebant ἐξεγείρειν. Denique vt Tertullianus *superiore loco* dixit, cæteris & honoribus & ornamentis honestiorum arcebantur: cuiusmodi *hac leg.* quoque memoratur *Sellæ vsus.* Nempe *Sella* quæ Græcis proprie δίφρα, ὀκλαδίας δίφρα, *Sellæ quæ complicari possunt*, (quarum vsus primum a Claudio Imp. teste Dione *lib. 60. initio:* quæque a lectica diuersæ, digniores que erant: vt docet quoque *l. 49. D. de legat. 3. Martialis lib. 10. Epigram. 10.* meminit idem *2. epig. 57.* Sueton. *Domitiano cap. 2.*) fastus Romani, & nunc Constantinopolitani, eum maxime hoc æuo haud minima portio fuit. *Sella* hæc erat humilis gestatoria plicatilis, quæ in publicum prodeuntibus cum cætero comitatu pone aliquem ferri solita a seruis ἀκολούθοις, secutoribus, in qua si vellent defatigati *sederent*, quas ὀκλαδίας Græci dixere: *Iuuenalis Satyr. 7. vers. 140.*

> *Respicit hic primum qui litigat, an tibi serui*
> *Octo, decem Comites, post te an sit SELLA, togati*
> *Ante pedes.*

Athenæus *lib. 12. pag. 512. Edit. Casaubon.* ὀκλαδίας τε αὐτοῖς δίφρους ἔφερον οἱ παῖδες, ἵνα μὴ καθίζοιεν ὡς ἔτυχεν, *pueri sellas plicatiles eis ferebant, ne indecore sederent.* Hesychius: ὀκλαδίας θρόνος πλυκτὸς, καὶ δίφρος ταπεινὸς, ὃν οἱ ἀκόλουθοι φέρονται τοῖς εἰς τὰς ἀγορὰς ἐξιοῦσι πλουσίοις. Huius sellæ quoque gestatoriæ mentio apud Marcellinum *lib. 29. c. 2.* Synesius horum ipsorum temporum Scriptor ad Arcadium *huius leg.* Auctorem, *de Regno, p. 23. Edit. Petau.* quo loco queritur de Scythis seruis apud Romanos: τῶν τε ἀκολούθων οἱ τοὺς χθαμαλοὺς σκιμποδίσκους ὀκλαδίας ἐπὶ τῶν ὤμων ἀνατιθέμενοι, ἐφ' ᾧ τοῖς ἐωνημένοις (id est, τοῖς δεσπόταις, vt Aristophanes *Pluto*) ἐν ταῖς ἀγυιαῖς εἶναι καθίζεσθαι, Σκύθαι πάντες εἰσίν, *Pedissequæ qui sellulas humiles & plicabiles humeris imponunt, vt his etiam in via domini insidere possint, Scythæ omnes sunt.* Quo Synesii loco, non sero reponentem ex Hesychio & Procopio pro ἀγυιαῖς,

ἀγυιαῖς, ἀγυιαῖς: neque enim in foro tantum, verum etiam in viis sedendi mos hic fuit. Item *dicto* Synesii *loco* obseruandum, hanc sellam σκιμποδίσκον vocari, quod aduersus Lipsium recte annotauit Vir doctus Petauius *in not. ad Synes. pag. 11.* qui negabat σκιμπόδιον de sella vnquam dici. De his quoque locus est Procopii ἀνεκδότοις *cap. 9. pag. 28. Edit. Reg.* καὶ τὸ βάθρον ἐπὶ τῶν ὤμων ἀεὶ ἔφερεν, ἐφ' ἅπερ ἑκάστη ἐν τοῖς ξυλλόγοις καθῆσθαι εἰώθει, *humerisque subsellium detulit, cui illa insideret in circulis.* Videatur hic Nicolaus Alemannus. Harum igitur Sellarum vsu, vt & cæteris, de quibus supra, *hac lege* solis plebeiis Scenicis, Ludiis & Tabernariis interdicitur, cæteris omnibus horum vsu promiscuo relicto.

DE INFIRMANDIS HIS QVÆ SVB TYRANNIS AVT * BARBARIS ** GESTA SVNT. P.401

TITVLVS XIV.

Concordant huic Titulo duo alii, puta *tit. de bonis proscriptorum:* & *tit. de pœnis.* Absunt omnes *huius tituli* leges a *Cod. Iustin.* velut προσκαίρου.

* *Vel* MS. Goth. *ac* Sichard.

** Vnica *huius tit.* lex eo pertinet, puta *lex vltim.*

PARATITLON.

TYRANNI dicuntur & hostes publici, *l. 21. supr. de pœnis: l. 7. supr. de Metatis: l. 1. supr. de litor. & itiner. custod.* Item infausti Præsumptores in *l. vltim. infr. de Episcop.* Publici prædones, *l. 22. de bon. proscript.* Ab his & Tyrannica audacia, *l. 6. hoc tit.* præsumptio, *l. 11. supr. de indulg. crim.* & vsurpatio dicitur, *l. 8. hoc tit.* Tempora sæua, *l. 9. h. t.* infausta, *ibid.* Tyrannici temporis labes, *l. 12. h. t.* His profligatis, liberataque Tyrannidis iniuria Republica, multa publice sequebantur. *Primo*, Missis nuntiis, victoria vniuerso Orbi nuntiabatur, *l. 1. supr. de Veteranis: l. vltim. supr. ne quid publ. lætit. nunc.* *Secundo*, His nuntiis aliquid gratulationis nomine dari a prouincialibus solitum *d. l. vltim.* *Tertio*, Imo & Principi aliquid a Senatu ea occasione offerebatur, *l. 14. supr. de Senatoribus.* *Quarto*, Retro a Principibus ob lætitiam ex Tyrannide profligata indulgentia criminum omnibus reis sæpe data *l. vltim supr. de indulg. crimin.* *Quinto*, Inde (quod proprium *huius tituli* argumentum est) infirmata statim ab Imperatoribus, quæ sub Tyranno gesta fuerant *Rubr. hoc tit.* &c. Abolitæ inquam Tyranni Constitutiones, Leges, Rescripta, *l. 1. & 3. h. t.* Gestaque eius alia remota, submota, infirmata, *l. 2. h. t.* veluti statuta, seu iudicia: *l. 5. & 7. h. t.* sic quidem vt aliquando contra ius statuta vel rescripta tantum infirmarentur, *l. 3. & 5. h. t.* at non etiam legitime gesta, *d. l. 2. h. t.* puta legitima rescripta, *d. l. 3. h. t.* aliquando vero omnia promiscue: *l. 13. hoc tit.* Id vero factum, non modo statim post Tyrannos deuictos Edicto generali, veluti *l. 2. 5. 6. 7. 8. h. t.* Sed & annis aliquot post, pro nata videlicet occasione: vt *l. 3. 4. h. t.*

Sexto, Honores item ab eo gesti (veluti Patriciatus, Consulatus) fastis erasi, *l. 13. hoc tit.* & *l. 17. supr. de pœnis*: memoria eius priuatim publice submota *d. l. 13. h. t.* statuæ & imagines abolitæ, *d. l. 17.* *Septimo*, Honores item ab eo concessi (veluti Consulatus aliique) erepti, *l. 6. 8. 9. h. t.* *Octavo*, Res Principis ab eo perperam alienatæ, *l. 10. h. t.* reuocatæ. *Nono*, Bona eius & satellitum omnia apud quoscunque reperta fuissent, proscripta: *l. 14. 16. 18. 20. 21. 22. supr. de bonis proscriptorum, d. l. 17. 21. supr. de pœnis.* *Decimo*, Tempora ipsa Tyrannica, *l. 9. 11. 12. hoc tit.* & *l. 9. supr. de desertoribus:* & *l. 2. supr. de indulg. crimin.* (quæ

& saeva tempora: itemque *infausta tempora* vocantur, *d. l. 9. hoc tit.*) ac si non fuissent aestimari iussa, *d. l. 9. h. t.* & *d. l. 2.* *Vndecimo*, Deinde & *Iudicum* Tyranni gesta sententiaeque infirmatae, *l. 2. 5. 8. hoc tit.* At non etiam illa, quae sponte sub Tyrannis facta: *l. 2. hoc tit.* quae in placitum erant deducta priuatum, *l. 9. h. t.* veluti emancipationes, *l. 5. 8. 9. h. t.* manumissiones, *dictis legib.* & *l. 13. h. t.* pacta, transactiones, *d. l. 5. h. t.* seu quae conuentionibus pactisque finita fuerant, *l. 8. h. t.* contractus, veluti venditiones: Arbitrorum item iudicia, donationes, testamenta, *d. l. 9 h. t.* Quia in his omnibus voluisse sat iuris est: *l. 8. in fin. hoc tit.* item missiones causariae, honestae, *l. 9. supr. de desertoribus.* *Duodecimo*, Status quoque eorum qui per iniuriam temporum Tyrannicorum in seruitutem vel functionem aliquam, veluti nauiculariam, abrepti fuerant, reformatus; *supr. tit. de ingenuis qui tempore Tyranni seruierunt*: *l. 4. hoc tit.* *Decimotertio*, Indulgentia criminum etiam iis qui cum Tyranno fuerant quandoque data, *l. 2. 11. supr. de indulgent. crimin.* & *l 11. hoc tit.* exceptis criminibus nonnullis, veluti Veneficii, seu maleficii & Homicidii, aliisque, de quibus, *supr. titulo de indulgent. criminum.* *Decimoquarto*, Delatoresque emergentes repressi, *l. 1. 33. supr. de petit. l. vltim. supr. de calumniator*, *Decimoquinto*, At proscripti Comitatum vel Vrbem accedere prohibiti, *l. 20. supr. de poenis*: vt & eorum suffragio testimoniales adepti, *l. vltim. supr. de testimo-*
p. 494 *nialibus.* *Decimosexto*, Satellites quoque Tyrannorum legibus & poenis infectati Imperatores, de quo, vid. *l. 7. supr. de Metatis*: *l. 19. 21. supr. de poenis. l. 19. 20. 22. supr. de bonis proscriptorum*: *l. 3. supr. ad leg. Cornel. de Sicariis.*

Caeterum, Tyranni, ad quos *huius tituli*, aliorumque *hoc Codice* titulorum *leges* complures pertinent, hi sunt, seruato temporum ordine: sub Constantino M. MAXENTIVS, *l. vnic. supr. de Ingenuis qui temp. Tyranni*: *leg. 1. supr. de cohortalibus*: & LICINIVS, *l. 1. 2. 3. 4. hoc tit.* sub Constantio, MAGNENTIVS, *l. 5. hoc tit. l. 2. supr. de indulgent. criminum*; *l. 5. infr. de Paganis*: sub Gratiano & Valentiniano Iun. MAXIMVS, *l. 6. 7. 8. 10. hoc tit.* & *l. vltim. ne quid publ. laetit.* & EVGENIVS, *l. 9. 11. 12. hoc tit.* sub Theodosio M. TATIANVS, *l. 9. supr. de indulgent. criminum*: sub Honorio, GILDO: *l. 7. 9. supr. de Metatis*: *l. 16. 19. supr. de bonis proscriptorum*: *l. 19. supr. de poenis*: sub Arcadio, RVFINVS, *l. 14. 15. supr. de bonis proscriptorum*: EVTROPIVS, *l. 17. supr. de poenis*: sub Honorio rursum STILICO cum filio EVCHERIO, *l. 20. supr. de poenis*, *l. 20. 21. 22. supr. de bonis proscript.* ATTALVS, *l. 11. 12. supr. de indulg. criminum*: *l. 2. de litorum & itiner. custod* MARCHARIDVS, *l. 18. supr. de bonis proscript.* HERACLIANVS, *l 13. hoc tit.* & *l. 21 supr. de poenis*: sub Valentiniano Tertio, IOANNES, *l. vltim. infr. de Episcopis*: quo respiciunt & *l. 33. supr. de petitionibus*: *l. 14. supr. de Senatorib.* Ex his omnibus, tres hi Tyranni ad GALLIAM pertinent, MAGNENTIVS, MAXIMVS, EVGENIVS, & in partem quoque STILICO: qui sane Tyranni vel ab Imperatoribus ipsis interfici iussi, vel ad id necessitatis adacti fuerunt, semet vt interficerent.

II. BARBARIS quoque profligatis, quae sub his gesta infirmari solita, *Rubr. hoc tit.* & *ἀμνηστία* promulgata, *l. vltim. hoc tit.*

I. (a) Imp. CONSTANTINVS A. ad Constantium (b) PF. P.

REMOTIS LICINI (c) Tyranni Constitutionibus & Legibus, omnes sciant, veteris iuris, & statutorum nostrorum obseruari debere sanctionem. PP. (d) XVII. Kalend. Iun. Crispo III. & Constantino III. Caes. Coss. [324.]

NOTAE.

(a) Abest *haec lex a Cod. Iustin.* velut historica. GOTHOFR.

(b) Eidem *Constantio PP.* inscribitur Anno prox. 325. *lex 11. supr. de Decurion.* & Ann. 327. *lex 2. supr. famil. ercisc.* An idem cum eo, cui inscribuntur Ann. 315. *lex 1. supr. de curs. publ.* & *l. 1. de cohortalib.* ID.

(c) *Licini*, id est Licinii: quae orthographia *huius Codicis*: vide nominatim *l. 10. supr. de Murilegulis.* ID.

(d) Locus vbi *haec lex* Proposita, omissus. ID.

COM-

COMMENTARIVS.

Licinivs (ad quem pertinat *hac lex* cum tribus sequentibus a. 3. 4.) a Maximiano Galerio, in Imperii societatem, Anno D. 307. a Constantino M. in affinitatem (sorore videlicet Constantia ei desponsa) adscitus Anno D. 312. variis mox a Constantino præliis, apud Cibalas nominatim (Pannoniæ oppidum) victus, atque aliquot Provinciis Anno D. 314. ab eo exutus fuit: Pax inde, ascito etiam Liciniano, Licinii filio Cæsare, Anno D. 316. At rupta post pace, Anno D. 323. Hadrianopolitano primum in Thracia bello, V. Kal. Iulias: mox & Chalcedonensi XIV. Kalend. Octobris eiusdem Anni infractus a Constantino Licinius, vt docet *lex 1. supr. de Veteranis* (vbi vid. quæ notaui) Nicomediæ tandem Imperio penitus exutus, Thessalonicæ in Macedonia hoc Anno 324. occisus fuit: vt ex Historiæ Ecclesiast.cæ Scriptoribus vtroque Victore, Eutropio, Hieronymi *Chronico*, Zosimo, *Fastis*, siue *Siculis*, siue *Alexandrinis* constat: de quo plenius ipsi egimus ad *d. l. 1. supr. de Veteranis*.

Eo igitur profligato, *leges* eius partim iuri veteri, suis partim constitutionibus contrarias Constantinus M. *hac lege* abrogatum iuit. De *legibus* sane Tyrannorum aduersus Christianos latis, a Constantino M. abrogatis, auctor est Sozomenus, *lib. 1. cap. 8.* Κωνςαντῖνος, inquit εἰς μόνον αὐτὸν πάσης τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς περιςάσης, ΓΡΑΜΜΑΤΙ ΔΗΜΟΣΙΩ ἄκυρα εἶναι ἐψηφίσατο τὰ κατὰ τῆς θρησκείας δόξαντα ἢ πεπραγμένα ἐπὶ τῶν διωξάντων τὴν Ἐκκλησίαν, &c. id est, *Constantinus cum iam solus vniuerso Imperio Romano potiretur*, *EDICTO PVBLICO statuit, vt irrita essent quæ circa superstitionem decreta actaque ab Ecclesia Persecutoribus fuissent:* vid. & auctorem a. *de vita Constant. c. 43.* Nempe mos hic Principum, deuictis Tyrannis ab his contra ius rescripta, vel statim, vel haud ita multo post, datis occasionibus, infirmare. Quod vt ab aliis Principibus factum, ita & a Constantino M. nominatim *huius leg.* Auctore, vt Licinio iam deuicto *h. & seqq. ll.* ita & prius Maxentio deuicto, *l. 1. sup. de diu. rescript.* vbi vide quæ dixi. Igitur & *hac lege* iniustæ Licinii *leges*, cum Veteri iuri (vt hic nominatim dicitur) tum Constantini M. statutis aduersæ, abrogantur; nam iustæ nihilominus mansere: quod etiam nominatim expressum *l. 2. 3. infr. hoc titulo.* Inde & Licinii quoque *lex 2. supr. de censu*, in hunc *Codicem* relata extat. Iniustas vero nonnullas Licinii constitutiones tres inter alias memorat Eusebius *fine historiæ Eccles. cap. penult.* & Auctor *lib. 1. de vita Constantini, cap. 54. 55.* Nempe Primo, ne carcere clausis aliquid alimenti quisquam propinquorum aliorumue inferret. Secundo, τὰς περὶ γάμων καινοτομίας, *nouas de Nuptiis leges.* Tertio, τὰς ἐπὶ τοῖς τὸν βίον μεταλλάττουσι νεωτερισμούς, *nouas circa morientes sanctiones.* Quibus Veteres Romanorum *leges* præclare & eximie positas refringere ausus est, τοὺς ΠΑΛΑΙΟΥΣ Ῥωμαίων εὖ καὶ σαφῶς κειμένους νόμους. Qui locus *huic legi* eiusque verbis apprime conuenit.

II. (a) Idem A. ad (b) vniuersos prouinciales.

Tyranni (c) & Iudicum eius gestis infirmatis, nemo per calumniam vel id (d) quod ipse sponte fecit, (e) euertere, nec quod legitime (f) gestum est. Dat. Prid. Id. Febr. Paulino & Iuliano Coss. [A. D. 325.]

N O T Æ.

(a) Abest & *hac lex* a *Cod. Iustinianeo.* GOTHOFR.

(b) *Edictum* istud est ad vniuersos Prouinciales. *ID.*

(c) Licinii, qui superiore Anno 324. interfectus: de quo vid. notata ad *l. 1. supr.* *ID.*

(d) *vt. velid* pro *velit:* orthographia Codicis Theodosiani, & compulsis in vnam vocem literis. Ceterum, *Velit euertere*, pro *euertat.* Ita *iussisse*[illegible]*isse velit*, pro *iubeat*, *faciat*, formula solemni in legibus. Varro *humanarum lib. 20.* apud Nonium in *v. spurcum c. 4. n. 425.* *Ne quis lictorem (spurcum hominem) liberum prehendere* IVSSISSE VELIT. Itaque errant, qui hanc legem mutilam putant: Similis menda in *l. 19. infr. de Iudæis*, vbi pariter pro *vel* restituo *velit.* *ID.*

(e) Vid. *leg. 5. 9. 13. infr.* *ID.*

(f) Vid. *leg. 3. infr.* *ID.*

COMMENTARIVS.

Et hoc Constantini M. Edictum est de Licinio Tyranno. Atque vt superior est de *legibus* & Constitutionibus Licinii, ita hæc de aliis Gestis, siue ab eo, siue a Iudicibus eius, siue sub eo: De quorum Gestorum validitate & inualiditate agit *hac leg.* Constantinus M. Sic etiam olim Athenis, cum sæpe mutasset Atheniensium status & πολιτεία, lata lex, ὅποσα ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἐπράχθη, ἢ δίκη ἐδικάσθη ἰδίᾳ, ἢ δημοσίᾳ ἄκυρα εἶναι, *quæcunque sub triginta Tyrannis acta essent, vel iudicata essent, vel priuatim vel publice, irrita essent:* de qua Demosthenes ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους: & Andocides, ἐν τῷ περὶ τῶν μυστηρίων: Æschynes, ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχου. Igitur Gesta a Licinio eiusque Iudicibus infirmari vult. *Gesta*, inquam, in Republ. actaque. Primo ab iis, quæ etiam ferme in gesta & Acta relata. Secundo; At enim non ideo infirmari vult ea, quæ sva his gesta vltro seu sponte, vel quæ legitime gesta sunt. Scilicet cum infirmatis semel Licinii gestis hanc quoque occasionem multi arriperent, legitime sub eo sponteque a se gesta reuocandi, Constantinus M. huic rei hoc Edicto occursum iuit: vbi definit aliam omnino rationem esse eorum, quæ sponte a Prouincialibus sub Licinio gesta fuerant: veluti Emancipationum, Manumissionum, Transactionum, Donationum, id genus aliorum, (Quæ ipsa sententia est *l. 5. 8. 9. 13. infr. hoc tit.*) Aliam vero Tyrannice gestorum a Licinio ipso, vel Iudicibus eius. Vnde iam

iam apparet, non oportuisse *hanc leg.* a Baronio cum *superiore leg.* commisceri; multo minus ab eo id statui, Constantinum M. nunc sanioris mentis effectum, superius Edictum *hac leg.* temperasse: Nam imo *lex* superior, vti dixi, est de *legibus* & Constitutionibus Licinii: hæc vero, de aliis eius gestis (Etsi de vtriusque idem vtraque *leg.* statuitur:) vt & de his quæ sub eo gesta sponte a priuatis: de quibus nihil *ea leg.* agitur.

III. (a) Idem A. Antiocho PF. Vigil.

QVæ Tyrannus (b) contra ius rescripsit, non valere præcipimus: legitimis (c) eius Rescriptis minime impugnandis. Dat. (d) VIII. Id. Iul. Rom. Constantino A. VII. & Constantio Cæs. Coss. [326.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iust.* Iungendaque ei videtur *lex.* 4. *prox.* *GOTHOFR.*

(b) Licinius; de quo fuerunt quoque duæ *leges* superiores. *ID.*

(c) vid. *leg.* 2. *supr. hoc tit.* *ID.*

(d) *vg. Datum Id. Iul.* Hanc porro singularem subscriptionem mox expendo. *ID.*

COMMENTARIVS.

A LICINIO Tyranno contra ius rescripta non valere: legitima contra minime impugnanda, definit *hac leg.* rursum Constantinus M. Anno D. 326. Ipsa scilicet Temporum ratio ad *Licinium* Tyrannum *hanc leg.* pertinere suadet: etsi ad *Maxentii* Tyrannidem hæc *lex* referenda potius cuipiam videri possit. Cum enim *Vrbis Romæ* Magistratui, puta Præfecto Vigilum ea inscribatur, Licinio tribui ea non posse videtur: quippe qui nullum vnquam Romæ ius habuerit. Imo, ita quoque quis existimare possit, *legem* hanc ad *Magnentium* Tyrannum spectare: atque ideo *legem* hanc non Constantino, verum *Constantio* tribuendam: ac proinde lapsos *huius Codicis* Compilatores, atque in errorem inductos, ex Consulatu subscripto: de cuiusgeneris alioquin erroribus *in Prolegomenis ad hunc Codicem.* Cui argumentum præbeat ipsa inscriptio: quippe cum hæc lex *Præfecto Vigilum* (qui Græcis νυκτέπαρχος: de quo ad *l. vnic. supr. de his qui ven. æt.*) inscribatur: vnde quoque suspicio enascitur, a Tyranno (de quo in spec. *huius leg.*) Nocturna sacrifica quæ Romano iure Romæ ferme prohibita erant, conciliandis sibi magis magisque Gentilium animis, concessa fuisse: Atquin hoc a *Magnentio* Tyranno factum Romæ, testatur diserte *lex* 5. *infr. de Paganis:* vbi dicam plenius. Quo Argumento vno de pluribus hanc *legem* ad Magnentii Tyrannidem quis retrahat. Et tamen, his non obstantibus ad *Licinium* Tyrannum *hanc leg.* referendam, atque adeo Constantino M. eam vindicandam, denique Consulatum recte ei subscriptum censeo. Nempe vt hoc ipso Anno, mense que, *lege proxime sequente* 4. Constantinus M. *Senatorum* recensum a Licinio Tyranno turbatum, Senatui & Præfecto Vrbis committit (qui vtique Præsul Senatorum erat:) ita turbatum ab eodem Licinio *Equitum* recensum, *hac leg.* Præfecto Vigilum committit: nam & hic Equitum Rom. qui per Orbem Rom. sparsi erant, Præsul erat. Vnde & ante biennium idem Constantinus M. *l. vnic. supr. de his qui veniam ætatis:* Venia ætatis impetrata, vt Senatores apud officium Præfecti Vrbis, de suis moribus & honestate perdocere iussit, ita & Equites Romanos apud Præfectum Vigilum. Neque dubito, quin *hæc lex* 3. & *l.* 4. *prox. infr.* inter se coassandæ sint. Denique pertinet hæc omnino *lex* ad instantem mox moxque secuturam Idibus Iuliis Equitum Rom. transuectionem in Capitolium: de quo mox.

Sed neque singularem *huius leg.* subscriptionem omitti velim: Scilicet *Data* ea dicitur *ROMÆ, VIII. Id. Iul.* Nempe hæc illa postrema est Constantini M. apud Vrbem Romam, Syluestro Episcopo Romæ, mora. Vbi & Hieronymus, *in Chronica*, (illustri alioquin loco) Vicennalia Constantini hoc Anno edita scribit, cum superiore Anno 325. iam Nicomediæ ea facta fuissent: *Vicennalia*, inquit, *Constantini Nicomediæ facta, & sequenti Anno Romæ edita.* Nempe Vicennalia Nicomediæ vicesimo Imperii Constantinianei Anno cœpto facta, & sic Anno 325. eo ibi præsente (de qua alioquin Constantini eo Anno Nicomediæ mora, fidem facit *lex* 4. *supr. de accusationib.* & Epiphanius *hæres.* 48. siu. 68. *n.* 6. *p.* 721. *Edit. Coloniens.* Atenim absoluto iam Anno vicesimo eadem Vicennalia Romæ edita, occasione aduentus seu præsentiæ Constantini M.* Ad quem eius Romam aduentum referendum est, quod in Kalend. Heruagiano adscriptum ad *XII. Kalend. Aug. ADVENTVS DIVI.* Sed & huius Constantinianei Romam Aduentus, & in Vrbe Roma moræ meminit Auctor *Chronici Alexandrini.* Male tamen sub *Ianuario & Iusto COSS.* id est Anno 328. *pag.* 662. 663. *Edit. Rader.* ** metachronismo videlicet bienni, ἐπὶ τῶν προκειμένων ὑπάτων, Κωνσταντῖνος ὁ ἀοίδιμος βασιλεὺς ἀπὸ Ῥώμης ἐλθὼν, καὶ διάγων ἐν Νικομηδείᾳ μητροπόλει τῆς Βιθυνίας, ποιήσας πρόκενσα ἐπὶ πολὺν χρόνον ἐν τῷ Βυζαντίῳ ἀνενέωσε τὸ πρῶτον τεῖχος τῆς Βύζου πόλεως.

* Vicennalia Imperii Augustei a Constantino *anno* 326. Romæ celebrata sunt. Falsa est enim opinio vulgaris, quæ docet Constantini Vicennalia *anno* 325. Nicææ exhibita, sequenti anno Romæ repetita fuisse. Nemo enim Cæsarum aut Imperatorum Decennalia, aut Vicennalia semel edita iterum celebrauit, quod docuit accurate *ANT. PAGIVS differt. hypat. art.* 2. *cap.* 7. *in fin.* & in *Critic. ad Annal. Baron. anno* 326. n. 2.

** Male redarguit Gothofredus Auctorem Chron. Alexandrin. cum eius narratio omnino copulanda sit cum *Anno* 328. quod & ipse fecit recte in *Chronico histor.* eius anni. Constitit enim Constantinus M. *anni* 326. *initio* in Thracia vel in Macedonia, mox in Pannoniam profectus est, inde in Italiam abiit, Romæque fuit mensibus Iulio, Augusto & Septembri, reuersurusque in Pannoniam, Spoletum Mediolanumque transiens, sub huius anni finem Sirmii fuit, docente *leg.* 5. *supr. de lar. fisc.* Quomodo ergo hoc anno vel Nicomediæ vel Byzantii esse potuit? imo neque anno sequente ibi fuit. Accuratus itaque est auctor Chron. Alexandr. vid. etiam *ANTON. PAGIVM in Crit. ad Annal. Baron. ad an.* 326. *n.* 16.

lianus, *his Coss. Constantinus laudatissimus Imperator Roma profectus, & Nicomedia Bithyniæ metropoli moratus, sæpeque Byzantium profectus primum Byzantii murum instaurauit.* Imo tandem eiusdem meminit & Zosimus *lib. 2. cap. 29.* vbi haud obscure tempus illud indicat. Nempe postquam Licinio necato vniuerso Imperio Romano Constantinus potiri cœpit, posteaquam etiam Crispum F. & Faustam coniugem interfecisset. Imo idem Zosimus signate Constantini moram Romæ in diem, quo *Transuectio* Equitum in Capitolium seu Probatio Equitum Romæ celebrabatur, incidisse, nuncupatis verbis prodit: cæterum dies hic erat IOVI IVLIÆ, vt ex Liuio, Valerio, Plutarcho, Plinio, Auctore *de viris illustribus* contestatissimum est: quo & hac ipsa Constantini M. tempestate, ex *Kalendario Romano Veteri*, quod tum scriptum: vbi hæc habentur mense Iulio: *Idib. Iul. Equit. R. Prob.* id est, *Equitum Rom. probatio*, non quomodo interpretatus Adr. Valesius *de gestis Vet. Franc. lib. 1. pag. 16. Equorum Italicorum proborum.* Et vero per has ipsas Idus Iulias Romæ hæc ipsa *lex* nostra data est. Sic enim habet, subscriptio *Dat. VIII. id. Iul. Romæ*: vt & sequens quoque exerte, *Dat. Id. Iul.* quæ ad Senatum Vrbis Romæ, data: qui dies ipse transuectionis fuit: indeque iam huius forte subscriptio emendanda. Quod etiam Historicum *huius leg.* Argumentum, quod paulo ante indicaui, egregie confirmare videtur: Nempe, cum paucos intra dies Transuectio Equitum Romanorum, ab æde Honoris in Capitolium, Romæ celebranda esset eius occasione hæc *lex ad præfectum Vigilum* data videtur, qui Equitibus, Romanis præerat, vt antea ostensum est. Zosimi verba hæc sunt: τῆς δὲ πατρίου καταλαβούσης ἑορτῆς, καθ᾽ ἣν ἀνάγκη τὸ στρατόπεδον ἦν ἰέναι εἰς τὸ Καπετώλιον, ἀνέδην ἐνυβρίζων ἀναιδῆ, καὶ τῆς ἱερᾶς ἁγιστείας καταστήσας ... μῖσος τὴν γερουσίαν καὶ τὸν δῆμον ἀνήγειρεν, *quum dies more patrio festus adpetiisset, quo in capitolium equitatui adscendendum erat, cum adsensum verbis contumeliosis imprudenter insectans, & a ritu sacrorum recedens, senatus atque populi odium incurrit.*

Hæc denique illa est Constantini M. Romæ mora etiam mense Augusto, quod suadet subscriptio *l. 3. supr. de bonis vacant*: cum *hac leg.* collata quæ Romam Constantino M. inconciliauit, ob contemptum videlicet Gentilitiæ Religionis, & vt videtur detracta loca Templorum: quo omnino refero *d. l. sup. de bonis vacantib.* adeo vt exinde Constantinus M. nouæ vrbis, Romanæ Vrbi æmulæ, condendæ impetum cepisse videatur, eamque suis ornamentis, etiam *Palladio*, spoliasse, viceuersa, omnia decora Romanæ similia, etiam Palatium æmulum Constantinopoli contulisse: secutis haut minima parte, Vrbis Romæ Senatoribus. De quo vid. Zosimum *lib. 2. cap 30. 31.* Sane & Libanii locus *Orat. ad Theodosium* Μ. ἐπὶ ταῖς διαλλαγαῖς huc pertinet, qui extat *tum tomo 8. Chrysostomi, Sauilian pag. 133. tum tomo 2. Libanii, pag. 412. Edit. Morell.* vbi Clementissimis Principibus Clementiam Theodosii M. præferens, hæc de Constantino Magno deque contutus in Constantinum M. Romæ iactatis scribit: λείπεται δὴ κἀκεῖνος τῶν σῶν δὴ τοῦτο, ὃ τῇ Ῥώμῃ μὲν ὁμώνυμον ἐγείρας πόλιν, τὸ σχῆμα δὲ τὸ ἐκείνης ἅπαν εἰς ταύτην εἰσαγαγών: εὐδοκιμῶν δὲ τῷ τῶν Ῥωμαίων δήμῳ συγγνῶν ἀγροικισαμένῳ τι ῥῆμα: τὰ μὲν γὰρ ἰσχυρῶν ἤνεγκεν, ἔργον δὲ οὐδὲν προσῆν, οὐδὲ κατ᾽ εἰκόνος ὕβρις. καί τοι πολλοί γε ἑστήκεσαν ἐκείνῳ, αἷς οὐχ ὅπως χεῖρα ἐπήνεγκαν, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὅσον εἰς βλέμμα παροινίας ἔρχεται, φαίνονται λελυπηκότες. ἐκεῖ ἐνταῦθα μὲν καὶ ῥήματα, καὶ ἔργα, ἐκεῖ δὲ τὸ ἔλαττον μόνον τὰ ῥήματα, οὕτω τοῦ βραχυτέρου μὲν ἐκείνῳ κοινωνεῖς, κοινωνὸν δὲ ἐκεῖνον τοῦ μείζονος οὐκ ἔχεις. *In hoc etiam ille qui Romæ cognominem instaurauit ciuitatem, tuis cedit laudibus, ornatum omnem in hanc suam vrbem introduxit, etiam ex eo sibi famæ celebritatem comparauit, quod populi Romani agrestes mores & contumeliosa quadam pertulerit: etiam benigne fecit id tolerando, sed nullum populi flagitium accesserat, nulla in imaginem contumelia tametsi multa illi erecta fuissent, quibus tantum abest, vt Romani manum intulerint: vt nullam eis videantur molestiam exhibuisse, qua in conspectum venerit, cum vlla petulantia specie. Igitur hic & vestra contumeliosa & acta scelerata fuerunt: illic autem dicta tantum liberiora, quod leuius ac minus est. Ita in communionem eius, quod minimum est, cum illo venis, sed illum participem eius, quod grauius est, non habes.* Tandem hæc illa est Vrbis Romæ & Constantini M. simultas, de qua cum multa multi Scriptores dixissent, & exinde de *Constantinopoli* ab eo erecta, item de *Palatio*, Romanæ Vrbis Palatio æmulo ibi excitato, sane longo post interuallo aliquammulta in famosam illam *Constantinianam donationem* translata videri possint. Nam & in subscriptione haud abludit, tum locus, tum COSS. *Datum Roma sub die Kalend. Aprilis D. N. Fl. Constantino A. IIII.* (scriptum oportuit VII.) *& Gallicano, CC. VV. COSS.* Non abludit *Transuectio Equestris illa Ep. Romam*, in qua Stratoris officio Pontifici Siluestro Constantinus M. functus dicitur. Non abludit *Palatii Romani* Romæque in iura Ep. Romani transcriptio: non omnis illa *processionis pompa*, de qua ibi. Denique neque Consilium, quod ibi memoratur de *transferenda sede Imperii in Byzantiam Prouinciam.*

Vt ad *huius leg.* sententiam redeamus, ea Constantini M. mens fuerit, in recensu Equitum, id in Licinii rescriptis circa Equites emissis spectandum, vtrum ea iuri conformia sint necne: sic vt ii expungantur, quos Licinius iure expunxit, seu ii semoueantur, quos ipse iure semouit: contra, vt ii quos non iure expunxit, restituantur. Fingamus enim Nauicularios Equitum numero a Licinio expunctos: (sane enim nauiculariis Equestris dignitas a Constantino M. collata fuit, quod restatur *lex 16. supr. de Nauiculariis.*) Hi vtique pro non expunctis; imo in Transuectione pro probatis a Præfecto Vigilum habebuntur. Quod casum posui in Nauiculariis, quibus Equestris dignitas collata fuerat, in plebem iniectis, non temere est: nam & ita retro idem Licinius Senatores ad Nauicularium munus deiecit; vt testatur *lex. 4. prox.* tanquam vile munus.

De LICINIO, *deque Senatoribus ad Nauiculariam functionem ab eo deiectis, statui suo restituendis, vel non.*

IV. (a) Idem A. ad Senatum. (b)

SVPER his, qui ex Senatoribus ad Nauicularium (c) munus a Tyranno (d) deiecti sunt, ac restitui suis natalibus (e) deprecantur, placuit, Vestræ Sanctitati (f) iu-

dicium examenque mandare, vt vos eligatis, qui splendori vestro patrimonij viribus, & honestate viuendi, & (g) Natalium dignitate respondent: Incongruum est enim tantæ dignitatis arbitrium alteri potius, quam vestris suffragiis sententiisque committere. Eorum autem, quos vt dignos elegeritis, nomina PF. Vrbis (h) nobis insinuet, vt vestrum iudicium conprobemus. Dat. Id. (i) Iul. Constantino A. VII. & Constantino Cæs. Coss. (326.)

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Iungenda videtur *lex. 3. supr.* GOTHOFR.

(b) Vrbis Romæ: hic enim proprie *Senatus*: cæteri, minores Senatus. *ID.*

(c) Vide *supr. tit. de Nauicular. lib. 13. ID.*

(d) Licinio. *ID.*

(e) Senatoriæ dignitati. *ID.*

(f) *Sanctitatis* titulus Senatui tributus. *ID.*

(g) *Vt honestate viuendi Natalium dignitati respondent. ID.*

(h) Hic enim Præsul Senatus & Senatorum fuit: vt Cassiodorus VI. var. 4. eum vocat. *ID.*

(i) Transuectionis Equitum hic dies fuit: de quo ad *leg. superiorem. ID.*

COMMENTARIVS.

SENATORES ad Nauiculariam functionem a Licinio Tyranno deiecti, pristinæ dignitati quinam restitui debeant? Constantinus M. hac *Oratione* sua ad Senatum emissa, Anno. D. 326. examini Senatus ipsius relinquit. Sic & de Christianis, qui a Licinio Tyranno adacti ad Curialia munera, vel ministeria publica fuerant, a Constantino M. Conditiooi suæ & Natalibus restitutis fidem facit Auctor *vita Constant. lib. 2. cap. 30. 32. 34.* & Sozomenus *lib 1. cap. 8.* Hinc igitur discimus, & postea quoque Senatores nonnullos Nauicularios fuisse: quod etiam discimus ex *l. 5. supr. de Nauicular.* Sic tameo, vta Senatotiis functionibus immunes essent: vide quæ dixi ad *eam leg.*

Singularis porro eo quoque nomine hæc *lex* est: quia inde discimus, quo loco, qua dignatione Constantinus M. Senatum Vrbis Romæ & Senatoriam dignitatem habuerit, quantumque is (eiusque exemplo boni quique Principes) Senatui, & Senatoriæ dignitati deferre solitus sit. Primum scilicet *Sanctitatis* vocabulo eum decorat seu compellat, *Vestra Sanctitas*, inquit: Item de eo hæc verba vsurpata, *Splendori vestro*, item illa *Tantæ dignitatis*, de quo ad l. 1. *supr. de Prætor.* vide & Spartianum, *Hadriano c. 8.* & in *Seuero c. 7.* Item definit, Senatorum *Recensum* (vt cum Suetonio loquar) non alii magis quam Senatui committendum: & vt hæc *lex* ait: *Incongruum esse tantæ dignitatis arbitrium alteri potius quam Senatus suffragiis sententiisque committi.* Quomodo & Alexander Seuerus, *Lampridio* teste *c. 21.* *Nisi Senatorem de Senatore Romano iudicare noluit.* Quo etiam pertinet Quinquennale Senatorum iudicium: de quo *l. vltim. supr. de iurisdict.*

Tertio, quo loco Constantinus M. Senatorium Ordinem haberi voluerit *hac leg.* exinde apparet; quod duo in explorandis Senatoribus spectari vult: *Primo*, Patrimonii vires, seu censum, *Secundo*, Honestatem viuendi: quorum ille *splendori Senatus respondeat*: hæc *Natalium dignitati.* Nam ita hunc locum partim interpungo, partim etiam emendo. Tandem Electorum a Senatu nomina a Præfecto Vrbis sibi Principi nunciari iubet, vt ita ejus iudicio comprobentur. Proximum huic quod de more Præfectus Vrbi census Senatorii breues nominaque Senatorum nooorum, vel exemptorum, & quidem singulis trimestribus ad Imperatorem perferre solebat, ex officio censuali desumpta, teste Symmacho *lib. 10. epist. 59. 60.* Scilicet cum Senatui iudicium hic defertur, vi ipsa quoque committitur Præfecto Vrbis, qui utique Senatorum Præsul erat: quomodo Equitum Recensum Præfecto Vigilum idem Imperator committit *superiore lege*, quæ *huic* omnino conferenda videtur; vbi quæ ad historiam *huius leg.* pertinent, iam delibata sunt: & ex vtraque *lege* ita coniuncta iam discimus, Constantinum M. Romæ agentem, & Senatorum & Equitum recensum egisse.

Tandem obseruandum, Constantinum M. hoc Anno 326. enixe admodum *Nauiculariorum* functioni, fauore Annonæ Vrbicæ consultum iuisse variis admodum circa Nauicularios constitutis: præter hanc enim *leg.* & *leg. 3. supr.* quæ eodem referri potest, hoc eodem Anno tres in id constitutiones occurrunt: puta *lex 5. supr. de Nauicular. lex 1. de præd. Nauicul,* & *lex 1, Cod. Iust. de hæred. Decur. & Naucul.*

De MAGNENTIO: *deque gestis sub eo.*

V. (a) Imp. CONSTANTIVS A. & Constans Cæs. (b) ad vniuersos prouinciales (c) & populum. (d)

QVÆ Tyrannus, (e) vel eius iudices, contra ius statuerunt, infirmari iubemus; reddita possessione expulsis, vt qui vult ab initio agat: Emancipationes autem & manumissiones, & pacta sub eo facta & transactiones valere oportet. Dat III. Non. Nouembr. Med. Constantio A. V. (f) & Constante Coss. (352.)

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex* a Cod. *Iustinianeo.* GOTHOFR.

(b) Gallus. *ID.* Rectius *Constantius*, quod præter Auctorem Chron. Alexandrin. Idatium, Aurel. Victorem, euidentissi-

tissimis verbis testatur Socrates *l. 2. c. 28.* ἄλλον μὲν ἀναφῆναι ἑαυτοῦ Καίσαρα κατασκευάς, τότε ἀνεῖπεν Θεὸς αὐτοῦ ὄνομα: *Gallum patruelem suum Cæsarem nuncupauit, imposito illi suo nomine.* Consule etiam eos, qui notarunt ad Marcellinum *lib.* 14. *c.* 1. & Anton. Pagium in Crit. *ad. an.* 351. Constantii nomen etiam rescribendum supra *leg.* 1. *de leget.* RITTER.

(c) Italiæ. *GOTHOFR.*
(d) Vrbis Romæ. *ID.*
(e) vide *supr. l.* 2. & *infr. l.* 8. Cæterum hic Magnentius intelligendus est. *ID.*
(f) Possit forte *hac lex.* referri ad Ann. 354. *ID.*

COMMENTARIVS.

MAGNENTIVS a Lætis Francisoriundus (de quo in FRANCICIS) Constante Galliarum Imperatore cæso, *Sergio & Nigriniano COSS.* (id est Anno *D.* 350.) *XV. Kal. Febr.* Tyrannidem in Galliis assumpserat; Auctores tumalii, tum Socrates, *lib. 2. cap. 25. 26. 32.* & Fastorum Siculorum seu *Chronici Alexandrini* Auctor, *p. 672. 673. Edit. Rader.* Quin & Italia Vrbeque Roma mox potitus. Itaque & in Galliis & in Italia Vrbeque Roma instituti ab eo Iudices, & Romæ quidem Præfecti Vrbi (vt ad *l. 5. infr. de paganis*, docebo:) itemque Consules, vt ex Auctore peruetusto *Notitia Consulum & Præfectorum Vrbis*, quam Cuspinianus primus edidit, constat. Memorat & Ammianus *lib. 14. cap. 5.* Gerontium Comitem Magnentianæ partis. Quin & in Pannoniam idem penetrauit: Verum superiore Anno 351. ex Pannonia *Mursensi* prælio in Italiam a Constantio subfinem Autumni fugatus fuit. Itaque statim Constantii Edicto indulgentia & impunitas Magnentii sectatoribus promissa; *possessiones suæ expulsis* spoliatis redditæ: De quo Edicto Iulianus *Orat. 1. p. 130.* siu. *pag. 38. Edit. Lips. Spanhem.* κηρύγματα δὲ ἦν λαμπρὰ, καὶ βασιλικῆς ἄξια μεγαλοψυχίας, ἄδεια δὲ πᾶσιν ἐδίδοτο τοῖς ταξαμένοις μετὰ τοῦ τυράννου: πλὴν ὅτις ἀνοσίων ἐκείνῳ φόνων ἐκοινώνει: ἀπελάμβανον τὰς οἰκίας ἅπαντες καὶ τὰ χρήματα καὶ πατρίδας, οἱ μηδὲ ὄψεσθαί τι τῶν φιλτάτων αὐτοῖς ἐλπίζοντες, id est, *Edicta* (nam ita versum oportuit) *emissa Magnifica & magnanimitate Regia digna, quibus omnibus, qui cum Tyranno essent impunitas promissa, præter quam iis, qui cum eo nefandarum cædium participes extitissent: suas etiam domos, opes & patriam vniuersi seruarunt, cum nullam earum rerum quas haberent charissimas, visuros se amplius existimarent.* De eodem rursum agit *Orat. 3. pag. 302. in 8.* quæ *2. in 4. pag. 107.* & *orat. 2. pag. 58. Edit. Lips. Spanhem.* ὁ δὲ ἐκήρυττεν ἄδειαν τοῖς ἐξαρνουμένοις τὴν συνωμοσίαν, οὐ θανάτου μόνον, ἢ φυγῆς, ἢ τινος ἄλλης τιμωρίας, καὶ τὸν φόβον ἀφαιρῶν: ὥσπερ δὲ ἐκ τινος ταλαιπωρίας, καὶ ἄλλης δυστυχοῦς τῆς σὺν τῷ τυράννῳ βιοτῆς κατάγειν σφᾶς ἐπ' ἀκεραίοις τοῖς πρόσθεν ἠξίου: id est, *Hic vero omnibus qui coniurationem eierare vellent, impunitatem proposuit, non modo mortis aut exilii, alteriusue alicuius pœnæ metum quoque inferens, verum insuper velut ex maxima miseria, atque infelici cum Tyranno vita pristinum in statum atque in integrum restituens.* Tandem, si subscriptio *huius leg.* mendo caret, recepta Vrbe & Italia, lata fuerit hæc *lex* ad *Prouinciales* Italiæ, & *ad populum* Vrbis Romæ: vbi quomodo sese gesserit, vid. Socratem, *lib. 2. cap. 32.* Sed & cæso Magnentio postea, τῷ τρίτῳ παλαίσματι, *tertio congressu*, vt Iulianus ait *Orat. 1. pag. 40. Edit. Spanhem. Lips.* lata *lex 2. supr. de indulgent. crimin.* Certe inter alia Magnentii gesta non tantum Athanasius quoque *Apolog. ad Constant. pag. 677. Tom. I. Oper. Edit. Lipsiensis*, varias Christianorum cædes, & quidem Romæ refert: sed & Eutropius *lib 10. c. 6.* grauissimas Proscriptiones ab eo factas. Sed & Iulianus, *Oratione 1. p. 114.* siu. *pag. 34. Edit. Spanhem*, duas illius *leges* memorat iniquissimas, puta *Vnam* qua dimidiam bonorum partem subditos pendere iusserat: *Secundam*, qua seruis dominos accusare permisit. Idem memorat, eum Regias possessiones inuitos emere coegisse. Tandem huc exerte facit, quod idem *eadem oratione 1. p. 146. in 8. p. 79. in 4.* & *pag 43. Edit. Lips. Spanhem.* memorat de possessionibus & facultatibus a Constantio restitutis, post deuictum Magnentium his qui spoliati fuerant: Ἀλλὰ τῶν εἰς τοὺς ἰδιώτας ἄξιον δωρεῶν μεμνῆσθαι. ἐλευθέριόν σε καὶ μεγαλόδωρον βασιλέα προσαγορεύοντας: ὃς πολλοὺς μὲν στερομένους πάλαι, τῶν αὐτῶν κτημάτων, τοῦ πατρῴου κλήρου συμφορᾷ περιπεπτωκότος ἐν δίκῃ καὶ παρὰ δίκην, ἐπειδὴ πρῶτον ἐγένου κύριος, τοῖς μὲν καθάπερ δικαστὴς ἀγαθὸς τὰ τῶν ἔμπροσθεν ἁμαρτήματα διορθωσάμενος, κυρίους εἶναι τῆς αὐτῶν οὐσίας παρέσχες: τοῖς δὲ ἐπιεικὴς κριτὴς γενόμενος, ταῦτα μὲν ὧν ἀφῄρητο πάλιν ἐχαρίσω, ἀρκεῖν οἰόμενος τὸ μῆκος τοῦ χρόνου πρὸς τιμωρίαν τοῖς παθοῦσιν, id est, *Verum non omittenda tua illa in priuatos beneficia, vt te propterea liberalem ac magnificum Imperatorem appellemus. Nam cum plerosque nactus esses, qui dudum suis facultatibus spoliati erant, quod eorum patrimonium partim iure partim iniuria summa cum calamitate dilapsum esset, simulatque summa rerum præfectus es, alios quidem tanquam bonus quidam Iudex prioribus delictis emendatis, in pristinorum bonorum possessionem restituisti, aliis vero perinde atque æquus arbiter quæ pridem adempta iis fuerant, iterum restituisti, temporis diuturnitatem existimans ad pœnam iis sufficere, qui ea calamitate essent affecti.*

Ex *hac* interim *lege* constat, vt & ex *l. vltim. infra*, bello seu per Tyrannidem rapta, pacatis rebus, si apud aliquem agnoscerentur, repeti potuisse: quod etiam confirmat *lex 9. Cod. Iust. vnde vi*: vbi hæc verba, *Tempore impetus*, Basilisci Tyrannidem denotant. Cicero, quoque *Philipp. 2. c. 37. Sciebat ius semper hoc fuisse. vt quæ Tyranni eripuissent, tyrannis interfectis, ii quibus erepta essent recuperarent.* Quod p. 409 in omni ciuili bello tralatitium fuit. Suetonius *Vespasiano, cap. 10. Sorte elegit (Recuperatores) per quos ciuili bello rapta restituerentur.* Tacitus *4. Histor. c. 40. sorte ducti per quos redderentur bello rapta.* His adde & Liuium, *lib. 3. cap. 10.* & *lib. 34. cap. 34.* Idem igitur & hoc Edicto a Constantio constitutum, puta vt possessiones expulsis a Magnentio eiusque Iudicibus restituerentur: eoque nomine quî vellet ab initio ageret, & contra ius statuta rescindi facerent, Tralatitio vt dixi iure. Quo ipso viceuersa Spontanei actus, veluti Emancipationes, Manumissiones, Pacta, Transactiones sub Tyrannis celebratæ, non ideo quia Tyranni debellati infirmari poterant; verum valere eas oportebat. Quod a Constantio *hac. leg.* & a Constantino M. *l. 2. supr.* statuitur: & a Valentiniano Iun. *l. 8. infr.* ab Honorio *l. 9.* & 13. *infr.* Cæterum omnibus perspectis, putem ego potius *hanc. leg.* latam Magnentio penitus deuicto cæsoque, non vero viuo adhuc eo: atque adeo *huic leg.* subscribendos COSS. *Constantio A. VII. & Constante Cæsare III. COSS.* id est, Anno D. 354.

De

De MAXIMO: *& Honoribus ab eo collatis reuocandis.*

VI. (a) Imppp. VALENTINIANVS, (b) Theod. & Arcadius AAA. Trifolio PF. P. (c)

NVLLVS sibi honorem audeat vindicare, quem Tyrannica (d) concessit audacia, sed ad pristinum statum damnata præsumptio (e) reuocetur. Dat. X. Kalend. Octobr. Aquil. Theod. A. II. & Cynegio Coss. [388.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex a Cod. Iustinianeo.* GOTHOFR.

(b) Iunior. *ID.*

(c) Italiæ: vid. *l. 3. supr. de Decur. V. R.* Eidem inscribitur & *l. 7. infr. prox. ID.*

(d) Maximi. *ID.*

(e) *Præsumptionis* vox hic propria: ita Tyrannica præsumptio, *l. 11. de indulgent. crimin.* præsumptor infaustus, *l. vltim. de Episcopis. ID.*

COMMENTARIVS.

MAXIMVS (ad quem *hac* & sequentes duæ *leges* vt & *lex 10. infr.* pertinent) Tyrannus, natione Hispanus Anno Domini 383. e Britannia transiens, fugatoque *Parisiis*, (proditione Merobaudis *Franci* Cos. & Magistri militum, si *Prospero* fides habenda, de quo vid. *Chron. histor.*) Gratiano, eoque Lugduni interempto, imperium eius intra Gallias, Hispanias, Britanniam occupatum fuit: de quo narrationes obuiæ apud Ausonium, Pacatum, Ambrosium, Sulpitium Alexandrum, Sulpitium Seuerum, Zosimum, Victorem alterum, Prosperum, Marcellinum, Cassidorum *Chronicis*, Paulum Diaconum: mox idem, fugato ex Italia Valentiniano Italiæ & Illyrico incubuit. Verum hoc Anno 388. tandem, a Valentiniano & Theodosio apud AQVILEIAM debellatus, capitisque damnatus est. Zosimus, Sulpitius Alexander apud Gregor. Tur. *lib. 2. cap. 9.* Pacatus, Ausonius, &c. Auctores: *VI. Kalend. Septembres*, testis Socrates *lib. 5. cap. 14.* Proinde tyrannide Maximi depulsa, paulo post *lex* hæc AQVILEIÆ data: reuocandis videlicet per Italiam & Illyricum quæ ab eo gesta (vt & Anno prox. per Gallias, *l. 8. infr.*) Atque inter alia, Dignitates seu honores ab eo collati; reuocati. Quod vtique tralatitium ius fuit: vt probat etiam *lex 8. 11. 12. infr.* & *lex 11. supr. de indulg. crim.* Salua tantum pristina dignitate. Atque huc sensu, Pacatus *Panegyr. c. 45.* post hoc bellum, *nullius dignitatem imminutam* scribit. Alio vero sensu Symmachus *lib. 4. epist. 7. Aliis tributum, aliis integratum honorem.* Nempe hoc vult, vel nouum concessum, vel qui ademptus fuerat restitutum. Quem tamen locum, huc facere quidam opinati.

Ad hanc porro *Aquileia* in *hac leg.* subscriptionem, eaque quæ modo dixi omnia, facit egregie hic Ausonii locus *in poemate de Claris Vrbibus, seu ordine Nobilium vrbium, de Aquileia 6.*

Non erat iste locus: merito tamen aucta recenti
Nona inter claras Aquileia cieberis vrbes:
Itala ad Illyricos obiecta colonia montes,
Mœnibus & portu celeberrima: sed magis illud
Eminet, extremo quod te sub tempore legit,
Solueret exacto qui iusta piacula lustro
MAXIMVS, armigeri quondam sub nomine lixa:
Felix quæ tanti spectatrix læta Triumphi
Punisti Ausonio Rutupinum Marte Latronem.

Facit & Sulpitius Alexander, *lib. 3. historiæ*, apud Gregorium Turonensem, *lib. 2. histor. Franc. cap. 9.* Dicit, *Maximum intra Aquileiam, amissa omni spe Imperii quasi amentem residere.* Quem quidem Scriptorem egregium intercidisse summopere dolendum est; de quo etiam hac occasione in transcursu monere aliquid operæ puto. Hic ille Alexander est, quem Symmachus inter amicos suos & familiares, maximo loco habuit: & de quo multa habet: nempe huic Tribuni & Notarii dignitatem a Valentiniano Iun. sponte delatam ante irruptionem Tyrannicam (siue Maximi, siue Eugenii) scribit *lib. 5. epist. 39.* Hunc eundem sortitum Prouinciam Præsidalem testatur, *lib. 1. epist. vltim.* Hunc variis epistolis idem commendat Summatibus in aula Valentiniani Iun. Syagrio, *lib. 1. epist. vltim.* Neoterio, *lib. 5. epist. 39.* Decio, *lib. 7. epist. 57.* (nisi hic forte Alexander alius est.) Ad eundem scribit epistolam 67. *lib. 9.* quæ alioquin Epigraphe caret: & *lib. 9. epist. 28.* vbi diserte eum AQVILEIÆ positum fuisse ostendit. Tandem *historiam* eiusdem memorat, plurimumque commendat, eiusdemque argumentum indicat *d. epist. 67. lib. 9.* quam hic apponere iuuat: *Alexandrum, sicuti loquuntur Historia, grauis momordit inuidia, quod Achilli fortissimo aut sui Homerum præconem fortuna tribuisset. At mihi animus gliscit gaudio, quod euentus Reip. prosperos parili sermone ornasti. Vnde factum est, vt nostris quoque obtutibus qui procul agimus, quædam gestorum facies subderetur. Quare & fortunæ tuæ gratulor, quæ spectatorem te secundis rebus adposuit, & facundiæ, quæ talium negotiorum magnitudini orationis grauitate respondit. Cælestis numinis efficiet, vt ornatissimo linguæ tuæ promptuario nunquam desit materia talium nunciorum.* Quod argumentum attinet, fragmenta eius ostendunt, circa Maximi & Eugenii tyrannidem, deque iis victorias *Aquileiæ*, vel prope Aquileiam, historiam eius occupatam fuisse: hique illi sunt *prosperi euentus Reip. secunda res, magnitudo negotiorum, materia* lætorum *nunciorum*, quæ Symmachus ibi memorat. Cæterum horum euentuum *spectatorem* ipsum fuisse idem ait. Tandem, quod a *sermone, magnitudine orationis, ornatissimo linguæ promptuario* eum commendat, ei rei fidem omnino faciunt fragmenta, quæ apud Gregorium Turon. occurrunt. Quare toto iam illi epistolæ ἀνεπιγράφῳ, *Alexandri* nomen reddamus: ad quod etiam *initio epist.* alludere voluit. Ad eundem datam quoque censeo *epist. 101. lib. 9.* vbi de Historia quoque eius agit, deque eius Orationibus.

De

De Maximo, *& iudiciis eius, legibusque damnandis.*

VII. (a) Idem AAA. Trifolio (b) PF. P.

Omne iudicium, quod vafra mente conceptum, iniuria (c) non iura reddendo, Maximus, infandissimus Tyrannorum, credidit promulgandum, damnabimus: (d) Nullus igitur sibi lege eius, nullus Iudicio, blandiatur. (e) Dat. VI. Id. Octobr. Med. Theod. A. II. & Cynegio Coss. (388.)

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex a Cod. Iustinianeo.* GOTHOFR.
(b) Eidem inscribitur *lex 6.* ID.
(c) *yp. iniuriam.* ID.
(d) damnauimus. *ID.*
(e) *Blandiri sibi:* vid. *Gloss. Theod. ID.*

COMMENTARIVS.

Maximvs *leges*, & *Iudicia* quædam in Italia contra ius vafro animo tulerat, quæ *hac leg.* reuocantur. Innuuntur forte iura & iudicia inter alia, quæ Paganorum fauori emerando callido consilio reddiderat, promulgauerat. Certa, Gentiles per Italiam Maximo fauisse, Symmachi exemplum (de quo videndi Scriptores Ecclesiastici, Socrates *lib. 5. c. 14.* Nicephorus *lib. 12. c. 21.* Epiphanius, *histor. Tripart. lib. 9. c. 23.)* & Zosimi testimonium, *lib. 4. cap. 36*, docent.

De Maximo *& Honoribus ab eo per Gallias collatis, reuocandis iudiciis Iudicum ipsius rescindendis: at non & iis quæ sponte sub eo facta sunt.*

VIII. (a) Idem AAA. Constantiano (b) PF. P. Galliarum.

Omnes, qui, Tyranni (c) vsurpatione (d) prouecti, cuiuslibet acceperunt nomen inlicitum Dignitatis, codicillos adque epistulas & promere iubemus & reddere: Iuris quoque dictionem adque sententias, quas promere (e) nequiuerunt, qui Iudicum nomen habere non potuerunt, ex omnibus publicorum monumentorum scriniis iubemus auferri, vt aboliti auctoritate gestorum, nullus his iudicatis conetur inniti, quæ & tempore & auctore delentur. Exceptis his tantum negotiis, adque in sui integra firmitate mansuris, quæ conuentionibus pactisque finita sunt, si dolo metuue caruerunt. His quoque pariter exceptis, quæ donatio transtulit, mancipatio (f) liberauit, contulit manumissio præmia (g) meritæ (h) seruitutis: Quia in his omnibus voluisse sat iuris est. Dat. XIX. Kalend. Febr. Med. Timasio & Promote VV. CC. Coss. [389.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex a Cod. Iustinianeo.* GOTHOFR.
(b) *Constantianus* PP. Galliarum sub Valentiniano Iun. Euodii, qui sub Maximo PP. Galliarum fuerat, (vt testatur Sulpitius Seuerus *de vit. S. Martin. c. 20. et lib. 2. hist sacr. cap. 50*) successor. Eidem inscribuntur hoc ipso Anno *lex 4. supr. de legitimis hereditatibus: l. 5. supr. de proximis Comitib. ID.*
(c) Maximi *ID.*
(d) De *vsurpationis* voce, vid. Conrad. Rittershus. *Comment. in Saluian. de Gubernat. lib. 1. pag. 35.* RITTER.
(e) *Promi* sententia dicitur, vid. *Gloss.* GOTHOFR.
(f) Emancipatio, vt *l. 5. supr.* certe ita quoque habetur, *mancipatio* scilicet *l. 9. prox.*
(g) *Præmia.* IDEM.
(h) Est, qui hic tentabat, *emerita. ID.*

COMMENTARIVS.

P. 418. A Maximo collati Magistratus dignitatesque, & ab his consequenter dictæ sententiæ, vt superioribus duabus *legibus* per Præfecturam Prætorianam Italiæ, ita & hac elegantissima *lege* per Præfecturam Prætorianam Galliarum reuocantur cassanturque, cæso iam Victore Maximi filio, quam pater in Italiam proficiscens, in Gallia Treuiris reliquerat, infantia eius & defensione Nannin & Quin-

sino militaribus Magistris commissa, vt testatur Sulpitius Alexander *lib. 3. Historiæ apud* Gregor. Turonens. *lib. 2. cap. 9.* Cæterum inter Magistratus sub Maximo intra Galliam constitutos, a Sulpitio Seuero *lib. 2. cap. 50.* nominatur *Euodius* (is ipse forte, qui Anno D. 386. Cos. fuit.) Præfectus Pretorio, vt & Patricius, Aduocatus fisci: a quo ipso Scriptore eleganter describitur Iudicium istius Euodii P.P. de Priscilliano, eiusque sectatoribus, *pessimo exemplo*, vt idem Scriptor recte iudicat. Et forte hoc ipsum iudicium in Priscillianistas *hac leg.* nominatim perstringitur.

Ait vero lex, *quæ & tempore & auctore delentur*, damnato quippe Maximo eiusque temporibus, damnantur & sub eo gesta factaque. Excipiuntur tantum *hac. leg.* voluntarii actus, pariter vt quatuor aliis *legibus*, puta *l. 2. 5. supr.* vbi diximus: sed & *l. 9. 13. infr.* Et in his *Emancipatio*, ita enim hic reponendum & *l. 9. infr.* quomodo habet *lex 5. supr.* vt ostendit quoque coniuncta mentio *Manumissionis.*

De EVGENIO. *Sponte sub eo gesta & in priuatum placitum vel scripturam deducta, non vi, dolo, metuue facta, rata esse iubentur: Consulum tantum in his nominibus erasis.*

IX. (a) Impp. Arcadius & HONOR. AA. Andromacho (b) P.V. (c)

VALEAT omnia mancipatio (d) Tyrannicis (e) facta temporibus; valeat a dominis concessa libertas: valeat celebrata & actis quibuslibet (f) inserta donatio: valeat deficientium omne iudicium; (g) valeat vniuersa (h) venditio; (i) valeant sententiæ Iudicum priuatorum (k) (conuelli enim Iudicium non oportet) quas (l) partium elegit adsensus, & conpromissi pœna constituit: valeant conceptæ sollemniter pactiones; (m) valeant scripturæ, quibus aut fides rerum, aut ratio (n) probatur, aut debita: valeant apud quemlibet habitæ spontaneæ professiones: (o) valeat deposita (p) super instituenda lite testatio: valeat impetratio iuris communium liberorum: (q) valeat procuratio sæuis (r) mandata temporibus: datus Tutor, vel Curator optineat firmitatem: *Valeat in sponsam* perfecta (s) largitio: doli ac vis & metus inchoata actio in tempus legitimum perseueret: bonorum amissa (t) possessio, & adsectus (v) adeundæ hereditatis obtineat, & interdicti (x) beneficium non amittat: (y) Valeat in integrum restitutionis petitum auxilium; valeat vindicatio, identidem (z) desiderata tribuatur: locatio & conductio inuiolabilem obtineant firmitatem: interdicti beneficia tempora infausta (aa) non mutilent: postulata (bb) inofficiosi actio & inmodicarum (cc) donationum rescissio petita seruetur: beneficia (dd) transacta non titubent: sacramento (ee) terminata permaneant: pignoris atque fiduciæ (ff) obligatio perseueret. Stent denique omnia, quæ in placitum sunt deducta priuatum, nisi aut circumscribtio subueniet, aut vis, aut terror (gg) ostenditur. Funestorum tantum Consulum nomina iubemus aboleri, ita vt his reuerentia in lectione (hh) recitantium tribuatur, qui tunc in *Oriente* annuos (ii) Magistratus victuris perpetuo sunt fascibus (kk) auspicati: *Tempus vero ipsum ac si non fuerit*, æstimetur. Siquidem (ll) tunc temporis omissa aliqua præscriptio taciturnitatis, etiam de (mm) illis quæ confirmauimus non possit obponi. Dat. XI. Kalend. Mai, Med. Olybrio & Probino Coss. [395.]

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustin.* velut temporaria. *GOTHOFR.*

(b) *Andromacho* huic inscribitur quoque hoc ipso Anno *lex 11. huc tit.* (quæ & ipsa est de *Eugenii* Tyrannide) itemque *l. 54. supr. de appellat.* & *l. 3. supr. de Commeat.* & *l. 7. supr. de executor*: *l. 6. supr. de cognitor*. Item Anno 401. *l. 3. supr. de indulg. debitor.* Hic idem Andromachus de quo Symmachus *lib. 2. epist. 79. ID.*

(c) γρ. PP. & PP. Galliarum accipio. *ID.*

(d) Sustineri potest & *hac leg.* pariter vt *supr. l. 8.* sic vt emancipatio quoque comprehendatur: quanquam *Emancipatio* diserte manumissioni iungitur quoque *l. 5. supr.* & præfert hanc vocem Editio quæ in Quarto prodiit. *IDEM.*

(e) *Eugenii* scilicet. *ID.*

(f) Donatio Actis insinuanda: de qua *supr. tit. de donat.* Et *tit. de sponsal.* *ID.*

(g) Id est, Testamentum seu vltima voluntas. *ID.*

(h) Quæcunque. *ID.*

(i) πρᾶσις. *ID.*

(k) *Priuati* Iudices sunt Arbitri, διαιτηταί, compromissarii. *ID.*

(l) In

(l) Ita interpuncto hoc loco nihil hic immutandum videatur: quanquam adhuc malim *quos*, vel *quod* *ID.*

(m) συνθῆκαι. *ID.*

(n) Id est, ratiouum redditio, δόσις καὶ λῆψις. Chrysostomo. Nota interim hic tria Instrumentorum genera · vnum, quo fides probatur rerum, id est, quorumcunque negotiorum: Secundum quo rationes continentur & probantur, & sic ratiocinia. Tertium, quo debita probantur, id est, chirographia. *ID.*

P. 412.

(o) Professiones, an pro professionibus? An professiones censuales natalesque, παίδων γενέσεως ἀπογραφῶν. *ID.*

(p) *Deposita super instituenda lite testatio*, est denunciatio, de qua fuit *supr. tit. 4. lib. 2.* *ID.*

(q) de Iure liberorum eiusque impetratione fuit *supr. tit. peculiaris 17. lib. 8.* vbi dixi *ID.*

(r) Scæua tempora, vt mox infausta tempora, vocantur hic tempora Tyrannica: vide *Glossar.* *ID.*

(s) *Professa.* γραμματεῖα περὶ γάμων, Chrysostomo. *ID.*

(t) Forte *admissa*, malim *omissa* quanquam & *amissa* eodem sensu sustineri posset. *ID.* Hic sensus videtur poscere, *bonorum admissa possessio*, pro *amissa* vel *omissa*, quod Gothofredus reposuit: at male, ni fallor, prætulit τῷ *admissa*. Omnes enim species antecedentes agunt de iure, quod alicui ex actu valido competit, non vero de eo, quod amisit, præsertim cum bonorum possessio iungatur adfectui adeundæ hæreditatis atque interdicti beneficio; quæ utique acquisitionem iuris continent. *BEST. ratua. emend. leg. cap. 27. §. 15.*

(v) Testatus scilicet. *GOTHOFR.*

(a) *Interdictum* hic intellige. *ID.* Dubito valde, annon pro *interdicti beneficium*, legi debeat *edicti beneficium*, vt respiciatur ad celebre edictum Diui Hadriani, de quo in *leg. vn Cod. I. de edict. Diu. Hadr. tollend.* ita enim optime hæc tria iunguntur, *adfectus adeundæ hereditatis* ex iure ciuili, *bonorum admissa possessio*, ex iure prætorio, & *Edicti beneficium* ex constitutione Imperatoris, præsertim cum paullo post *interdicti beneficia* memorentur inter alias plerasque actiones, adeo, vt facile librarius potuerit *aroffa*, dum putauit, vtroque loco eiusdem plane rei fieri mentionem. Verum hac de causa contendere nolim. *BEST Rat. emend. leg. c. 27. §. 15.*

(y) An *amittatur?* minime. *GOTHOFR.*

(z) Recte *identidem*. *ID.*

(aa) *Infausta* tempora; vt supra, scæua, id est, Tyrannica. *ID.*

(bb) Vid *l. 1. in fine, supr. de inofficios. testam.* *ID.*

(cc) Vid. *supr. tit. de inofficios. donation.* *ID.*

(dd) Videtur legendum esse *beneficio*, vt tanto concinnior sit oppositio τῷ *sacramento*. *Transigere* enim *beneficio* nihil aliud est, quam placide & amice controuersias componere, cum *sacramentum* iudiciorum strepitum linumque certamina designet. *BEST. l. c.*

(ee) Id est, iureiurando; de huius vi, vid. quæ dico ad *l. ult. supr. de pactis.* *GOTHOFR.*

(ff) De *fiducia* dixi *supr. tit de commissoria rescind.* *ID.*

(gg) Id est metus, vt l. 8. *supr.* *ID.*

(hh) *Lectio*, dixi *supr.* ad *l. vnic. de respons. Prudentum.* *ID.*

(ii) Nempe Consulatus annuus fuit Magistratus. *ID.*

(kk) Vid. Claudianum *passim.* *ID.*

(ll) τὸ *Si quidem ut tunc temporis ab omissa aliqua.* *ID.* Curat hic quidem Gothofredus vulnus, verum ingentem relinquit cicatricem. Existimo ego longe facilius omne vestigium mali posse tolli, si legatur: *Siquidem, tunc temporis omissa aliqua præscriptio taciturnitate sit, etiam de illis, qua confirmauimus, non possit opponi.* Ita enim seruatur concisum huius legis dicendi genus, ita sensus prodiit multo facilior, ita multo pauciora mutantur. *BEST. l. c.*

(mm) An delenda vox, *de?* Non puto. *GOTHOFR.*

COMMENTARIVS.

Evgenivs (ad quem hæc elegantissima omnium & accuratissima *lex* spectat, itemque *lex 11. & 12. infr.* vt & *lex 9. supr. de desertoribus*: Oratoriam in Palatio professus, cum *Arcadio II. & Rufino Consulibus* (id est, Anno 392.) cæso Valentiniano Iuniore Viennæ in Gallia fauore Arbogastis Barbati (vt tum temporis vocari mos erat,) id est, *Franci* Magistri militum citra Valentiniani Principis auctoritatem facti, Tyrannidem in Occidente arripuisset, tandem *Arcadio III. & Honorio II. Consulibus* (id est, Anno superiore 394.) a Theodosio M. deuictus capitis damnatus est, caputque eius conto defixum per castra circumlatum fuit *VIII. Id. Septembris*: de quo videndus Zosimus *lib. 4. cap. 58.* Socrates, *lib. 5. cap. 25.* & alii

Eo igitur cæso, mox & ipsomet Theodosio mortuo, Honorius Imp. hoc Anno, post id proximo 395. Eugenii, eiusque Iudicum Actis rescissis, nihilominus hac cothurno Gallicano erecta lege (pariter vt quatuor aliis *huius tituli* legibus, puta *l. 2. 5. 8. supr.* & *l. 13. infr.*) ea quæ sponte sub eo gesta, inque placitum deducta essent, priuatum scilicet, non vi, non dolo, non metu, rata esse iubet, elegantissima profecto & speciali admodum priuatorum actuum 24. vel 26 ferme enumeratione facta. Sunt autem hi, Primo, Mancipatio omnis, quomodo etiam legitur *l. 8. supr.* Malim tamen & hic & illic, *Emancipatio*; vt habetur *l. 5 supr.* Et vero ita reponendum, coniuncta vbique mentio Manumissionis, seu concessæ libertatis id ostendit. Secundo, Manumissio. Tertio, Donationis insinuatio. Quarto, Testamentum item seu deficientis iudicium: de quo est hæc *lex* vnica & singularis. Vbi quæri potest, num & Militantium sub Tyranno Testamenta priuilegio militari sustineantur? Quod *Oratione* Seruini, & ad eam *Arresto Parisiensi* negatum video, *tom. 2. des Plaidoyez de Monsieur Seruin, plaidoye, 91. a p. 516.* cui ego obloqui non ausim; cum tamen *huius leg.* generalitas contra facere videatur: quod Seruinus non animaduer-

tit. Quinto, Venditio. Sexto, Arbitrium. Septimo, Pactum. Octauo, Instrumenti confectio. Nono, Professio apud Magistratum spontanea. Decimo, Denunciatio litis. Vndecimo, Impetratio iuris communium liberorum. Duodecimo, Procuratio. Decimotertio, Tutoris & Curatoris datio. Decimoquarto, Sponsalitia largitas. Decimo quinto, doli, vis, metus inchoata actio. Decimosexto, Adquisitio & omissio hæreditatis, bonorumue. Decimoseptimo, In integrum restitutionis auxlium petitum. Decimooctauo, Vindicatio desiderata. Decimonono, Locatio conductio. Vigesimo, interdicti beneficium. Vigesimoprimo, Inofficiosi actio instituta. Vigesimosecundo, Transactio. Vigesimotertio, Iusiurandum. Vigesimoquarto, & vltimo, Pignus, atque fiducia, (de qua dixi ad *ad leg. vnic. supr. de commiss. rescind.*) Ita tamen vt gestis & instrumentis super eo confectis, addita Consulum nomina eorum, qui ab Eugenio fuerant constituti, aboleantur penitus; solorumque Consulum qui in Oriente tum temporis fuere in lectione Gestorum memoria fiat, iisque in lectione reuerentia tribuatur. Nempe (quod hic primo notandum) mos hic solemnis olim fuit, de quo iam dictum *ad leg. 17. supr. de pœnis*: fidemque rursus faciet *lex. 13. infr. hoc tit.* Nomina Consulum Tyrannorum, vel a Tyrannis constitutorum aboleri. Cæterum Consules ab Eugenio facti sunt Arbogastes, & Nicomachus Flauianus. Hic certe postremus, qui & PP. fuit, Eugenio isti capessendæ Tyrannidis inter alios auctor fuit, teste Sozomeno *lib. 7. cap. 22.* quique idem & Consul fuit: Symmach. *lib. 2. epist. 83. & 84.* Secundo ex *hac leg.* notandum, eum in iudiciis legerentur seu recitarentur Consulum nomina, his reuerentiam quandam exhibitam: nempe proculdubio Adclamationibus factis: quomodo & alias Summi & Illustres Magistratus adclamatione de more excipiebantur, *l. 2. supr. de Quæstorib. Magistr. offic.* & extra ordinem Iustissimi & Vigilantissimi Iudices publicis adclamationibus collaudabantur: *l. 3. Cod. Iust. de offic. Rect. prouinc.*

Ergo eorum Consulum nomina, qui a Tyranno instituti fuerant, actis gestisque addita, in recitatione omitti iubet *hac leg.* Honorius; Et in genere tempus illud ac si non fuisset, æstimari vult. In tantum (quæ sententia *huius leg. in fine*, videri possit,) vt omissus in actis temporis characterismus, seu Consulis adnotatio omissa, non ideo gesta vitiet, neque taciturnitatis illius præscriptio quidquam obsit seu opponi possit gestis illis quæ *hac leg.* confirmantur. Qui singularis casus fuerit, quo acta gestaque, & instrumenta absque characterismo temporis Consulumque designatione valent: Cum aliis actis & instrumentis Consules addi oportuerit. Præscriptioque taciturnitatis huius alioquin seu omissionis his opponi poterat: de quo est hic quoque Chrysostomi locus, qui circa hoc ipsum tempus scribebat, agebatque, *hom. 2. in Oziam & verbis illis, vidi Dominum*, &c. *circa finem, tomo Sa-*
P.413 *viliano 5. p. 137.* & *Tom. VI. Benedictin. pag. 110.* Καὶ πρῶτον γε ἀπὸ τῶν βιωτικῶν τοῦτο ἐπιδείξομαι πραγμάτων. Αἱ διαθῆκαι καὶ τὰ ΓΡΑΜΜΑΤΕΙΑ τὰ περὶ γάμων, τὰ περὶ ὀφλημάτων, τὰ περὶ τῶν ἄλλων ΣΥΜΒΟΛΑΙΩΝ, ἐὰν μὴ τῆς ὑπατείας τοὺς χρόνους ἄνωθεν ἔχῃ προγεγραμμένους, πάσης ἔρημα τῆς οἰκείας ἐστὶ δυνάμεως: τοῦτο γάρ ἐστιν ἐν ἐκείνοις τὸ ἰσχυρὸν, τοῦτο τὰς ἀμφισβητήσεις ἀναιρεῖ: τοῦτο δικαστηρίων ἀπαλλάττει, καὶ τοὺς ἐχθροὺς φίλους ποιεῖ: διὰ τοῦτο οἱ ταῦτα γράφοντες ὥσπερ λύχνον ἐπὶ λυχνίας, οὕτως ἐπὶ τῷ μετώπῳ τῶν γραμμάτων προτυποῦσι τὴν ὑπατείαν, ἵνα πᾶσι τοῖς κάτω φαίνῃ: κἂν ταῦτα ἀνέλῃς, ἀνεῖλες τὸ φῶς. καὶ πάντα σκότους καὶ πολλῆς ἐνέπλησας ταραχῆς: διὰ τοῦτο πᾶσα δόσις καὶ λῆψις, κἂν πρὸς φίλους κἂν πρὸς ἐχθροὺς, κἂν πρὸς οἰκέτας, κἂν πρὸς ἐπιτρόπους καὶ οἰκονόμους γίνηται, ταύτης δεῖται τῆς ἀσφαλείας, καὶ πανταχοῦ καὶ μῆνας καὶ ἐνιαυτοὺς καὶ ἡμέρας κάτωθεν παραγράφομεν. Εἰ οὖν ἐπὶ τῶν βιωτικῶν τοσαύτη τοῦ πράγματος ἡ ἰσχὺς, ἐπὶ τῶν πνευματικῶν πολλῷ μείζων καὶ χρησιμωτέρα, &c. id est. *Ac primum quidem id a rebus secularibus comprobabo: Testamenta, & Instrumenta, tabulaque nuptiales, de creditis, deque aliis contractibus, nisi ab initio Consulatus tempora præscripta habeant, ab omni vi sua vacua sunt: Id enim est quod illis robur addit, id quod controuersias tollit, id quod a Iudiciis liberat, & ex inimicis amicos facit. Proinde qui talia scribunt, tanquam lucernam in candelabro, ita in fronte scripturarum Consulatum præmittunt, vt omnibus, quæ infra sunt præluceat: quasi sustuleris; lumen sustuleris, omniaque tenebris multaque perturbatione compleueris: Propterea omnis dati acceptique ratio siue cum amicis, siue cum inimicis, siue cum domesticis, siue cum procuratoribus & Oeconomis ineatur, hac cautione eget, & vbique menses & annos & dies præscribimus. Quod si tanta huius rei vis est in sæcularibus negotiis, multo maior & vtilior in spiritualibus* &c. Idem Chrysostomus *homilia 9. ad Coloss. edit. Comel. pag. 1381. & pagin. 394. Tom. XI. Oper. Edit. Benedictin.* ὑπάτων ὀνόματα ἀσφαλῆ τὰ γραμματεῖα, *consulum nomina efficiunt, ut firmata & valida sint litera.* Addatur similis hic Libanii locus *in Panegyrico in Iuliani Consulatum, pag. 230. Edit. Morell.* τί γὰρ ἂν γένηται σεμνότερον, ἢ τὴν οἰκουμένην ἅπασαν ἡλίου δίκην ἐπέχειν τῇ προσηγορίᾳ, καὶ πάντων ἀνθρώπων ἐν στόμασιν εἶναι τοὔνομα, ἢ τὸ παρὰ τῶν γονέων τεθὲν, πολλὰς ἀνάγκας τῆς μνήμης ἐχούσης, δικαστήρια, γάμους, ἀγορὰν, λιμένας, χρέα, πράσεις, τοὺς συμβάλλοντας καὶ γραφομένους συνθήκας, τοὺς διαφερομένους, καὶ τὴν πίστιν ἀπὸ τῶν γραμμάτων φέροντας, τοὺς κοινωνοῦντας, τοὺς διισταμένους, παίδων γενέσεις εὐδαιμόνων, παίδων ἐν διδασκαλείοις μαθήσεις, ὧν μία σπουδὴ βοῆσαι τοὺς ὑπάτους, ἐφ' ᾧ δὴ καὶ διαλύονται, id est: *Ecquid enim splendidius contingat, quam orbem terrarum vniuersum Solis instar appellatione continere, & in ore omnium hominum versari nomen: præ eo quod a parentibus inditum, memoria eius ad varios vsus necessaria: ad Iudicia, coniugia, fora, portus, mutua, venditiones, ad omnes qui contrahunt, & pactiones inter se conscribunt, litigantes fidemque ex scripturis facientes, societatem contrahentes, dissoluentes, felicium liberorum natales, puerorum in scholis institutiones: quorum omnium studium Consules prædicare, quo ipso & liberantur*; & quæ sequuntur: vbi rursum ait, Consules τὸ κῦρος τοῖς μεγίστοις παρέχειν, *auctoritatem rebus maximis exhibere.* Item *pag. 231.* quod per Consules ὁ πάλαι κείμενος, ἐν ταῖς δίκαις ὥσπερ ἀνίσταται, καὶ συνδικάζει τοῖς ζῶσιν ὁ τεθνεώς, *qui iamdudum situs & terra conditus erat, in iudiciis & causis quasi reuocatus ad vitam, & mortuus viuentibus patrocinatur.* Quod postremum tam de Constitutionibus, quam de Testamentis accipi potest. In superioribus interim Libanii & Chrysostomi locis videas patem actuum & negotiorum humanorum recensum, qualis *hac leg.* sed accuratior instituitur.

Tandem, vt ad *hanc l.* redeamus, debent vltima eius verba aliter accipi & nouissime etiam ita emendari, *sic quidem vt tunc temporis ob omissa aliqua*, &c. hoc sensu, non posse præscriptionem taciturnitatis opponi iis, qui tempore Tyrannidis aliquid omiserunt: veluti si iura sua tum non exercuerint, si actorum suorum vi muniti non experti tum sunt: Tempus

pus enim Tyrannidis ac si non fuisset æstimari oportere. Quod & ipsum tralatitium: nempe Tyrannidis tempore nil præscribi, seu tempora Tyrannidis præscriptione non adnumeranda: *La prescription ne court pendant les troubles*: vid. le Prestre *Cent. 2. cap. 56. & 96. & au recours des Arrests de toutes les Chambres p. 4.*

X. (a) Idem A A. Eulogio Com. R. P.

QVI, Tyranni MAXIMI secuti iussionem, fundos perpetui iuris, non ab Ordinariis Iudicibus, sed a Rationalibus acceperunt, eorum amissione plectantur, atque ad rem priuatam denuo reuertantur. Dat. VI. Kalend. Maj. Med. Olybrio & Probino Coss. (395)

N O T A.

(a) Abest & *haec lex* a Cod. *Iustin.*

COMMENTARIVS.

MAXIMI Tyranni iussione gesta quædam hac Honorii constitutione retractantur. Maximi, inquam, Tyranni: Nam ita diserte nominatur *hac leg.* (dequo alioquin actum fuit *l. 6. 7. 8. supr.*) Et sunt tamen nonnulli qui hanc *legem* ad *Eugenii* Tyrannidem pertinere censent, atque adeo vocem *Maximi* hic glossema existimant: Nempe ipso Consulatu *huic legi* subscripto indice, atque adeo temporum ratione suadente: Quandoquidem ante annos iam octo Maximus deuictus, eiusque gesta infirmata fuerint, *l. 6. 7. 8. supr.* Atenim Eugenii superiore tantum Anno 394. deuicti gesta hoc ipso Anno infirmentur; nempe *l. 9.* præcedente, vt & *l. 11. & 12. seqq.* inter quas *hac* velut eodem pertinens intermedia sit constituta. Putabam ego aliquando, Maximi nomen hic non esse proprium, sed appellatiuum, quasi Eugenius *maximus Tyrannus* vocetur. Verum, non est hic locus sollicitandus, & ad Maximum Tyrannum omnino pertinet hæc *lex*. Nam vt maxime ante aliquammultos iam annos Maximus deuictus fuerit, eiusque Acta iam tum infirmata fuerint: retro vt maxime Eugenii quoque Acta hoc Anno infirmata fuerint; attamen potuerunt hoc adhuc tempore pristina quædam Maximi gesta infirmari, de quibus hodie demum dubitari cœptum. Non potuerunt scilicet simul & semel Tyrannorum gesta aboleri, vel etiam in eorum bona penetrari, verum tempore addito opus fuit. Exemplum simile quoad bona Gildonis occurrit *l. 16. & 18. supr. de bon. proscr.* &
P.414 *l. 7. 9. supr. de Metatis: & l. 19. supr. de Pœnis*; qua postrema *lege*, decem annis post Gildonem deuictum, satellites Gildonis, custodia mancipari & proscriptione damnari iubentur: Cuius *legis* subscriptionem ideo male nonnulli sollicitant.

Nunc de *huius legis* sententia. Retractantur *hac leg.* ab Honorio alienationes fundorum perpetui iuris ex iussione Tyranni Maximi, non ab ordinariis iudicibus, verum a Rationalibus factæ, Nempe vt *hac leg.* aperte indicatur, si quid de fundis rei priuatæ perpetuique iuris in priuatos transferendum esset, id per Rationales fieri non oportebat: nam & alias Rationali rem Cæsaris non alienare, sed diligenter gerere commissum erat: *l. 1. de offic. Procurat. vel Ration. & l. 13. D. de Transact.* Hæc proinde res modum administrationis Rationalium excedere visa: & quia sæpe hi in necem Rei Priuatæ colludebant. Quid igitur? Ordinarii iudices, id est Rectores Prouinciarum, eos transferre in priuatos possunt, vt *hac lex* ostendit. *Fundi perpetui iuris* nihil aliud hic sunt, quam fundi emphyteutici rei priuatæ Principis, vt vel hæc ipsa *lex* ostendit: non tantum Inscriptione suadente (est enim ea inscripta *Comit. Rerum priuatarum*) verum etiam *fine legis*. Quare vero hi fundi *perpetui*, vel *fundi perpetuarii* dicti fuerint? plenissime ostendo ad *l. 12. supr. de extraordinar.* Itaque cum ex Tyranni Maximi iussione, huiusmodi fundi nonnulli per Rationales accepti fuissent, eos, ad rem priuatam redire Honorius *hac leg.* iubet. Cui haud absimile est quod habetur *l. 6. supr. de petition.* Certe paulo post, biennio inquam ferme post. Anno Domini 397. Honorius ad Rationalium officia, etiam perpetuarii, hoc est emphyteuticarii iuris exactionem reuerti iussit: *l. 1. Cod. Iust. de offic. Com. S. Palatii.*

XI. (a) Idem AA. Andromacho P. V. (b)

FAcessat sequi nos Paternæ (c) dispositionis arbitrium: adque ideo, vniuersos (d) cuiuslibet Ordinis viros, de quibus Lex † nostra reticuerat, ad veniam (e) volumus pertinere, & beneficia inopinantibus (f) vltro deferimus; sancientes hac lege, ne is qui Tyranni (g) tempore militauit, vel etiam qualibet administratione donatus est, aut honoraria dignitate perfunctus, vel quicumque in aliquo honore, diuersis locis aut exactionibus, præfuerunt, notam infamiæ sustineant, aut deformi vocabulo polluantur: Quibus eas tantum dignitates valere decernimus, quas ante Tyrannicum tempus habuerunt. Dat. XV. Kalend. Iun. (h) Mediol. Olybrio & Probino Coss. (395.)

N O T Æ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Iungenda *huic est lex* proxime sequens. Vtriusque sane eadem sententia est, etsi ad diuersos Magistratus data: de quo *in Prolegomenis. GOTHOFR.*

(b) vg. PP. & Præfectum Præt. Galliarum accipio: Eidem inscribitur *lex 3. supr. de indulg. debit.* Anno D. 401. *ID.*

(c) The-

(c) Theodosii M. scilicet. *ID.*

(d) *In commune*, vt Ambrosius loquitur. *ID.*

† An intelligit *leg.* 9. *supr.* an vero præcedentem aliquam? Hoc magis puto. *ID.*

(e) *Ad veniam pertinere*, vide *Glossar. ID.*

(f) Hæc bonorum Principum laus, inopinantibus vltro beneficia deferre. Id laudat in Gratiano, Ausonius c. 3. (*Cupienda* inquit, *preuenire*, *vota precurrere.* In Theodosio Symmachus *lib.* 10. *epist.* 48. *Qui voto*, inquit, *omnium*, *beneficiis preuenitis. ID.*

(g) Eugenium intelligit. *ID.*

(h) An *Iul.* vt l. *seq. ID.*

XII. (a) Idem AA. Eusebio PF. P. (b)

HIs quos Tyrannici (c) temporis labes (d) specie dignitatis infecerat, inustæ maculæ omnem abolemus infamiam. Cunctis igitur statum priorem, sine cuiusquam Loci aut Ordinis exceptione, tribuimus, vt vtantur omnes iure communi, (e) teneant statum veteris dignitatis, ita vt nihil sibi ex his quos adepti fuerant (f) honoribus blandiantur. (g) Dat. XV. Kalend. Iul. (h) Med. Olybrio & Probino Coss. (395.)

N O T Æ.

(a) Abest & *hæc lex* a *Cod. Iustin.* Iungenda huic legi *lex superior*, cuius eadem sententia est; etsi ad alium Magistratum emissa; quo de more *in Prolegomenis.* GOTHOFR.

b) *Eusebius* sub Honorio PP. & quidem Italiæ, vt docet *lex* 19. *supr. de Pistoribus*: vid. *Prosopogr. ID.*

(c) Euganiani. *ID.*

(d) *Labes* Tyrannici temporis. *ID.*

(e) *Ius commune* hic vocat, quo *omnes in commune vtuntur*: vt in hac ipsa re loquitur *Ambrosius. ID.*

(f) Sub Tyranno. *ID.*

(g) *Blandiri*, sibi aliqua re; vid. *Gloss. ID.*

(h) An *Iun.* vt. l. *super. ID.*

C O M M E N T A R I V S.

P 415. AD EVGENII Tyrannidem pertinent *hæ duæ leges*, quæ vt inter se coniungendæ sunt, ita vtriusque eadem est sententia: Sed (cuius moris alia quamplurima exempla, *hoc Codice* habemus) ad diuersos Magistratus, de eadem re, emissa, pro earum videlicet executione, intra cuiusque diœcesin vel administrationem. Et hæ quidem duæ intra Italiæ Præfecturam, & Galliarum.

Sunt autem *hæ leges* de his, qui *Honores*, quoscunque tandem, sub Eugenio Tyranno gessissent, vel qui sub eo militauerant. Et est hoc indulgentiæ genus, quale etiam continetur *l.* 11. *supr. de indulg. crimin.* Nempe gestæ militiæ, vel dignitatis sub Tyranno Eugenio, gratia *his legibus* fit, sic vt exinde nullam infamiam sustineant: Imo & vetus seu pristina dignitas ante Tyrannica tempore indepta eis relinquitur. Quod sane *commune* ius fuit, vt *posteriore leg.* vocatur, vt videlicet etsi honorem sibi nemo vindicare audere posset, quem Tyrannus concessisset; attamen ad pristinum quisque statum reuocaretur, seu pristina dignitate potiretur: vt docuit quoque iam *lex* 6. *supr.* itemque *lex* 11. *supr. de indulg. crimin.* Hoc inquam commune ius fuit. Et tamen id aliter aliquando obseruatum, & quidem in Eugenianis ipsis: docent enim *hæ duæ leges*, diserte inustam initio sub Theodosio M. infamiæ maculam, his qui Eugenii Tyranni tempore militauerent, vel ab eo dignitates consecuti fuerant. Verum non diu id stetit: Nam & Honorius *his legibus*, ad ius illud *commune* (vt nominatim vocatur, *lege* 12.) rediit, abolita vid. infamia, & veteris dignitatis prærogatiua his seruata, sine cuiusquam loci aut ordinis exceptione: atque ita antiquata *anteriore lege* in qua Ordinum distinctio quædam facta fuerat. Idque *exemplo paternæ dispositionis*, vt initio *legis* 11. profitetur: id est, patris Theodosii. Atque huc omnino pertinet locus Ambrosii, ex eius *Oratione* quam habuit is hoc ipso Anno 395. 25. Februarii, de obitu Theodosii *pag.* 117. *Tom. V. Oper. Edit. Paris.* 1614. *Etiam iis*, inquit, *qui in se peccauerant, doluit* (Theodosius) *quam dederat perisse indulgentiam, & VENIAM denegatam. Sed non negabunt filii quod donauit pater: non negabunt, etiamsi quidam interturbare conatus sit: neque enim poterunt negare, quod in commune donauit, qui soluunt quod singulis debet.* Et alioquin Theodosius Indulgentiam liberis suis vltima dispositione commisit, ac nominatim Honorio, annonarum videlicet seu debitorum indulgentiam, quod eo ipso loco statim Ambrosius subiicit: *Præcepit*, inquit, *dare legem indulgentiæ quam scriptam reliquit. Quid dignius, quam vt testamentum Imp. lex sit.* Et vero hac parte secutus quoque Honorius Theodosii patris arbitrium: vt docet apertissime *lex* 2. 3. *supr. de indulg. debitor.*

Verum ad hanc *legem*, speciale omnino Flauiani Præfecti Præt. exemplum aptandum venit. Is scilicet cum Eugenii Tyrannidi implicitus, eiusque partes secutus fuisset, vt testetur Sozomenus *lib.* 7. *histor. Eccles. cap.* 22. & Symmachus *lib.* 7. *epist.* 103. (vbi interpres male de Maximo Tyranno id accipit) a Theodosio M. Eugenio deuicto, & dignitatibus & bonis exutus fuerat, teste eodem Symmacho *d. lib.* 7. *epist.* 103. verum & integrata mox ei bona ab eodem Theodosio, redditaque multa quæ casibus detracta fuerant; teste Symmacho *lib.* 4. *epist.* 7. 19. & 51. & ab Honorio Imp. redditus ei incolumitatis status *lib.* 4. *epist.* 5. Imo & postea integratus ei honos, & euocato ad Sen. (Anno 379.) Præfectura Vrbis decreta, teste Symmacho *lib.* 4. *epist.* 5. 7. *lib.* 7. *epist.*

epist. 92. 94. 103. Et hæc omnia Honorius *secutus Paternæ dispositionis arbitrium*, vt ipsemet *hac leg.* profitetur. Quo pertinet quod Symmachus nominatim *d. epist. 7. ad Stilichonem lib. 4.* scribit: *Præmiserat alia exempla clementiæ receptus cælo Princeps parens* (Theodosius M.) *& Flauiano meo multa casibus detracta reddiderat: Reseruatus est vnus & potissimus bonitatis titulus haredi, quem Magnitudinis tuæ monitu, paternis beneficiis Dominus Honorius adiecit, interpretatus scilicet Diuo Principi* (Theodosio) *tempus, non animum defuisse. Nunc perfecta sunt a successore consimili interrupta fato operæ clementiæ: Fastigium tamen lenissimus & Augustissimus Princeps ceptis Genitoris imposuit: cui ad vicem gratia Te, ac tui similes opto monitores.* Ergo *hac leg. Paternæ dispositionis arbitrium sequi se*, ait Honorius: non quod ita nominatim decreuisset mandasserque sibi Parens: verum quia clementiæ similis exemplar præmiserat, etiam erga Flauianum: cuius exemplum secutus ipse, & ad planam indulgentiam patri suo tempus, non animum defuisse interpretatus, fastigium parentis cœptis ipse imposuit. Atque istud est, quod ait: *Fas sibi esse SEQVI PATERNÆ dispositionis, arbitrium.* In quam sententiam in hac ipsa re de Flauiani Integratione Symmachus *lib. 4. epist. 19. SEQVITVR vt spes est, PATERNA benefacta, iuuenis Augustus: ad quem sicuti successio Imperii a patre peruenit, ita & bonitatis IMITATIO*: Et *lib. 4. epist. 51. Nec res impetratione difficilis est: nam quod plerisque sua inuidia laborantibus Imperialis remisit humanitas, id Patris nomine postulatum multo æquior venia relaxabit. Proficiet ista concessio etiam temporum gloria, si quod beneficiis Principis deerat, pius successor adiecerit.*

De HERACLIANO *Tyranno: deque gestis sub eo.*

XIII. *(a)* Impp. HONORIVS & Theodosius AA. Hadriano PF. P. (b)

HERACLIANI vocabulum, nec priuatim, nec publice vlla memoria (c) teneat, ideoque submouenda esse censemus, (d) quæcunque sub eo gesta esse dicuntur. Libertates quoque (quoniam certum est, scelere eius sollemnitatem Consulatus (e) esse pollutam) (f) in melius reuocamus: sciatque dominorum voluntas, iterandum esse, quod illo auctore aduertit stare non posse. Semel tamen mutatæ condicionis beneficium inplendum esse præcipimus, & ita repeti manumissionum consuetudines (g) nunc iubemus, vt nullus sub hac occasione incipiat nolle quod voluit. Dat. III. Non. Aug. Rom. (h) Post Consf. Hon. IX. & Theod. V. AA. Coss. (413.)

NOTÆ.

(a) Abest & *hæc lex a Cod. Iustinianeo.* GOTHOFR.

(b) *Hadrianus* PP. Italiæ sub Honorio. *ID.*

(c) Id est, vllum scripturæ seu gestorum genus, Eadem voce hac in re vsus Libanius *Panegyrico in Iuliani COS. p. 230. Edit. Morell.* ibi πολλὰς ἀνάγκας τῆς μνήμης ἐχούσης, *memoria eius ad varios vsus necessaria. ID.*

(d) id est, iubemus.

(e) *Solemnitatem Consulatus* vocat, solemnia manumissionum, a Consulibus Magistratum ineuntibus celebrari solita: ita & Claudianus, *Panegyrico in quartum Honorii Consulatum v. 612.*

Te Fastos ineunte quater, solemnia ludit

Omnia libertas.

Huius porro moris & manumissionis, *auctore* (vt *hæc lex* loquitur,) Consule Magistratum ineunte, exempla obuia apud Libanium, Ammianum, *lib. 22. c. 7.* Claudianum, *superiore loco.* Sidonium, *Carm. 2. sub fin.* denique & Cassiodorum *in formula Consulatus lib. VI. Var. 1.* qui inter alia Consulatus munia & argumenta ponit, soluere famulos iugo seruili: vid. & *leg. vnic. D. de officio Consul.* De hac plene vid. Fabrum *II. Semestrium 21.* & ad *tit. de origine Iuris. ID.*

(f) *Polluta.* Ita quoque Claudianus *in Eutropium lib. 2. v. 38. ID.*

(g) *Consuetudines*, supra, solemnitas, & solemnia manumissionum. *ID.*

(h) *vt Rau.* Similis error in *l. vlt. supr. de Scen.* vid. & quæ scribam ad *l. 55. infr. de hæreticis. ID.*

COMMENTARIVS.

HERACLIANVS (quo de abunde dictum ad *l. 21. supr. de Pœnis:* cui etiam inscribuntur *lex 51. 56. infr. de hæreticis:*) sub Honorio in hostem publicum seu Tyrannum euaserat hoc ipso Anno 413. cuius etiam initio Consulatum adsecutus fuerat: verum profligatus mox a Marino Comite fuit. Quare, pro more, Consulatus eius ex Fastis erasus: quod *hac* quoque *leg.* fieri iubetur, (quo de more dixi plene ad *l. 17. supr. de Pœnis*; & fidem quoque iam fecit *lex 9. supr. hoc tit.*) Ita quidem, vt ex *omni memoria*, id est, ex omnibus gestis priuatis, publicis, nomen ipsius Consulatus submoueri expungique Honorius

norius *hac leg.* iubeat: vocabulumque eius nec priuatim, nec publice, vllam memoriam tenere velit: omniaque ideo submoueri, quæ sub eo gesta fuerant: Exceptæ Biennio post, Constitutiones, quæ ab Honorio ad ipsum aduersus Donatistas latæ fuerant: eas quippe valere voluit Honorius quod docebit *lex. 51. infr. de haeret.* Imo & (quæ extensio *hac leg.* continetur) Manumissiones eo Consule auspice atque auctore celebratas, inutiles in præsens esse iubet Honorius: Ita tamen vt non penitus reuocari, verum *renouari* atque in melius *iterari repetique*, & quidem necessario, velit. Nempe enim spontanei actus sub Tyrannis non Consulibus forte (ac nominatim Emancipationes & Manumissiones cæsis Tyrannis non reuocantur, *hac leg.* & *d. l. 5. 8. 9. supr.* Quia scilicet in his omnibus voluisse sat iuris est (vt loquitur *d. l. 8. in fin. supr.*) vel, vt *hac lex* inquitur, *nullus incipere potest, vel doles nolle, quod voluit*, (semel scilicet.) Ita manumissiones vitio factas atque iniustas, iniusto inquam auctore & Consule, iterari, seu repeti *hac leg.* vult Honorius. Quæ *iteranda* manumissionis ratio iure communi in aliis speciebus cernitur. Iniusta inquam libertas repetenda, iteranda, instaurandaque erat sæpe, iusta vt esse posset. Sic & Latina libertas, quæ & ipsa iniusta erat, iteratione iusta fiebat, vt docet Vlpianus *in fragm. tit. 3. §. 4.* & Plinius *lib. 7. epistolar. 16.* quod nouum beneficium vocatur apud Tacitum *lib. 13. Annal. c. 27.* (pariter vt hic prima manumissio, vocatur *mutatæ conditionis beneficium*) apud Plautum *Menæch. Act. 5. scen. 9. v. 88.* vocatur *melius auspicium*, sicut *hac leg.* Honorius ait se libertates in melius reuocare. Eadem quoque olim ratione sacra ludosque si minus rite processissent, iterari seu instaurari mos erat: de quo nota sunt & obuia iam Authorum testimonia: vide vel Seruium *ad III. Æneid. v. 231.* & *279.* Addendus & insignis Ammiani Marcellini locus, (Atenim hanc ad rem nostram nondum ornatus, quia & inemendatus, prout eum ipse iam alibi ad *leg. Barbarins, p. 31.* & *pag. 534. Oper. minor. Gothofr. Edit. Troz.* restitui:) *lib. 22. c. 7. Mamertino* (Consule) inquit, *ludos edente Circenses, manumittendis ex more inductis per admissionum Proximum, ipse* (Iulianus superioris anni Consul) *lege agi dixerat vt solebat: statimque admonitus, iurisdictionem ad alterum* (Mamertinum scilicet huius anni Consulem) *pertinere, vt iterato obnoxium Decemuiris errorem & ipse mutauit:* vbi hactenus legitur, *vt errato obnoxiam Decembris auroram & ipse mutauit*, paulo propius ad verum Codex Vaticanus, referente doctissimo Valesio, *vt terrato obnoxium Decembris auroram*, &c. Qui quidem Marcellini locus eo magis obseruandus, quod & ipse de manumissione est: & necquicquam ad huoc diem refingitur: omnibus tamen in id consentientibus, vocem *Decembris* hic stare non posse, quæ etiam a nonnullis libris abest.

Post hæc ita a me scripta & *hic*, & ad *leg. Barbarins:* monuit me per epistolam Eximius & Cl. Vir D. Serrauius Senator Regius, Doctissimum Valesium hunc Marcellini locum ita nunc emendare; *vt errato obnoxium decem libris auri semetipse multauit.* Verum quis fando vnquam audivit, vt quisquam; non dicam Principum, sed vel Priuatorum, sibimetipsi multam imponat? * Deinde quo nunc ea inferenda? in fiscum? atqui is ipse Principis est. Tertio, quis multæ locus vbi errore tantum quid admissum est? Quid igitur? Marcellinus id aperte eo loco indicat, sicut Iurisdictio ad Collegam eo die pertinebat, ita Iulianum admonitum per errorem a se factam manumissionem *mutasse*; id est, reuocasse. *Mutare*, non est tantum reprehendere, improbare, in se vel in alio; sed etiam reuocare, in irritum deducere: vt in illo Terentii. *Andr. Act. 1. sc. 1. v. 13. Haut muto factum:* & Liuii *lib. 37. cap. 7. Nihil impetratum vt mutaret Consul*, id est, non mutauit quod de eo erat factum, ratumque esse voluit. Et contra Cicero *ad Attic. lib. 13. ep. 52. Tum audiuit de Mamurra, vultum non mutauit.* Tandem quid multæ illi cum erronea manumissione? qua non ideo factum illegitime mutatur. Quid igitur? mutatio isthæc Iuliani iterationi locum faciebat; haud aliter atque si priuatus legitimum quem actum, & nominatim manumissionem non rite peregisset: *ET IPSE*, inquit Marcellinus, *mutauit*, nempe priuatorum instar: & sic vtraque vox optime inter se respondet, *iterato*, & *mutauit:* error scilicet mutationi obnoxius, atque ideo *iteratiom*: quæ ipsa alioquin *iterandi*, vt & *repetendi* vox in eadem re hic occurrit.

* Doctissimus Valesius in obseruat. ad Marcell. *l. c.* scribit, emendationem supra citatam magnopere probasse Sirmondum, Rigaltium, Serrauium, solum repertum esse Gothofredum, qui cum hunc locum aliter, sed prorsus infeliciter emendasset, emendationem improbaverit, ob id præcipue, quod nouum ipsi visum, a semet ipso quemquam multari, Adducit tamen eius rei exemplum Valesius ex Augustino. Et si dicendum, quod res est, Valesii emendatio est Gothofrediana accuratior, existimoque nostrum, nemini persuasurum esse, respexisse Marcellinum ad Decemuirum disciplinam, iuxta quam iterabantur sacra, ubi prima displicuerant, aut iure forte non processerant.

P.417 XIV. (a) Idem AA. Constantio (b) Com. & Patricio. (c)

SVB clade Barbaricæ depopulationis, si qua aut per fugam, aut per congregationem infelicium populorum, indigne inuidioseque commissa sunt, ad inuidiam placatarum (d) rerum, a callidis (e) litigatorum obiectionibus, non vocentur: (f) Habeant omnium criminum inpunitatem, qui euadendi forsitan non habuerant facultatem, nisi eos eadem crimina iuuissent. (g) *Non* Enim *crimen dicitur, quod* (h) *mortis adegit inpulsus.* Ex quo animaduertere cunctos litigatores congruum est, si quid deprædationis agnouerint, se recepturos, si tamen in eorum quos pulsauerint, facultatibus abundare, aut residere id, potuerint conprobare. Dat. Kalend. (i) Mart. Rau. DN. Theod. A. VII. & Palladio V. C. Coss. [416.]

INTERPRETATIO *Quicumque hostium terrore compulsus, dum* (k) *mortem timet excipere,*

pere, ad deprædandum se cum hostibus fortosse coniunxerit, non propter hoc vocetur ad crimen, quod pro conseruanda vita fecit inuitus. Sane si quid apud eum de præda resederit, & residuum inuenitur, quod euidenter agnoscitur, hoc solum reddere domino sine calumnia compellatur.

NOTÆ.

(a) Abest & *hac lex* hoc titulo fugitius a *Cod. Iustin.* velut temporaria. *GOTHOFR.*

(b) *Constantius* Comes & Patricius sub Honorio. Hic idem est, qui iam inde a Theodosii M. temporibus, multis obitis Militiæ muneribus, Magister militum factus & Patricius, mox & bis Consul, Placidiæque maritus: tandem & Imperator, et Valentiniani III. Imperatoris pater exstitit: vid *Prosopogr. ID.*

(c) *Patricii* dignitas, alterius dignitatis accessio fuit. Sidonius *Carm. 2. de Anthemio v. 205.*

——————vtrique Magister
Militia, Consulque micat coniuncta potestas
Patricii.

vide quæ dixi plene *supr. lib. 6. tit. de Consulib. Præfectis Prat.* &c. *ID.*

(d) Forte *pacatarum*: sed tamen & hoc sustineri potest. *ID. Placatarum legum* edidit Sichard. *RITTER.*

(e) MS. G. & Sichard. *a callidis litigatoribus obiectionibus* &c. *ID.*

(f) *Reuocentur. GOTHOFR.*

(g) Recte *inuissem*, neque mutandum in *inuoluissem*. *ID.*

(h) *γρ. quæ. ID.*

(i) *XVI. Kal. Mart.* MS. G. *RITTER.*

(k) *Dum timorem atque mortem.* MS. G. & Sichard *ID.*

COMMENTARIVS.

BARBARAS Gentes (puta Vandalos, Alanos, *Burgundiones*, Gothos, hac tempestate imperium Romanum, & in his quidem Pannoniam, Illyricum, Italiam, Gallias, Hispanias, *depopulatas*, notissimum est: Quæ hic *clades Barbarica depopulationis* dicitur. Quo eodem tempore, & FRANCI iam inde ab Anno D. 409. vltro a Gallis intromissi, prima Nobilissimi per Gallias Francici regni fundamenta feliciter iecere. Sub illa igitur Barbarica, ac nominatim Gothorum per Gallias & Hispanias depopulatione, alii mortis impulsu adacti fuga sibi consuluerant: alii infelices congregati in vnum fuerunt: Quod etiam Saluianus *lib. 5. de gubernat. Dei c. 5.* testatur, nempe infelices populos, vel ad Barbaros fugisse, seu migrasse. Quod hoc ipso Anno, vel sane proximo scribit quoque Orosius, *lib. 7. cap. 41.* vel ad *Bagaudas*, id est, in vnam factionem congregatos: Hac occasione, eoque tempore multa indigne & inuidiose ab his commissa fuerant: multæ deprædationes exercitæ. Quare cum *Placatis*, vel pacatis iam rebus, in ius eo nomine a priuatis litigatoribus miseri multi vocarentur, Honorius hac humanissima constitutione sua horum eis criminum indulgentiam facere impunitatemque indulgere voluit *hac leg.* (quæ *hoc titulo* fugitiua melius posita fuisset sub *titulo de indulgent. crimin.*) hac eleganti ratione addita: *Non enim crimen dici, quo mortis impulsus adegit: Criminumque impunitatem eos habere oportere, qui forsitan non habuerunt facultatem euadendi, nisi eos eadem, cum Barbaris scilicet, crimina inuissent.* Omnis scilicet parte hac & periculo expediendæ salutis honesta ratio est. Multosque sæpe necessitas in crimen trahit, non voluntas, ut loquitur Ammianus Marcellinus *lib. 26. cap. 9.* & vt idem loquitur *lib. 14. cap. 5. Ausi nonnulli conspirasse Magnentio* (Tyranno) *cum reniti non possent.* Et vt recte Seneca *Octav Actu 3. v. 886.*

Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens. Et Chrysostomus *in cap. 1. ad Ephes. hom. 2. edit. Comel. p. 1043.* & *pag. 13. Tom. XI. Oper. Edit. Benedict.* ἴσασι καὶ οἱ νόμοι τοῖς ἐξ ἀνάγκης συγγνώμην ἁμαρτήμασι, *sciunt etiam leges ignoscere peccatis, quæ fiunt ex necessitate.* Haut absimilis sane clementiæ distinctio est eiusdem Honorii in specie *leg. 1. supr. de indulgent. crimin.* post Attali Tyrannidem sublatam. Et alioquin eadem prorsus ratione subnixas indulgentias alias, quod scilicet conditio loci & necessitas mortis sæpe hac parte excusare debeat, bellis forte ciuilibus, vel per Tyrannidis tempora obseruant Politici. Duo tantum, quæ re & verbis concordant nunc adferam. Ita sane quoque Aurelianus Antiochenses, qui a partibus Zenobiæ steterant, eaque capta sese ad Barbaros receperant, propositis Edictis promissa impunitate reuocauit: τῷ ἀκουσίῳ καὶ ἀναγκαστῷ πλέον ἢ προαιρέσει τὰ συμβάντα ἀναθεὶς, *potius ad coactionem & necessitatem, quam voluntatem & arbitrium animi relatis iis, quæ accidissent*, vt scribit Zosimus *lib. 2. cap 51.* Ita Iulianus Imp. capta Aquileia, ipsos quidem tumultus bellique Auctores & instinctores vltimo supplicio affecit; *residui omnes abierunt innoxii*, (id est, ita pepercit, seu concessionem delictorum & veniam tribuit) *quos in certaminum rabiem necessitas exegerat, non voluntas: id enim æquitate pensata statuerat placabilis Imperator & clemens*: vt loquitur Ammianus Marcellinus *lib. 21. cap. 12.* vid. & eundem *lib. 22. cap. 8. in fin.* Contra sæui Principes fecere, deque iis etiam supplicium sumpsere qui Tyranno adfuissent, εἴτε ἑκουσίως, *siue sponte*, vel ἐκ προαιρέσεως, εἴτ' ὑπ' ἀνάγκης, *ex animi arbitrio vel necessitate*, quod de Seuero memorat Herodianus *lib. 3. cap. 4. & 8.* p. 418
Huc adde & Clementiam Valentis post Procopii Tyrannidem sublatam, quam memorat Themistius *orat. 9. p. 207. 208. Edit. Petau. 1613. Flexia in 8.* οὐ γὰρ τῆς ἴσης τιμωρίας ἀξίους ᾠήθης τούς τε ἐξ ἀρχῆς βουλεύσαντας τὴν ἐπανάστασιν καὶ τοὺς ὑπὸ τῶν ὅπλων παρασυρέντας, καὶ τοὺς ἤδη τῷ δοκοῦντι κρατεῖν ἐπικύψαντας: ἀλλὰ τῶν μὲν καταγνοὺς, τοὺς δὲ ἐμέμψω, τοῖς δὲ συνήλγησας, *non enim eadem animaduersione dignos iudicasti cum iis, qui perduellionem ab initio animo conceperant, eos, qui impetu armorum abrepti fuissent, aut ei cessissent, qui iam vicisse omnia crederetur: sed illos quidem merito condemnasti, alios verbis castigasti, cum postremis condoluisti.* Adde & quæ de Vrbis magnæ scripto quodam contumelioso tempore Tyrannidis, aduersus Imp. similiter scribit Libanius *orat. post. concil. 13. pag. 413. Edit. Morell.* τὸ δὲ μέγιστον, οἱ μὲν τυραννούμενοι τὰ τοιαῦτα ἔγραφον, καὶ οὐκ ἦν αὐτῶν μᾶλλον, ἢ τῆς ἀνάγκης, πα-

παρὰ τῦ δεσπότου, ἤτοι φανερῶς κελεύοντ@, ἢ καὶ παραδηλῶντ@ ὅτι βέλοιτ' ἂν αὐτῷ τὰ τοιαῦτα δίδοσθαι: ὃ δὴ δίκαιον ἐνόμιζε λαμβάνειν δίκην, ὧν τινες ἐβιάσθησαν ἡνίκα ἐδούλευον, quod autem maximum est, qui talia scripserant tyrannide oppressi erant, neque tam id ipsorum insolentia, quam necessitati a damno inuecta tribuendum erat; nempe cum ille aperte iussisset, aut etiam declarasset se velle, hac ipsi concedi: non iustum erga censuit pœnas sumere eorum, ad qua nonnulli adacti fuerant cum seruituti addicti essent. Ita tamen criminum & degradationum indulgentia ab Honorio *hac leg.* præbetur, vt nihilominus si priuati, rebus pacatis, res suas apud eos deprehendant, eas repetere via iuris possint. Quod ius commune est & Tralatitium, de quo & ad *l. 5. supr.* etiam ex Suetonio *in Vespasiano*: idque hodie vsui esse potest, sopitis siquando bellis ciuilibus.

Porro de duobus *hac leg.* dispiciendum est: Primum de *Constantio*, cui *hac lex* inscribitur, vt ita de Secundo quoque liquere possit. Constantius igitur hic ex Illyrico, iam inde a Theodosii M. temporibus multis militiæ muneribus obitis, (quod docet Olympiodorus *apud Photium*) sub Honorio Magister militum (quod etiam docet *lex. 34. supr. de erog. mil. ann.*) simul cum Ulphila Equitum Magistro, Constantinum Tyrannum in Gallis Arelate deuicit: (quod testatur Olympiodorus, Orosius, Sozomenus, & Idacius *in Chronica*: idque Anno Domini 411. post Consulatum Varanæ:) Atque inde in Gallis Tyrannis aliis & Barbaris oppositus, ac nominatim Gothis, quorum Rex Ataulphus apud Narbonam consistebat, atque inter alia ab eo Placidiam nomine Honorii repetebat, vt idem Olympiodorus scriptum reliquit, & Orosius, (vel hoc Anno, vel proximo 417. scribens) Hic itaque Constantius Anno 414. Consul factus est vna cum Constante: Ita quidem vt ad Consulatus impensas ab Honorio Heracliani proscripti bona vno petitorio consecutus sit, eodem *Olympiodoro* teste. Hic idem mox *Patricii* dignitate auctus fuit (quod *hac lex* testatur: itemque hoc ipso Anno, Idacius *in Chronico*:) Hac Patricii dignitate, & Comitiua, Magisteriaque militum instructus, Constantius annis superioribus 414. 415. & hoc Anno in Gallis hærebat: quod ex eodem Idacio *in Chronico* colligitur, & ex *Orosio*: Et quidem *Gothis* in Gallia oppositus, qui Narbonæ sedem suam Regiamque constituerant. Eius tandem opera effectum est, vt Ataulphus Rex Gothorum, relicta Narbona Hispanias peteret *an. 414.* vbi (vide *Idacium & Orosium*) apud Barcinonam iugulatus fuit *an. 415.* cui Wallia postea in Regno succedens, cum Patricio Constantio pacem iniit, atque Alanis & Vandalis sese opposuit hoc *an. 416.* vid Orosium *ead. an.* * Pulsi itaque a Patricio Constantio Gothi e Gallia in Hispaniam: & sic a Barbarica hac parte, depopulatione Galliæ liberatæ fuere. Atque hæc de Constantio ad hanc vsque diem & annum: Nam cætera, quæ deinceps hunc eundem spectant, veluti quod Placidiam (de qua supra) Honorii sororem vxorem acceperit, A. 417. quod eodem Anno secundo Consul fuerit, quod Gothi per hunc Constantium reuocati, sedes in Aquitania, a Tholosa ad Oceanum vsque acceperint Anno 418. quod Valentinianus III. postea Imperator ei ex Placidia Anno 419. natus fuerit; quod Tertio Consul factus fuerit Anno 420. quod Anno 421. in consortium Imperii ab Honorio ascitus fuerit, eodemque Anno, septimo Imperii mense, mortuus sit. Hac inquam omnia, *hac lege* posteriora sunt: de quibus interim consulendus Olympiodorus, *apud Photium*, Idacius, Prosper, Alii. Liquet itaque hunc Constantium Patricium per hos Annos in *Gallis* Magistrum militum egisse, *Gothis* & quidem Narbonæ positis, oppositum; quos tandem Anno 414. e Gallis in Hispanias fugauerit. Atque ita quadamtenus pacatæ res in Gallia hoc tempore visæ sunt: quod *hac lege* nominatim indicatur his verbis: *Sub clade Barbarica depopulationis, si qua aut per fugam, aut per congregationem infelicium populorum, indigne inuidioseque commissa sunt, admuidiam PACATARUM rerum callidis litigatorum obiectionibus non vocentur.* Barbarica *depopulatio*, est *Gothica* per Gallias: per *pacatas* vero *res* indicatur, Gothos Gallia iam pulsos Constantii opera. Quibus ante ab Anno 413. Gallias depopulationibus infelices ea parte Galliarum populi vel fuga consulere sibi, vel aliter per congregationem indigne & inuidiose quædam committere coacti. Quorum omnium indulgentia nunc tribuitur hac constitutione ab Honorio Imp. ad Constantium Comitem & Patricium emissa. Quæ neque ab his nunc Constantii moribus abeunt, quem Olympiodorus *apud Photium Cod. LXXX. pag. 195. Edit. Schott.* χρημάτων κρείττονα, *nulla auri cupiditate flagrantem*, vocat.

Secundo, *infelicium populorum congregatio*, hac *leg.* proculdubio nihil aliud est, quam *Bagaudarum*, siue Bagaudica congregatio, coitio Gallorum quorumdam & humiliorum, qui partim iniquitate Iudicum Romanorum oppressi, partim metu Barbarorum seu Gothorum, in societatem quandam & Corpus coierant, ipsique semet, quantum poterant, vindicabant; vt res iam nota est, iam inde a Diocletiani temporibus Bagaudam pro congregatione infelicium populorum, tumultu populari, motu agrestium & humiliorum acceptam: (de quo videndus Eumenius in *Panegyrica pro Scholis instaurandis c. 4.* Hieronymus *in Chronico*, Victor Schoti, *cap. 39.* Eutropius *lib. 9. c. 13.* Orosius *lib. 7. c. 25.* & Pæanius interpres Græcus *Eutropii*:) Ita Bagaudas hos, nominatim hoc ruentis Imperii tempore, per Gallias, quin & Hispanias extitisse, & Saluianus ipse Gallus tam de Gallis, quam de Hispanis, *lib. 5. de gubern. Dei. cap 6.* prolixe ostendit: & Idacius *in Chron. non vno loco*, de Bagaudis Hispanis, ipse Hispanus. Cumprimis Saluianus legendus est; vbi hæc inter alia obseruentur: *Et imputatur his INFELICITAS sua: imputamus his nomen calamitatis sua, imputamus nomen quod ipsi fecimus: & vocamus Rebelles, vocamus Perditos, quos esse compulimus criminosos. Quibus enim aliis rebus Bagauda facti sunt, nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus Iudicum, nisi eorum proscriptionibus & rapinis, qui exactionis publica nomen in quæstus proprii emolumenta verterunt & indictiones tributarias, prædas suas esse fecerunt.* Tandem in *Appendice Codicis Theodosiani* nuper edita extat *Constitutio* 19. ad hunc *Constantium V. Inlustrem Patricium*, sub characterismo, Anni proximi 417. aduersus eos, qui libertos vt seruos emere vel inquietare, atque in seruitutem reuocare eum volebant: quod & ab *huius legis* argumento haud adeo alienum est. Verum quid de *illa Appendice* sentiendum sit, in *Prolegomenis* iam ostendimus.

QVO-

* Consule hic *ANTON. PAGIUM in Critic. ad Annal. Baron. an. 415. num. 25.* qui probat accurate, partim ex Orosio, partim ex lege nostra, Walliam Gothorum Regem pacem pepigisse cum Romanis, Placidiamque reddidisse, initio *anni 416.* Ataulphum vero interiisse iam *anno 415.* Gothofredus in *Chron. Histor.* errorem admisit, qui ex dictis corrigendus est.

QVORVM VSVS INTERDICTVS EST.

T I T V L V S XV.

LIB. XI. COD. IVST. TIT. XLVI. vbi *Titulus* clarius pleniusque ita conceptus est, *Vt Armorum vsus inscio Principe interdictus sit.* Est igitur hic *Titulus;* Primo, De *vsu* Armorum. Secundo, De *Fabrica* armorum fuit *supra, titulus 22. lib. 10. de Fabricensibus.* Tertio, De commercio Armorum, *alibi.* Titulus porro hic isto loco positus est (proxime post *Titulum de infirmandis his quæ sub Tyrannis, vel Barbaris*) quia ii, qui arma mouent secundum Tyrannos, & Barbaros, tertium genus eorum sunt, a quibus pax publica turbatur.

De ARMORVM *vsu interdicto: Valentiniani Sen. lex.*

I. (a) Impp. VALENTINIANVS & Valens AA. ad Buleforum (b) Conf. Campaniæ.

NVLLI (c) prorsus, Nobis insciis adque inconsultis, quorumlibet (d) armorum mouendorum copia tribuatur. (e) Dat III. Non. Octobr. Altino (f) Diuo Iouiano & Varroniano Coss. [364]

N O T Æ.

(a) *Lex vnic. Cod. Iust. eod. tit.* Iungenda autem *huic* est *lex 2. supr. quibus equorum vsus concessus est lib. 9. tit. 30.* GOTHOFR.

(b) *Buleforus* sub Valentiniano Consularis Campaniæ fuit Anno Domini 364. Aliorum Campaniæ Consularium nomina repete ex *Notitia nostra. ID.*

(c) Siue priuato seu Pagano, siue militi, si non hic intra eam prouinciam, vbi militat, consistat; verum intra eam Prouinciam versetur, vbi alias nullus miles erat: de quo mox. Quanquam neque eo respexisse puto Valentinianum: verum ad Paganos nonnullos, qui excipiendi videbantur, vel saltem excipi se volebant. *ID.*

(d) Siue ad offensionem, siue ad defensionem: & vt Interpretes barbare, *defendibilium & offendibilium. ID.*

(e) Etiam a te Consulari Campaniæ. *ID.*

(f) *Altini* hoc tempore consistebat in Italia Valentinianus Sen. *huius leg.* Auctor, vbi & aliæ Constitutiones ab eo editæ: veluti altera illa, cuius partes sunt *lex 16. quorum appellat. lex vnic. de Nautis Tyberinis: l. 7. de Pistoribus: l. 7. de Pœnis:* quæ omnes *datæ Altino* ideo dicuntur. Nempe Valentinianus, diuiso cum fratre Imperio, Sirmio in Pannonia digressus, mox Mediolanum tendens, *Emonam, Aquileiam, Altinum, Veronam* transiisse ex Constitutionum subscriptionibus deprehenditur. Quod quidem Altinum in Prouincia Venetiarum erat: vid. *Vibiorem Schotti cap. 16. & Itiner. Peutinger. ID.*

C O M M E N T A R I V S.

VALENTINIANI Sen. hæc constitutio est, non *Theodosii*, vt perperam nonnulli eam allegant, & in his quoque Menochius *de Arbitris*, de interdicto Armorum vsu, & vt vnico verbo vtar: de EXARMATIONE. Quæ quidem *lex* (quod primo loco hic notandum) prolixioris constitutionis Valentinianeæ ad Buleforum Consularem Campaniæ emissæ pars est: vnde alterum quoque caput superest *hoc Codice*, puta *lex 2. supr. quibus equorum vsus:* quæ proinde *huic legi* coassanda venit, ceu eiusdem constitutionis pars: & vero coassata *huic* nostræ magnam lucem accendit: Quin & hac ratione varii admodum Interpretum ad *hanc leg.* (quæ *Codici Iustinianeo* quoque inserta est) errores nebulæque dispelluntur: Contra, de vera *huius leg.* nostræ sententia sineque iudicium fieri liquido potest.

Ergo Valentinianus Sen. *hac lege,* per *Campaniam,* nominatim Italiæ prouinciam, ipse Venetiarum Vrbe, *Altini,* consistens (de quo iam in *Notis:*) *ARMA, quæcunque illa sint, a quocunque tandem, nisi suo, (Principis) permissu, moueri vetat.* De ipso primum interdicto, tum de duabus illis Ampliationibus, tandem de Limitatione seu Determinatione vel etiam *Exceptione* videamus: tot enim partibus *hac lex* constat, Tribus inquam his.

Initio, quid per ARMA MOVERE *hac leg.* intelligendum sit, atque adeo quid hoc Interdicto contineatur, anxie quæritur: quia, quod censent Interpretes, (& in his *Lucas de Penna*) arma multis modis mouentur: bellum gerendo, pugnam seu prælium agendo, (Arma quippe mouere, vt ait Seruius in *XII. Æneid. v. 6.* dicuntur homines cum hostem petunt:) seditionem aut tumultum, vim aut violentiam, aliudue crimen committendo. Illud saltem in confesso esse debet. Primo, Non de *Fabrica* armorum hic agi (ad quam spectat *titulus* de *Fabricensibus supr.* Secundo, non de *commer-*
P.420. *cio* armorum, (de quo est *Nouella Iustiniani de armis 85.*) Tertio, Item non interdici hic *possessione* armorum. Quarto, Sed neque *hac leg.* subditos & quidem Campanos, armis multari, quod & olim deditis hostibus, & vrbibus captis sæpe factum; sed & memoria patrum nostraque vsurpatum: quin & ad tumultum cohibendum, & exturbanda latrocinia, de quo postea quoque aliquid. Neque quidquam contra mouere debet *d. l. 2. supr. quib. equorum vsus:* (quam *huic* coassandam diximus) qua Valentinianus, per Campaniam pariter, interdicit *habendorum* Equorum licentia. Equorum quippe possessio & vsus eadem sunt; quia neque eorum possessio a vulgo, nisi ad vsum quotidianum habetur: Cæterum, Equorum vsus olim non erat in vrbibus, quia equis in vrbibus sedere vetitum erat; neque per casualis Prouincias equorum vsus tuti erat: quia solum bubus exercebantur; quare non habebantur equi, nisi ad vsum itineris, quod *ea leg.* prohibetur: Sic igitur qui habere equos prohibentur, vti equis prohibentur. Quinto, Sed neque hic per *arma mouere* intelligendum, *bellum inferre*, seu *Guerram inchoare*, quod quidam minus belle tentant, vel etiam censent, atque adeo de bello ferme ad *hanc leg.* prolixe tractant. Quod absurdum. Quid enim? An quisquam hanc licentiam a Principe petierit: an quisquam Principum id concesserit, quomodo sane armorum mouendorum licentiam peti quandoque a Principe potuisse, seque adeo concessurum Valentinianus *hac leg.* ait, ibi, *Nobis insciis atque inconsultis*; id enim & a Maiestatis iure in commune recedit, & Historiæ Romanæ prorsus aduersatur. Quid quod vox *Quorumlibet* ostendit, hic agi de armis materialiter, non metonymice sumptis. Sexto, Non est item *hac leg.* Arma mouere, *gladium in Palatium Principis* nominatim ferre, quod *hac leg.* prohiberi quidam scribit, veluti Bulleng. 2. *de Imp. Rom. cap. 16. pag. 134.* de qua alioquin prohibitione agit Angel. *ad l. armatos. 9. D. Ad leg. Iul. de vi.* Socin. *Reg. 48.* Laudens. *tract. de Principis Priuileg. 632.* Quo sane more nonnulli olim ad Imperatorum salutationes non admissi, nisi positis armis, & explorato a discussore sinu, de quo *Tacitus* & *Dio.* Quod ab *huius legis* verbis & sententia longissime recedit; atque inter alia, quod hæc interdictio Campaniam spectet, cuius Prouinciæ Consulari ideo inscribitur: vbi sane tum Valentinianus Imperator non erat, verum Altini, Venetiarum Vrbe, quod *huius leg.* subscriptio docet. Tandem igitur *arma mouere* hic est, *armis in itinere vti*; arma ἐνόδια seu vialia gestare ὁπλοφορεῖν, ξιφηφορεῖν: de primo quidem, argumento Rubricæ, *Quorum VSVS interdictus est*; Equis enim alta pace, (vt hoc æuo per Campaniam erat) alius armorum vsus fingi possit. Secundo, proprietate vocis *mouendi*, quæ propria de hoc armorum vsu & gestatione: sic Manilius huius æui Scriptor *Astronom. lib. 5. v. 85.*

Aut solo vectatus equo; nunc arma mouebit.

Et in *veteri Epigrammate:*

——— *Et in morem militis arma mouet:*

Et generatim signanter ea *moueri* dicuntur, quæ ab iter facientibus vsurpantur: Sic & *cursus moueri* dicitur: *l. 2. supr. de Curios. l. 11. supr. de curs. publ.* Sic & *miles moueri* quoque dicebatur, cum iter faceret: *l. 7. d. tit. de curs. publ.* *Mouere* exercitus, absolute apud Cassiodorum, *non vno loco.* (Alio quippe sensu *actio moueri* dicitur, pro intentari: *l. 4. Cod. Iust. de Præpos. Sac. Cubic. l. 3. C. eod. de quadr. præscript.*) mouere carpentum & equos, apud Pseud. Querolum *p. 33.* Quæ si Decianus sciuisset, non putasset, *mouere arma*, pro *portare* *inconuenienter* reddi. Tertio, & Scriptores quoque alii huius interdicti meminere, Armorum, videlicet a priuatis non gestandorum. Mitto Ammianum Marcellinum de quo postea. Synesius quoque *epistola 107.* (quadraginta circiter post *hanc. leg.* annis) scribens, οὐκ ἐξὸν ἰδιώτας ἀνθρώπους ὁπλοφορεῖν, *non licet priuatis arma ferre.* Tandem, quod validissimum, ea coniunctione *l. 2. supr. quibus equorum vsus concess.* id cum maxime firmatur. Ita quidem, vt de ratione & fine huius prohibitionis exinde liqueat; Exinde scilicet apparet, Campaniam prouinciam a latronibus tum infestatam fuisse. *Vt*, inquit, *omnes latronum conatus debilitati conquiescerent*, (quod *ea leg.* diserte dicitur,) duo hæc Valentinianus constitutum iuit. Primo quidem interdixit equorum vsu pastoribus, qui latrocinii infamia laborabant: (de quo *supr. tit. ne Pastoribus fil. dent. nutr.*) & quidem Pastoribus rei priuatæ: vt & Procuratoribus & Actoribus Senatorum. Secundo, armorum mouendorum seu gestandorum in itinere priuatis omnibus citra Principis licentiam interdixit. Hæc duo scilicet ferme instrumenta sunt opportuna patrandis fouendisque latrociniis, equi, armaque. *Arma* inquam, quod de abactoribus nominatim dicitur, *l. 1. §. 3. l. 2. D. de Abig.* Et a Paulo *V. Sent. sub tit. 18. de Abigeator. §. 2.* apud Auctorem collationis legum Mosaicarum *tit. 11. §. 2.* *Atroces*, inquit, *Abactores sunt, qui equos & greges ouium de stabulo, vel de pascuis abigunt, si vel id sæpius, aut a ferro conducta manu faciunt.* Ita enim locum illum legi oportet. *A ferro conducta manus est*, ferro seu armis instructa accinctaque.

Ergo prohibita *hac leg.* per Campaniam ὁπλοφορία seu armorum ἐνοδίων gestatio, ad prohibenda videlicet latrocinia. Quæ caussa etiam est cur hic *titulus* superiori, qui est de *infirmandis his, quæ sub Tyrannis aut Barbaris gesta sunt*, proxime cohæreat, quia post Tyrannos & Barbaros, latrones tertium hominum genus sunt, a quibus pax publica turbatur infestaturque. Sic sane & Iustinianus inter alia Mandata & istud Præsidibus prouinciarum inculcat: *Nouell. 17. cap. vltim.* πρὸς τοῖς ἄλλοις μηδὲ ὁπλοφορεῖν τῶν οὐχὶ στρατιωτῶν τινὶ συγχωρήσεις, *præterea non permittes cui, qui non militat arma ferre.* Imo sic olim tralatitium fuit, in metu tumultus vel latrocinii, vel ad ea deinceps inhibenda, telorum vel armorum, prout res esset, modo commercio, modo possessione, modo vsu, vel in commune omnibus, vel nonnullis saltem personis interdicere. Ita Cicero, *Verrin. 5. cap. 3.* & Valer. Max. *lib. 6. cap. 3. n. 5.* Edictum L. Domitii Prætoris Siciliæ memorant, ad exturbanda latrocinia, quibus prouincia infestabatur, *ne quis telum haberet.* Sic idem Cicero *eodem loco*, in eadem Sicilia Edicta Prætorum, ob bellum fugitiuorum seruorum memorat, *vt ne quis seruus cum telo esset.* Ita simile Pompeii quoque Edictum memorat in ipsa Vrbe Roma, ad tumultum cohibendum. Plinius *lib. 34. cap. 14.* *Magni Pompeii in tertio Consulatu extat edictum. in tumultu necis Clodianæ prohibentis vllum telum esse in Vrbe.* Sic & Iustinianus, vt rixis priuatorum occurreret, priuatis & armorum fabrica, & commercio interdixit, *Nouel. 85.* Sic varie hoc Interdictum propositum, prout scilicet vsus esset, pro

ratione

ratiooe temporis vel etiam Inci, vbi seditio vel latrocinia metuebantur: denique pro ratiooe personatum, a quibus metus erat. Hac saoe *lege*, cum a latronibus metus esset, itioera Campaniæ infestantibus, Armorum vsu seu gestamine ioterdicendum in itinere credidit Valentinianus: vt
P.421 proinde non sint hæc interdicta vnius generis, neque voa pertica metienda, vel inter se commiscenda. Ergo in itinere vsu armorum, seu motione armorum interdicitur: Nam in vrbibus ipsis iam olim ὀπλοφορία prohibita: *l. 1. 3. D. ad leg. Iul. de vi publ.* (Quo non pertinet hæc *lex:*) In itinere veto regulariter licita olim erat: *d. l. 1.* quod *hac leg.* per Campaoiam oomiotim viatoribus prohibetur: & vero hoc æuo, quod iam ostendi, pariter in aliis prouiociis prohibitum erat. Quod cum a nonnullis perperam usurparetur, per Campaniam, qui hac ratione sua latrocioia peragebant, ideo recentate hoc ioterdictum Valentiniaoo visum. Et hæc de ipso interdicto.

II. Sequuntur *Ampliationes* duæ: Prior, ratione personarum: *Nulli prorsus*, inqoit, nequidem scilicet ad domum Principis vel Senatorum pertinenti, veluti Pastoribus rei priuatæ, & Procuratoribus, & Actoribus Senatorum, vt *d. l. 2.* vbi & his nominatim equorum vsu interdicitur. Neque hi scilicet a latrocinii suspicione aberant: imo insolentiores hi ferme, io Prouinciis fuere: de quo ad *l. 1. supr. de Iurisdict.* Quare & id arrogasse sibi videntur, vt scilicet arma mouerent seu gestarent, fiducia Principalis & Senatorii nominis: quibus & ipsis id *hac leg.* adimitur: *Nulli PROKSVS*, inquit.

Cæterum quæritur hic, ao *priuatis* tantum, id est, noo militantibus id interdicatur? an veto & militibus? Quod ne quæsitum quidem fuisset, si de Campania hic agi attendissent illi, vbi nullus tum miles erat: Alibi nil tam proprium militi to militia scilicet agenti, quam ὀπλοφορία: extra eam miles priuatorum iure vtitur. Hinc adeo diserte Iustinian. *d. Nou. 17. cap. vltim.* τὴν ὀπλοφορίαν τῶν οὐχὶ στρατιωτῶν, *armorum vsum eorum qui non militant*, prohiberi iubet. Cæterum hic noonulli exceptionem adduot, ex *l. vltim. Cod. Iust. de Præpos. S. Cubic.* vbi Anastasius Præpositis S. cubiculi finita militia licere vult, *quotient ad aspiciendos agros suos, vel ob aliam causam proficisci voluerint, cingulo vti.* Quod Cuiacius per ξιφηφορεῖν vertit, quod minus probo. *Cingulo* quippe *vti*, oon est gladium gestare, verum insignia Magistratus in commune gerere. Aliud enim est ζώνη, aliud ξίφος. Chrysostom. *loco*, qoem allegaui ad *l. vltim. supr. de Postul. Hom. de vtil. Lect. Script. Sacr. in princip. Actor. 3. pag. 77. Tom. III. Oper. Edit. Benedictin.* ἀπὸ δὲ τῆς ζώνης δοκιμάζομεν τὸν ἄρχοντα, ἀπὸ τῆς τοῦ κήρυκος φωνῆς, ἀπὸ τῶν ῥαβδούχων, ἀπὸ τοῦ ὀχήματος, ἀπὸ τοῦ ξίφους, ταῦτα γὰρ πάντα ἀρχῆς σύμβολα, *magistratum ex cingulo æstimamus, ex voce præconis, ex satellitibus, ex curru, ex gladio. Hæc enim omnia magistratus sunt insignia.* Et Gregorius Nazianzenus *Ep. ad Africanum Prouinc. Rector 65.* ἀρχὴν, inquit, τὴν μετὰ ξίφους καὶ τελαμῶνος, *imperium quod gladium & cingulum habet. Cingulum* pro honore Magistratus siue Ciuili siue Militari. Cuius insignia, finita militia, deponebantur. Nisi quod singulari priuilegio Præpositis S. Cubiculi id tribuit Anastasius, *ea lege*, quæ pars est maioris constitutionis Anastasianæ ad Eusebium magistrum officiorum; Qua actum de priuilegiis eorum, qui officiis & dignitatibus vel adhuc fuogebantur, vel iam foncti erant: vt docet quoque *l. 18. Cod. Iust. de dignitat. l. 11. Cod. eod. de Prox. Sacr. Scrin. l. 2. Cod. eod. de Comit. Consistor. l. 1. Cod. eod. de Aduoc. diuers. iudicum.* (Quæ *leges* omnes inter se coniungendæ sunt, & cum *d. l. vltim. Cod. Iust. de Præpos. S. cubic.* coassandæ:) Ac nominatim militia finita, vt *d. l. vltim.* ita *d. l. 1. Cod. Iust. de Aduoc.* neque tantum in vrbe constitutorum, sed & proficiscentium, vt *d. l. vltim.* & *d. l. 18. Cod. Iust. de dignitat.* Qua id priuilegium nonoullis dignitatibus conceditur, vt sine euocatoria vel vrbe digredi, vel io prouiociis consisteotes, ad vrbem commeare possint. Ergo & priuilegii loco, id. *d. l. vltim.* Præpositis S. Cubiculi conceditur, vt officio functi, alioque proficiscentes pristino dignitatis cingulo vti possint. Tandem hac generali prohibitione cootinentur & Ecclesiastici, seu edicto de armis noo gestandis ligaotur, vt decisum refert io Senatu Catalon. Peguera *decis. 56.*

Altera *huius leg.* Ampliatio est respectu Armorum. *Quorumlibet*, inquit, *Armorum*, quæcunqoe scilicet illa sint, siue offendibilia, siue defendibilia, vt loquuntur. Cuiusmodi sunt ea, quæ Synesius memorat *epist. 107. 108.* Siue ex Lanceæ siue λόγχαι, siue κοπίδες (de quibus & Curt. *lib. 8. c. 14.*) siue ξίφη ἀμφήκη, id est, *gladii ancipites*: siue κορύναι, id est *claua*, forte ex oleastro: siue πελέκεις ἑτερόστομοι, id est *secures*, altera parte acuræ, quas in zonis ferebant. Item cuiusmodi sunt ea quæ memorat Iustin. *Nouell. de armis 85. cap. 4.* arcus, sagittæ, spathæ, enses, qui vocantur semispathia, zabæ, loricæ, conti, lanceæ, monocopia, fitinni, aspides, scuta, galeæ, cassides. Cum tamen forte nonnullorum saltem armorum vsum sibi licere oportere quidam putarent, veluti eorum, a quibus minor metus esset; Et tameo omnium promiscue armorum gestaodorum licentia *hac leg.* adimitur: quia; etsi minor metus a nonnullis armorum generibus esset, aliquis tamen esset: vt ecce & claua quis æque opprimitur, atque gladio: æque securi, atque copide aut gladio.

III. Sequitur vltimo loco *Limitatio* seu determinatio: *Nulli*, inquit, *nobis inscius atque inconsultis copia tribuatur.* Quæ formula determinatiua aliis quoque *legibus* occurrit, vt *l. 1. supr. de quæstion.* (vnde desumpta est *l. 4. Cod. Iust. ad leg. Iul. Mai.*) iodicatque specialem & expressam Principis indulgentiam: Nempe permissuros sese hac formula indicant Impp. nonnullis, id quod in commune vetarent, prout rem ipsi explorassent, vel etiam explorata ipsis eorum fides & integritas esset. Proinde Principali examini id reseruat, Ordinariisque Iudicibus adimit; veluti Consulatibus Campaniæ, *hac leg.* Sane & ex Iuliani *epist. ad Leontium 22.* id ipsum discere est, oempe nonnisi Principis iussu ὅπλων χρῆσιν licitam fuisse: ea quippe epistola Iulianus Leontium in cohortem Domesticorum adscribens, ei nominatim ὅπλων χρῆσιν tribuit: ἐπιτρέψαντες οὖν σοι τὴν τῶν ὅπλων χρῆσιν, ἀπεστείλαμέν τε πανοπλίαν, ἣ τέως τοῖς πεζοῖς ἁρμόττει· κουφοτέρα δέ ἐστιν αὕτη τῆς τῶν ἱππέων. ἐγκατελέξαμεν δέ σε τῷ τῶν οἰκείων συντάγματι. γίνονται δὲ ἀπὸ τῶν ὁπλοφορησάντων ἤτοι καὶ στρατευσαμένων: *armorum igitur vsum tibi permittimus, armaque vniuersa mittimus, quibus adhuc pedites vtuntur: sunt autem hæc equestribus armis leuiora: teque domesticorum numero adscribimus, qui ex iis delecti sunt, qui arma gestarunt bellisque interfuerunt.* Et hæc quidem est *huius leg.* sententia, vnde deinceps elucebit, quomodo ea & quatenus in vsum & praxim deduci possit, qua misere plerique hactenus abutuntur. De vsu videlicet armorum prohibito, vel concesso, commentantes: in quibus est & Menochius, *lib. 2. de Arbitr. cent. 4. casu 394. a num. 18. ad*

78. ad 92. Inter quæ & illud foret, si Iudaice & contra eius finem (quem ex *d. l. 2. supr. quibus equor. vsus*, eduximus,) eam ita acciperemus, quasi non extra ordinem, necessitate publica vel priuata vrgente, arma mouere, seque & publicam disciplinam pacemque vindicare armis liceret. Quod tamen historica *huius leg.* causa refutat, & rationi naturali, omnique alii iuri contrarium est: Quo his casibus armis vti licet, de quo sunt præter notissimos Iuris textus *hoc Cod. l. 2. supr. ad leg. Corn. de sicar.* & *l. 14. supr. de desertor.* & *Nouella* Valentiniani *inter Theodosianas 20. de reddito iure Armorum:* de qua mox. Quin & huc pertinet egregius Synesii locus *d. epist.* 107. vbi contra eam obiectionem de qua *supra*, excipit, pro tuendo eo quod vsum armorum, imo & fabricæ vsurpassent Cyrenæ in patria: Quod hostes late omnia tenerent, omniaque deprædarentur, & singulis diebus ingentes populos iugularent, & interea nullus miles adesset: ἡδὺς εἶ κωλύων ἡμᾶς ὅπλα κατασκευάζεσθαι, τῶν πολεμίων μὲν ἐπιχόντων, καὶ λείαν ἅπαντα ποιουμένων, καὶ ἀποσφαττόντων ὁσημέραι δήμους ἀθρόους, στρατιωτῶν δὲ οὐκ ὄντων, ὥστε καὶ φαίνεσθαι: εἶτα λέξεις ὡς οὐκ ἐξὸν ἰδιώτας ἀνθρώπους ὁπλοφορεῖν, ἀποθνήσκειν δὲ ἐξὸν, εἴπερ καὶ ἡ πολίτεια χαλεπαίνει τῷ πειρωμένῳ σώζεσθαι; *iucundus es, cum nos arma comparare prohibes, hostibus late omnia tenentibus omniaque deprædantibus, atque in dies integros populum confertim iugulantibus, cum miles nullus adsit, qui quidem compareat. Quæ cum ita sint, tamenne licere negabis priuatis hominibus arma ferre? mori autem licere dices, si iis, qui saluti suæ consulant, Respublica succenseat?* Tandem in confesso est, interim seu interdum gladium ad occidendum hominem ab ipsis *legibus* porrigi: de quo obuia sunt loca. Quibus tamen accenseri nullo modo patior, quod vulgo hactenus fit, Ammiani Marcellini locum, *lib. 23. cap. 1. in fin.* vbi ait; *Irruentibus armis externis legem vnam esse & perpetuam, salutem omni ratione defendere, nihil renitente vi moris:* Quo loco plerique *morem* intelligunt, quo priuato regulariter arma mouere non licet. Perperam. Nam, vt locus ille integer ostendit, id pertinet ad omina signaque quæ ex more Gentilitio ab expeditione aliqua seu procinctu, & vt *ibidem* loquitur, ab alieno peruadendo, desistere regulariter suadebant: a quo more recedendum ait, cum arma externa irruerent; & proinde salus omni ratione defendenda veniret. Ergo illis verbis *nihil renitente vi moris*, indicatur, auspiciorum & ominum, auguralisque adeo disciplinæ ratio & obseruatio. Haud alius igitur huius loci sensus est, quam quo sensu recte dixeris, Iudæos tandem irruentibus armis externis, salutem suam Sabbatho defendere edoctos, *nihil renitente vi moris*, vel potius superstitionis circa Sabbathi religionem. Quid quod & de loci illius Scriptura nondum liquet? Cum ibi ex *MSS.* nonnulli reponant, *nihil remittente vi mortis*, vt in vulgato illo, *Contra vim mortis non est medicamen in hortis.* Vtrouis modo *locus* ille legatur, quanquam priore omnino legendus mihi videtur; nihil ille ad *legem* nostram facit. Atenim huc apprime facit datum populo Romano Anno Domini 440. ius Armorum a Valentiniano III. *Nouella* (inter Theodosianas) *de reddito iure armorum 20.* aduersus Genserieum Vandalorum Regem, qui superioris Anni fine Carthaginem occupauerat, cuius excursus hoc Anno metuebatur: vbi prætereà, quæ initio præfatur, hæc necessaria ad locum occurrunt: *Singulos vniuersosque nostros monemus Edicto, vt Romani Roboris confidentia ex animo quo debent propria defensare cum suis aduersus hostes, si vis exegerit salua disciplina publica, seruataque ingenuitatis modestia, QVIBVS POTVERINT ARMIS nostrasque prouincias, ac fortunas proprias fideli conspiratione & iuncto vmbone tueantur*, &c.

F I N I S.

Addenda & Emendanda.

Pag. 5. in not. lin. 32. leg. εἰς πόλιν.
Pag. 23. colum. 2. lin. 40. leg. ἔχει.
Pag. 32. in Commentar. leg. 3. colum. 2. lin. 24. leg. ἀνελεῖν, & lin. 25. τεταγμένον, & lin. 26. αὐτούς.
Pag. 33. colum. 1. lin. 24 leg. σχήματι.
Pag. 41. colum. 2. in disputatione illa de Xysto, verba sequentia in Editione Maruilliana ita leguntur: „Quomodo & „alias hæ voces in MS. mutatæ, & in veterib. Inscriptionib. Eaque etiam alicubi falsitatis & erroris ma„teries. Hieronymus aduersus Cresiphontem aduersus Pelagium „ *Illam autem temeritatem, imo insaniam eius, quis digno possit explicare sermone: quod librum decimum sextum Xysti Pythagorei hominis absque Christo atque ethnici, immutato nomine Syxti martyris & Romanæ ecclesiæ prænotauit Apsis S. Mariæ in Quisquiliis*, *XYSTVS EPISCOPVS PLEBI DEI.* Quæ cum sensum non admitterent, rescripsi, *in Actis S. Marii suppositititis*, cum in iis *S. Xysti* mentio fieret, crederemque locum nonnisi ex coniectura restitui posse. Tandem vero, postquam frustra opem quæsissem apud Baronium in Vitis Sixtorum, incido in Anastasium Bibliothecar. & eruditas Blanchini Obseruationes, qui ad Sixtum III. Sect 64. pag. 106. Edit. Roman. notat, Basilicam S. Mariæ in Esquiliis, a fundatione, Liberianam, amplificatione, *Maiorem*, & ab acquisitione Sacrorum pignorum Dominicæ natiuitatis, *ad Præsepe*, dici; augmenta vero & ornamenta, quæ ea Basilica acceperit per Sixtum, satis declarare Musiua vtriusque Testamenti historias complexa, quæ Basilicam vniuersam inuestiunt in naui Ecclesiæ præcipue, vbi arcus quem vocant triumphalem, exhibet nomen ac dedicationem Pontificis, XYSTVS EPISCOPVS PLEBI DEI. Adde eiusdem Blanchini dissert. 2. de musiuis imaginib a Xysto Papa III. collocatis in amplificatione Basilicæ Liberianæ, pag. 125. Tom. cit. vbi & imaginem musiuam affabre æri incisam videre licet. Ex his patet Gothofredum loc. cit. scripsisse: *Apsis S. Mariæ Maioris in Esquiliis*, *XYSTVS EPISCOPVS PLEBI DEI.* Et ita hic locus restituendus est.
Pag. 48. colum. 1. lin. 50. scribe, μείζους.
Pag. 73. colum. 2. lin. 37. leg. Himerius.
Pag. 125. colum. 2. circa fin. leg. κατὰ τῶν προειρημένων.
Pag. 195. col 2. in auctoritate, Turcii Aproniani lin. 14. scribe, *TAM PROPRIVM QVOD.*
Pag. 201. colum. 2. lin. 51. scribe, ἀγωνίας.
Pag. 292. colum. 1. lin. 25. leg. His similes erant πρώτων.
Pag. 348. colum. 2. lin. 15. leg. si secund.
Pag. 377. colum. 2. lin. 13. leg. ἰδόμενον.
Pag. 415. colum. 1. lin. 14. leg. lib. 14. c. 6.
Pag. 428. colum. 1. lin. 22. nota hæc verba, Fidicinas, Psaltrias, Crotalistrias, & quæ sequuntur, citari ex Macrobio, in Editione Maruilliana, apud quem tamen non leguntur. Ego cum non dubitarem Gothofredi esse, litteris antiquis, quas typothetæ appellant, inprimi curaui.
Pag. 431. in leg. 2. lin. 3. habet Editio Parisiens. *tali placet hac indignatione.*
Pag. 459. colum. 1. in Commentar. leg. 1. lin. 28. leg. ἀρχῆς παρείλκυς.
Pag. 463. lin. 1. lege Γάλλον μὲν.
Pag. ead. colum. 2. lin. 39. interpunge, *hoc fuisse*, vt.
Pag. 468. colum. 1. lin. 72. lege, ἐπὶ τοῦ μετώπου.

Reliqua prudens lector aut ipse emendabit, aut feret.



